C. CORN. TACITI

OPERA

RECOGNOVIT, EMENDAVIT,

SUPPLEMENTIS EXPLEVIT,

NOTIS, DISSERTATIONIBUS, ILLUSTRAVIT,

GABRIEL BROTIER.

EDITIO NOVA ET AUCTIOR.

VOL. I.

CURANTE ET IMPRIMENTE

ABRAHAMO JOANNE VALPY, A. M.

COLLEGII PEMB. OXON. NUPER SOCIO.

LONDINI:

VENEUNT APUD G. ET W. B. WHITTAKER, VICO AVE MARIA.

1823.

C. CORN. TACITI

OPERA.

VOL. I.

recat. 9-18-28 R.H.

TABULA RERUM

IN VOL. I.

IN VOL. II.

IN VOL. III.

IN VOL. IV.

LECTORI BENEVOLO

S.

Quæ fuerit causa, quod propositum hujusce editionis suscipiendæ, paucis te, Lector Benevole, monendum arbitramur. Jamdudum divenditis omnibus non modo Parisiensium Brotieriani Taciti editionum, sed etiam repetitæ Edinensis, exemplaribus, vir honestissimus et solertissimus Lunnius, Bibliopola Londinensis, nobiscum egit, ut novam editionem accuratius ederemus atque imprimeremus.

In primis igitur novo editori, si apud literatos pretium editioni suæ arrogari vellet, curandum erat, ut non modo corrigerentur errata, quibus scatebat editio Edinensis, neque Parisiensis omnino carebat; sed ut subsidia exquisitissima, quibus instructi nuperi editores Taciti opera illustraverant, in nostra editione collecta Lectori sub aspectum adducerentur. Cum enim hancce editionem et absolutissimam et utilissimam prodire in lucem vellemus, nihil prætermittendum nobis est visum, quod ad auctorem nostrum exornandum pertineret. Inter illos autem, quorum laboribus præcipue usi sumus, memorandi sunt Ernestius, Crollius, Rupertius, et qui nuper Anglicam et Gallicam versionem ediderunt Cll. Murphius et Duravius. Neque gloriæ non ducendum

est, quod inter Notas sparsæ sunt nonnullæ, quas PORSONUS ὁ μακαρίτης, et KIDDIUS e Ruhnkenio aliisque artis criticæ principibus olim excerpsere et designavere.

Consilium Editoris Edinensis servandum arbitrati sumus, qui materiem totam et majoris[1] et minoris[2] editionis Parisiensis in unum congessit, ea ratione ut nihil quidem uberrimæ eruditionis et sedulitatis indefessæ Brotierii doctissimi lector unquam desideraret. Multa tamen ad Historiæ vel Geographiæ rationem pertinentia, quæ plerumque expressa tironum ipsorum fastidio ille repetiverat, sæpius reticenda judicavimus.

Dum autem atrocia per totam Europam omni rapinarum genere grassantia latius bella exardent; dum ad Continentem aditus ingeminato furore penitus intercluditur, vix sperandum est fore ut unum et alterum exemplar extra Britannicas insulas exportentur. In voto nobis igitur fuit ut in usum nostratium nova hæc compararetur editio; quod et nostra et aliorum sententia magis commode effecimus, cum editoris eruditissimi rerum et verborum explicationem ex ipsius lingua in verba nostratia transferre, et nummos Romanos, quos ille ad Gallicam normam accommodaverat, ad Anglicæ monetæ rationem in usum juventutis studiosæ reddere, constituimus.

Forsan, Lector B., non modo haud supervacaneum, sed etiam tironum quibusdam apprime utile videatur, nummorum et Græcorum et Romanorum Tabulam cum Anglicis summis diligentius collatam in hoc loco subjicere:

[1] Paris. Ed. 1771. 4 Voll. 4to.
[2] Paris. Ed. 1776. 7 Voll. duod.

ROMANORUM NUMMI.

Teruncius, Quadrans,	*a farthing.*
As,	*three farthings.*
Sestertius, Nummus,	2*d.*
Quinarius, Victoriatus,	4*d.*
Denarius, 10, postea 16, asses,	8*d.*
Solidus,	12*s.*
Aureus, 30 denarii,	1*l.*
Libra,	2*l.* 16*s.*
Pondo argenti, 100 denarii,	3*l.* 6*s.* 8*d.*
Sestertium, 1,000 sestertii,	8*l.* 6*s.* 8*d.*

GRÆCORUM NUMMI.

Chalcos,	*a brass farthing.*
Obolus,	*three half-pence.*
Drachma, 6 oboli,	9*d.*
Philippus,	15*s.*
Mina, 100 drachmæ,	3*l.* 15*s.*
Talentum, 60 minæ,	225*l.*
Talentum magnum, 100 minæ,	375*l.*
Talentum aureum, 10 talenta,	2250*l.*

Nihil jam restat, nisi ut de paucissimis mea supellectile, quæ probe novi quam sit curta, cunctanti manu expromtis moneam. Deinde rogatus vel non rogatus fateor me die nocteque indefessa et pertinaci diligentia olei atque operis plurimum consumsisse, ut accuratius ædibus nostris hæc emitteretur editio ; et spero equidem fore ut neque me, neque lectorem, neque redemtorem suscepti laboris olim pœniteat.

Fere solum habui adjutorem in correctione foliorum prelo exeuntium fratrem puerulum, at pro ætate insigniter eruditum. Si quos errores graviores, non dicam incuria, sed virium infirmitas fuderit, ne iracundo prorsus animo feras ; benigne autem potius, Lector B., faveas conatibus nostris, et ea, qua honestos ausus excipere soles, indulgentia uti ne dedigneris.

A. J. V.

Datum Londini,
13. *Kalend. Apriles,*
1812.

GABRIEL BROTIER

ERUDITO LECTORI.

CAII CORNELII TACITI opera, ante tot annos edi cœpta, in lucem prodeunt. Tantarum causas morarum explicare haud juvat, cum satis innotuerint. His ergo omissis, necessaria et suscepti operis propria tractaturus, primum de vita et scriptis Cornelii Taciti, deinde de præcipuis ejus editoribus et interpretibus, tertio demum de hac editione, et quæ mihi fuerint subsidia, præfabor.

DE VITA ET SCRIPTIS

CORNELII TACITI.

CAIUS CORNELIUS TACITUS pauca de se, nihil de patria et origine sua prodidit, ingenio et virtutibus potius, quam loco ac majoribus inclarescendi certus. Interamnates eum municipem suum fuisse gloriantur.[1] Patre, equite Romano, et, quæ equestris est nobilitas, Belgicæ Galliæ procuratore, genitus videtur[2] circa annum Urbis Conditæ 810.[3] Jesu Christi 57. Pueritiam egit, dum, sub Nerone cupidinum immodico, non modo Urbs, sed quæque, ut Urbi proxima, ad omne libidinum genus profluebant. At per ætatem, institutionemque, et prima literarum rudimenta, iis vitiis intactus crevit: pari integritate, turbida Galbæ, Othonis, et Vitellii tempora elapsus est. Vespasianus, rerum potitus, pacem moresque intulit; et inter cetera imperii munia, literas artesque amplexus, eas providentia et liberali-

1 Hac de re plura vide apud Franciscum Angeloni, *Historia di Terni*, p. 42 et seq. Interamna, nunc *Terni, in the Duchy of Spoleto.*

2 Plin. Hist. Nat. vii. 16. Perperam Lipsius aliique multi existimavere Tacitum fuisse Belgicæ Galliæ procuratorem, a Plinio memoratum. Repugnat temporum ratio, quæ in Taciti patrem recte cadit.

3 De Taciti ætate satis constat ex ipsa ætate Plinii, Epist. vi. 20. et vii. 20. Adde ipsum Tacitum in Dialog. de Orat. cap. 1 et 17.

tate refovit. In hac renascentis Urbis tranquillitate, Tacitus operam dedit eloquentiæ, cujus ut inter temporum tristia ad præsidium, sic inter læta ad decus, vis plurima. Gnarus autem oratorem melius exemplis, quam præceptis, institui, M. Aprum et Julium Secundum, celeberrima tum fori ingenia, domi et in publico adsectatus est.[1]

Ad has studiorum curas sane accessere castrensia stipendia. Id enim apud Romanos optime institutum, ut juvenis, literis imbutus, suam in castris industriam adprobaret: sic civis unus, vix juventutem ingressus, ad omnia reipublicæ munia accingebatur. Tacitus, iis paratus exercitiis, eaque ætate, qua ad honores patebat aditus, Vespasianum inchoatæ suæ dignitatis auctorem habuit.[2] Juveni, qui in egregiam spem adolescebat, filiam suam despondit Cneius Julius Agricola, consul anno Urbis Conditæ 830. ac post consulatum collocavit.[3] Soceri decus genero novum fuit claritudinis adjumentum; ejusque dignitatem auxit Titus.[4]

Interim nihil de studiis a Tacito remissum: immo in ea tanto acrius ferebatur, quod se ad summa genitum persentisceret, et in foro magnum nomen audentia et impetu certius, quam lentis operosisque moliminibus, præripi cogitaret. In Urbe pridem invaluerat quædam ingeniorum mollities: forum quoque, prævalida Principum auctoritate fractum, a veteris eloquentiæ gravitate ad diserti sermonis elegantias deflexerat. Tacitus, ut præcellentibus ingeniis solitum, novam iniit viam: nec aspernatus temporis sui ornatum, sed quod apud antiquos fuerat egregium æmulatus, splendore verborum, sententiarum pondere, et totius orationis dignitate hanc sibi paravit dicendi vim, ut ea ætate, qua disertorum virorum laus vigebat, ipse, ut eloquentissimus, celebraretur; tantamque moveret admirationem, ut juvenes laudis cupidos ad sui imitationem traheret.[5]

In hoc celebritatis cursu, cum honorum incrementa a Domitiano accepisset,[6] quindecimvirali sacerdotio præditus, simul et prætor, adfuit secularibus ludis anno Urbis Conditæ 841. editis.[7] Tacitum autem ab optimis Principibus, Vespasiano Titoque, dignitatis initia accepisse, virtutis sane fuit. Quod ad novos amplioresque honores a Domitiano, pessimo Principe, fuerit evectus, egregii illius, quod sæpe ipse commendavit,[8] contumaciam inter et obsequium temperamenti fuisse crediderim. Neque Domitiano, vel inter flagrantia scelera, fuit umquam ita absurdum ingenium, ut virtutem dignitatum pe-

1 Tacit. Dial. de Orat. cap. 2.
2 Tacit. Hist. i. 1.
3 Tacit. Vit. Agric. cap. 9.
4 Tacit. Hist. i. 1.
5 Plin. Epist. vii. 20.
6 Tacit. Hist. i. 1.
7 Tacit. Annal. xi. 11.
8 Tacit. Vit. Agric. cap. 42. Idem quoque Annal. iv. 20. et alias sæpe.

nitus expertem voluerit. Ut ut est, post præturam Tacitus ex Urbe secessit, non exul, neque otii cupidine, quod quibusdam placuit, at, ut verior fert conjectura, prætorius legatus, provinciæve rector a Principe impositus. Absens quadriennium egerat,[1] cum accepit summo doloris sensu socerum suum Agricolam decimo Kalendas Septembris, anno Urbis Conditæ 846. mortem obiisse; et, ut fama erat, Domitiani veneno interceptum.[2]

In Urbem tum reversus, Principem reperit, non jam insidiis, sed publico bonorum odio ferocem. Vidit obsessam curiam, clausum armis senatum, senatores in carcerem a senatoribus ductos, aut innocenti perfusos sanguine. Talia Principis senatusque opprobria vidisse, iisque senatoriæ dignitatis necessitate interfuisse, ita inhorrescit, ut, vel ea commemorando, se flagitii nec ministrum, nec suasorem, umquam fuisse satis prodiderit.[3]

Fœda criminibus, luctu mœsta tempora exhilaravit Princeps Nerva anno Urbis Conditæ 849. Tum redire virtuti decus, vitiis infamia, sceleri exitium. Auspicata principatus initia insignivit singularis consulatus. Dignitatem enim anno Urbis Conditæ 850. iniere Nerva Augustus III. et Verginius Rufus III. consules; ille imperio ægre *capessito*, *hic* adserto *olim* et spreto illustris: utroque consule dignus Tacitus, in spem, quam cito erat occupaturus, designatus. In hoc enim privati hominis fastigio Verginius morbo correptus est: dein paulo post extinctus, cum excessisset annum tertium et octogesimum; cunctis fortunæ et virtutum experimentis ab Augusti excessu ad hæc usque Nervæ tempora probatus. Ut ejus vitæ, ita et morti ingens circumdata est gloria. Ductum publicum funus; et Verginius, a consule Cornelio Tacito pro rostris laudatus, supremum hunc felicitatis cumulum accepit, laudatorem eloquentissimum.[4]

At maxima hujus consulatus laus fuit Trajani adoptio, qua securitas publica, ob senilem Nervæ ætatem nondum firma, robur adsumsit.[5] Cum ferverent exultantis Urbis gaudia, Tacitus soceri sui Julii Agricolæ, qui hanc temporum felicitatem augurio votisque erat ominatus,[6] vitam composuit; priorisque servitutis memoria præsentium bonorum sensum auxit. Brevis quidem est libellus: at in quo æternum egregiæ virtutis monumentum, et absolutissimum laudationis exemplar.

Trajano II. consule, anno Urbis Conditæ 851. Germanorum mores, leges, ususque, pari brevitate descripsit,[7] tum ut eorum laudi-

1 Tacit. Vit. Agr. cap. 44 et 45.
2 Tacit. ibid. cap. 43.
3 Tacit. ibid. cap. 45.
4 Plin. Epist. ii. 1.
5 Tacit. Vit. Agric. cap. 3.
6 Tacit. in eadem Vit. Agric. cap. 44.
7 Tacit. de Moribus German. cap. 37.

bus attolleret Trajanum, defuncto Nerva, rerum potitum, Germanisque formidatum, quos inter adhuc agebat, tum ut Urbem, luxu et deliciis fractam, ad viriles sensus æmulatione provocaret. Plus ad nos utilitatis pervenit. Germanica enim libertas, cujus vim Tacitus præsenserat,[1] diu cum imperio Romano luctata, ac tandem victrix, regna imperiumque condidit suis legibus attemperata, et ultra veterum dominationum memoriam longe perennanda. Quam juvat tantarum rerum originem, a præstantissimo scriptore traditam, evolvere; publici privatique, quo utimur, juris fontes aperire; nostræ gloriæ, nostræ felicitatis, fundamentum simul et tutamentum meditari!

His acerrimæ mentis operibus haud impedita fori studia. Cumque Afri Marium Priscum, Africæ proconsulem, pecuniis ob innocentes condemnandos, interficiendos etiam, acceptis infamem, accusassent, senatus, criminis atrocitate motus, Tacitum Pliniumque iis adesse jussit: et, ut plus celebritatis foret, Princepsque interesset, dilata cognitio. Acta tandem causa frequentissimo senatu, cum Trajanus, in Urbem redux, et consul tertium, anno Urbis Conditæ 853. præsideret. Triduum in hac cognitione insumtum. Plinius Martianum, qui Mario immanitatis socius fuerat, corripuit. Frontoni Catio, qui pro Mario insigniter dixit, Tacitus respondit eloquentissime, et quod eximium orationi ejus inerat, graviter. Damnati fuere Marius et Martianus. In fine sententiæ adjectum, "quod Tacitus et Plinius injuncta advocatione diligenter fortiterque functi essent, arbitrari senatum ita eos fecisse, ut dignum mandatis partibus fuerit."[2] Pares laudibus fecit senatus, quos eadem ferme ætas, par dignitas, studiorum et animorum similitudo ante conjunxerat, in magna nominis celebritate concordes.

Nullus enim Tacito pravæ æmulationis sensus. Immo certus decora ingenia literarum communione commendari, studiosos, qui ad ipsum ex ejus ingenii admiratione conveniebant,[3] consiliis et præceptis erudiebat. Ipse, studiorum hortator, Plinium monuit, ut Historiam scriberet.[4] Quod cum ille declinaret, difficultate deterritus, aliisve distentus curis; Tacitus id muneris in se recepit, ne excideret rara temporum felicitas, qua, sub optimo Principe, bono cuique sentire quæ vellet, et quæ sentiret, dicere liceret.[5] Nemo autem ad scribendam Historiam natura et arte umquam paratior accessit. Acre enim Tacito inerat judicium, vivida mens, magna rerum hominumque scientia et experientia, promta et profunda cogitandi ac scribendi

1 Tacit. de Moribus German. cap. 37.
2 Plin. Epist. ii. 11.
3 Plin. Epist. iv. 13.
4 Sidonius Apollinaris, Epist. iv. 22. Plin. Epist. v. 8.
5 Tacit. Hist. i. 1.

vis: quodque iis temporibus rarissimum, animus neque libertati infensus, neque adversus dominantes contumax.

Primum scribendi argumentum sumsit temporum suorum Historias,[1] quas a Neronis fine ad Domitiani necem facillima et uberrima vena prosecutus est, recti verique pervicax, sine ulla assentandi aut criminandi libidine. Pars quidem operis maxima periit: manent tamen initia, queis non modo expressa avara et anceps Galbæ senectus, præceps Othonis ambitio, segnis et fœda Vitellii ingluvies, sed et bellorum civilium artes, fraudesque, et scelera, majore arte incertum, an prudentia, ad totius ævi documentum, deteguntur. Utinam nobis non invidisset tempus partem alteram, quæ providam Vespasiani mentem, breves, eoque cariores, Titi virtutes explicabat! Hæc quidem Flaviæ domus decora excepisset atrox Domitiani nequitia. At, vel inter acerba Principis flagitia, quæ, a gravissimo scriptore memorata, fuissent magnarum cogitationum fœcunda, juvasset adhuc, quod summatim initio operis ipse Tacitus prodidit,[2] ampla virtutum exempla, supremas clarorum virorum necessitates, ipsamque necessitatem fortiter toleratam cognoscere. Numquam enim illustriora sunt virtutis certamina, quam cum durius premitur; et, ut inter tempestatum horrida acriores emicant ignes, sic inter temporum fera vividior puriorque exsurgit virtus.

Post hanc Historiarum curam, Tacitus superiorem imperii memoriam narrandam suscepit; eamque a Tiberii principatu ad Neronis exitum in Annalibus conclusit; pressior, acrior, sententiis, quam verbis abundantior: præceptis politicæ artis ita locuples, ut, si hos tantum Annalium libros edidisset, Principum privatorumque hominum, qui ad rempublicam accedunt, præceptor doctorque haberetur: in hoc scribendi genere primus simul et summus. Inter hæc sapientiæ consilia, et incredibili mentis capacitate, cautissimas Tiberii artes extricavit, Claudii imbecillitatem pudendam fecit, Neronis libidines infamavit; sane adversus Caii furores æque animosus. At, ut in Historiis, ita et in Annalibus, multa absumsit vorax temporum edacitas.

Ea cum componeret, Augusti Annales meditatus est:[3] magnificum dignumque Tacito argumentum: qui reipublicæ finem, ortum imperii, versos mores, tantarum rerum causas, Augustum iis quidem movendis imparem, sed semel motas sustinendo habilem, plurimaque arte publicum servitium libertatis specie molientem, expressisset.

Post tot labores, tradendis superioris ævi rebus impensos, ætatem suam erat repetiturus, ut nova et præsentia bona æternitati consecraret,

1 Tacit. Hist. i. 1. Ann. xi. 11.
2 Tacit. Hist. i. 3.
3 Tacit. Annal. iii, 24.

ac, pro virili portione, sequentium Principum æmulatu continuaret. Nerva enim Cæsar res olim dissociabiles miscuerat, principatum ac libertatem. Publicam felicitatem in dies augebat Trajanus;[1] additaque victoriarum gloria, ita imperii fines proferebat, ut numquam latius sit imperitatum. Uberrimam hanc et securissimam materiam senectuti suæ seposuerat Tacitus.[2] Egregia consilia mors importuna abrupit. Ipse, dum Trajanus Orientem novis victoriis lustrabat, (nusquam enim Hadriani tempora memorat) vivendi finem fecit, præpropero fato oppressus. At in brevi mortalitate longioris vitæ celebritatem impleverat: civis optimus, literis et sapientia ætatis suæ princeps; eamdem famam, parem auctoritatem apud posteros tam diu retenturus, quam diu in scriptis non otiosa verborum prolixitas, sed valida rerum sententiarumque brevitas placebit; quam diu in re politica mores hominum, rerum momenta, libertatis et dominationis temperamenta, varia et saluberrima pro temporum eventuumque varietate agendi consilia, noscere erit pretium.

Hæc quidem cum recenserem graviora Taciti studia, omisi leviora duo ejus opera: alterum Facetias; alterum Dialogum de Oratoribus. Facetias, Fulgentio Grammatico[3] memoratas, forte collegit, dum literariam supellectilem parabat, vel subsecivis horis, ut tædia otiave falleret. Periere; nec magnum est earum desiderium. Id enim literaturæ genus ita a tempore locoque pendet, ut vix umquam alios homines, alios mores ferat. Dialogus de Oratoribus extat, sed mancus atque imperfectus parte haud exigua,[4] et, ob naturam rerum, quæ ibi tractabantur, gravissima. Disputationi ea super re habitæ Tacitus, juvenis admodum,[5] interfuerat, cum M. Aprum et Julium Secundum adsectabatur: eam postea, requirente Justo Fabio, literis mandavit, iisdem numeris, iisdem, quas audierat, rationibus.[6] Ibi tamen passim suum prodit ingenium, nondum quidem illa brevitate, quæ in Annalibus eminet, subactum, sed jam validum, et ad altos sensus pronum. Apud picturæ curiosos prima summorum artificum lineamenta diligentissime adservantur: haud minori pretio apud literarum amatores debet esse hoc clarissimi ingenii specimen. Nihil moror quosdam hunc librum Tacito abjudicasse, ut illum Quinctiliano aliisve tribuerent. Pugnant conjecturis adversus manu scriptorum codicum veterumque omnium editionum fidem, adversus

1 Tacit. Vit. Agr. cap. 3.
2 Tacit. Hist. i. 1. supremum illud consilium memorat.
3 Quem vide infra inter Testimonia Veterum.
4 Tacit. Dialog. de Orat. cap. 35.
5 Tacit. ibid. cap. 1. Hac de re fusius dictum in not. et emend. Vide et Appendicem Chronologicam.
6 Tacit. Dial. de Orat. cap. 1.

Pomponii Sabini, Grammatici,[1] auctoritatem, demum adversus certissimam temporum rationem, quæ uni Tacito competit. Contra sunt qui ei vindicent epistolam unam Plinianis insertam.[2] Haud equidem improbabilis est conjectura. At vix ullius momenti res est, ob materiæ levitatem. Ipsa epistola inter Testimonia Veterum mox subjungetur, ut penes quemque sit judicium.

Hactenus Taciti studia et meditamenta recensui; superest ut quorumdam adversus eum criminationes, non editoris adfectu, sed ductu veritatis, expendam. Nemo enim sine adversariis magnum nomen obtinuit; et quanto celebratior Taciti fama, tanto gravioribus patuit accusationibus. Ac primo quidem criminantur malignum eum fuisse et *μισάνθρωπον*, qui omnia vel suspicionibus adulteraret, vel in deteriorem partem traheret. Hæc certe maligni et improbi sunt hominis, qualem nemo dixerit Tacitum, qui sceleratos passim arguit, virtutem meritis laudibus semper extulit, amicos non habuit nisi optimos, ipsamque malignitatem, falsa libertatis specie illudentem, sæpe corripuit. At suspiciones, conjecturas interserit. Fateor equidem; sed eas legitimas, et quod in veterum librorum, quæ superat, paucitate prorsus mirum est, aliorum scriptorum testimonio, aut ipsarum rerum natura comprobatas. Nullas in historia usurpare, vel ineptissimi, vel audacissimi mortalium foret. Criminationis causas aperiam. Quidam corruptores et corrupti Tacitum oderunt, quod eorum arcana nudaverit, eorum vitia perpetuus censor exprobret. Ut sibi alisque fucum faciant, calumniam hanc ingerunt. At quis, nisi prius ei fuerit malesana oculorum acies, splendidiorem purioremque solem esse umquam questus est? Quis, nisi turpis, fideliori speculo irascitur? Alii, procaces ingenio, et offensionum avidi, historias argutiis aculeatas, amaras malignitate, divinationibus falsas scripsere, seque Taciti imitatores audacter sunt professi. Eorum audaciam imperitiamve, non vero Tacitum, argue.—Vulgare est sua flagitia aliis objectare, magnisque nominibus sese tutari. Insuper ex optimis artificibus quavis ætate exorti imitatores pessimi.

Crimen alterum: malæ Latinitatis est Tacitus. Breviter dictum, an vere? Tacitum aliquando nimis acutum, nimis concisum, ingenii et sensuum profunditate subobscurum arguerent, non valde repugnarem, nec eadem esse Thucydidis vitia, aut, ut loquuntur Græci, virtutes, urgerem. Sed Ferretum, aliosque id genus homines, Taciti Latinitatem culpare quis ferat? Eos tamen refutare pudet. Idque prorsus in-

1 Quem vide infra inter Testimonia Veterum.

2 Plin. Epist. ix. 10.

utile, cum Muretus,[1] Latinitatis et Latinarum elegantiarum peritissimus judex, partes illas magna cum laude præoccupaverit. Hoc unum addidero, inter Romanos scriptores nullum esse verborum concinnitate et splendore Tacito comparandum.

Graviora sunt mendacii crimina: neque dixerim Tacitum nihil esse mentitum. Commune illud est mortalitatis vitium, quod historiæ scriptores in tanta rerum multitudine, humanique ingenii infirmitate, et ob caliginem veritati offusam, vix effugiant. Proclivior adhuc error, ubi intercedit religionum diversitas. Inde Tacitus falsa de Christianis, absurda de Judæis prodidit, præjudicatis tum suis, tum aliorum opinionibus abstractus. Ita tamen fidei et diligentiæ, quam in ceteris profitetur, retinens, ut, vel cum hæc peccaret, Christianos incendii crimine, quo Nero eos perculerat, absolverit.[2] Judaicis autem antiquitatibus vera quamplurima intermiscet; eamque religionem valde commendat, quæ Deum imagines mortalibus materiis in species hominum non effingit, sed sine simulacris, sine regum, sine Cæsarum adulatione, *unum numen, summum illud et æternum, neque mutabile, neque interiturum,*[3] veneratur. Talia veritatis testimonia apud nullum Romanæ gentis scriptorem ante Tacitum reperire est.

Odiosum vero, et, ut opinor, falsum est ἀθεότητος crimen, quod quidam Tacito objiciunt. Deos enim passim agnovit, negavit nusquam; ipsamque opem divinam,[4] rerum humanarum dominatricem, memorat. Atrocioribus quidem sceleribus et cladibus offensus, aliquando de divina providentia dubitaverit, dixerit Diis non homines, non imperii securitatem, sed ultionem curæ esse;[5] id ἀσεβείας est, non vero ἀθεότητος. Dolendum certe quod Deum unum non coluerit, et in hac exoriente Christianæ veritatis luce, quæ ipsam Neronis domum subierat,[6] recensque Flavii Clementis,[7] consulis, aliorumque exemplis ac virtutibus inclaruerat, ipse cæcutierit. At inter ἀθέους minime censendus est.[8]

Porro viri illius celeberrimi gloria ad seros nepotes propagata est. Illum parentem suum appellabat, et ab eo originem ducere se gloriabatur M. Claudius Tacitus,[9] qui principatum obtinuit anno Urbis

1 Hac de re et Taciti laudibus orationem habuit Muretus, quam vide inter ejus orationes editas Lipsiæ anno 1698. vol. II. p. 353.

2 Tacit. Annal. xv. 44.

3 Tacit. Hist. v. 5.

4 Tacit. Hist. iv. 78.

5 Tacit. Annal. iv. 20. vi. 22. Hist. i. 3.

6 D. Paulus, Epist. ad Philippenses, iv. 22. Vide et infra.

7 De quo plura infra.

8 Cl. Joannes Kynaston Tacitum defendit publica oratione, Oxonii habita, et Londini edita anno 1764. cui titulum fecit: 'C. Cornelius Tacitus a falso impietatis crimine vindicatus.'

9 Vopiscus in Tacito, cap. 10.

Conditæ 1028. Jesu Christi 275. vir egregie moratus, non ambitione, non crimine, sed singulari senatus et exercituum consensu imperio admotus: illius capax, et intra sex imperii sui menses tanta virtutum claritudine, ut laudatissimorum Principum gloriam æquasset, ni, urgentibus Romæ fatis, cito fuisset extinctus. Cornelii Taciti imaginem in omnibus bibliothecis collocari, ejusque libros, ne lectorum incuria deperirent, per annos singulos decies publica impensa in civicis archivis describi, et in bibliothecis poni jussit:[1] orbi, literis et parenti optime consulturus, si ipse, aut frater ejus Florianus, diu imperassent. Recentior adhuc, nec forte ultimus Tacitorum sanguis, Polemius,[2] Galliarum prætorio præfectus, nobilitate et doctrina, quasi hereditario jure, illustris, memoratur circa annum Urbis Conditæ 1229. Jesu Christi 476. Augustuli et imperii Romani supremum.

Verum longe major ingenii, quam sanguinis, laus extitit, nec umquam intermoritura: crevit per ætates diffusa, a viris tum Principibus, tum privatis, sanctitate, sapientia, et fortitudine præcellentibus, ad nos transmissa: æternum vivet apud gentes literarum et hominum studiosas. Nullum superest tanti viri monumentum. Ejus imago, quæ Interamnæ in Apostolico palatio monstratur, nulla valet antiquitatis commendatione. Ante ducentos annos, rudera ejus tumuli adhuc ostentabantur haud procul Interamna, viamque propter, quæ Spoletum ducit. Qua occasione Hector Simonetta ea solo æquaverit, Tacitique cineres dissipaverit, mœrens ejus filius, inscriptione in agro paterno posita anno 1613. testatum voluit.[3]

PIO. V. P. O. M. E VATICANO ANTIQVAS STATVAS EIICI
ROMAE MANDANTE
TACITI ET FLORIANI OPT. IMP. COENOTAPHIA
IN PROPRIO SOLO CONSTRVCTA A FVLMINE ET
ANTIQVITATE DEFORMATA
CORNELII TACITI HISTORICI DE RELIGIONE
CHRISTIANA
MALE OBLOQVENTIS MAVSOLEVM VETVSTATE
COLLAPSVM SEMIDIRVTVM DISSIPATIS CINERIBVS
DIRVI ET SOLO AEQVARI
MERIDIONALEM IMPERIALIS SOLI PARTEM EX RVINIS
MVRO CINGI
HECTOR SIMONETTA FVNDI DOMINVS
INTERAMNAE MANDAT
FVNDAMENTA VIX REMANENT PROH DOLOR TANTARVM
ANTIQVITATVM IN A. P.
PAVLVS HECT. F. AD AETERNAM REI MEMORIAM POSVIT
A. S. M. DC. XIII.

1 Vopiscus ibid. Vide et Testimonia Veterum.

2 Sidonius Apoll., Epist. iv. 14.

3 Hæc fuse memorat Franciscus Angeloni, *Historia di Terni*, p. 51.

DE PRÆCIPUIS
CORNELII TACITI
EDITORIBUS ET INTERPRETIBUS.

INTER initia renascentium literarum, et egregiæ illius artis, quæ hominum ingenia rem publicam fecit, Venetiis circa annum 1468. prodiit prima Taciti editio,[1] antiquitate, elegantia, raritate præstantissima. Multis quidem, et gravissimis erroribus, ut solitum est in primis quibusque editionibus, fœdata ; abest et Cn. Julii Agricolæ vita : adhuc quoque latebant sex priores Annalium libri. Nihilominus utilissima est, quod complura veteris scripturæ in recentioribus editionibus perperam immutatæ vestigia retineat.

Franciscus Puteolanus, Parmensis, literarum peritissimus, alteram editionem,[2] vita Julii Agricolæ auctam, Mediolani publicavit. Nitidiorem politioremque Tacitum fecit, tum suis, tum Berardini Lanterii, Mediolanensium ætate sua eruditissimi, conjecturis ductus. Usus est quoque MS. codice Genuensi. Tacitum autem nemo melius novit, verius expressit. Ejus judicium, cuivis, ob libri raritatem, non ita obvium, silere nefas. "Omnem," inquit, "historiæ legem" absolvit Tacitus...." nihil falsi dicere, nihil veri omittere ausus. In scribendo enim ne suspectus quidem umquam fuit aut gratiæ, aut simultati aliquid tribuisse. Rerum rationem, qua ordo temporum, regionum descriptio exigitur, nemo historicorum diligentius observavit. Jam consilia, acta, eventus, ut, Dii boni, expendit! et de consiliis quid probet, quid non. In rebus gestis non solum quid actum, sed quale. De eventu vero omnes causas explicat, casus sapientiæ, temeritatis; hominum porro non solum res gestas, sed

1 Hæc editio prodiit sine ulla loci et anni nota, his quatuor versibus, in fine subjunctis, conspicua :

'Cæsareos mores scribit Cornelius : Esto
Iste tibi codex : Historiæ pater est.
Insigni quem laude feret gens postera : pressit
Spira premens, artis gloria prima suæ.'

Cum Joannes et Vendelinus de Spira splendidam Plinii editionem Venetiis vulgaverint anno 1469. hæc Taciti editio, *artis gloria prima suæ*, anno 1467. aut 1468. publicata. In ea sunt sex posteriores Annalium libri, et Historiarum libri quinque ; Libellus de situ, moribus et populis Germaniæ ; et Dialogus de claris Oratoribus.

2 Huic quoque editioni nulla est adjuncta loci, anni, typographi nota. Eam tamen Mediolani prodiisse haud dubium est, cum cetera Puteolani opera in hac urbe excusa sint, in qua oratoriam artem magna cum laude profitebatur. Puteolanus addidit Vitam Julii Agricolæ ; Annalium quoque et Historiarum libros ex MS. codice Genuensi recensuit ; unde summum debet esse apud literarum amatores hujus editionis pretium, quam miror librorum rariorum indagatoribus fuisse incognitam. Extat Parisiis in Bibliotheca sanctæ Genovefæ : eam, pro sua humanitate, literatis omnibus viris comperta, mecum communicavit Cl. Mercier, huic Bibliothecæ præfectus. Recusa est Venetiis annis 1497 et 1512.

quæ fama, quod nomen, quæ natura, quæ vita. Quo artificio omnes mea sententia facile vicit; ita creber rerum frequentia, ut verborum prope numerum sententiarum numero sequatur; ita dein verbis aptus et pressus, ut nescias utrum res oratione, an verba sententiis illustrentur. In concionibus (audeo enim promere quod sentio) Livio quoque anteferendus, magis tamen Sallustii argutam densitatem, quam hujus amplitudinem imitatus. Hunc primo legens, laudabis eloquentiam; cum iterum in manus sumseris, mirum acumen deprehendes, et miraberis; ubi contubernalem reddideris, sæpe artificiosa docebit varietate, immensaque jucunditate delectabit."[1]

Laudum magnitudine, majori operis admiratione, excitato orbe literario, in museis omnibus quæsitum, si quid aliud tanti viri superesset. Ac tandem in Corbeiensi[2] ad Visurgim monasterio ab Angelo Arcomboldo, Leonis X. Pontificis Maximi quæstore, inventi sunt quinque priores Annalium libri, quos Lipsius, aliique postea meliori partitione sex numeravere. Hos cum Pontifex, literarum decus et columen, magno quingentorum aureorum nummorum pretio redemisset, diligenterque evolvisset, eorum lectionem "luculentam, variam, utilem, dignamque omni liberali ingenio"[3] pronuntiavit; voluitque ut quanto citius fieri posset a situ et oblivione in lucem et memoriam hominum vindicarentur. Id curæ demandatum Philippo Beroaldo, juniori, Academiæ Romanæ præposito: is imperatum opus pro Pontificis auctoritate suaque doctrina haud indiligenter præstitit; inventosque libros ex manu scripto codice, qui postea Florentinæ Mediceorum bibliothecæ fuit illatus, ceteros ex Puteolani recensione edidit Romæ Kal. Martii anno 1515.[4] In libri fine, infra gentilitia Leonis X. insignia, adjectum, quod maximo Principe et literarum reparatore dignum: "Nomine Leonis X. Pont. Max. proposita sunt præmia non mediocria his qui ad eum libros veteres, neque hactenus editos attulerint."

Alexander Minutianus, Apulus, eruditus typographus Mediolanensis, et Historiæ professor, chartas Beroaldinæ editionis ex Urbe importatas recudit, ut eas auditoribus suis prælegeret. In calce operis reperit se imprudenter illapsum esse in Pontificium interdictum, quo cavebatur, ne quis intra decennium Tacitum recuderet. Culpæ ven-

1 Ex præfatione editionis Puteolani, Jacobo Antiquario, Ducali Secretario, inscripta.

2 *The Abbey of Corvey, in Westphalia:* locus religionis et literarum studiis celeberrimus. Visurgis autem fluvius, nunc *the Weser.*

3 Ex literis Leonis Papæ X. quæ extant in calce editionis Beroaldinæ.

4 Cl. Maittaire, Annal. Typog. Vol. v. part 2. p. 273. editionem Romanam anni 1514. memorat. Privilegium, a Leone X, datum anno 1514. in Taciti editionem transformavit.

iam exoravit; suamque editionem, quibusdam in locis emendatam, et Andreæ Alciati notis auctam, absolvit anno 1517.[1]

Beatus, aut verius Bildius Rhenanus, Selestadiensis, manu scripti codicis Budensis, olim Matthiæ Corvini, Hungariæ regis, copiam nactus, novam et aliquanto accuratiorem editionem vulgavit Basileæ anno 1533. sæpe postea et variis in locis recusam.[2]

Justus Lipsius, Belga, Corneliano spiritu afflatus, magnoque eruditionis paratu ad id opus accessit: omnem hujus laboris laudem reportaturus, si non excerpta tantum MSS. codicum Vaticanorum, Farnesiani, Covarruviæ, Sambuci, veterumque editionum adhibuisset, sed libros integros contulisset.[3] Ingenio eruditisque commentariis utcumque id supplevit, et editionem ceteris omnibus, quæ ante prodierant, præstantiorem, magna cum nominis sui gloria Antuerpiæ publicavit anno 1574. Quam postea ad annum usque 1600. sæpe retractavit, emendavit, melioremque fecit. In hoc gloriæ suæ monimento rursus adornando immortuus est anno 1606. ætatis suæ 59. Lipsiorum stirpis ultimus, et magnum decus.[4]

Inter tantos Lipsii labores, Curtius Pichena, Magni Ducis Etruriæ a secretis, in emendando Tacito Florentiæ utilem operam posuit.[5] Usus manu scriptis codicibus bibliothecæ Mediceæ, loca plurima, quæ alios fugerant, restituit et explicavit. Iis Lipsius non mediocriter profecit in posterioribus suis editionibus, ut nitescerent.

Matthias Berneggerus, Germanus, magis ad utilitatem, quam ad splendorem, sine ulla tamen MSS. librorum ope, Taciti editionem accuraverat. Eo defuncto, gener ejus Joannes Freinshemius, vir in republica literaria notissimus, eam non perpetuis, sed selectis notis locupletatam, et a Melchiore Freinshemio communibus cum fratre studiis copioso indice instructam, juris publici fecit Argentorati anno 1638.

Joannes Fredericus Gronovius, Batavus, Berneggerianam editionem,

1 Cl. Maittaire, loc. cit. hanc editionem Romæ prodiisse perperam scribit. Fabricius quoque, Bibliothec. Latin. lib. IV. cap. 21. p. 471. errat tum in anno, tum in forma. Ea enim est anni 1517. non vero 1516. formæ in 4to sed minimæ.

2 Quarum omnium præcipua est, quæ prodiit Venetiis anno 1534. typis Aldinis.

3 Majorem laudem adhuc reportaturus, si libros edidisset, quibus contexuerat Caianam historiam et initia Claudii Corneliano exemplo stiloque, ut ipse testatur in notis ad Annal. XI. 1. At in migrationibus suis laborem hunc, fraude an casu, sibi periisse ibidem declarat. Jactura tanto gravior mihi videtur, quod hæc adolescens scripserat, ac proinde cum ei molle et elegans adhuc erat ingenium. Postea, singulari humani ingenii inconstantia, in deterius mutatus, durum et horridum scribendi genus adfectavit.

4 Innumeræ postea fuerunt Lipsianæ editiones, quarum nitidissimæ sunt quæ typis Elzevirianis prodiere Lugduni Batavorum annis 1621. 1634 et 1640.

5 Pichena seorsus notas primum edidit; deinde editionem ipse adornavit excusam Francofurti anno 1607. et Aureliæ Allobrogum anno 1609.

levi sua opera, sed nitidiore charta, elegantioribus typis, cum suis Variorumque notis et quibusdam variantibus MS. Oxoniensis lectionibus in operis calce subjunctis Lugduni Batavorum absolvebat anno 1672. cum vivendi finem fecit. Eadem editio pari nitore iterum prodiit Amstelodami anno 1685.

Julianus Pichon, Gallus, ad majora vocatus, vix paria præstitit: nulla adhibita MSS. codicum veterumque librorum collatione, grandem tamen, sed indigesta mole gravidam, editionem ad usum Serenissimi Delphini Parisiis apparavit anno 1682. Recusa est Venetiis anno 1707.

Theodori Ryckii, Batavi, breviora, sed meliora utilioraque in Tacitum studia. Prodiere Lugduni Batavorum anno 1687. Nitidius, commodiusque in lucem iterum emissa Dublinii anno 1730. Præsto fuere tum excerpta ex MSS. Regio et Florentino, tum MS. codex, qui olim Rudolphi Agricolæ fuerat. Ei tamen plus æquo tribuit Ryckius, cum ille codex non tam veterem scripturam, quam viri eruditi conjecturas contineat.

Christianus Hauffius, Germanus, nihil operæ in emendando Tacito, nimis in explicando collocavit Lipsiæ anno 1714. Eum enim ita minutatim explanat, ut lectorem fatiget magis, quam dirigat.

Jacobus Gronovius, Joannis Frederici filius, paternam editionem cum MSS. Florentinis recognitam, suisque et Variorum notis cumulatam prelo paraverat, cum morte interceptus est anno 1716. Filius ejus Abraham Gronovius eam Trajecti ad Rhenum anno 1721. publicavit: patris memoriæ consulturus, si convicia adversus Ryckium, aliaque multa erudito viro indigna omisisset. Ad operis calcem reperire est varias quasdam lectiones ex MSS. codicibus Bodleiano et Arundelliano excerptas.

Joannes Augustus Ernestus, Germanus, in eamdem palæstram Lipsiæ processit anno 1752. et maximam post Lipsium laudem consecutus est. In conferendis enim veteribus editionibus et MS. codice Guelferbytano acer et diligens, multa quæ alios latuerant correxit; suasque notas Lipsii et Joannis Frederici Gronovii commentariis addidit.

Postea prodiere elegantiores editiones Glasguæ anno 1753. Londini anno 1760. Illa ut J. Gronovii, hæc ut Ryckii exemplar exprimeret. Eamdem elegantiam Parisiis anno 1760. exhibuit Cl. Joannes Nicolaus Lallemand, quam sua cura notisque insuper illustravit. In hac editione Parisiensi omissus est Dialogus de Oratoribus, qui in omnibus editionibus ante comparuerat.

Satis sit præcipuos Taciti editores recensuisse. Eos, qui in omnes ejus libros, vel singulos, notas, animadversiones, commentarios con-

scripserunt, commemorare infinitum foret ac fastidiosum. Multi enim illaudabiles, quales Æmilius Ferretus, Carolus Paschalius, Ludovicus d'Orleans, &c. Nonnulli tamen nobiles et egregii, ut M. Antonius Muretus, Fulvius Ursinus, Hugo Grotius, Daniel Heinsius, Godefridus Gulielmus Leibnitius, et alii quos pro loci opportunitate et utilitate libenter ultroque laudabimus.

Verum cum minus voluptati, quam utilitati publicæ, scriptis suis consultum voluerit Tacitus, gens ferme nulla est, quæ eum indigenam ac popularem habere non voluerit. In hac tanta interpretum multitudine, principes appellare juvat. Suum habent Germani Micyllum, suum Batavi Hoofdium, gentilibus probatos. Inter Hispanos de principatu tres certant Emmanuel Sueyro, Balthazar Alamos, et Carolus Coloma, quibus haud tam splendor, quam brevitas deest. Plures habent Itali, quos inter eminent Georgius Dati, Bernardus Davanzati, et Adrianus Politi. Palmam singulari brevitatis felicitate præripuit Davanzati. Laudem inter Britannos sibi pepererant Ricardus Grenewey et Henricus Savile: eam in se traxit Thomas Gordon, accuratior quidem, sed adhuc paulo laxior. Antiquum quoque Gallis fuit studium, ut Tacitum interpretarentur. Jam pridem rudi vetustate obsoluere Fauchet, de la Planche, aliique hujus veterni. Aliquid artis et ingenii promere cœpit Achilles de Harley. Plus elegantiæ, haud satis veritatis indidit Nicolaus Perrot d'Ablancourt. Mole exemplorum, tædia aggeravit Abraham Nicolaus Amelot de la Houssaie.[1] Ejus versioni, auctoris morte interruptæ, finem imposuit Franciscus Bruys, vitiis, quam virtutibus similior. In his tentamentis aliquamdiu substiterant Gallicæ literæ, cum recens nos rapuit studiorum impetus. Tum suam versionem adornavit Cl. Guerin: aliam meditatur, jamque per partes edere cœpit Cl. de la Bleterie. Interpretandi leges præscripsit, et ad earum formam selecta et splendida Taciti loca expressit Cl. d'Alembert. Eorum exemplis famaque plures excitati novas apparant Taciti interpretationes. Vigeat crescatque egregius ille ardor, quo summus scriptorum imperii Romani non modo apud nos magis ac magis inclarescet, sed si sua eum vi ac brevitate exprimimus, magnum accedet literaturæ nostræ decus et incitamentum.

In hoc autem interpretationis genere non stetit Taciti admiratio: alterum excogitavit, quo licentius expatiaretur. Illustriores scilicet Taciti sententiæ præcipuaque verba, tamquam primaria et propria

1 Amelot de la Houssaie xiii. priores Annalium libros vertit. Cetera Taciti opera interpretatus est Bruys, sed dissimulato nomine. "Tacite avec des notes politiques et historiques par M. Amelot de la Houssaie et M. L. C. D. G***. A la Haye, chez Scheurleer. 1731—1735. 10 vol. in-12."

sapientiæ principia, sunt excerpta, amplificata, tum veterum, tum recentium ætatum exemplis comprobata. Hac in studiorum palæstra, speciosiori forte, quam utiliori, multi inter Italos desudarunt, quorum nobilissimi sunt Scipio Ammirato, Ascanius Piccolomini, Trajanus Boccalini, Philippus Cavriana, Virgilius Malvezzi, et Raphael dalla Torre. Eamdem apud Germanos laudem æmulati sunt Janus Gruterus, Christophorus Forstnerus, Cornelius Lentulus de Lentz, aliique plurimi; et forte iis meliores, quia breviores, Abraham Golnitz et Marcus A Rechlingen. Non solum inter Hispanos, sed etiam inter Italos nomen obtinuit Balthazar Alamos. His maxime operibus apud Gallos innotuit Amelot de la Houssaie. Majorem in Britannia celebritatem adsecutus est Thomas Gordon. At, quod jam supra monui, plus mihi videtur in his politicis exercitationibus ostentationis, quam utilitatis: iisque præceptoribus retardatur magis, quam incitatur animus. Brevius certiusque iter ingrediendum. Quisquis politicam prudentiam addiscere cogitat, Tacitum legat. Qui mentem ea imbutam percupit, Tacitum relegat. Hac via iere sapientiæ proceres, quos prior ætas mirata est. Hac pergant, quos gloria et utilitatis publicæ studium accendit.

BROTERIANA,

DE CORNELII TACITI EDITIONE,

EJUSQUE SUBSIDIIS.

Superest, ut laboris mei consilia subsidiaque, quod utrique editioni commune est, paucis expediam; simul quoque, quæ sint hujusce alterius editionis propria, explicem. Mens fuit Tacitum, ad manuscriptorum codicum veterumque et optimarum editionum fidem recognitum, proponere. Tum, ut obviæ in antiquis scriptoribus difficultates amoverentur, juvit non modo temporum discrimina signare, sed et ea ad calculos, quibus nunc utimur, revocare: terrarum loca, quorum insignis olim fuit memoria, cum iis quæ nunc extant conferre: Romanam aliamve peregrinam pecuniam cum Gallica nostra moneta componere: et quod in hoc commentationum genere utilissimum est, nummorum, inscriptionum, scriptorum tum Romanorum, tum Græcorum, Tacito æqualium, aut recentiorum, auctoritate, Historiæ fidem adstruere, lucemque ei adfundere.

Opus quoque fuit, pro argumentorum dignitate et utilitate, complures dissertationes addere. Expositum est et illustratum Cæsarum

stemma, ne nominum multitudine et indiscreta similitudine obscurarentur Annales. Eam ob rem addita passim plura alia stemmata. De legionibus, earum numero et locis fusius tractatum, ut Historiarum libri inoffenso pede percurrerentur. Ejusdem necessitatis fuit expendere ærarium opesque Romanorum, stante republica, et sub Principibus; eorum census et lustra, tributa et vectigalia, Principum congiaria, Romæ magnitudinem, Capitolii magnificentiam, aliaque multa, quæ si non explicentur curatius, mores ususque horum temporum non satis intelligerentur. Ipsa quoque vitia fuere memoranda, Romanorum luxus, Neronis in aurea domo prodigentia, et inexplebilis Vitellii gula. Hæc enim portenta in evidentiæ luce erant collocanda, ut magnis documentis, quo prorumpere possit humana libido, notesceret, simul et puderet. Ne piguit quidem, quod a viris humanarum literarum studiosis expetitum, illustri exemplo Petri Corneille et Joannis Racine, quam validus sit Tacitus fœcundandis ingeniis, ostendere. De Christianis, falso incendii crimine a Nerone irretitis, dictum; et, cum de Judæis esset dicendum, plura de Judæis Sinensibus placuit subnectere, tum ob materiæ novitatem, tum ut Romanorum Sinensiumque hac de re judicia comparare promtum foret. Pariter, ut aboleretur opinio, quæ apud quosdam invaluit, Tacitum in Germaniæ descriptione plus ingenio, quam veritati indulsisse, Germanorum mores cum veteribus nostris legibus et historiis, cum vigentibus adhuc moribus populorum illorum, quos barbaros ferosque appellamus, quod ævi prioris humanitatem nondum dedocuere, assidue contuli. Sic enim, non nostro suffragio, at seculorum hominumque consensu approbatum est Tacitum non modo fuisse maximum antiquitatis pictorem, quæ propria ejus laus, atque omnium sermonibus jam pervulgata, sed et verissimum; quod erat evincendum. Demum cum vel optimi scriptores multa sileant, quæ tamen nosse quorumdam interest, Anecdota ex variis auctoribus collegi, ut harum rerum curiosis satisfacerem.

Curas ultra intendi; cumque summopere dolerem Tacitum truncum ac mutilum circumferri, ad Supplementa adverti animum, non quod Tacitum æquari posse confiderem, sed ut plenior faciliorque flueret ejus narratio, si deperdita ex veterum scriptorum et monumentorum fide supplerentur, stylo moreque Corneliano expressa. Inde adlaboravi, ut Sejani ruina, ceteraque, quæ in quinto Annalium libro deerant, restituerentur. Disjunctos antea libros sextum et undecimum conjunxere res Caii Principis et Claudii initia, quatuor libris composita. Finis quoque libro sextodecimo additus, ut Neronis suprema traderentur. In his quidem subsistere animus primum fuerat: at postea satius visum quinto quoque Historiarum libro opem

ferre, et jam narrari cœptum Hierosolymorum gentisque Judaicæ excidium prosequi. Cetera Vespasiani, Titi, Domitiani, atque Nervæ tempora, ad alterum usque Trajani consulatum (hic enim supremus est annus a Tacito memoratus, ac laboris nostri finis) brevi et compendiosa Appendice declarata sunt, ne opus in immensum cresceret.

Huc cum devenissem, et per otium licuisset magis expatiari, nolui ut egregia Trajani tempora diutius silerentur; ejusque res æterna memoria dignas ex veteribus scriptoribus monumentisque composui, quod hactenus ab eruditis viris erat desideratum, et a nemine satis præstitum. Tum quoque me piguit Dialogum de Oratoribus ex magna sui parte truncum reliquisse: partem illam supplevi, ut plenior gratiorque atque utilior legi posset Dialogus qui ob elegantiam, concinnitatem, documentorumque opportunitatem, inter præstantissima antiquitatis opera semper adnumerabitur.

Nulla jam Taciti pars hiulca remanebat: animum itaque applicui, ut altera hæc editio novis quoque dissertationibus illustraretur. Veteres ergo Gallorum glorias Tacito celebratas explicavi. De eunuchis, quorum non in Oriente tantum, sed apud Romanos etiam, validissimum fuit nomen, nova et eruditis viris nondum satis perspecta protuli. Ut quæ de Romæ magnitudine incolarumque numero prius dixeram, *illustri* exemplo confirmarem, inquisivi in populi frequentiæ causas. Quæ de ærario, de tributis vectigalibusque populi Romani ante docueram, additamentis confirmavi. Pueros puellasque Ulpianos alimentarios, præstantissimum dignumque optimo Principe institutum, pro rei dignitate et utilitate, cum celeberrima, quæ extat, Inscriptione, diligenter exposui. De Christianis quoque cum sæpe esset mihi agendum, juvit cur ab optimis etiam Principibus vexarentur expendere. Stupenda demum Trajani opera, pontem supra Danubium, columnam, navem omnium maximam, aliaque id genus monumenta, singillatim descripsi. Et, cum sese occasio dedisset, ut Fragmentum Titi Livii, recens repertum, laudarem, operam meam desiderari non sum passus, ut eruditis viris gratificarer, qui fœdam hanc et laceram Livii laciniam integritati suæ restitutam percuperent. Illud ergo Fragmentum supplemento explevi; et, ne quid deesset utilitati publicæ, adnotationibus illustravi.

Hæc cum præstitissem, nihil reliquum mihi visum, quam ut miram in Tacito rerum civilium prudentiam, omnibus celebratam, nec umquam satis prædicatam, sub uno quasi intuitu conspiciendam, et politicæ scientiæ cupidis facile parabilem proponerem. Quod ut adsequerer, Taciti politica non modo collegi, sed et ex iis politicum quoddam corpus conflavi, quod quæ in publicæ rei vitæque communis usu præcipua sunt complecteretur. Iis imbutus animus alia plu-

rima et exquisitissima, Tacitum relegèndo, deteget, quibus, ut suis, nec a me monstratis, gratius adhuc utiliusque perfruetur. Ea sunt additamenta, quæ alteram hanc editionem, rebus priori majorem fecere. Indices quoque (Freinshemianum illum nempe, et alterum a me ipso consarcinatum) et commodius et copiosius distributi sunt.

Nunc vero percursis laboris nostri consiliis, quæ nobis fuerint subsidia memorandum. Super editiones, quas in altera Præfationis parte modo appellavimus, adjumento fuere manu scripti codices, tum ab aliis, tum a nobis inspecti. Antiquitate principes habet Florentina Bibliotheca. Ibi, ut jam monui, MS. codex, omnium vetustissimus, in Corbeiensi monasterio repertus. Tiberii principatum, seu sex priores Annalium libros, tantum complectitur. Alter ibidem est MS. codex, in quo sunt sex posteriores Annalium, et Historiarum quinque libri. Exaratus est literis Langobardorum, quorum res in Italia Carolus Magnus adflixit anno 772. Eum Pichena longe vetustiorem credidit, quod in eo subscriptum reperit: "Ego Sallustius legi et emendavi Romæ felix, Olibrio et Probino consulibus, in foro Martis controvèrsias declamans oratori Endelechio. Rursus Constantinopoli recognovi Cæsario et Attico consulibus." At librariis mos sæpe fuit, quæ in codicibus reperirent, transcribere, non observata ratione temporum, quibus eos describebant. Id quamplurimis compertum exemplis. Langobardica autem scriptura evidenter arguit codicem illum Romæ non fuisse scriptum A. U. C. 1148. J. C. 395. quo Olibrius et Probinus consules fuere; neque Constantinopoli recognitum biennio post, cum Cæsarius et Atticus eamdem dignitatem inierant. Ibi quoque vidi duos alios codices, sed recentissimos, quorum alter ab undecimo Annalium libro ad finem libri secundi Historiarum, alter eosdem Annalium, et Historiarum libros quinque complectitur.

Vaticana Bibliotheca, non antiquitate codicum, sed numero præcellit. Quatuor in ea reperi MSS. codices numeris 1863. 1864. 1958 et 2965. notatos. Sex posteriores Annalium, et Historiarum quinque libros habent singuli. Hos inter antiquior videtur MS. 1864.[1] exaratus seculo XIV. exeunte, aut ineunte XV. Ejusdem ferme antiquitatis est MS. 1863.[2] Multo recentior MS. 2965. neque, ut alii, membranaceus, sed chartaceus. Iis accuratior est MS. 1958.[3] Ejus ætas in libri fine expressa: "Si quispiam hinc descripserit novum, sciat me, quantum reperi, fideliter ab exemplo transcripsisse, quod inter cetera,

1 Codicem illum haud absimilem esse codici, quem Lipsius Farnesianum appellat, quemque contulit Jacobus Corbinelli, sæpe sum expertus.

2 Ex hoc codice, aliove simili, profecta videtur editio princeps. Nec dissimilis est MS. codex Bibliothecæ Regiæ Parisiensis.

3 Descriptus est e MS. codice Genuensi, quem vidit, aut cujus exemplar habuit, Franciscus Puteolanus, ut jam observavimus supra.

de quibus scitur, non est neque pessimum, neque mendosissimum. Τέλος Θεῷ χάρειν. Die septimadecima Octobris ab ortu Salvatoris nostri Domini Jesu Christi anno 1449. Genuæ, pridie festum divi Lucæ Evangelistæ."

Præterea Vaticana Bibliotheca minores habet Taciti libros. In MS. 1518.[1] C. Cornelii Taciti Dialogus de Oratoribus. C. Cornelii Taciti de origine et situ Germanorum. MS. 1862.[2] C. Cornelii Taciti de origine et situ Germanorum. Cornelii Taciti Dialogus de Oratoribus. MS. 2964.[3] Cornelius Tacitus de origine et situ Germanorum; et pars Dialogi de Oratoribus. MS. 3429.[3] Cornelii Taciti de vita et moribus Julii Agricolæ. MS. 4498.[4] Caii Cornelii Taciti de vita et moribus Julii Agricolæ. C. Cornelii Taciti Dialogus de Oratoribus. C. Cornelii Taciti de origine et situ Germanorum. In MS. 5393.[5] sunt tantum ex Julio Cæsare et Cornelio Tacito excerpta. Consilium suum nomenque auctor ipse prodidit: "Ex commentariis Caii Julii Cæsaris, nec non ex libris Cornelii Taciti, Historici facundissimi, eloquentiæ Latinæ delectum, et ad Historias componendas, et ad quodcumque genus aptissimum Nicolaus Liburnius Venetus studiose ac diligenter digessit." In his excerptis partem longe maximam obtinet Tacitus.

Suas quoque opes, vel inter tum ferventia bellorum dissidia, contulit Britannia. Eruditique Oxonienses, pro suo in literas et Tacitum studio, codices Harleianum,[6] Bodleianum,[7] tertiumque Collegii Jesu[8] ultro communicavere, quos Cl. Samuel Musgrave cum Ernestina editione comparavit, omnesque eorum varietates singulari diligentia adnotavit. Pronum hunc doctissimæ gentis in nostros labores animum

1 Membranaceus est: seculo XIV. scriptus videtur.

2 Seculo XV., ut videtur, exaratus; et membranaceus. In fine Dialogi a scriba additum: "Ego tantum repperi, et meliusculum feci."

3 Chartaceus est, et seculi XV. Pars Dialogi, quæ ibi extat, incipit ab iis verbis cap. 26. "Expectabam, ut incusato Asinio," &c.

4 Chartaceus quoque codex: et descriptus a Pomponio Læto, viro eruditissimo, qui septuagenarius Romæ mortuus est exeunte seculo XV. In libri capite notatum: "Vita Agricolæ scripta manu Pomponii Læti; et erat codex Fulvii Ursini."

5 Membranaceus est: seculo XV. egregie scriptus.

6 Chartaceus est, et recens.

7 Codex ille scriptus est anno 1452. ut constat ex librarii nota, Hist. iii, 34. apposita: "Hodie autem ab ortu Creatoris sunt anni M.CCCCLII." In libri fine additum: "In exemplari tantum erat. Si quispiam hinc descripserit, sciat me quantum reperi ab exemplari transcripsisse." E MS. codice Genuensi profectus est, ut et MS. Vaticanus 1958. Præterea collatus est cum MS. Vatic. 1863. aliove simili.

8 Eum descriptum fuisse Genuæ anno 1463. indicat librarii nota, Historiarum fini subjuncta. "In exemplari tantum erat. Si quispiam hinc descripserit novum, sciat me quantum repperi fideliter ab exemplo transcripsisse: quod inter cetera non est neque pessimum, neque mendosissimum. Τέλος Θεῷ χάρειν. Genuæ pridie Idus Decembres anno M.CCCCLX. tertio." Similem ferme finem in MS. Vaticano 1958. vidimus supra.

9 Descriptus est quoque e MS. Genuensi, aut ex ejus exemplari, anno 1458. ut liquet ex librarii nota Hist. iii, 34. "Hodie autem ab ortu Creatoris sunt anni M. CCCCLVIII."

acceptum referimus clarissimis viris Carolo Morton, Regiæ Societati a secretis, Musei Britannici præfecto, et Antonio Butler, sacra eruditione percelebri, quorum egregiam hac in re voluntatem nos esse expertos grati ac memores libenter profitemur.

Nostra etiam studia humaniter, ut solebat, donec per præpropera fata literis nuper est ereptus, promovit Cl. Capperonnier, cui Regiæ Bibliothecæ Parisiensis custodia erat demandata. At in ea unus est MS. codex Taciti;[1] isque recens: haud tamen spernendus, quod ab eodem codice, quo editio princeps, profectus videtur. Denique nonnihil opis attulit MS. codex Jacobi Corbinelli.[2] Sic appellamus codicem, cujus varias lectiones ad oram Beroaldinæ editionis ipse adscripserat.

Super hæc MSS. librorum subsidia, inter hujus editionis adminicula numeraverim breves notas manu scriptas, quas docti viri Marcus Antonius Muretus, Guillelmus Pellicerius, Episcopus Monspeliensis, Daniel Huetius, Episcopus Abrincensis, marginibus exemplorum Taciti, quibus utebantur, inscripserant. Cl. Fredericus Samuel Schmidt, juvenis multiplici literarum laurea nobilis, ad nos transmisit ex Bibliotheca publica Bernensi observationes ab eruditis viris Jacobo Cujacio et Jacobo Bongarsio exemplaribus suis illitas. Nonnullas etiam reperi in MSS. Adversariis Dionysii Petavii, tanti viri eruditione haud indignas. Accepi ab Illustrissimo Chifflet, senatus Vesontini præside, MSS. commentarios Cl. Claudii Chiffletii in Tacitum, quos, licet conjecturis aliquando indulgeat, sæpius laudassem, si iis et citius et diutius frui licuisset. Suam quoque in nos voluntatem testatam voluit Illustrissimus Josephus Andreas Zaluski, Kioviensis et Czernichoviensis Episcopus, misitque e Bibliotheca sua Varsaviana Berneggerianam editionem, notis quidem MSS. instructam, sed cum omnes ex Lipsii commentariis sint excerptæ, nihil novi adjumenti protulere. Nec ideo silenda nobis fuit voluntas egregii viri, nobis amicissimi, qui ante aliquot annos in summa vitæ et virtutum claritate mortuus est. Memoraverim quoque Gryphianam editionem a Cl. Gobet nuper ad nos allatam, cui quasdam adnotatiunculas addiderat Nicolaus Nancelius, vir medicinæ magis, quam historiæ peritus: ita oscitanter, et ab eruditione imparatus, Tacitum legerat, ut in eo nihil opis esse possit.

1 Chartaceus est: et sub finem seculi XV. scriptus: quem "Bibliothecæ Regiæ obtulit Carolus Du Fresne, Dominus Du Cange *anno* M.DCLXXXII." ut in libri capite notatum.

2 Codex, quem Jacobus Corbinelli, vir literarum et Taciti studiosissimus, contulit, in locis quamplurimis cum Farnesiano codice, quem laudavit Lipsius, consentit; ut jam monuimus supra. Præter hos omnes codices, quos memoravimus, sero nobis innotuit MS. codex membranaceus, qui Parisiis adservatur, in Bibliotheca Institutionis Oratorii Jesu. Quantum ex libri fine et quibusdam locis, quæ inspexi, intelligere est; haud diversus videtur a codice, quem Corbinelli contulit. Quod magis patuit, cum illum evolvit Cl. Dotteville, Annaliumque et Historiarum libros, quos continet, ipse evulgavit.

Iis, per quos in hac editione profeci, commemoratis, haud siluerim primum laboris nostri hortatorem instinctoremque Cl. Hippolytum Ludovicum Guerin. Nostras quidem laudes, si adhuc viveret, ejus modestia oppressisset. Eas nunc omittere non sinit ejus vita, optimi civis officiis, ingenii facilitate, morum constantia, prudentia consiliorum, literarum cultu, artis suæ typographicæ splendore illustrata; et, quod certissimum est veræ virtutis argumentum, memoria post fata superstes, bonarumque artium studiosis carissima. Felix, qui, cum laudabilis vitæ spatia implevisset, reliquit, quos eadem laudis æmulatio succendit.

Hæc fuere præfanda, ut Cornelii Taciti vita et scripta, præcipui ejus editores et interpretes, hujus editionis consilia ac subsidia recenserentur. Ea cura perfunctus, eruditum lectorem mei rerumve mearum commemoratione haud morabor. Velim tantum ut pro sua eruditione atque humanitate studiis meis faveat et indulgeat. Nummos quidem, passim in hoc opere laudatos, æneis tabulis expressos exhibendi consilium quondam fuerat. Ab eo destiti, quod vulgares nummi jam sæpissime sint recusi; rariores vero et præstantiores nuper multa cum elegantia et rei nummariæ doctrina Cl. Pellerin publicaverit.[1] Cavendum ergo nobis fuit ne vana et inutili luxuria hæc editio difflueret. At quod cuivis lectori utilissimum videbitur, nec fuit omittendum, additæ sunt tabulæ Geographicæ, quibus loca a Tacito aut in supplementis memorata oculis subjiciuntur.

1 "Recueils de Médailles de Rois, de Peuples, de Villes, &c." ix. vol. in 4to. Paris 1762—1770.

BREVIARIUM

LIBRI PRIMI

ANNALIUM.

---

1. ROMANARUM rerum status ab Urbe condita ad Augusti excessum. 5. Tiberius imperium suscipit, tarde, et cupidinem dissimulans. Roma in servitium ruit. 16. Pannonicas legiones tres seditio gravis incessit. Ea, misso Druso, Tiberii filio, ægre componitur. 31. Idem in Germania inferiore motus, qui consedit, non sine sanguine et cæde. 50. Germanicus Cæsar in hostem ducit: eaque expeditione Marsi, Tubantes, Bructeri, Usipetes vastati, aut cæsi. 53. Julia, Augusti filia, Rhegii vitam finit. 54. Sodales in honorem Augusti, et ludi Augustales instituti. 55. Germanicus iterum Rhenum transmittit, in Cattos ducit: agros, domos, homines, vastat, urit, cædit: Segestem obsidione Arminii liberat. Ob hæc imperator consalutatus. 59. Bellum deinde in Cheruscos gestum. Reliquiæ Vari et militum lectæ: supremaque iis soluta. 63. Romani in reditu, sub Cæcina duce, periclitati. Hostes tamen prospera eruptione fusi, fugati. 72. Majestatis lex reducta, et aspere exercita. 76. Tiberis inundat. 77. Theatri licentia erumpit: et per eam causam decreta patrum expressa ad coercendos histriones. 79. Postremo actum de subducendis Tiberi aquis. Eoque nomine querelæ civitatum Italiæ, et legationes.

Hæc biennio fere gesta.

A.U.C.	J.C.		
DCCLXVII.	14.	Coss.	Sexto Pompeio, Sexto Appuleio.
DCCLXVIII.	15.	Coss.	Druso Cæsare, C. Norbano Flacco.

C. CORNELII TACITI

ANNALES.

LIBER PRIMUS.

1. URBEM Romam a principio reges habuere. Libertatem et consulatum L. Brutus instituit.[1] Dictaturæ ad tempus[2] sumebantur: neque decemviralis potestas ultra biennium,[3] neque tribunorum militum consulare jus diu valuit.[4] Non Cinnæ,[5] non Sullæ longa dominatio: et Pompeii Crassique[6] potentia, cito in Cæsarem; Lepidi, atque Antonii arma, in Augustum cessere; qui cuncta, discordiis civilibus fessa,[7] nomine *Principis*[8] sub imperium accepit. Sed veteris populi[9]

1 *Instituit.* Pulsis regibus, libertatem et consulatum instituit L. Brutus anno Urbis conditæ 245. ante Christum 508.

2 *Dictaturæ—tempus.* Ad sex menses, ac in summis reipublicæ necessitatibus. *Dictaturas* primus Sulla fecit diuturnas, Cæsar perpetuas. Et hic gradus ad Principatum. *Lips.*

3 *Ultra biennium.* Ab A. U. C. 303. A. C. 450. ad ann. 305. A. C. 448. Ita accipio, quasi dicat, haud multo ultra biennium. Nam exacte si putas, revera ultra biennium Decemviri imperium tenuere. Livium iii, 38. et Fastos vide. Nec tamen Vertranio adsentior, *ultra triennium* sufficienti. Nam id includit, triennium eos imperasse: quod contra est, et non nisi supra biennium aliquot menses. *Lips.*

4 *Diu valuit.* Cœpit A. U. C. 310. A. C. 443. Tertio post mense desiit. Deinde sæpe iteratum, sæpe abrogatum ad A. U. C. 386. A. C. 367.

5 *Non Cinnæ.* L. Cornelius Cinna quatuor Consulatus ab A. U. C. 667. A. C. 86. ad ann. 670. A. C. 83. L. Cornelius Sylla quatuor dictaturæ annos continuavit ab A. U. C. 672. A. C. 81. ad ann. 675. A. C. 78. Uterque majoribus virtutibus ac vitiis, quam ut ferre posset senescens respublica.

6 *Crassique.* Cn. Pompeius Magnus, M. Licinius Crassus, C. Julius Cæsar, dominationis avidi, arctiorem, quam bonos cives deceret, societatem iniere A. U. C. 698. A. C. 55. Crassus in Parthis periit inglorius A. U. C. 701. A. C. 52. Pompeium Pharsalicis in campis vicit Cæsar A. U. C. 706. A. C. 47. Cæsar ipse Romæ trucidatus est A. U. C. 710. A. C. 43.

7 *Qui—fessa.* Et ob id ad domandum faciliora, frænique, ut ita dicam, patientiora. *Muretus.*

8 *Nomine Principis.* Fuerant Romæ principes senatus, principes equitum, viri principes. Itaque non ambitiosum *Principis* nomen: sed ad imperii diuturnitatem et securitatem accommodatissimum. In ædilitate, prætura, ipsoque consulatu *majus aliquid et excelsius.* Inf. Ann. iii, 53.

9 *Veteris populi.* Novos mores, novum populum fecerat tum ars, tum inertia Cæsarum. Hinc *veteris populi* appellatione utitur Tacitus, ut veteres ac ferme obliteratas reipublicæ virtutes commendet.

Romani prospera, vel adversa, claris scriptoribus memorata sunt: temporibusque Augusti dicendis non defuere decora ingenia, donec gliscente adulatione deterrerentur. Tiberii, Caiique,[10] et Claudii, ac Neronis res, florentibus ipsis, ob metum falsæ;[11] postquam occiderant, recentibus odiis compositæ sunt. Inde consilium mihi pauca de Augusto, et extrema tradere: mox Tiberii principatum, et cetera, sine ira et studio, quorum causas procul habeo.[12]

2. Postquam, Bruto et Cassio cæsis, nulla jam publica arma;[1] Pompeius apud Siciliam[2] oppressus; exutoque Lepido,[3] interfecto Antonio, ne Julianis quidem partibus, nisi Cæsar, dux reliquus: posito *triumviri* nomine, consulem se ferens, et ad tuendam plebem tribunicio jure contentum; ubi militem donis,[4] populum annona, cunctos dulcedine otii pellexit, insurgere paulatim, munia senatus, magistratuum, legum in se trahere, nullo adversante; cum ferocissimi per acies, aut proscriptione cecidissent; ceteri nobilium, quanto quis servitio promtior, opibus et honoribus extollerentur; ac novis ex rebus aucti, tuta et præsentia, quam vetera et periculosa mallent. Neque provinciæ illum rerum statum abnuebant, suspecto senatus populique imperio ob certamina potentium, et avaritiam magistratuum: invalido legum auxilio, quæ vi, ambitu, postremo pecunia[5] turbabantur.

Augustus Cæsar

munia ... legum

10 *Caiique.* Caii, vulgo dicti Caligulæ.

11 *Ob—falsæ.* Et metus et odium impedimento sunt historiam contexere volentibus. Metu fit, ut vera dicere non audeant; odio, ut interdum falsa confingant. *Muretus.*

12 *Procul habeo.* Hi enim Principes, *nec beneficio, nec injuria* Tacito *cogniti.* Inf. Hist. i, 1.

1 *Publica arma.* Cæsis Julii Cæsaris interfectoribus, nulla fuerunt reipublicæ arma, quibus libertatem suam vindicaret.

2 *Apud Siciliam.* Florus iv, 8. 'Tanta mole belli penitus in Siculo freto juvenis oppressus est.—Perditis enim rebus profugit; Asiamque velis petit, venturus ibi in manus hostium et catenas, et, quod miserrimum est fortibus viris, ad hostium arbitrium sub percussore moriturus.' Sextus Pompeius, Pompeii M. filius, periit A. U. C. 719. A. C. 34. De hoc bello v. Plin. vii, 52. ix, 16. Dionem xlix, p. 397 et 403.

3 *Exutoque Lepido.* Post Julii cædem, rempublicam occupaverant, triumvirorum nomine, M. Lepidus, M. Antonius, Octavius Cæsar. At exuto xx. legionibus Lepido A. U. C. 718. A. C. 35. interfecto Antonio A. U. C. 724. A. C. 29. unus superstes Cæsar, *triumviri* nomen posuit, et domum regnatricem condidit. Hinc non jam in nummis CÆSAR IIIVIR RPC, id est, *triumvir reipublicæ constituendæ*, appellatur; sed CÆSAR COS—AVGVSTVS TR. POT—IMP. CÆSAR. DIVI F. LIBERTATIS P. R. VINDEX. V. stem. Cæs. n. 43.

4 *Militem donis.* Militem pecunia, populum frumento donavit. De frumentaria largitione eruditum librum scripsit Vincentius Contarinus. Ob eam Imperator Nerva laudatur in hoc nummo: PLEBEI VRBANÆ FRVMENTO CONSTITVTO.

5 *Vi—pecunia.* Cicero etiam *pecuniam* solet *vim* vocare, omninoque, quæ in judiciis adhibentur præter leges et causam, ut in Verr. 2, 31. 'si aliqua vi se eripuerit ex hoc judicio,' i. e. metu, gratia, vel largitione · in singulisque locis videndum, quod genus, aut quæ intelligantur.

3. Ceterum Augustus subsidia dominationi Claudium Marcellum,[1] sororis filium, admodum adolescentem, pontificatu et curuli ædilitate; M. Agrippam,[2] ignobilem loco, bonum militia, et victoriæ socium, geminatis consulatibus[3] extulit; mox defuncto[4] Marcello, generum sumsit:[5] Tiberium Neronem, et Claudium Drusum, privignos,[6] imperatoriis nominibus[7] auxit, integra etiamdum domo sua. Nam genitos Agrippa, Caium ac Lucium,[8] in familiam Cæsarum induxerat; necdum posita puerili prætexta, *principes juventutis* appellari, destinari consules, specie recusantis flagrantissime cupiverat. Ut Agrippa vita concessit,[9] L. Cæsarem euntem ad Hispanienses exercitus, Caium remeantem Armenia, et vulnere invalidum, mors fato propera,[10] vel novercæ Liviæ dolus abstulit; Drusoque pridem extincto,[11] Nero solus e privignis erat: illuc cuncta vergere: filius, collega imperii,[12] consors tribuniciæ potestatis adsumitur, omnesque per exercitus ostentatur: non obscuris, ut antea, matris artibus, sed palam hortatu.[13] Nam senem Augustum devinxerat adeo, uti nepotem

1 *Claudium Marcellum.* Octavia genitum, maximæ spei adolescentem: de quo plura in stem. Cæs. n. 18.

2 *M. Agrippam.* Virum maximum. V. stem. Cæs. n. 47. Originem vocis *Agrippæ* explicat Plinius vii, 8.

3 *Geminatis consulatibus.* Agrippa quatuor gessit consulatus, primum A. U. C. 717, quartum suffectus tantum A. U. C. 735. At quod maximum est gratiæ argumentum, neque hac ætate nisi Principibus concessum, geminatos consulatus obtinuit A. U. C. 726 et 727. quibus cum Augusto fuit consul II. et III.

4 *Defuncto.* Eum intra juventam ereptum A. U. C. 731. A. C. 22. laudavit ipse Augustus, eique theatrum dicavit. Tacit. Ann. II, 41. III, 64.

5 *Generum sumsit.* M. Agrippam, cui filiam suam Juliam uxorem dedit.

6 *Privignos.* Liviæ et Tiberii Neronis filios. V. stem. Cæs. n. 68 et 79.

7 *Imperatoriis nominibus.* *Imperator* primum bellicæ virtutis, deinde adulationis, demum summæ potentiæ nomen. Hæc satis comperta.

8 *Caium—Lucium.* Augusti nepotes. V. stem. Cæs. n. 48 et 49. Augustus eos 'adoptavit domi per assem et libram emtos a patre Agrippa: tenerosque adhuc ad curam reipublicæ admovit; et consules designatos circum provincias exercitusque dimisit.' Sueton. in Aug. lxiv. Necdum prætextam posuerant, seu decimum quartum ætatis suæ annum non expleverant, cum appellati sunt *principes juventutis*, i. e. equestris ordinis principes. Ad hos pertinet argenteus musei nostri nummus satis obvius: in antica parte, caput Augusti laureatum CÆSAR AVGVSTVS DIVI F. PATER PATRIÆ: in postica, Caius et Lucius, quos inter duo clypei, lituus et simpulum, pontificatus insignia, C. L. CÆSARES AVGVSTI F. COS. DESIG. PRINC. IVVENT. 'Caius, Lucius Cæsares, Augusti filii' per adoptionem, 'consules designati, principes juventutis.'

9 *Vita concessit.* A. U. C. 742. A. C. 11. Novitate sua multis virtutibus nobilitata. Velleius ii, 96.

10 *Mors fato propera.* Duodeviginti mensium spatio ambos amisit Augustus: Lucium Massiliæ, nunc *Marseilles*, in Gallia, A. U. C. 755. J. C. 2. Caium Limyræ, nunc *Maxi*, in Lycia, A. U. C. 757. J. C. 4. defunctos. V. not. et em. ad Ann. i, 3.

11 *Pridem extincto.* Extinctus est A. U. C. 745. A. C. 8. Adolescens 'tot tantarumque virtutum, quot et quantas natura mortalis recipit, vel industria percipit.' Velleius ii, 79. Tunc e privignis Augusti solus superstes fuit Tiberius Nero.

12 *Collega imperii.* Ita ut 'provincias cum Augusto communiter administraret.' Sueton. in Tib. xxi.

13 *Palam hortatu.* Palam ac ipsa hor-

unicum, Agrippam Postumum,[14] in insulam Planasiam[15] projiceret: rudem sane bonarum artium, et robore corporis stolide ferocem, nullius tamen flagitii compertum. At hercule Germanicum, Druso ortum,[16] octo apud Rhenum legionibus imposuit, adscirique per adoptionem a Tiberio jussit, quamquam esset in domo Tiberii filius juvenis,[17] sed quo pluribus munimentis insisteret. Bellum ea tempestate nullum, nisi adversus Germanos supererat: abolendæ magis infamiæ, ob amissum cum Quinctilio Varo[18] exercitum, quam cupidine proferendi imperii, aut dignum ob præmium. Domi res tranquillæ: eadem magistratuum vocabula.[19] Juniores post Actiacam victoriam, etiam senes plerique inter bella civium nati: quotusquisque reliquus, qui rempublicam vidisset?

A.U.C. 767. J.C. 14.

4. Igitur verso civitatis statu, nihil usquam prisci et integri moris: omnes, exuta æqualitate, jussa principis aspectare: nulla in præsens formidine,[1] dum Augustus ætate validus, seque et domum et pacem sustentavit. Postquam provecta jam senectus, ægro et corpore fatigabatur, aderatque finis, et spes novæ; pauci bona libertatis incassum disserere, plures bellum pavescere, alii cupere;[2] pars multo maxima imminentes dominos variis rumoribus differebant. "Trucem Agrippam, et ignominia accensum; non ætate, neque rerum experientia tantæ moli parem. Tiberium Neronem maturum annis, spectatum bello: sed vetere atque insita Claudiæ familiæ superbia; multaque indicia sævitiæ, quamquam premantur, erumpere. Hunc et prima ab infantia eductum[3] in domo regna-

tried

tante, cum nihil reformidaret, ceteris mortuis, aut exulibus.

14 *Agrippam Postumum.* Caii ac Lucii fratrem. V. stem. Cæs. n. 50.

15 *Planasiam.* Planasia, nunc *Pianosa,* ad ortum insulæ Corsicæ. *Planasia* et *Planaria* Plinio iii, 6. dicitur. Relegatus est Agrippa A. U. C. 760. J. C. 7.

16 *Druso ortum.* V. stem. Cæs. n. 79 et 81. Germanico 'omnes corporis animique virtutes, et quantas nomini cuiquam, contigisse satis constat.' Sueton. in Caio, iii.

17 *Filius juvenis.* Drusus Tiberii et Agrippinæ filius. V. stem. Cæs. n. 70.

18 *Quinctilio Varo.* Quinctilius Varus in Germania cum tribus legionibus Romanis ab Arminio turpiter victus, mortem sibi conscivit A. U. C. 762. J. C. 9.

19 *Vocabula.* Vocabula quidem, sed nulla fere auctoritas.

1 *Nulla—formidine.* Non timent homines, nisi propinqua; ne mortem quidem, nisi cum eam putant imminere. Nihil igitur in præsens metuebant Romani, quamdiu Augustum diu etiam victurum esse sperabant. *Muretus.*

2 *Alii cupere.* Ii videlicet, quorum res familiaris non optime constituta erat, ut ex omni bellico motu damni quidem nihil metuere, lucri ex præda, utcumque caderet res, sperare aliquid possent. *Muretus.*

3 *Eductum.* Educatum. Ita Terent. And.

trice: congestos juveni consulatus, triumphos:[4] ne iis quidem annis, quibus Rhodi specie secessus exulem egerit,[5] aliquid quam iram, et simulationem, et secretas libidines meditatum. Accedere matrem[6] muliebri impotentia: serviendum fœminæ, duobusque insuper adolescentibus,[7] qui rempublicam interim premant, quandoque distrahant."

5. Hæc atque talia agitantibus, gravescere valetudo Augusti: et quidam scelus uxoris[1] suspectabant. Quippe rumor incesserat,[2] paucos ante menses, Augustum, electis consciis, et comite uno Fabio Maximo, Planasiam vectum, ad visendum Agrippam. Multas illic utrimque lacrymas, et signa caritatis, spemque ex eo, fore ut juvenis penatibus avi redderetur: quod Maximum[3] uxori Marciæ aperuisse: illam Liviæ: gnarum id Cæsari: neque multo post, extincto Maximo (dubium an quæsita morte)[4] auditos in funere ejus Marciæ gemitus semet incusantis, "quod causa exitii marito fuisset." Utcumque se ea res habuit, vixdum ingressus Illyricum[5] Tiberius, properis matris literis accitur: neque satis compertum est, spirantem adhuc Augustum apud urbem Nolam, an exanimem repererit. Acribus namque custodiis domum, et vias sepserat Livia: lætique interdum nuntii vulgabantur, donec provisis, quæ tempus monebat, simul excessisse Augustum,[6] et rerum potiri Neronem[7] fama eadem tulit.

6. Primum facinus novi principatus fuit, Postumi Agrippæ

A. v. Sc. iv, 7. 'Homines adolescentulos, Imperitos rerum, eductos libere, in fraudem illicis.'

4 *Consulatus, triumphos.* Consulatum unicum gesserat Tiberius, et de Germanis triumphaverat A. U. C. 747. A. C. 6. Anno sequenti tribunicia potestate donatus, et Armeniæ præfectus. De Pannoniis ac Dalmatis triumphavit A. U. C. 765. J. C. 12.

5 *Egerit.* Nimiam Caii et Lucii, Augusti privignorum, potentiam exosus, et Juliæ uxoris impudicitiam pertæsus, in insulam Rhodum secessit A. U. C. 749. ibique exul egit septennium.

6 *Matrem.* Liviam. V. stem. Cæs. n. 66.

7 *Adolescentibus.* Druso et Germanico, qui primo concordes rempublicam premerent. Principum luxu, deinde discordes eam ambitione distraherent ac perderent.

1 *Scelus uxoris.* De Liviæ scelere apertius Dio lvi, p. 589. Ficus venenatas Augusto porrexisse dicitur.

2 *Rumor incesserat.* Haud ita dubitanter a Plinio vii, 45. inter magna sortis humanæ in D. Augusto volumina annumerantur 'abdicatio Postumi Agrippæ post adoptionem, desiderium post relegationem: inde suspicio in Fabium, arcanorumque proditionem: hinc uxoris et Tiberii cogitationes, suprema ejus cura.'

3 *Maximum.* Fabium Maximum.

4 *Quæsita morte.* Violenta, et ab Augusto imperata.

5 *Ingressus Illyricum.* Missus erat in Illyricum Tiberius, ut firmaret pace, quæ bello subegerat.

6 *Excessisse Augustum.* Excessit Augustus Nolæ, in Campania, die 19. Augusti, A. U. C. 767. J. C. 14. Eum Tiberii sui amplexibus circumfusum exspirasse ait Velleius ii, 123. Ex assiduo illo Tiberii assentatore eadem hausisse videntur Sueton. in Tib. xxi. Dio lvi, p. 590.

7 *Neronem.* Tiberium Neronem.

cædes: quem ignarum inermumque quamvis firmatus animo Centurio ægre confecit.[1] Nihil de ea re Tiberius apud Senatum disseruit. Patris jussa simulabat, quibus præscripsisset tribuno custodiæ[2] adposito, "ne cunctaretur Agrippam morte adficere, quandoque ipse supremum diem explevisset." Multa sine dubio sævaque Augustus de moribus adolescentis questus, ut exilium ejus Senatusconsulto sanciretur, perfecerat: ceterum in nullius umquam suorum necem duravit:[3] neque mortem nepoti pro securitate privigni inlatam, credibile erat. Propius vero, Tiberium ac Liviam, illum metu, hanc novercalibus odiis, suspecti et invisi juvenis cædem festinavisse. Nuntianti centurioni, ut mos militiæ,[4] "factum esse quod imperasset:" "neque imperasse sese, et rationem facti reddendam apud senatum," respondit. Quod postquam Sallustius Crispus,[5] particeps secretorum, (is ad tribunum miserat codicillos,) comperit; metuens ne reus subderetur,[6] juxta periculoso ficta seu vera promeret, monuit Liviam, "ne arcana domus, ne consilia amicorum, ministeria militum vulgarentur: neve Tiberius vim principatus resolveret, cuncta ad senatum vocando. Eam conditionem esse imperandi, ut non aliter ratio constet, quam si uni reddatur."

7. At Romæ ruere in servitium consules, patres, eques:[1] quanto quis inlustrior, tanto magis falsi ac festinantes, vultuque composito, ne læti excessu principis, neu tristiores primordio, lacrymas, gaudium, questus, adulationes miscebant. Sex. Pompeius et Sex. Appuleius, consules,[2] primi in verba Tiberii Cæsaris juravere:[3] apudque eos Seius Strabo,[4] et C.

1 *Ægre confecit.* Ægre quidem; cum nemo sit, qui principem miserum non doleat. De hac cæde plura Dio lvii, p. 604.

2 *Custodiæ.* Custodiæ Agrippæ.

3 *Duravit.* Augustus numquam adeo durus fuit et efferus, ut unius e suis necem imperaret.

4 *Mos militiæ.* Peractis jussis, moris erat renuntiare, *factum quod imperasti.*

5 *Sallustius Crispus.* Sallustii, historici, quo vix melior optari potest, ex sorore nepos, D. Augusti amicus. V. Plinium xxxiv, 2. Tac. Ann. iii, 30. Hor. ii. od. 2.

6 *Ne—subderetur.* Metuens Sallustius ne ipse reus crederetur; cumque esset æque periculosum ficta seu vera promeret, Liviam monuit. Inf. c. 39. 'Mos vulgo, quamvis falsis reum subdere.'

1 *Eques.* I. e. equites. Sic sæpe Tacitus; et ipse Virg. Æn. ii, 20. 'Uterumque armato milite complent.'

2 *Appuleius, consules.* Consules erant hoc A. U. C. 767. J. C. 14. Sextus Pompeius et Sextus Appuleius.

3 *Juravere.* Id moris cœptum sub triumviris, firmatum sub Augusto. V. Dionem xlvii, p. 337. li, p. 457. In verba, seu in acta Principis jurare, est ejus acta jurejurando confirmare. Quotannis Kal. Januarii illud jusjurandum a senatu, populo, et militibus concipiebatur.

4 *Seius Strabo.* Sejani pater. Inf. Ann. iv, 1.

Turranius, ille prætoriarum cohortium præfectus, hic annonæ:[5] mox senatus, milesque et populus. Nam Tiberius cuncta per consules incipiebat, tamquam vetere republica, et ambiguus imperandi: ne edictum quidem, quo patres in curiam vocabat, nisi tribuniciæ potestatis præscriptione posuit,[6] sub Augusto acceptæ. Verba edicti fuere pauca, et sensu permodesto: "de honoribus parentis consulturum: neque abscedere a corpore: idque unum ex publicis muneribus usurpare." Sed, defuncto Augusto, signum prætoriis cohortibus ut imperator dederat:[7] excubiæ, arma, cetera aulæ:[8] miles in forum, miles in curiam comitabatur: literas ad exercitus, tamquam adepto principatu, misit: nusquam cunctabundus, nisi cum in senatu loqueretur. Causa præcipua ex formidine, ne Germanicus, in cujus manu tot legiones, immensa sociorum auxilia, mirus apud populum favor, habere imperium, quam expectare mallet. Dabat et famæ, ut vocatus electusque potius a republica videretur, quam per uxorium ambitum,[9] et senili adoptione inrepsisse. Postea cognitum est, ad introspiciendas etiam procerum voluntates, inductam dubitationem: nam verba, vultus, in crimen detorquens, recondebat.[10]

8. Nihil primo senatus die agi passus, nisi de supremis Augusti, cujus testamentum inlatum per virgines Vestæ,[1] Tiberium et Liviam heredes habuit. Livia in familiam Juliam nomenque Augustæ[2] adsumebatur: in spem secundam nepotes pronepotesque: tertio gradu primores civitatis scripserat: plerosque invisos sibi, sed jactantia gloriaque ad posteros.

5 *Hic annonæ.* Urbis copias augebat: seu rem frumentariam aliaque cibaria providebat annonæ præfectus.

6 *Præscriptione posuit.* Edicto, quo patres in curiam vocabat, non suam Principis dignitatem, sed tribuniciam potestatem ab Augusto acceptam, sup. c. 3. præscripsit; quasi hac una valeret; ceterum non in urbe, sed in provinciis tantum potestatem haberet. V. Usserium, Ann. p. 580.

7 *Ut—dederat.* Non ut princeps, sed ut rei bellicæ præfectus, signum dederat, *Angl. the watch-word.* Signum illud tessera erat, in qua vulgo alicujus Dei nomen scriptum aut insigne aliquod dictum. Virg. Æn. vii, 637. 'Classica jamque sonant: it bello tessera signum.' In castris bello, in urbe ad excubias datum signum. De his tesseris v. Dion. lx, p. 675. Sueton. in Claud. xlii.

8 *Cetera aulæ.* Cetera aulæ ac principis a Tiberio usurpabantur. Quæ hæc cetera? puto lictores, fasces laureati, et si quid præterea tunc receptum principi distinguendo.

9 *Uxorium ambitum.* Per Liviæ ambitum, et senis Augusti adoptionem.

10 *Detorquens, recondebat.* Nutus ipsos eorum, qui videbantur non ægre laturi, si ipse imperium deponeret. *Recondebat,* scribebat in animo, ut suo tempore promeret, quod et fecit. *Muretus.*

1 *Virgines Vestæ.* More scilicet Romano, qui pactiones, fœdera, testamenta, pecunias etiam deponebant in templis: et sæpissime in isto Vestæ, quod religione primum.

2 *Nomenque Augustæ.* In familiam Juliam et nomen Juliæ Augustæ adsumebatur. V. not. et em. ad Ann. i, 8.

Legata non ultra civilem modum, nisi quod populo et plebi CCCCXXXV,[3] prætoriarum cohortium militibus singula nummum millia,[4] legionariis atque cohortibus civium Romanorum trecenos nummos[5] viritim dedit. Tum consultatum de honoribus, ex queis maxime insignes visi: "ut porta triumphali[6] duceretur funus," Gallus Asinius; "ut legum latarum tituli, victarum ab eo gentium vocabula anteferrentur," L. Arruntius censuere. Addebat Messala Valerius "renovandum per annos[7] sacramentum in nomen Tiberii:" interrogatusque a Tiberio, "num, se mandante, eam sententiam promsisset?" "sponte dixisse," respondit; "neque in iis, quæ ad rempublicam pertinerent, consilio nisi suo usurum, vel cum periculo offensionis." Ea sola[8] species adulandi supererat. Conclamant patres, "corpus ad rogum humeris senatorum ferendum." Remisit[9] Cæsar adroganti moderatione: populumque edicto monuit, "ne, ut quondam nimiis studiis funus divi Julii turbassent, ita Augustum in foro potius, quam in campo Martis,[10] sede destinata, cremari vellent." Die funeris, milites velut præsidio stetere, multum inridentibus,[11] qui ipsi viderant, quique a parentibus acceperant diem illum crudi adhuc servitii, et libertatis improspere repetitæ, cum occisus dictator Cæsar aliis pessimum, aliis pulcherrimum facinus videretur: "nunc senem[12] principem, longa potentia, provisis etiam heredum in rempublicam opibus, auxilio scilicet militari tuendum, ut sepultura ejus quieta foret."

---

3 CCCCXXXV. I. e. quadringenties tricies quinquies centena millia nummum, *Angl.* 362500*l.*

4 *Nummum millia. Angl.* 8*l.* 6*s.* 8*d.*

5 *Trecenos nummos. Angl.* 2*l.* 10*s.* V. not. et em. ad Ann. i, 8.

6 *Porta triumphali.* In nona urbis regione. Per hanc portam triumphorum pompa ducebatur. Erat trans Tiberim, in ea parte mœnium, quæ producebatur a mole Hadriana usque ad portam, quæ hodie S. Spiritus dicitur. *Muretus.* De hac porta videndus Alex. Donatus in Roma vetere, 1. 22.

7 *Renovandum—annos.* De hoc jurejurando modo dictum est. Dicetur et inf. c. 72.

8 *Ea sola.* Hæc sola species adulandi Romanis supererat, mentiri offensionem, ut adularentur.

9 *Remisit.* Permisit. Nec prohibuit, nec imperavit.

10 *Campo Martis.* In nona urbis regione. Forum vero inter Tarpeium et Palatinum montes.

11 *Multum inridentibus.* Multum irridentibus iis, qui ipsi viderant, sed pauci ac senes; quique a parentibus acceperant, iique plurimi, diem illum crudi adhuc, nec bene concocti servitii, et libertatis improspere repetitæ, quo mortem Dictatoris Cæsaris alii pessimum, alii pulcherrimum facinus esse jactitabant.

12 *Nunc senem.* Irridebant senem Principem annorum scilicet LXXVI. longa potentia annorum LVI. quique non modo sibi, sed reipublicæ etiam tot heredes providerat, nunc imbecillum, et auxilio militari circumcinctum ut quieta foret ejus sepultura.

9. Multus hinc ipso de Augusto sermo, plerisque vana[1] mirantibus: "quod idem dies accepti quondam imperii princeps, et vitæ supremus;[2] quod Nolæ in domo et cubiculo, in quo pater ejus Octavius, vitam finivisset. Numerus etiam consulatuum[3] celebrabatur, quo Valerium Corvinum et C. Marium simul æquaverat; continuata per septem et triginta annos[4] tribunicia potestas; nomen imperatoris semel atque vicies[5] partum; aliaque honorum[6] multiplicata, aut nova." At apud prudentes vita ejus varie extollebatur, arguebaturve. "Hi pietate erga parentem, et necessitudine[7] reipublicæ, in qua nullus tunc legibus locus, ad arma civilia actum, quæ neque parari possent, neque haberi per bonas artes: multa Antonio, dum interfectores patris ulcisceretur; multa Lepido concessisse; postquam hic socordia senuerit, ille per libidines pessum datus sit, non aliud discordantis patriæ remedium fuisse, quam ut ab uno regeretur. Non regno tamen, neque dictatura, sed Principis nomine constitutam rempublicam mari Oceano, aut amnibus longinquis[8] septum imperium: regiones, provincias, classes, cuncta inter se connexa: jus apud cives, modestiam apud socios: Urbem ipsam magnifico ornatu: pauca admodum vi tractata, quo ceteris quies esset."[9]

1 *Plerisque vana.* Vulgus vana ac fortuita miratur.

2 *Vitæ supremus.* Mortuus est Augustus die 19. Aug. ut dictum sup. c. 5. Quonam anno imperium eodem die acceperit, non liquet.

3 *Numerus consulatuum.* Ex fastis consularibus tredecim consulatus gessit Augustus. Septem Marius, sex gesserat Corvinus, qui 'centum annos implevit: cujusque inter primum et sextum] consulatum 46. anni fuere,' Plin. vii, 48.

4 *Septem—annos.* Inde falsi vel erroris arguas hanc inscriptionem pontis Ariminensis a Grutero laudatam, p. 160. 2. IMP. CÆSAR DIVI F. AVGVSTVS PONTIF. MAXIM. COS. XIV. IMP. XX. TRIBVNIC. POTEST. XXXVIII. P. P. Tribunicia potestate princeps ceteris magistratibus præstabat.

5 *Semel—vicies.* Eumdem numerum exhibet nummus ex ære mediocri, olim D. Begon. IMP. CÆSAR DIVI F. AVGVST. IMP. XXI. Capite Augusti nudo. In postica parte, PONTIF. MAXIM. TRIBVN. POT. XXXIV. In medio SC. i. e. 'senatus consulto.' Re, vel per se, vel per suos duces, præclare confecta, princeps gaudio et impetu victoris exercitus IMPERATOR conclamabatur.

6 *Aliaque honorum.* Elegantius dictum, quam *aliosque honores. Multiplicata* quidem propter toties repetitos consulis et imperatoris titulos. *Nova* propter principatum, tribuniciam potestatem, regimen morum; quæ omnia in se cumulavit Augustus.

7 *Necessitudine.* Necessitate ac discrimine reipublicæ. Inde nummus ille aureus, Thes. Morel. Tab. 10. In corona quercea ita inscriptus: I. O. M. SPQR. V. S. PRO S. IMP. CÆ. QUOD PER EV. RP. IN AMPL. ATQ. TRAN. S. E. I. e. 'Jovi optimo maximo senatus populusque Romanus vota suscepere pro salute imperatoris Cæsaris, quod per eum respublica in ampliore atque tranquilliore statu est.'

8 *Amnibus longinquis.* Euphrate, Danubio, et Rheno.

9 *Quies esset.* Extat in thesauro regio nummus aureus: DIVVS AVGVSTVS, capite Augusti radiato. Ex altera parte Dea stans, dextra ramum oleæ tenet, sinistra spicas et papaver; latere dextro in ambitu *Pax.*

10. Dicebatur contra,[1] "pietatem erga parentem, et tempora reipublicæ, obtentui sumta:[2] ceterum cupidine dominandi concitos per largitiones veteranos,[3] paratum ab adolescente privato[4] exercitum, corruptas consulis legiones,[5] simulatam Pompeianarum gratiam partium: mox ubi decreto patrum, fasces et jus prætoris invaserit, cæsis Hirtio et Pansa,[6] (sive hostis illos, seu Pansam venenum vulneri adfusum, sui milites Hirtium, et machinator doli Cæsar abstulerant,) utriusque copias occupavisse: extortum[7] invito senatu consulatum, armaque quæ in Antonium[8] acceperit, contra rempublicam versa: proscriptionem civium,[9] divisiones agrorum, ne ipsis quidem qui fecere laudatas.[10] Sane Cassii, et Brutorum exitus paternis inimicitiis datos, (quamquam fas sit privata odia publicis utilitatibus remittere,) sed Pompeium imagine pacis,[11] sed Lepidum[12] specie amicitiæ deceptos: post, Antonium Tarentino Brundisinoque fœdere,[13] et nuptiis soro-

1 *Dicebatur contra.* Et in plurimis vere. Inde occasionem Tacitum acerrime insectandi captavit Famianus Strada Lib. 1. Prolus. ii. Forte confutandus, nisi hæc omittendo in veritatem et utilitatem historicam valde peccasset Tacitus; ipseque Strada se in historia *de Bello Belgico* egregium Taciti imitatorem passim exhiberet. Porro historico potius, quam rhetori credendum.

2 *Obtentui sumta.* Obtentui ac prætextui sumta esse, ut imperare posset.

3 *Per—veteranos.* Quibus per singula capita duo millia sestertium largitus est, *Angl.* 16*l.* 13*s.* 4*d.* multa alia pollicitus. Dio xlv, p. 276.

4 *Adolescente privato.* Dum adhuc privatus esset.

5 *Consulis legiones.* Antonii consulis legiones, Martiam scilicet et quartam, aliosque plurimos milites indignabundos, quod Antonius quadringentos tantum sestertios, *Angl.* 3*l.* 6*s.* 8*d.* promitteret, cum bis mille, *Angl.* 16*l.* 13*s.* 4*d.* daret Cæs. Dio, loc. cit.

6 *Hirtio et Pansa.* Hirtio et Pansa coss. A. U. C. 711. A. C. 42. Sive hostis illos interfecerat, seu Pansam extinxerat venenum vulneri adfusum a Glycone medico, seu Hirtii milites, et ipse Cæsar, doli machinator, Hirtium abstulerant. De his rumoribus vide Suet. in Aug. xi. Glyconem excusat Brutus in Epist. ad Cic. Cic. ad Brut. Ep. vi.

7 *Extortum.* Extortum illo ipso anno U. C. 711. quo Cæsar et Q. Pedius Hirtio et Pansæ suffecti sunt, ita quidem violenter, ut legatus Cæsaris, gladium ostentans, senatoribus dixerit, ὅτι ἂν ὑμεῖς τὴν ὑπατείαν μὴ δῶτε τῷ Καίσαρι, τοῦτο (ξίφος) δώσει. 'Si Cæsari consulatum vos non dederitis, hic gladius dabit.' Dio xlvi, p. 319.

8 *In Antonium.* Bellum a republica contra Antonium decretum. Sed arma illa ac universa potestas in Augustum cessere. Sup. c. 1.

9 *Proscriptionem civium.* Hac in re Augustum excusant Dio xlvii, p. 330. Florus iv, 6. Culpat Suet. in Aug. xxvii. et verior videtur. 'Restitit quidem aliquandiu collegis, ne qua fieret proscriptio, sed incœptam utroque acerbius exercuit.'

10 *Laudatas.* 'Neque veteranorum, neque possessorum gratiam tenuit: alteris, pelli se; alteris, non pro spe meritorum tractari, querentibus.' Suet. in Aug. xiii.

11 *Pacis.* Pacis circa Misenum initæ, de qua Vellei. ii, 77.

12 *Lepidum.* Quem specie amicitiæ ex Africa evocavit Augustus, et postea xx legionibus exuit. Sup. c. 2. Suet. in Aug. xvi.

13 *Brundisinoque fœdere.* Fœdus Brundisinum pactum est A. U. C. 714. A. C. 39. et Antonius Octaviam, Augusti sororem, duxit. Dio xlviii, p. 374 et 376. Factum est vero fœdus Tarentinum A. U. C. 717. A. C. 36. Dio xlviii, p. 390. Plut. in Anton. p. 931 et 932.

ris inlectum, subdolæ adfinitatis pœnas morte exsolvisse. Pacem sine dubio posthæc, verum cruentam: Lollianas, Varianasque[14] clades: interfectos Romæ Varrones, Egnatios,[15] Julos."[16] Nec domesticis abstinebatur. "Abducta Neroni uxor;[17] et consulti[18] per ludibrium pontifices, an concepto, necdum edito partu, rite nuberet: Q. Tedii[19] et Vedii Pollionis luxus: postremo Livia gravis in rempublicam[20] mater, gravior domui[21] Cæsarum noverca. Nihil deorum honoribus relictum, cum se templis[22] et effigie numinum, per flamines et sacerdotes coli vellet. Ne Tiberium quidem caritate, aut reipublicæ cura successorem adscitum: sed quoniam adrogantiam sævitiamque ejus introspexerit, comparatione deterrima sibi gloriam quæsivisse." Etenim Augustus, paucis ante annis,[23] cum Tiberio tribuniciam potestatem a patribus rursum postularet, quamquam honora oratione, quædam de habitu vultuque et institutis ejus jecerat, quæ velut excusando exprobraret.

11. Ceterum sepultura more perfecta, templum et cœlestes religiones decernuntur. Versæ inde ad Tiberium preces.[1] Et ille varie disserebat,[2] de magnitudine imperii, sua modestia. "Solam divi Augusti mentem tantæ molis capacem:

14 *Lollianas, Varianas.* Utraque clades in Germania accepta. Legatus M. Lollius, 'homo in omnia pecuniæ, quam recte faciendi, cupidior, et inter summam vitiorum dissimulationem vitiosissimus,' amisit legionis quintæ aquilam A. U. C. 738. J. C. 15. Vellei. ii, 97. Dio liv, p. 535. Longe atrocior clades Variana A. U. C. 762. J. C. 9. Cæsus Varus, trucidatæ legiones tres, totidemque alæ et sex cohortes. Vellei. ii, 117.

15 *Varrones, Egnatios.* Varro Muræna, M. Egnatius in Augustum conjuraverant, teste Suet. in Aug. xix.

16 *Julos.* Julus Antonius, Antonii triumviri et Fulviæ filius, Juliam Augusti filiam violaverat. Inde Plin. vii, 45. inter Augusti calamitates enumerat 'adulterium filiæ et consilia parricidæ palam facta.' V. not. et em. ad Ann. i, 10.

17 *Uxor.* Livia, quam Augustus Tiberio Neroni, Tiberii imperatoris patri abduxit, jam a sex mensibus gravidam. V. stem. Cæs. n. 66. Dio xlviii, p. 383.

18 *Et consulti.* Per ludibrium consulti, putide responderunt: ὅτι εἰ μὲν ἐν ἀμφιβόλῳ τὸ κύημα ἦν, ἀναβληθῆναι τὸν γάμον ἐχρῆν· ὁμολογουμένου δὲ αὐτοῦ, οὐδὲν κωλύει ἤδη αὐτὸν γενέσθαι. 'Si de conceptu ambigitur, differendas nuptias. Sin constet, nihil impedire quin fierent.' Dio xlviii, p. 383.

19 *Q. Tedii.* Portentosus Q. Tedii et Vedii Pollionis, Augusti amicorum, luxus. V. not. et em. ad Ann. i, 10.

20 *Gravis—rempublicam.* Gravis sua ambitione.

21 *Gravior domui.* Liviæ scelere, ut fama fuit, Caius ac Lucius Cæsares veneno extincti, Agrippa ablegatus et trucidatus.

22 *Cum—templis.* In urbe quidem templis abstinuerat Augustus. At in provinciis communi suo et Romæ nomine receperat. Suet. in Aug. lii. Inde in Augusti nummis ara cum inscriptione ROM. ET AUG. i. e. Romæ et Augusto.

23 *Paucis—annis.* A. U. C. 765. J. C. 12. Cum eum collegam imperii, tribuniciæ potestatis consortem adsumsit Augustus. Sup. c. 3. Vellei. ii, 121.

1 *Versæ—preces.* Ut illud molestissimum imperii onus suscipere dignaretur. *Muretus.*

2 *Varie disserebat.* Non erat ita superbus, ut illas preces aspernaretur; non ita segnis, ut illum cuncta regendi laborem rejiceret: rogari volebat. *Muretus.*

se in partem curarum ab illo vocatum, experiendo didicisse, quam arduum, quam subjectum fortunæ, regendi cuncta onus: proinde in civitate tot inlustribus viris subnixa, non ad unum omnia deferrent; plures facilius munia reipublicæ sociatis laboribus exsecuturos." Plus in oratione tali dignitatis, quam fidei erat: Tiberioque etiam in rebus, quas non occuleret, seu natura, sive adsuetudine, suspensa semper et obscura[3] verba: tunc vero, nitenti[4] ut sensus suos penitus abderet, in incertum et ambiguum magis implicabantur. At patres, quibus unus metus, si intelligere viderentur, in questus, lacrymas, vota effundi: ad deos, ad effigiem Augusti,[5] ad genua ipsius manus tendere; cum proferri libellum[6] recitarique jussit. Opes publicæ continebantur: quantum civium, sociorumque in armis; quot classes, regna, provinciæ, tributa, et vectigalia, et necessitates[7] ac largitiones: quæ cuncta sua manu perscripserat Augustus: addideratque consilium coercendi intra terminos imperii, incertum metu, an per invidiam.[8]

12. Inter quæ senatu ad infimas obtestationes procumbente, dixit forte Tiberius, "se, ut non toti reipublicæ parem, ita quæcumque pars sibi mandaretur, ejus tutelam suscepturum." Tum Asinius Gallus,[1] "Interrogo," inquit, "Cæsar, quam partem reipublicæ mandari tibi velis?" Perculsus improvisa interrogatione, paulum reticuit, dein collecto animo respondit: "Nequaquam decorum pudori suo, legere aliquid aut evitare ex eo, cui in universum excusari mallet." Rursum Gallus (etenim vultu offensionem conjectaverat) "non idcirco interrogatum" ait, "ut divideret quæ separari nequirent: sed ut sua confessione argueretur, unum esse reipublicæ corpus, atque unius animo regendum." Addidit laudem de Augusto,

3 *Suspensa—obscura.* Suet. Tib. 24. 'ambiguis responsis et callida cunctatione suspendens.' *Pichena.*

4 *Nitenti.* Cum eniteretur. De Tiberii dissimulatione v. Ann. iv, 71.

5 *Ad—Augusti.* Quæ in ipsa curia. Apparet enim ex illis, quæ de Hortensio inf. 'Modo Hortensii inter oratores sitam imaginem, modo Augusti intuens.' *Lips.*

6 *Proferri libellum.* Libellum hunc Suet. in Aug. c. ult. appellat 'breviarium totius imperii; quantum militum sub signis ubique esset: quantum pecuniæ in ærario et fiscis, et vectigalium residuis.'

7 *Necessitates.* Id est, impensas in rempublicam populumque Romanum faciendas. V. lapidem Ancyranum apud Gruter. p. 230. Tab. 1.

8 *Metu,—invidiam.* Metu, quem pro ipsis habebat, 'ne, studio plura quærendi, ante parta amitterent.' Atque hanc rationem ab ipso Augusto in libello datam, Dio est auctor, 56. 33. *Lips.* *Per invidiam,* ne quis successorum proferendo fines augeret gloriam, et latius imperasse diceretur. *Ern.*

1 *Asinius Gallus.* Filius Pollionis Asinii, divi Augusti amicitia, suaque eloquentia celeberrimi. Pollionum stemma dabitur inf. Ann. iii, 75.

Tiberiumque ipsum victoriarum suarum, quæque in toga per tot annos egregie fecisset, admonuit. Nec ideo iram ejus lenivit, pridem invisus, tamquam ducta in matrimonium Vipsania,[2] M. Agrippæ filia, quæ quondam Tiberii uxor fuerat, plusquam civilia agitaret, Pollionisque Asinii, patris, ferociam retineret.[3]

13. Post quæ L. Arruntius,[1] haud multum discrepans a Galli oratione, perinde offendit. Quamquam Tiberio nulla vetus in Arruntium ira: sed divitem, promtum,[2] artibus egregiis, et pari fama publice, suspectabat. Quippe Augustus supremis sermonibus cum tractaret, quinam adipisci principem locum suffecturi abnuerent, aut impares vellent, vel iidem possent cuperentque: "M. Lepidum[3]" dixerat "capacem, sed aspernantem: Gallum Asinium, avidum, at minorem: L. Arruntium, non indignum, et, si casus daretur, ausurum." De prioribus consentitur. Pro Arruntio quidam Cn. Pisonem[4] tradidere: omnesque, præter Lepidum, variis mox criminibus, struente Tiberio, circumventi sunt. Etiam Q. Haterius[5] et Mamercus Scaurus,[6] suspicacem animum perstrinxere: Haterius cum dixisset, "Quousque patieris, Cæsar, non adesse caput reipublicæ?"[7] Scaurus quia dixerat, "spem esse ex eo non inritas fore senatus preces, quod relationi consulum jure tribuniciæ potestatis non intercessisset." In Haterium statim invectus est; Scaurum, cui implacabilius irascebatur,

2 *Vipsania.* Vipsania, Agrippina vulgo dicta, fuerat primum uxor Tiberii, qui eam gravidam invitus dimisit. Suet. in Tib. vii. V. stem. Cæs. n. 69.

3 *Retineret.* Ob ficta hæc, vel in majus aucta crimina, Gallus, multa ac gravissima perpessus, tandem enectus est. Dio lvii, p. 603. Tac. Ann. vi, 23.

1 *L. Arruntius.* Consul fuerat A. U. C. 759. J. C. 6. sibi mortem conscivit A. U. C. 790. J. C. 37. cum Caium Caligulam imperio proximum vidit. Vita concedere, quam talem dominum in senectute sua experiri maluit. Dio lviii, p. 638. Tac. Ann. vi, 48. V. Ruhnken. ad Vell. Paterc. ii, 86.

2 *Promtum.* Promtus etiam nude et simpliciter ad ingenii præstantiam referri, Manutius ad Cic. Verr. iv, 17. docet. Cicero ad Div. ii, 18. 'tres fratres summo loco natos, promtos, non indisertos.' Aliis locis *Promti* dicuntur parati ad aliquid audendum. Tacit. Ann. iv, 17. Vide Ruhnken. ad Vell. Paterc. ii, 75.

3 *M. Lepidum.* Laudatur inf. Ann. iv, 20. vi, 27. De illo Vellei. ii, 114. 'Omnibus copiis a Cæsare Marcus Lepidus præfectus est, vir nominis ac fortunæ Cæsarum proximus, quem in quantum quisque aut cognoscere, aut intelligere potuit, in tantum miratur ac diligit, tantorumque nominum, quibus ortus est, ornamentum judicat.' Consulatum gesserat cum L. Arruntio, de quo modo dictum est.

4 *Cn. Pisonem.* 'Ingenio violentum et obsequii ignarum, insita ferocia a patre Pisone.' Inf. Ann. ii, 43.

5 *Q. Haterius.* Forte idem de quo sup. c. 10. in not. et em. dictum.

6 *Mamercus Scaurus.* Homo profligatæ libidinis et vita probrosus. Sen. de Benefic. iv, 31. Tac. Ann. vi, 29.

7 *Caput reipublicæ.* Caput reipublicæ dici se nolle fingebat Tiberius.

silentio tramisit: fessusque clamore omnium, expostulatione singulorum flexit paulatim, non ut fateretur suscipi a se imperium, sed ut negare et rogari desineret. Constat Haterium, cum deprecandi causa palatium introisset, ambulantisque Tiberii genua advolveretur, prope a militibus interfectum, quia Tiberius casu, an manibus ejus impeditus, prociderat: neque tamen periculo talis viri mitigatus est, donec Haterius Augustam[8] oraret, ejusque curatissimis precibus protegeretur.

14. Multa patrum et in Augustam adulatio. Alii *parentem*, alii *matrem patriæ* appellandam; plerique ut nomini Cæsaris adscriberetur, *Juliæ filius*, censebant. Ille "moderandos fœminarum honores" dictitans, "eademque se temperantia usurum in his, quæ sibi tribuerentur;" ceterum anxius invidia, et muliebre fastigium in deminutionem sui accipiens, ne lictorem[1] quidem ei discerni passus est: aramque adoptionis,[2] et alia hujuscemodi prohibuit. At Germanico Cæsari proconsulare imperium[3] petivit, missique legati qui deferrent, simul mœstitiam ejus ob excessum Augusti solarentur. Quominus idem pro Druso[4] postularetur, ea causa, quod designatus consul Drusus, præsensque erat.[5] Candidatos præturæ[6] duodecim nominavit, numerum ab Augusto traditum: et hortante senatu ut augeret, jurejurando obstrinxit, se non excessurum.[7]

15. Tum primum e campo[1] comitia ad patres translata sunt. Nam ad eam diem, etsi potissima arbitrio principis, quædam tamen studiis tribuum fiebant: neque populus ademtum jus questus est, nisi inani rumore: et senatus largitionibus ac precibus sordidis exsolutus, libens tenuit, moderante Tiberio, ne

8. *Augustam.* Liviam, dictam quoque Juliam, ut mox capite sequenti.

1 *Ne lictorem.* Id magistratuum, non fœminarum erat. Verum invalescente adulatione, duo lictores decreti sunt Agrippinæ, Claudii uxori. Inf. Ann. xiii, 2.

2 *Aramque adoptionis.* Aras Fortunæ, Victoriæ, Clementiæ ponebant Romani: aram quoque adoptionis Liviæ ac forte ipsius Tiberii in familiam Juliam efflagitabant. Sed prohibuit princeps invidus.

3 *Proconsulare imperium.* Dignitatem illam longe ante acceperat Germanicus. V. Dion. lvi, p. 586. At callidus princeps illam petit, ut senatui placeat, et modestiam fingat.

4 *Druso.* Tiberii et Agrippinæ filio. Vide stem. Cæs. n. 70.

5 *Præsensque erat.* Proconsulare imperium extra urbem erat, non in urbe.

6 *Candidatos præturæ.* Prætorum origo, progressus, augmentum, satis ambigue tradita: etiam ab iis, quibus hæc una cura fuit. Ego breviter rem expedivi et ad historiæ fidem; quæ vide, si vis, in Excurs. D. *Lips.*

7 *Non excessurum.* Excessit postea. V. not. et em. ad Ann. i, 14.

1 *E campo.* Id est, e populo ad senatum. Id putide laudat Vellei. Tiberii adulator, ii, 126. 'Revocata in forum fides; summota e foro seditio: ambitio campo, discordia curia, sepultæ ac situ obsitæ.' V. not. et em. ad Ann. i, 15.

plures quam quatuor candidatos commendaret, sine repulsa et ambitu designandos.[2] Inter quæ tribuni plebeii petivere, ut proprio sumtu ederent ludos, qui de nomine Augusti, fastis additi, Augustales vocarentur:[3] sed decreta pecunia ex ærario, utque per Circum triumphali veste[4] uterentur: curru vehi haud permissum. Mox celebratio annua ad prætorem translata, cui inter cives et peregrinos jurisdictio evenisset.[5]

16. Hic rerum urbanarum status erat, cum Pannonicas legiones[1] seditio incessit: nullis novis causis, nisi quod mutatus princeps licentiam turbarum, et ex civili bello spem præmiorum ostendebat. Castris æstivis tres simul legiones habebantur, præsidente Junio Blæso: qui fine Augusti, et initiis Tiberii auditis, ob justitium aut gaudium,[2] intermiserat solita munia. Eo principio lascivire miles, discordare, pessimi cujusque sermonibus præbere aures, denique luxum et otium cupere, disciplinam, et laborem aspernari. Erat in castris Percennius quidam, dux olim theatralium operarum,[3] dein gregarius miles, procax linguâ, et miscere cœtus histrionali studio[4] doctus. Is imperitos animos, et quænam post Augustum militiæ conditio ambigentes, impellere paulatim nocturnis conloquiis, aut

2 *Ambitu designandos.* I. e. ut nec opus quidem haberent in Senatu ambire, sufficeretque sola Principis commendatio. *Lips.*

3 *Augustales vocarentur.* Jam olim instituta *Augustalia* A. U. C. 735. A. C. 18. Dio liv, p. 527 et 545. Nunc vero Augustales ludi fastis additi, quos tribuni plebeii proprio sumtu ederent. In veteri calendario Romano, IV. ID. OCTOBR. AVGVSTALES.

4 *Triumphali veste.* Decretum quoque ut per circum triumphali veste uterentur. Vestis illa purpura et auro erat intertexta, ut docet Plin. ix, 36. 'Huic [purpuræ] fasces securesque Romanæ viam faciunt. Idemque pro majestate pueritiæ est. Distinguit ab equite curiam: Diis advocatur placandis: omnemque vestem illuminat: in triumphali miscetur auro.' Heroum præclara facinora, pugnas, victorias, vestes illæ referebant, ut accipimus ab Hom. Il. iii, 125. et a Plin. viii, 48. 'Pictas vestes jam apud Homerum fuisse, unde triumphales natæ.'

5 *Jurisdictio evenisset.* Ex duodecim prætoribus, duobus tantum obveniebat jurisdictio. Alter cives inter, alter inter peregrinos, vel cives inter et peregrinos jus dicebat. Ad hunc translata annua Augustalium celebratio. Inf. vit. Agr. vi. 'Nec enim jurisdictio [Agricolæ] obvenerat.'

1 *Pannonicas legiones.* Tres erant in Pannonia legiones, octava, nona, et quinta decima. Inf. c. 23.

2 *Justitium—gaudium.* Justitium propter mortem Augusti, gaudium propter Tiberii principatum. In luctu publico, nuntiatis cladibus, gravissimisque reipublicæ periculis, indicebatur justitium, seu cessabant judicia. Quam ferale fuerit justitium, nuntiata Germanici morte, dicetur inf. ii, 82. Mœstissimam Romæ faciem post indictum justitium luculenter describit Lucan. ii, 16.

3 *Theatralium operarum.* Dux quidem, non actor. Infames enim apud Romanos theatrales operæ. Nec, qui eas egisset, stipendia mereri poterat: et si jam miles id fecisset, capite puniebatur, ut docet Macer, Digest. xlviii. Tit. xix. leg. 14. de Pœnis. Unde Corn. Nep. præf. vit. imp. 'In scenam prodire et populo esse spectaculo, nemini in eisdem gentibus [inter Græcos] fuit turpitudini, quæ omnia apud nos [Romanos] infamia, partim humilia, ac ab honestate remota ponuntur.'

4 *Histrionali studio.* Hoc enim studium est histrionale partes fovere, operas suas theatrales jactitare, ceteras floccifacere.

flexo in vesperam die, et dilapsis melioribus, deterrimum quemque congregare. Postremo, promtis jam et aliis seditionis ministris, velut concionabundus interrogabat:

17. "Cur paucis centurionibus, paucioribus tribunis, in modum servorum obedirent? quando ausuros exposcere remedia, nisi novum et nutantem adhuc principem precibus, vel armis adirent? satis per tot annos ignavia peccatum, quod tricena aut quadragena stipendia[1] senes, et plerique truncato ex vulneribus corpore, tolerent: ne dimissis quidem finem esse militiæ, sed apud vexillum retentos, alio vocubalo,[2] eosdem labores perferre. Ac si quis tot casus vita superaverit; trahi adhuc diversas in terras, ubi per nomen[3] agrorum, uligines paludum, vel inculta montium accipiant. Enimvero militiam ipsam gravem, infructuosam: denis in diem assibus[4] animam et corpus æstimari: hinc vestem, arma,[5] tentoria; hinc sævitiam centurionum, et vacationes munerum redimi. At hercule verbera, et vulnera, duram hiemem, exercitas æstates, bellum atrox, aut sterilem pacem, sempiterna:[6] nec aliud levamentum, quam si certis sub legibus militia iniretur; ut singulos denarios[7] mererent; sextusdecimus stipendii annus finem adferret; ne ultra sub vexillis tenerentur, sed iisdem in cas-

1 *Tricena—stipendia.* Qui triginta aut quadraginta annos in militia expleverant; quod, vigente republica, inauditum. Equites enim dena tantum, pedites vicena stipendia explebant. At, republica bellis civilibus exhausta, prolatatum militiæ tempus; nec videtur diu viguisse lex, qua Augustus definierat A. U. C. 741. A. C. 12. prætoriis cohortibus annos duodecim, ceteris sexdecim. Dio lvi, p. 539.

2 *Alio vocabulo.* Tunc *Veterani* dicebantur. Inf. c. 26.

3 *Ubi per nomen.* Ubi specie ac nomine agrorum donantur uliginosis paludibus et incultis montibus.

4 *Denis—assibus.* Decem illi asses Romani efficiunt quoque *Angl.* 7½*d.* Itaque duplicata erant Romanorum militum stipendia. Stante enim republica, pedites in diem accipiebant tantum binos obolos, i. e. *Angl.* 3*d.* Centuriones, quatuor obolos, seu *Angl.* 6*d.* Equites, drachmam, seu *Angl.* 9*d.* Polyb. vi, p. 484.

5 *Vestem, arma.* Vides ergo, auctum ab Julio vel ab Augusto stipendium, abrogatam illam Gracchi legem, qua militi e publico vestem dari jussit, sine ulla stipendii detractione. Ambigas tamen an secuti principes iterum non reduxerint Gracchi hac parte legem. Lamprid. certe, in Alex. c. 39. 'Donavit,' inquit, 'et ocreas, et braccas et calceamenta inter vestimenta militaria:' et c. 52. 'Qui acceptam a provincialibus annonam, qui vestem, qui stipendia vobis attribuit.' *Lips.*

6 *Sempiterna.* Sempiterna esse, ac semper perferenda.

7 *Singulos denarios.* Locum istum infinitis vexatum interpretationibus planum facit Plin. xxxiii, 3. 'Hannibale urgente, Q. Fabio Maximo dictatore, asses unciales facti: placuitque denarium sedecim assibus permutari.... In militari tamen stipendio semper denarius pro decem assibus datus.' Vult ergo Percennius, ut milites denarium mereant, non vero decem tantum asses. Fraudabantur enim sex assibus, cum decem asses, non vero denarium acciperent. Porro denarius ille valebat *Angl.* 8*d.*

tris[8] præmium pecunia solveretur. An prætorias cohortes,[9] quæ binos denarios[10] acciperent, quæ post sexdecim annos penatibus suis reddantur, plus periculorum suscipere? Non obtrectari a se urbanas excubias, sibi tamen[11] apud horridas gentes e contuberniis hostem aspici."

18. Adstrepebat vulgus diversis incitamentis: hi verberum notas, illi canitiem, plurimi detrita tegmina et nudum corpus exprobrantes. Postremo eo furoris venere, ut tres legiones miscere in unam agitaverint: depulsi æmulatione, quia suæ quisque legioni eum honorem quærebant, alio vertunt, atque una tres aquilas et signa cohortium locant: simul congerunt cespites, exstruunt tribunal,[1] quo magis conspicua sedes foret. Properantibus Blæsus advenit; increpabatque, ac retinebat singulos, clamitans: "Mea potius cæde imbuite manus: leviore flagitio legatum interficietis, quam ab imperatore desciscitis. Aut incolumis fidem legionum retinebo, aut jugulatus pœnitentiam adcelerabo."

19. Aggerebatur nihilominus cespes, jamque pectori usque adcreverat, cum tandem pervicacia victi incœptum omisere. Blæsus multa dicendi arte, "Non per seditionem et turbas desideria militum ad Cæsarem ferenda," ait: "neque veteres ab imperatoribus priscis, neque ipsos a divo Augusto tam nova petivisse: et parum in tempore[1] incipientes principis curas onerari. Si tamen tenderent[2] in pace tentare, quæ ne civilium quidem bellorum victores expostulaverint; cur contra morem obsequii, contra fas disciplinæ, vim meditentur?

8 *Iisdem in castris.* Sibique militiæ præmium non agris, sed pecunia, ipsisque in castris solveretur.

9 *Prætorias cohortes.* Prætoriæ cohortes corpori principis adsidebant, urbemque tutabantur.

10 *Binos denarios. Angl.* 1*s.* 4*d.* Præter diurnos illos binos denarios, prætoriis cohortibus post sena et dena stipendia viritim dabantur viginti millia sestertium, seu *Angl.* 166*l.* 13*s.* 4*d.* Ceteris vero militibus, exactis militiæ annis viginti, data tantum duodecim millia sestertium. *Angl.* 100*l.* Dio lv, p. 563. Immo summam illam C. Cæsar recidit ad sex millia sestertium, seu *Angl.* 50*l.* Suet. in Caio xliv.

11 *Sibi tamen.* I. e. *a se.* Se tamen apud horridas gentes diversari, et ex ipsis tentoriis hostem aspici. Contubernium decem militibus et decano constabat. Veget. ii, 8.

1 *Exstruunt tribunal.* Tribunal illud, suggestus erat editus, cespite, seu terra cum herbis avulsa convestitus, unde imperator milites adloquebatur, iisque jus dicebat. In nummis sæpe occurrit. Unum Caii Caligulæ appellasse satis sit. C. CÆSAR AVG. GERMANICVS PON. M. TR. POT. capite laureato. Ex altera parte Princeps stat in tribunali, et adloquitur cohortes: ADLOCVT. COH. *adlocutio cohortium.* Ex hoc nummo, quam ex pluribus verbis, melius percipitur quid sit tribunal, et quomodo ex hoc suggestu præcipites darentur rei, ut dicetur inf. c. 44.

1 *Parum in tempore.* Intempestive novi principis curas onerari.

2 *Tenderent.* Contenderent.

decernerent legatos, seque coram mandata darent."[3] Adclamavere, "ut filius Blæsi, tribunus, legatione ea fungeretur, peteretque militibus missionem ab sexdecim annis: cetera mandaturos, ubi prima provenissent." Profecto juvene, modicum otium: sed superbire miles, quod filius legati, orator publicæ causæ, satis ostenderet, necessitate expressa,[4] quæ per modestiam non obtinuissent.

20. Interea manipuli,[1] ante cœptam seditionem Nauportum[2] missi ob itinera,[3] et pontes, et alios usus, postquam turbatum in castris accepere, vexilla convellunt: direptisque proximis vicis, ipsoque Nauporto, quod municipii instar[4] erat, retinentes centuriones inrisu et contumeliis, postremo verberibus insectantur: præcipua in Aufidienum Rufum, præfectum castrorum,[5] ira, quem dereptum vehiculo, sarcinis gravant, aguntque primo in agmine, per ludibrium rogitantes, "an tam immensa onera, tam longa itinera libenter ferret?" Quippe Rufus diu manipularis,[6] dein centurio, mox castris præfectus, antiquam duramque militiam revocabat, vetus operis ac laboris, et eo immitior, quia toleraverat.

21. Horum adventu redintegratur seditio, et vagi circumjecta populabantur. Blæsus paucos, maxime præda onustos, ad terrorem ceterorum, adfici verberibus, claudi carcere[1] jubet; nam etiam tum legato a centurionibus, et optimo quoque manipularium, parebatur. Illi obniti trahentibus, prensare circumstantium genua, ciere modo nomina singulorum, modo centuriam quisque, cujus manipularis erat, cohortem, legionem,

3 *Mandata darent.* Quæ ad Cæsarem perferrentur.

4 *Necessitate expressa.* Satis ostenderet ipsos per vim et necessitatem expressisse, quæ per modestiam ac obsequium numquam obtinuissent.

1 *Manipuli.* Manipulos in homines centum distribuit Romulus. Postea in ducentos distributi. Plut. in Romul. p. 24. Aur. Victor, Orig. Gent. Roman. vers. fin. Gell. xvi, 4.

2 *Nauportum.* Nauportus in Pannonia, nunc *Ober-Laybach,* in Carniola. Sita erat urbs illa ad ripam Nauporti, *Laybach,* qui in Savum, *Sava,* influit.

3 *Ob itinera.* Ut itinera ac pontes curarent, ceteraque commeatibus necessaria providerent.

4 *Municipii instar.* 'Municipes sunt cives Romani—legibus suis et suo jure utentes, muneris tantum cum populo Romano honorarii participes—nullis aliis necessitatibus, neque ulla populi Romani lege adstricti.' Gell. xvi, 13. Nauportus instar municipii erat, non vero ipsum municipium.

5 *Præfectum castrorum.* Præfectum castrorum sæpe memorat Tac. Ad illum *Castrorum positio, valli et fossæ destinatio,* aliaque plurima, quæ fuse prosequitur Veget. ii, 10. pertinebant. V. Val. Flac. ii, 159.

6 *Manipularis.* Gregarius miles. Plin. xxxiii, 11. Cic. ad Att. ix, Ep. 10. De origine vocis *manipulus, manipularis,* v. Donat. ad Ter. Eun. iv, 7, 6.

1 *Claudi carcere.* Juv. vi, 561. 'si longo castrorum in carcere mansit.' De

eadem omnibus imminere clamitantes: simul probra in legatum cumulant; cœlum ac deos obtestantur: nihil reliqui faciunt, quominus invidiam, misericordiam, metum, et iras permoverent. Adcurritur ab universis, et, carcere effracto, solvunt vincula; desertoresque ac rerum capitalium damnatos sibi jam miscent.

22. Flagrantior inde vis, plures seditioni duces: et Vibulenus quidam gregarius miles, ante tribunal Blæsi adlevatus circumstantium humeris, apud turbatos, et quid pararet intentos: "Vos quidem," inquit, "his innocentibus, et miserrimis lucem et spiritum reddidistis, sed quis fratri meo vitam, quis fratrem mihi reddit? quem missum ad vos a Germanico exercitu de communibus commodis,[1] nocte proxima jugulavit per gladiatores suos,[2] quos in exitium militum habet atque armat. Responde, Blæse, ubi cadaver abjeceris? ne hostes quidem sepulturæ invident: cum osculis, cum lacrymis dolorem meum implevero, me quoque trucidari jube; dum interfectos nullum ob scelus, sed quia utilitati legionum consulebamus, hi sepeliant."

23. Incendebat hæc fletu, et pectus atque os manibus verberans: mox disjectis quorum per humeros sustinebatur, præceps et singulorum pedibus advolutus, tantum consternationis invidiæque concivit, ut pars militum gladiatores, qui e servitio Blæsi erant, pars ceteram ejusdem familiam vincirent, alii ad quærendum corpus effunderentur. Ac ni propere, neque corpus ullum reperiri, et servos, adhibitis cruciatibus, abnuere cædem, neque illi fuisse umquam fratrem pernotuisset, haud multum ab exitio legati aberant. Tribunos tamen, ac præfectum castrorum extrusere. Sarcinæ fugientium direptæ; et centurio Lucillius interficitur, cui, militaribus facetiis,[1] vocabulum, *Cedo alteram*, indiderant: quia fracta vite[2] in tergo

custodiis Romanorum dicentur plura Ann. iii, 22. in not. et em.

1 *Communibus commodis.* Pannonico et Germanico exercitui.

2 *Gladiatores suos.* Principes ac legati etiam in castris gladiatores habebant ad exhibenda spectacula. De hoc usu Capitolin. in vit. Maxim. et Balbin. viii. 'Ituros ad bellum Romanos debuisse pugnas videre et vulnera et ferrum, ne dimicantes in bello armatos hostes timerent, aut vulnera et sanguinem perhorrescerent.'

1 *Militaribus facetiis.* Moris hujus militaris exemplum item in Aureliani vit. c. 6. 'Huic signum exercitus apposuerat, Manu ad ferrum.' De vite autem Centurionum, protrita jam res et conculcata. *Lips.*

2 *Fracta vite.* Milites Romani vitibus, extranei fustibus cædebantur. Livius, Epit. lvii. Inde vites commendat Plin. xiv, 1, sect. 3. 'Quid quod insertæ castris summam rerum imperiumque continent? Centurionum in manu vitis, et,

militis, alteram clara voce, ac rursus aliam poscebat. Ceteros latebræ texere, uno retento Clemente Julio, qui perferendis militum mandatis habebatur idoneus, ob promtum ingenium. Quin ipsæ inter se legiones octava et quintadecuma ferrum parabant: dum centurionem, cognomento Sirpicum,[3] illa morti deposcit, quintadecumani[4] tuentur: ni miles nonanus[5] preces, et, adversum aspernantes, minas interjecisset.

24. Hæc audita, quamquam abstrusum, et tristissima quæque maxime occultantem Tiberium, perpulere, ut Drusum filium[1] cum primoribus civitatis, duabusque prætoriis cohortibus mitteret, nullis satis certis mandatis: ex re consulturum. Et cohortes delecto milite supra solitum firmatæ. Additur magna pars prætoriani equitis, et robora Germanorum,[2] qui tum custodes imperatori aderant: simul prætorii præfectus Ælius Sejanus, collega Straboni patri suo datus, magna apud Tiberium auctoritate, rector juveni, et ceteris periculorum[3] præmiorumque ostentator. Druso propinquanti, quasi per officium obviæ fuere legiones: non lætæ, ut adsolet, neque insignibus fulgentes,[4] sed inluvie deformi, et vultu, quamquam mœstitiam imitarentur, contumaciæ propiores.

25. Postquam vallum introiit, portas stationibus firmant, globos armatorum certis castrorum locis opperiri jubent: ceteri tribunal ingenti agmine circumveniunt. Stabat Drusus silentium manu poscens. Illi quotiens oculos ad multitudinem[1] retulerant, vocibus truculentis strepere; rursum, viso Cæsare, trepidare: murmur incertum, atrox clamor, et repente quies: diversis animorum motibus, pavebant terrebantque. Tandem interrupto tumultu, literas patris recitat, in queis perscrip-

opimo præmio, tardos ordines ad lentas perducit aquilas, atque etiam in delictis pœnam ipsam honorat.'

3 *Cognomento Sirpicum.* Ita dictus videtur a sirpis.

4 *Quintadecumani.* Milites quintædecimæ legionis.

5 *Nonanus.* Nona legio.

1 *Drusum filium.* Filium Tiberii et Agrippinæ. V. stem. Cæs. n. 70.

2 *Robora Germanorum.* Germanorum validissimi, qui tum custodes imperatori aderant. Accepta enim clade Variana, eos dimiserat Augustus. Suet. in Aug. xlix. Illos rursus adhibuit Tiberius, haud ignarus animos exterorum hac arte devinciri.

3 *Periculorum.* Quique militibus ostentaret seditionis pericula, obsequii præmia. Sejanus postea fortuna et ruina celeberrimus. V. Misc. Obs. ix. 287 et 288. 'Sejanus præsentia sua ostentabat et pericula, quæ obierat plurima pro Tiberio, et præmia, quæ illi accepta referebat, ad maximos honores provectus. Quare nihil remedii huic loco adhibendum, cum sanus sit.'

4 *Neque—fulgentes.* Sine militiæ insignibus; sine torquibus, phaleris, &c. Comta quoque et incomta signa v. inf. Ann. iii, 2.

1 *Ad multitudinem.* Quo major seditiosorum multitudo, eo magis effræna ac truculenta.

tum erat, "præcipuam ipsi fortissimarum legionum curam, quibuscum plurima bella toleravisset: ubi primum a luctu requiesset animus, acturum apud patres de postulatis eorum: misisse interim filium, ut sine cunctatione concederet, quæ statim tribui possent: cetera Senatui servanda, quem neque gratiæ[2] neque severitatis expertem haberi par esset."

26. Responsum est a concione, "mandata Clementi[1] centurioni, quæ proferret." Is orditur "de missione a sexdecim annis: de præmiis finitæ militiæ: ut denarius diurnum stipendium foret: ne veterani sub vexillo haberentur." Ad ea Drusus, cum arbitrium senatus et patris obtenderet, clamore turbatur. "Cur venisset, neque augendis militum stipendiis, neque adlevandis laboribus, denique nulla benefaciendi licentia? at hercule verbera, et necem cunctis permitti: Tiberium olim nomine Augusti desideria legionum frustrari solitum: easdem artes Drusum retulisse. Numquamne ad se nisi filios familiarum venturos? novum id plane, quod imperator sola militis commoda ad senatum rejiciat: eumdem ergo senatum consulendum, quotiens supplicia aut prælia indicantur: an præmia sub dominis, pœnas sine arbitro esse?"

27. Postremo deserunt tribunal, ut quis prætorianorum militum, amicorumve Cæsaris occurreret, manus intentantes,[1] causam discordiæ, et initium armorum: maxime infensi Cn. Lentulo,[2] quod is, ante alios ætate et gloria belli, firmare Drusum credebatur, et illa militiæ flagitia primus aspernari. Nec multo post, digredientem cum Cæsare,[3] ac provisu periculi hiberna castra repetentem, circumsistunt, rogitantes, "quo pergeret? ad imperatorem, an ad patres?[4] ut illic quoque commodis legionum adversaretur?" simul ingruunt, saxa jaciunt: jamque lapidis ictu cruentus, et exitii certus, adcursu multitudinis, quæ cum Druso advenerat, protectus est.

28. Noctem minacem, et in scelus erupturam, fors lenivit: nam luna claro repente cœlo visa languescere.[1] Id miles,

2 *Neque gratiæ.* Quem tum de gratia, tum de severitate adhibenda pronuntiare par esset.

1 *Mandata Clementi.* Mandata esse Clementi centurioni, quæ nomine omnium proferret.

1 *Manus intentantes.* Prætorianis et amicis Drusi Cæsaris manus intentantes, ut causam discordiæ et initium armorum haberent.

2 *Cn. Lentulo.* Dictus est Gætulicus propter triumphum de Gætulis. Illum egregie laudat Tac. Ann. iv, 44.

3 *Cum Cæsare.* Cum Druso Cæsare.

4 *Ad patres.* Ad senatum.

1 *Visa languescere.* Apertius Dio lvii, p. 604. τῆς δὲ δὴ σελήνης ἐκλιπούσης, 'Luna deficiente.' Hæc lunæ eclipsis contigit

rationis ignarus, omen præsentium accepit, ac suis laboribus defectionem sideris adsimulans, "prospereque cessura quæ pergerent, si fulgor et claritudo deæ redderetur." Igitur æris sono, tubarum cornuumque concentu strepere:[2] prout splendidior, obscuriorve, lætari, aut mœrere: et postquam ortæ nubes offecere visui, creditumque conditam tenebris, ut sunt mobiles ad superstitionem perculsæ semel mentes, "sibi æternum laborem portendi, sua facinora aversari deos" lamentantur. Utendum inclinatione ea Cæsar, et quæ casus obtulerat, in sapientiam vertenda ratus, circumiri tentoria jubet. Accitur centurio Clemens, et si qui alii bonis artibus grati in vulgus: ii vigiliis, stationibus, custodiis portarum se inserunt, spem offerunt, metum intendunt. "Quousque filium imperatoris obsidebimus? quis certaminum finis? Percennione et Vibuleno sacramentum dicturi sumus? Percennius et Vibulenus stipendia militibus, agros emeritis largientur? Denique, pro Neronibus et Drusis,[3] imperium populi Romani capessent? quin potius, ut novissimi in culpam,[4] ita primi ad pœnitentiam sumus? Tarda sunt[5] quæ in commune expostulantur: privatam gratiam statim mereare, statim recipias." Commotis per hæc mentibus, et inter se suspectis,[6] tironem[7] a veterano, legionem a legione dissociant. Tum redire paulatim amor obsequii: omittunt portas, signa, unum in locum principio seditionis congregata, suas in sedes referunt.

29. Drusus, orto die, et vocata concione, quamquam rudis dicendi, nobilitate ingenita,[1] incusat priora, probat præsentia. Negat "se terrore et minis vinci: flexos ad modestiam si videat, si supplices audiat, scripturum patri, ut pla-

mane die 27 Sept. A. U. C. 767. J. C. 14. Initium habuit hora 3. 18′. 32″. finem hora 7. 6′. 32″. De ea v. Petav. Doctrin. Temp. v, 1, lib. viii, p. 822. v. 2, lib. xi, p. 299. Tam insigni temporum indicatione plurimum illustrantur Tiberiani principatus initia.

2 *Concentu strepere.* Ignara hominum mens siderum defectiones diu expavit: seque iis crepitu dissono auxiliari posse existimavit. Errores illos loquacemque ac clamosam fœminam argute deridet Juv. vi, 441. sq. V. et Plin. ii, 12.

3 *Pro—Drusis.* Pro Tiberio et Druso Tiberii filio. V. stem. Cæs. n. 68 et 70.

4 *Novissimi in culpam.* Duplex fuerat in Pannonia seditio. Prior de qua c. 16. posterior et numerosior ac gravior de qua c. 20. 21. 22. Præterea longe violentius turbabant Germanicæ legiones, ut dicetur inf. c. 31.

5 *Tarda sunt.* Tarda, quæ a multis et in commune; cita, quæ a paucis et privatam gratiam meritis expostulantur.

6 *Inter se suspectis.* Invicem timebant ne, si alii ad obsequium flecterentur, ipsi soli et inermes plecterentur.

7 *Tironem.* Intelligit qui stipendia nondum complessent, abjunctos ab iis, qui sub vexillo veterani. *Lips.*

1 *Nobilitate ingenita.* Artis dicendi rudis, sed nobilitate ingenita eloquens.

catus legionum preces exciperet." Orantibus, rursum idem Blæsus et L. Apronius eques Romanus e cohorte Drusi,[2] Justusque Catonius primi ordinis[3] centurio, ad Tiberium mittuntur. Certatum inde sententiis, cum alii "opperiendos legatos, atque interim comitate permulcendum militem" censerent; alii "fortioribus remediis agendum: nihil in vulgo modicum:[4] terrere, ni paveant: ubi pertimuerint, impune contemni: dum superstitio urgeat,[5] adjiciendos ex duce metus, sublatis seditionis auctoribus." Promtum ad asperiora ingenium Druso erat: vocatos Vibulenum et Percennium interfici jubet. Tradunt plerique, intra tabernaculum ducis obrutos: alii, corpora extra vallum abjecta ostentui.

30. Tum, ut quisque præcipuus turbator, conquisiti: et pars extra castra palantes, a centurionibus, aut prætoriarum cohortium militibus cæsi: quosdam ipsi manipuli, documentum fidei,[1] tradidere. Auxerat militum curas præmatura hiems, imbribus continuis, adeoque sævis, ut non egredi tentoria, congregari inter se, vix tutari signa[2] possent, quæ turbine atque unda raptabantur: durabat et formido cœlestis iræ, "nec frustra adversus impios hebescere sidera, ruere tempestates: non aliud malorum levamentum, quam si linquerent castra infausta temerataque, et soluti piaculo,[3] suis quisque hibernis redderentur." Primum octava, dein quintadecuma legio, rediere. Nonanus "opperiendas Tiberii epistolas" clamitaverat: mox desolatus[4] aliorum discessione, imminentem necessitatem sponte prævenit: et Drusus, non expectato legatorum regressu, quia præsentia satis consederant, in urbem rediit.

31. Iisdem ferme diebus, iisdem causis, Germanicæ legiones

2 *E—Drusi.* I. e., ex comitibus et amicis Drusi. V. inf. Ann. iii, 13. vi, 9.

3 *Primi ordinis.* Legio in triginta manipulos dividebatur. Illorum vero manipulorum tres erant ordines; hastati, principes, triarii, seu pilani. Primi ordinis centurio dicitur, qui primo manipulo seu hastatorum, seu principum, seu triariorum erat præfectus. Præterea cum cuique manipulo centuriones duo præficerentur, alter, qui dextrum cornu, alter, qui sinistrum ductaret, dignitate præstabat ille, cui dextrum cornu suberat.

4 *Modicum.* Moderatum. 'Non est enim consilium in vulgo, non ratio, non discrimen, non diligentia.' Cic. pro Planc. iv.

5 *Superstitio urgeat.* Vigente ac urgente superstitione, debere ducem metus adjicere, et seditionis auctores tollere.

1 *Documentum fidei.* Ut fidem suam probarent.

2 *Vix—signa.* I. e. recta habere et servare in principiis, ubi defixa. *Lips.* Quippe signa numina legionum erant.

3 *Soluti piaculo.* Soluti his criminibus, quæ erant digna piaculo.

4 *Desolatus.* I. e. *solus.* Mox aliorum discessione solus relictus, imminentem necessitatem sponte et obsequio prævenit. Virg. xi, 870. 'Disjectique duces, desolatique manipli Tuta petunt.'

turbatæ, quanto plures, tanto violentius: et magna spe fore ut Germanicus Cæsar imperium alterius pati nequiret, daretque se legionibus, vi sua cuncta tracturus. Duo apud ripam Rheni[1] exercitus erant: cui nomen superiori,[2] sub C. Silio legato; inferiorem A. Cæcina curabat. Regimen summæ rei penes Germanicum, agendo Galliarum censui[3] tum intentum. Sed quibus Silius moderabatur, mente ambigua, fortunam seditionis alienæ[4] speculabantur: inferioris exercitus miles in rabiem prolapsus est, orto ab unaetvicesimanis[5] quintanisque initio, et tractis prima quoque ac vicesima legionibus: nam iisdem æstivis in finibus Ubiorum[6] habebantur, per otium, aut levia munia. Igitur audito fine Augusti, vernacula multitudo,[7] nuper acto in urbe delectu, lasciviæ sueta,[8] laborum intolerans, implere ceterorum rudes animos: "Venisse tempus, quo veterani maturam missionem, juvenes largiora stipendia, cuncti modum miseriarum exposcerent, sævitiamque centurionum ulciscerentur." Non unus hæc, ut Pannonicas inter legiones, Percennius, nec apud trepidas militum aures alios validiores exercitus respicientium, sed multa seditionis ora vocesque: "sua in manu sitam rem Romanam, suis victoriis augeri rempublicam, in suum cognomentum adsciscri imperatores."[9]

32. Nec legatus[1] obviam ibat: quippe plurium vecordia constantiam exemerat. Repente lymphati, destrictis gladiis,

1 *Ripam Rheni*. Augustus orientalem Galliæ Belgicæ partem, Rheno contiguam, in duas partes divisit, quas Germaniam superiorem et Germaniam inferiorem appellavit. Germania superior a finibus Belgicæ, i. e. a finibus, qui Alsatiam inferiorem a superiore separant, ad Mosellam ferme protendebatur: Germania inferior a Mosella ad oceanum Britannicum. Quæ diligentissime observanda sunt, si quis in Tac. Ann. et Hist. cæcutire noluerit. De hac Germaniarum partitione v. Dion. liii, p. 503 et 504. Bucher. in *Belgio Romano*, i, 2. et Cl. V. Schœpflin. Alsat. illustrat. v. i, p. 139. sq.

2 *Superiori*. Superior exercitus, qui erat in Germania superiore; inferior, qui in inferiore.

3 *Galliarum censui*. Adsignandis tributis, quæ quisque in Gallia viritim et per capita debebat persolvere. Hic est tertius Galliarum census.

4 *Seditionis alienæ*. Seditionis, quam moverat exercitus inferioris Germaniæ.

5 *Ab unaetvicesimanis*. A 21 et 5. legionibus: tractis quoque legionibus 1 et 20. V. not. et em. ad Ann. i, 31.

6 *Finibus Ubiorum*. *Near Cologne*.

7 *Vernacula multitudo*. Interpretantur de libertis, quos Augustus ad tutelam Rheni misit, apud Suet. c. 25.

8 *Lasciviæ sueta*. Non militiæ, sed lasciviæ sueta multitudo, cum ex delectu in Urbe nuper acto esset collecta.

9 *Adsci imperatores*. Belli duces. Etenim ob res in Germania præclare gestas Nero Claudius Drusus dictus erat Germanicus, idque nominis sortiti sunt filii ejus Germanicus, et Claudius, qui postea imperavit. Illud quoque usurpavit Tiberius propter egregia Germanici facinora. Dio lv, p. 549. lvii, p. 607. Auctorem nominis exhibet argenteus Musei nostri nummus. NERO CLAVDIVS DRVSVS GERMANICVS IMP. capite laureato. Ex altera parte clypei duo spicula et tubæ decussatim posita cum vexillo militari intermedio. DE GERMANIS.

1 *Nec Legatus*. A. Cæcina.

in centuriones invadunt: ea vetustissima militaribus odiis materies, et sæviendi principium: prostratos verberibus mulcant, sexageni singulos,[2] ut numerum centurionum adæquarent. Tum convulsos laniatosque, et partim exanimos, ante vallum, aut in amnem Rhenum projiciunt. Septimius cum perfugisset ad tribunal, pedibusque Cæcinæ advolveretur, eo usque flagitatus est, donec ad exitium dederetur. Cassius Chærea, mox cæde C. Cæsaris[3] memoriam apud posteros adeptus, tum adolescens,[4] et animi ferox, inter obstantes et armatos ferro viam patefecit. Non tribunus ultra, non castrorum præfectus jus obtinuit: vigilias, stationes, et si qua alia præsens usus indixerat, ipsi partiebantur. Id militares animos altius conjectantibus præcipuum indicium magni atque implacabilis motus, quod neque disjecti, vel paucorum instinctu, sed pariter ardescerent,[5] pariter silerent: tanta æqualitate et constantia, ut regi crederes.

33. Interea Germanico per Gallias, ut diximus,[1] census accipienti, "excessisse Augustum" adfertur. Neptem ejus Agrippinam[2] in matrimonio, pluresque ex eâ liberos habebat. Ipse Druso,[3] fratre Tiberii, genitus, Augustæ nepos:[4] sed anxius occultis in se patrui aviæque odiis, quorum causæ acriores, quia iniquæ:[5] quippe Drusi magna[6] apud populum Romanum memoria, credebaturque, si rerum[7] potitus foret, libertatem redditurus: unde in Germanicum favor, et spes eadem. Nam juveni civile ingenium, mira comitas, et diversa a Tiberii sermone, vultu, adrogantibus et obscuris. Accedebant muliebres offensiones, novercalibus Liviæ in Agrippinam[8]

2 *Sexageni singulos.* Sexageni erant centuriones in unaquaque legione, ut dictum est sup. c. 29.

3 *C. Cæsaris.* Dicti Caligulæ. Illum A. U. C. 794. J. C. 41. interfecit Chærea, quem Dio lix, p. 662. Ἐῤῥωμενέστατον ἀνδρῶν, 'fortissimum virorum,' appellat. De illo nos dicemus in suppl. Ann. viii, 68 sq.

4 *Tum adolescens.* Admodum 30. annorum et amplius. Cum Caligulam occideret, senior dicitur, Suet. Calig. c. 56.

5 *Pariter ardescerent.* Simul ardescerent, simul silerent; tantaque æquabilitate et constantia, ut eos uno eodemque spiritu regi agique crederes.

1 *Ut diximus.* Supra c. 31.

2 *Agrippinam.* V. stem. Cæs. n. 51.

3 *Druso.* Nerone Druso. V. stem. Cæs. n. 79.

4 *Augustæ nepos.* Nepos Liviæ.

5 *Quia iniquæ.* A virtutibus ejus ortæ. Invidebant, et erectum ingenium timebant. *Lips.* *Acriores* causæ sunt validiores. 'Pertinaciores nos facit iniquitas iræ.' Sen. de Ira, iii, 29.

6 *Drusi magna.* Drusus obierat A. U. C. 745. A. C. 8. De ejus laudibus plurima Dio lv, p. 548 et 549. Nos quoque in stem. Cæs. n. 79.

7 *Si rerum.* Immo prodita a Tiberio ejus epistola est, qua de cogendo ad restituendam libertatem Augusto agebat. Quæ una causa necis pio in patriam juveni, sed infelici. Suet. in Tib. c. 50. *Lips.*

8 *In Agrippinam.* Julia, mater Agrippi-

stimulis: atque ipsa Agrippina paulo commotior,[9] nisi quod castitate, et mariti amore, quamvis indomitum animum in bonum vertebat.

34. Sed Germanicus quanto summæ spei propior, tanto impensius pro Tiberio niti. Sequanos proximos,[1] et Belgarum civitates in verba ejus adigit. Dehinc, audito legionum tumultu, raptim profectus, obvias extra castra habuit, dejectis in terram oculis, velut pœnitentia. Postquam vallum iniit, dissoni questus audiri cœpere: et quidam prensa manu ejus, per speciem exosculandi, inseruerunt digitos, ut vacua dentibus ora contingeret: alii curvata senio membra ostendebant. Adsistentem concionem, quia permixta videbatur, "discedere in manipulos" jubet: "sic melius audituros responsum: vexilla præferri, ut id saltem discerneret cohortes:" tarde obtemperavere. Tunc "a veneratione Augusti"[2] orsus, flexit "ad victorias triumphosque Tiberii,"[3] præcipuis laudibus celebrans, "quæ apud Germanias illis cum legionibus pulcherrima fecisset. Italiæ" inde "consensum, Galliarum fidem" extollit; "nil usquam turbidum aut discors."

35. Silentio hæc, vel murmure modico, audita sunt. Ut seditionem attigit, "ubi modestia militaris? ubi veteris disciplinæ decus? quonam tribunos? quo centuriones exegissent?" rogitans: nudant universi corpora, "cicatrices ex vulneribus, verberum notas" exprobrant; mox indiscretis vocibus,[1] "pretia vacationum,[2] angustias stipendii, duritiam operum," ac propriis nominibus incusant, "vallum, fossas, pabuli, materiæ, lignorum adgestus," et siqua alia ex necessitate, aut adversus

næ, filia erat Scriboniæ, non vero Liviæ. Inde novercales Liviæ in Agrippinam stimuli, muliebresque offensiones.

9 *Paulo commotior*. Paulo quidem commotior, et offensionum impatientior erat Agrippina: at propter eximiam castitatem, et Germanici amorem, animum suum, quamvis indomitum, in bonum vertebat.

1 *Sequanos proximos*. In Gallia Lugdunensi, Germaniis vicina, Sequanos, quorum caput Vesontio, nunc *Besançon*. In Belgica Leucos, *Toul;* Mediomatricos, *Metz;* Treviros, *Treves;* aliasque Belgarum civitates in Tiberii verba adigit. Hic, ut passim in optimis scriptoribus, civitates non de urbibus oppidisve, sed de populis intelligendæ.

2 *A veneratione Augusti*. Ab eximiis virtutibus præcellentique majestate Augusti divinos honores adepti. Hæc enim ne accipias de Augusti cultu.

3 *Triumphosque Tiberii*. Olim Dalmatas Pannoniosque, nova molientes, represserat Tiberius. Debellato quoque Illyrico, et rebus in Germania prospere gestis, triumphavit. Bellicam ejus laudem vere exornant Dio lv, p. 549. Suet. in Tib. xvii et xx. Pro more suo exaggerat Vellei. ii, 104 sq.

1 *Indiscretis vocibus*. Confusis vocibus.

2 *Pretia vacationum*. Pretia a centurionibus exigi solita, ut vacationes munerum concederent. Sic sup. c. 17. 'Hinc sævitiam centurionum, et vacationes munerum redimi.'

otium castrorum quæruntur. Atrocissimus veteranorum clamor oriebatur, qui tricena, aut supra, stipendia numerantes, "mederetur fessis,[3] neu mortem in iisdem laboribus, sed finem tam exercitæ militiæ, neque inopem requiem," orabant. Fuere etiam, qui legatam a divo Augusto pecuniam[4] reposcerent, faustis in Germanicum ominibus: et, si vellet imperium, promtos ostentavere. Tum vero quasi scelere contaminaretur, præceps tribunali desiluit: opposuerunt abeunti arma, minitantes, ni regrederetur. At ille "moriturum potius quam fidem exueret" clamitans, ferrum a latere diripuit, elatumque deferebat in pectus, ni proximi prensam dextram vi attinuissent. Extrema et conglobata inter se pars concionis, ac vix credibile dictu, quidam singuli propius incedentes, "feriret," hortabantur: et miles, nomine Calusidius, strictum obtulit gladium, addito, "acutiorem esse."[5] Sævum id, malique moris, etiam furentibus visum; ac spatium fuit,[6] quo Cæsar ab amicis in tabernaculum raperetur.

36. Consultatum ibi de remedio: etenim nuntiabatur "parari legatos,[1] qui superiorem exercitum ad causam eamdem traherent: destinatum excidio Ubiorum oppidum:[2] imbutasque præda[3] manus, in direptionem Galliarum[4] erupturas." Augebat metum gnarus Romanæ seditionis, et, si omitteretur ripa, invasurus hostis.[5] At si auxilia et socii adversum abscedentes legiones armarentur, civile bellum suscipi. Periculosa severitas, flagitiosa largitio: seu nihil militi, seu omnia concederentur, in ancipiti respublica. Igitur, volutatis inter se rationibus, placitum, ut epistolæ nomine principis scriberentur: "missionem dari vicena stipendia meritis, exauctorari qui senadena fecissent, ac retineri sub vexillo, ceterorum

3 *Mederetur fessis.* Orabant ut mederetur fessis, nec ipsos in iis laboribus immori pateretur; sed finem tam exercitæ militiæ, neque inopem requiem daret.

4 *Pecuniam.* Trecenos nummos, ut dictum est sup. c. 8.

5 *Acutiorem esse.* Dio lvii, p. 605. τὸ ἑαυτοῦ ξίφος ἀνατείνας, τοῦτο, ἔφη, λάβε· τοῦτο γὰρ ὀξύτερόν ἐστιν. 'Gladium suum porrigens: hunc, inquit, accipe; acutior est.'

6 *Spatium fuit.* Cum illud Calusidii dictum, sævum, malique moris esse videretur, datum est a conglobata concione spatium, quo Germanicus Cæsar ab amicis in tabernaculum raperetur.

1 *Parari legatos.* Parari a seditiosis legatos.

2 *Ubiorum oppidum.* Postea Agrippinensis colonia dicta est, nunc *Cologne*, Ann. xii, 27.

3 *Imbutasque præda.* Prædari edoctas. Sic inf. Hist. iii, 15. 'Ut civili præda miles imbueretur.'

4 *In direptionem Galliarum.* In direptionem Lugdunensis et Belgicæ Galliarum erupturas.

5 *Invasurus hostis.* Invasurus hostis Transrhenanus, Arminius, aut quivis alius. Romanarum legionum seditione audax.

immunes, nisi propulsandi hostis: legata quæ petiverant, exsolvi duplicarique."

37. Sensit miles in tempus conficta, statimque flagitavit: missio per tribunos maturatur: largitio differebatur in hiberna cujusque. Non abscessere quintani unaetvicesimanique, donec iisdem in æstivis contracta ex viatico amicorum ipsiusque Cæsaris pecunia persolveretur. Primam ac vicesimam legiones Cæcina legatus in civitatem Ubiorum reduxit, turpi agmine, cum fisci[1] de imperatore rapti, inter signa, interque aquilas, veherentur. Germanicus superiorem ad exercitum profectus, secundam et tertiamdecumam et sextamdecumam legiones, nihil cunctatas, sacramento adigit.[2] Quartadecumani paulum dubitaverant: pecunia et missio, quamvis non flagitantibus, oblata est.

38. At in Chaucis[1] cœptavere seditionem, præsidium agitantes, vexillarii[2] discordium legionum, et præsenti duorum militum supplicio paulum repressi sunt. Jusserat id Mennius castrorum præfectus, bono magis exemplo, quam concesso jure.[3] Deinde intumescente motu, profugus repertusque, postquam intutæ latebræ, præsidium ab audacia[4] mutuatur: "Non præfectum ab iis, sed Germanicum ducem, sed Tiberium imperatorem violari." Simul exterritis qui obstiterant, raptum vexillum[5] ad ripam[6] vertit, et "si quis agmine

6 *Exsolvi duplicarique.* Suet. in Tib. xlviii. 'Militi post duplicata ex Augusti testamento legata, nihil unquam largitus est [Tiberius], præterquam singula millia denariorum, [Angl. 33*l.* 3*s.* 4*d.*] prætorianis, quod Sejano se non accommodassent.' Trecenos nummos. *Angl.* 2*l.* 10*s.* legionariis Augustus legaverat, sup. c. 8. Si duplicentur, sunt *Angl.* 5*l.*

1 *Cum fisci.* Turpe erat agmen illud, quod fiscos, seu saccos argento plenos, raptos de Germanico imperatore, qui ex viatico amicorum suaque pecunia ab Augusto legata et a Tiberio duplicata persolverat, signa inter et aquilas vehebat. Prolixus dicetur de fiscis in not. et em. ad Ann. i, 37.

2 *Sacramento adigit.* Ut Tiberium principem agnoscant et venerentur.

1 *In Chaucis.* Non modo in superiore et inferiore Germania, seu Cisrhenana, sed in ipsa Germania Transrhenana apud Chaucos turbatum. Inde patet, ut observat Bucher. in *Belgio Romano,* iii, 4. etiam post Varianam cladem nonnulla præsidia trans Rhenum Romanis superfuisse. Porro Chauci inter Amisiam, *the Ems,* et Albim, *the Elbe,* habitabant.

2 *Præsidium—vexillarii.* De vexillariis v. not. et em. ad Ann. i, 38. Præsidium illud Romanum videtur fuisse ubi nunc *Emden.* Haud ita probabiliter conjectat Cluver. German. Antiq. iii, 18. esse *Bremen.*

3 *Concesso jure.* Milites enim punire non præfecti castrorum erat, sed tribuni, centurionis, ac ducis. Digest. xlix. Tit. xvi. leg. 12 et 13. Nec jus gladii nisi penes legatum. V. Dion. liii, p. 505.

4 *Ab audacia.* Cum fuisset repertus, nec tutæ essent latebræ, præsidium ac robur ab audacia mutuatur.

5 *Raptum vexillum.* Sub quo retinebantur ac militabant vexillarii.

6 *Ad ripam.* Ad ripam Amisiæ, nunc *the Ems.*

decessisset, pro desertore fore" clamitans, reduxit in hiberna turbidos, et nihil ausos.

39. Interea legati ab senatu, regressum jam[1] apud Aram Ubiorum Germanicum adeunt. Duæ ibi legiones, prima atque vicesima, veteranique nuper missi sub vexillo hiemabant. Pavidos et conscientia vecordes intrat metus, venisse patrum jussu, qui inrita facerent, quæ per seditionem expresserant: utque mos vulgo, quamvis falsis reum subdere, Munatium Plancum consulatu functum,[2] principem legationis, auctorem senatusconsulti incusant: et nocte concubia vexillum in domo Germanici[3] situm flagitare occipiunt: concursuque ad januam facto, moliuntur fores: extractum cubili[4] Cæsarem, tradere vexillum, intento mortis metu, subigunt: mox vagi per vias, obvios habuere legatos, audita consternatione, ad Germanicum tendentes: ingerunt contumelias; cædem parant, Planco maxime, quem dignitas fuga impediverat: neque aliud periclitanti subsidium, quam castra primæ legionis: illic signa et aquilam amplexus, religione sese tutabatur: ac ni aquilifer Calpurnius vim extremam arcuisset, rarum etiam inter hostes, legatus populi Romani, Romanis in castris, sanguine suo altaria Deum[5] commaculavisset. Luce demum, postquam dux, et miles, et facta noscebantur, ingressus castra Germanicus, perduci ad se Plancum imperat, recipitque in tribunal. Tum "fatalem" increpans "rabiem, neque militum, sed Deum ira resurgere," cur venerint legati aperit: "jus legationis, atque ipsius Planci gravem et immeritum casum, simul quantum dedecoris adierit legio," facunde miseratur: attonitaque magis, quam quieta concione, legatos præsidio auxiliarium equitum dimittit.

40. Eo in metu arguere Germanicum omnes, quod non ad superiorem exercitum pergeret, ubi obsequia, et contra rebelles auxilium. "Satis superque missione et pecunia, et

1 *Regressum jam.* Interea legati ab senatu, Germanicum a superiore exercitu, seu Germania superiore regressum apud Aram Ubiorum in inferiore Germania adeunt. Ara Ubiorum, nunc *Bonn, near Cologne.*

2 *Consulatu functum.* Consul fuerat cum Silio Nepote anno superiore, U. C. 766. J. C. 13.

3 *Vexillum—Germanici.* Vexillum imperatorium, de quo plura dicenda sunt inf. V. not. et em. ad Ann. i, 39.

4 *Extractum cubili.* Non vi, sed concursu et clamoribus militum, ut recte explicat Cl. Ernestus.

5 *Altaria Deum.* Signa erant legionum numina. Iis etiam affixæ deorum et principum imagines. Inde altaria.

mollibus consultis peccatum: vel si vilis ipsi salus, cur filium parvulum,[1] cur gravidam conjugem,[2] inter furentes, et omnis humani juris violatores haberet? illos saltem avo,[3] et reipublicæ redderet." Diu cunctatus, aspernantem uxorem, cum "se divo Augusto ortam, neque degenerem ad pericula" testaretur, postremo uterum ejus, et communem filium multo cum fletu complexus, ut abiret perpulit. Incedebat muliebre et miserabile agmen, profuga ducis uxor parvulum sinu filium gerens; lamentantes circum amicorum conjuges, quæ simul trahebantur: nec minus tristes, qui manebant.

41. Non florentis Cæsaris, neque suis in castris, sed velut in urbe victa, facies, gemitusque ac planctus, etiam militum aures oraque advertere.[1] Progrediuntur contuberniis: "quis ille flebilis sonus? quod tam triste? fœminas inlustres, non centurionem ad tutelam, non militem, nihil imperatoriæ uxoris, aut comitatus soliti, pergere ad Treveros, et externæ fidei." Pudor inde et miseratio, et patris Agrippæ,[2] Augusti avi[3] memoria, socer Drusus;[4] ipsa insigni fœcunditate, præclara pudicitia: jam infans in castris[5] genitus, in contubernio legionum eductus, quem militari vocabulo *Caligulam*[6] appellabant, quia plerumque ad concilianda vulgi studia eo tegmine pedum induebatur. Sed nihil æque flexit, quam invidia in Treveros:[7] orant, obsistunt, "rediret, maneret:" pars Agrippinæ occursantes, plurimi ad Germanicum regressi: isque, ut erat recens dolore et ira, apud circumfusos ita cœpit.

1 *Filium parvulum.* Caium Calig. V. stem. Cæs. n. 86.

2 *Conjugem.* Agrip. Ib. n. 51.

3 *Avo.* Augusto. Ib. n. 43.

1 *Advertere.* Non florentis Germanici Cæsaris, neque suis in castris imperantis, sed velut in urbe victa facies, gemitusque ac planctus aures oraque militum advertebrunt ac perculerunt. Sic inf. An. ii, 17. 'Octo aquilæ . . . imperatorem advertere.' Contuberniis progrediuntur milites: rogitant, quis ille flebilis sonus? Quid tam triste? Stupent fœminas illustres, sine centurione ad tutelam, sine milite, sine ullis imperatoriæ uxoris, aut comitatus soliti insignibus, solas pergere ad Treveros, et populis externæ fidei committi. Treveri, in Gallia Belgica, nunc *Treves.* 'Externæ fidei' populi illi dicuntur, quia Galli, necdum Coloniæ jus adepti. Inf. c. 44. 'Neve obses Gallis traderetur.' Postea Treveri, Colonia fuit dicta. COL. AVG. PAT. TREVIR. 'Colonia Augusta paterna Trevirorum.' Harduin. opp. select. p. 172.

2 *Patris Agrippæ.* Agrippa pater Agrippinæ. V. stem. Cæs. n. 47.

3 *Augusti avi.* Agrippinæ. Ib. n. 43.

4 *Socer Drusus.* Socer Agrippinæ Nero Claudius Drusus. Ib. n. 79.

5 *In castris.* Caius Caligula, quem tamen Antii, nunc *Anzo*, in agro Romano, natum esse contendit Suet. in Caio viii.

6 *Caligulam.* Ita dictum a caliga, seu calceo militari, cujus figura in columna Trajani, aliisque monumentis veteribus passim occurrit.

7 *Treveros.* Quorum fides potior habebatur.

42. "Non mihi[1] uxor, aut filius, patre[2] et republica cariores sunt: sed illum quidem sua majestas, imperium Romanum ceteri exercitus defendent: conjugem, et liberos meos, quos pro gloria vestra libens ad exitium offerrem, nunc procul a furentibus submoveo: ut, quidquid istuc sceleris imminet, meo tantum sanguine pietur; neve occisus Augusti pronepos,[3] interfecta Tiberii nurus,[4] nocentiores vos faciat. Quid enim per hos dies inausum, intemeratumve vobis? quod nomen huic cœtui dabo? *milites*ne appellem? qui filium imperatoris vestri,[5] vallo et armis circumsedistis. An *cives?* quibus tam projecta senatus auctoritas: hostium quoque jus, et sacra legationis, et fas gentium rupistis. Divus Julius seditionem exercitus verbo uno[6] compescuit, *Quirites* vocando, qui sacramentum ejus detrectabant. Divus Augustus, vultu et aspectu Actiacas legiones[7] exterruit: nos, ut nondum eosdem,[8] ita ex illis ortos, si Hispaniæ Syriæve miles aspernaretur, tamen mirum et indignum erat: primane, et vicesima legiones, illa signis a Tiberio[9] acceptis, tu tot præliorum socia, tot præmiis aucta, egregiam duci vestro gratiam refertis? hunc ego nuntium patri, læta omnia aliis e provinciis audienti, feram? ipsius tirones, ipsius veteranos,[10] non missione, non pecunia satiatos: hic tantum interfici centuriones, ejici tribunos, includi legatos: infecta sanguine castra, flumina: meque precariam animam inter infensos trahere?"

43. "Cur enim primo concionis die, ferrum illud, quod pectori meo infigere parabam, detraxistis? O improvidi ami-

1 *Non mihi.* Egregie et imperatorie. Cic. quoque Offic. i, 17. 'Cari sunt parentes, cari liberi, propinqui, familiares: sed omnes omnium caritates patria una complexa est: pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, si ei sit profuturus?'

2 *Patre.* Tiberio, qui Germanicum Augusti jussu adoptaverat. Sup. c. 3.

3 *Augusti pronepos.* Caius Calig. V. stem. Cæs. n. 86.

4 *Tiberii nurus.* Agrippina, Caligulæ mater. Ib. n. 51.

5 *Imperatoris vestri.* Germanicum, filium Tiberii propter adoptionem, de qua modo dictum.

6 *Verbo uno.* Suet. in Jul. lxx. 'Decumanos autem Romæ cum ingentibus minis, summoque etiam urbis periculo, missionem et præmia flagitantes, ardente tunc in Africa bello, neque adire cunctatus est, quamquam deterrentibus amicis, neque dimittere: sed una voce, qua *Quirites* eos pro militibus appellarat, tam facile circumegit et flexit, ut ei milites esse confestim responderint, et quamvis recusantem ultro in Africam sint secuti.'

7 *Actiacas legiones.* Quæ, confecta victoria, Brundisii turbabant, præmia et missionem poscentes. Suet. in Aug. xvii.

8 *Nondum eosdem.* Tiberius, Germanicusque nondum D. Julio, D. Augusto æquales; ex illis tamen orti.

9 *A Tiberio.* Apparet, religionem aliquam fuisse in militia ordienda. Credo autem hanc primam legionem conscriptam post cladem Vari. *Lips.*

10 *Tirones—veteranos.* Primani erant Tiberii tirones, utpote signis ab illo acceptis. Vicesimani vero erant ipsius veterani.

ci! melius et amantius ille, qui gladium offerebat:[1] cecidissem certe, nondum tot flagitiorum exercitui meo conscius: legissetis ducem, qui meam quidem mortem impunitam sineret, Vari tamen et trium legionum ulcisceretur. Neque enim Dii sinant, ut Belgarum, quamquam offerentium, decus istud et claritudo sit, subvenisse Romano nomini, compressisse Germaniæ populos. Tua, dive Auguste, cœlo recepta mens; tua, pater Druse, imago,[2] tui memoria, iisdem istis cum militibus, quos jam pudor et gloria intrat, eluant hanc maculam, irasque civiles in exitium hostibus vertant. Vos quoque, quorum alia nunc ora, alia pectora contueor, si legatos senatui, obsequium imperatori, si mihi conjugem ac filium redditis, discedite a contactu,[3] ac dividite turbidos: id stabile ad pœnitentiam, id fidei vinculum erit."

44. Supplices ad hæc, et vera exprobrari fatentes, orabant, "puniret noxios, ignosceret lapsis, et duceret in hostem; revocaretur conjunx, rediret legionum alumnus,[1] neve obses Gallis[2] traderetur." Reditum Agrippinæ excusavit ob imminentem partum, et hiemem: "venturum filium: cetera ipsi exsequerentur." Discurrunt mutati, et seditiosissimum quemque vinctos trahunt ad legatum legionis primæ, C. Cetronium, qui judicium et pœnas de singulis in hunc modum exercuit. Stabant pro concione legiones, destrictis gladiis: reus in suggestu[3] per tribunum ostendebatur: si "nocentem" adclamaverant, præceps datus trucidabatur. Et gaudebat cædibus miles, tamquam semet absolveret: nec Cæsar arcebat, quando nullo ipsius jussu, penes eosdem sævitia facti et invidia erat. Secuti exemplum veterani, haud multo post in Ræṭiam[4]

1 *Qui gladium offerebat.* Sup. c. 35.

2 *Druse, imago.* Quam signis affixam intuebatur.

3 *A contactu.* Discedite a societate et contactu seditiosorum, turbidos illos homines a vobis dividite. V. Misc. Obs. ix, 291. i. e. a contagione, ab iis qui sunt noxii. Ann. iv, 49. 'Pollui cuncta sanie, odore, contactu.' Hist. i, 11. 'Rætia, Noricum, Thracia, ut cuique exercitui vicinæ, ita in favorem aut odium contactu valentiorum agebantur.' Hist. ii, 60. 'Ceteræ legiones contactu, et adversus Germanicos milites invidia, bellum meditabantur.' Ann. vi, 7. 'plures infecti valetudine et quasi contactu.' Sen. de Ira, ii, 21. 'puerum procul a contactu deliciarum retinebimus.' iii, 8. 'quædam in contactos corporis vitia transeunt.' De Tranq. Anim. vii. 'vitia contactu nocent.' Et Sen. Pater Contr. ix. 'vitia contactu ipso nocent.' Juv. ii, 81. 'Uvaque contacta livorem ducit ab uva.' ita legendum. Sic et 'contaminatus scelere.' sup. c. 35. et Ann. ii, 2. 'regem hostium artibus infectum.' iii, 14. 'infectos manibus ejus cibos,' et alibi non semel.

1 *Legionum alumnus.* C. Caligula.

2 *Gallis.* Treveris, Galliæ Belgicæ populis.

3 *In suggestu.* De suggestu, seu tribunali dictum sup. c. 18.

mittuntur, specie defendendæ provinciæ, ob imminentes Suevos:[5] ceterum ut avellerentur[6] castris, trucibus adhuc non minus asperitate remedii, quam sceleris memoria. Centurionatum inde egit:[7] citatus ab imperatore, nomen, ordinem, patriam, numerum stipendiorum, quæ strenue in præliis fecisset, et cui erant dona militaria,[8] edebat: si tribuni, si legio, industriam innocentiamque adprobaverant, retinebat ordinem:[9] ubi avaritiam, aut crudelitatem consensu objectavissent, solvebatur militia.

45. Sic compositis præsentibus, haud minor moles supererat, ob ferociam quintæ et unaetvicesimæ legionum, sexagesimum apud lapidem,[1] (loco *Vetera*[2] nomen est) hibernantium: nam primi seditionem cœptaverant; atrocissimum quodque facinus horum manibus patratum: nec pœna commilitonum exterriti, nec pœnitentia conversi, iras retinebant. Igitur Cæsar arma, classem, socios[3] demittere Rheno parat: si imperium detrectetur, bello certaturus.

46. At Romæ nondum cognito, qui fuisset exitus in Illyrico, et legionum Germanicarum motu audito, trepida civitas incusare Tiberium, "quod, dum patres, et plebem, invalida et inermia,[1] cunctatione ficta ludificetur, dissideat interim miles, neque duorum adolescentium[2] nondum adulta auctoritate comprimi queat: ire ipsum, et opponere majestatem imperatoriam debuisse cessuris, ubi principem longa experientia, eumdemque severitatis et munificentiæ summum, vidis-

4 *In Rætiam.* Nunc *the Grisons and the Tirol.* In inscr. ap. Gruter. p. 439. memorantur RÆTI, et alibi RAITIA.

5 *Suevos.* Suevi, gens præpotens, et ex multis populis conflata, majorem Germaniæ partem obtinebant. Hi vero, de quibus nunc agitur, prope Danubii fontem haud procul ab Hermunduris habitabant. Tac. de Mor. Germ. xxxviii. Bucher. in Belgio Rom. i, 16. iii, 4. Eccardus de orig. Germ. p. 280.

6 *Ceterum ut avellerentur.* Sed revera ut avellerentur castris, quæ efferabant animos adhuc truces cum propter remedii asperitatem, tum propter sceleris memoriam.

7 *Centurionatum egit.* Postea Germanicus recensuit centuriones, eorumque examen instituit. V. not. et em. ad Ann. i, 44.

8 *Dona militaria.* Et cui erant torques, coronæ, armillæ, phaleræ, hastæ puræ, argenteæ, et cetera dona militaria, quæ ut virtutis præmia acceperat. V. not. et em. l. c.

9 *Retinebat ordinem.* Ordinem centurionis.

1 *Sexagesimum lapidem.* Sexaginta millia passuum. Ita ferme Itinerar. Antonini p. 370. *Veteribus Bonnam* usque 63. M. P. numerat.

2 *Loco Vetera.* Loco nomen est *Vetera*, seu *Vetera castra*, nunc *Santen*, in Clivia Cisrhenana, *the Duchy of Cleves.*

3 *Socios.* Belgas aliosque socios.

1 *Invalida et inermia.* Invalidos et inermes. Virg. Æn. iv, 569. 'Varium et mutabile semper Fœmina.'

2 *Duorum adolescentium.* Drusi ac Germanici.

sent. An Augustum fessa ætate, totiens in Germanias[3] commeare potuisse; Tiberium vigentem annis, sedere in senatu verba patrum cavillantem? satis prospectum urbanæ servituti: militaribus animis adhibenda fomenta, ut ferre pacem velint."

47. Immotum adversus eos sermones, fixumque Tiberio fuit, non omittere caput rerum,[1] neque se remque publicam in casum dare. Multa quippe et diversa angebant: "validior per Germaniam exercitus; propior apud Pannoniam: ille Galliarum opibus subnixus, hic Italiæ imminens: quos igitur anteferret? ac, ne postpositi contumelia incenderentur. At per filios[2] pariter adiri, majestate salva, cui major e longinquo reverentia: simul adolescentibus excusatum,[3] quædam ad patrem rejicere: resistentesque Germanico, aut Druso, posse a se mitigari vel infringi: quod aliud subsidium, si imperatorem sprevissent?" Ceterum, ut jam jamque iturus, legit comites, conquisivit impedimenta,[4] adornavit naves: mox hiemem, aut negotia varie causatus, primo prudentes, dein vulgum, diutissime provincias[5] fefellit.

48. At Germanicus, quamquam contracto exercitu, et parata in defectores ultione, dandum adhuc spatium ratus, si recenti exemplo sibi ipsi consulerent, præmittit literas ad Cæcinam, "venire se valida manu, ac ni supplicium in malos præsumant, usurum promiscua cæde." Eas Cæcina aquiliferis signiferisque, et, quod maxime castrorum sincerum erat, occulte recitat; "utque cunctos infamiæ, seipsos morti eximant" hortatur: "nam in pace causas et merita spectari: ubi bellum ingruat, innocentes ac noxios juxta cadere." Illi, tentatis quos idoneos rebantur, postquam majorem legionum partem in officio vident; de sententia legati, statuunt tempus, quo fœdissimum quemque et seditioni promtum ferro inva-

3 *In Germanias.* Suet. in Aug. 20. 'Reliqua [bella] per legatos administravit: ut tamen quibusdam Pannonicis atque Germanicis aut interveniret, aut non longe abesset, Ravennam, vel Mediolanum, vel Aquileiam usque ab urbe progrediens.' Immo in Gallia Lugdunensi diu egit Augustus, Germanicis motibus e vicinia intentus. Dio liv, p. 546.

1 *Caput rerum.* Romam.

2 *Per filios.* Drusum filium suum, Germanicum filium adoptivum.

3 *Excusatum.* Simul excusari adolescentes, si quædam ad patrem rejiciant.

4 *Impedimenta.* Commeatus, aliaque bello necessaria.

5 *Diutissime provincias.* Suet. in Tib. 38. 'Prope quotannis profectionem [præparabat] vehiculis comprehensis, commeatibus per municipia et colonias dispositis. Ad extremum vota pro itu et reditu suo suscipi passus, ut vulgo jam per jocum *Callippides* vocaretur: quem cursitare, ac ne cubiti quidem mensuram progredi proverbio Græco notatum est.'

dant. Tunc, signo inter se dato, inrumpunt contubernia,[1] trucidant ignaros: nullo, nisi consciis, noscente quod cædis initium, quis finis.

49. Diversa omnium, quæ umquam accidere, civilium armorum facies: non prælio, non adversis e castris, sed iisdem e cubilibus, quos simul vescentes dies, simul quietos nox habuerat, discedunt in partes, ingerunt tela: clamor, vulnera, sanguis palam; causa in occulto: cetera fors regit: et quidam bonorum cæsi, postquam, intellecto in quos sæviretur, pessimi quoque arma rapuerant. Neque legatus, aut tribunus moderator adfuit: permissa vulgo licentia atque ultio et satietas. Mox ingressus castra Germanicus, "non medicinam illud" plurimis cum lacrymis, "sed cladem" appellans, "cremari corpora" jubet. Truces etiam tum animos cupido involat eundi in hostem, piaculum furoris:[1] nec aliter posse placari commilitonum manes, quam si pectoribus impiis honesta vulnera accepissent. Sequitur ardorem militum Cæsar, junctoque ponte[2] tramittit duodecim millia e legionibus, sex et viginti socias cohortes, octo equitum alas, quarum ea seditione intemerata modestia fuit.

50. Læti, neque procul, Germani[1] agitabant, dum justitio ob amissum Augustum, post discordiis attinemur. At Romanus agmine propero sylvam Cæsiam[2] limitemque a Tiberio[3] cœptum scindit: castra in limite locat: frontem ac tergum vallo, latera concædibus[4] munitus. Inde saltus obscuros[5] permeat, consultatque "ex duobus itineribus, breve et solitum[6]

1 *Contubernia.* Decem militibus cum decano constabant. Veget. ii, 13. 'Centuriæ in contubernia divisæ sunt: ut decem militibus sub uno papilione degentibus, unus præesset decanus, qui caput contubernii nominatur.'

1 *Piaculum furoris.* Ut furorem suum, seque commilitonum sanguine contemeratos expiarent.

2 *Junctoque ponte.* Sup. Rhenum, ad Vetera castra, *Santen.*

1 *Germani.* Læti Germani Transrhenani sub Arminio aliove duce. De justitio dictum sup. c. 16.

2 *Sylvam Cæsiam.* Nunc *the forest of Heserwaldt*, in Clivia Transrhenana, forte sacram Deo Marti, quem Galli ESVM, vel HESVM et CAMVLVM appellabant. In ipsa Clivia repertus lapis vetus MARTI CAMVLO inscriptus. Gruter. p. lvi. n. 12. V. not. et em. ad An. i, 50.

3 *Limitemque a Tiberio.* Limitem aggeremque olim a Tiberio, cum in Germania bellaret, cœptum propere scindit, ne a Barbaris occupetur. Limes ille erat in Clivia Transrhenana prope urbem *Schermbeck*, ut recte monuit Cluver. Germ. Antiq. iii, 9. p. 542. In illis limitibus aggeribusque sæpe pugnatum dicetur inf. Hist. ii, 24. 42. iii, 21.

4 *Concædibus.* Arboribus præcisis munitus.

5 *Saltus obscuros.* Obscuros sylvæ Cæsiæ saltus.

6 *Breve et solitum* iter, quod ab occasu solis ad ortum, propter dexteram Luppiæ, nunc *Lippe*, ripam, ad castellum Alisonem, nunc *Elsen*, struere cœperat

sequatur: an impeditius et intentatum, eoque hostibus incautum." Delecta longiore via, cetera adcelerantur: etenim attulerant exploratores "festam eam Germanis noctem, ac solemnibus epulis ludicram." Cæcina cum expeditis cohortibus præire, et obstantia sylvarum amoliri jubetur: legiones modico intervallo sequuntur. Juvit nox sideribus inlustris: ventumque ad vicos Marsorum,[7] et circumdatæ stationes, stratis etiam tum per cubilia, propterque mensas, nullo metu, non antepositis vigiliis; adeo cuncta incuria disjecta erant: neque belli timor; ac ne pax quidem,[8] nisi languida et soluta inter temulentos.

51. Cæsar avidas legiones,[1] quo latior populatio foret, quatuor in cuneos[2] dispertit: quinquaginta millium spatium ferro flammisque pervastat: non sexus, non ætas miserationem attulit; profana simul et sacra, et celeberrimum illis gentibus templum, quod *Tanfanæ*[3] vocabant, solo æquantur. Sine vulnere milites, qui semisomnos, inermos, aut palantes ceciderant. Excivit ea cædes Bructeros, Tubantes, Usipetes;[4] saltusque, per quos exercitui regressus, insedere: quod gnarum duci:[5] incessitque itineri[6] et prælio: pars equitum, et

Tiberius, deinde perfecerat Domitius Corbulo. Impeditius vero et intentatum, quod paulo magis ad aquilonem versus oppidum *Munster* deflectebat. Bucher. Belg. Rom. iii, 4.

7 *Vicos Marsorum.* Vici illi erant in ditione Monasteriensi; medii inter oppida *Coesfeldt* et *Munster.*

8 *Ne pax quidem.* Apud gentem illam omnia adeo disjecta erant incuria, ut sine ullo belli timore ageret. Ibi ne pax quidem firma ac pervigil, sed languida et soluta inter temulentos. Pacem eo sensu sæpe usurpat Tacitus.

1 *Avidas legiones.* Quidam aviditatem interpretantur de præda; rectius meo animo, qui *avidas certaminis* exponunt; præsertim cum nec prædæ multum ex tali hoste sperandum esset. Est igitur *ea cupido eundi in hostem*, de qua sup. i, 49. *Freinshem.*

2 *Quatuor in cuneos. Angl. in four battalions.* Ac forte cuneati incedebant illi milites. Qua de militari ordinatione Veget. iii, 19. 'Cuneus dicitur multitudo militum, quæ juncta acie primo angustior, deinde latior procedit, et adversariorum ordines rumpit: quia a pluribus in unum locum tela mittuntur. Quam rem milites nominant caput porcinum.'

3 *Tanfanæ.* Templum Marsis celeberrimum. *Tanfana*, Cluver. Germ. Ant. i, 26. p. 182. idem est ac TH'ANFANG, seu 'principium.' Wachtero TANFAN, 'ignis Dominus.' Cl. Freret TANFANA, 'sortium Domina.' Mémoires de l'Acad. des Inscr. vol. xxiv. p. 424. In his vocum originationibus quævis divinare licet. Nobis tamen perplurimum placet Cl. Eccardi, de Orig. Germ. p. 279. sententia. *Tanfanam* interpretatur 'Deum sylvæ' Cæsiæ a verbo FANE, 'Dominus,' quod aliquoties in Evangeliis Gothicis occurrit. Danis et Suecis diabolus etiamnum *Fane* appellatur. TAN vero et Anglo-Saxonice DENE, in antiquis linguæ Germanicæ monumentis, 'vallem arboribus inviam,' 'sylvam densam' sæpissime exprimit. *Tanfanæ* templum oppido *Coesfeldt* vicinum fuisse videtur.

4 *Bructeros, Tubantes, Usipetes.* Vicis Marsorum proximos. Bructeri ad septentrionem, Tubantes ad ortum, Usipetes, sæpius Usipii, ad meridiem.

5 *Gnarum duci.* Germanico.

6 *Incessitque itineri.* Incessit, exercitu

auxiliariæ cohortes ducebant; mox prima legio, et mediis impedimentis, sinistrum latus unaetvicesimani, dextrum quintani clausere: vicesima legio terga firmavit, post ceteri sociorum. Sed hostes, donec agmen per saltus porrigeretur,[7] immoti; dein latera, et frontem modice adsultantes, tota vi novissimos incurrere: turbabanturque densis Germanorum catervis leves cohortes, cum Cæsar, advectus ad vicesimanos, voce magna, "hoc illud tempus obliterandæ seditionis" clamitabat: "pergerent, properarent culpam in decus vertere." Exarsere animis, unoque impetu perruptum hostem redigunt in aperta, cæduntque: simul primi agminis copiæ evasere sylvas, castraque communivere. Quietum inde iter: fidensque recentibus,[8] ac priorum oblitus miles, in hibernis locatur.

52. Nuntiata ea Tiberium lætitia curaque adfecere: gaudebat oppressam seditionem; sed, quod largiendis pecuniis, et missione festinata favorem militum quæsivisset, bellica quoque Germanici gloria, angebatur. Retulit tamen ad senatum de rebus gestis, multaque de virtute ejus memoravit, magis in speciem verbis adornata, quam ut penitus sentire crederetur. Paucioribus Drusum, et finem Illyrici motus laudavit; sed intentior, et fida oratione: cunctaque, quæ Germanicus indulserat, servavit etiam apud Pannonicos exercitus.

53. Eodem anno, Julia[1] supremum diem obiit, ob impudicitiam olim a patre Augusto Pandataria[2] insula, mox oppido Rheginorum,[3] qui Siculum fretum accolunt, clausa. Fuerat in matrimonio Tiberii, florentibus Caio et Lucio Cæsaribus, spreveratque ut imparem:[4] nec alia tam intima Tiberio causa, cur Rhodum abscederet: imperium adeptus, extorrem, infamem, et post interfectum Postumum Agrippam, omnis spei egenam, inopia ac tabe longa peremit, obscuram fore necem

composito viæ pariter et pugnæ, ut loquitur ipse Tac. An. xiii, 40.

7 *Porrigeretur.* Quadrato agmine incedebant Romani. Hostes immoti, donec agmen per angustos saltus porrigeretur, magisque pateret aggredientibus.

8 *Fidensque recentibus.* Recentis victoriæ gaudio et fiducia fretus, obliviscebatur dira seditionis.

1 *Julia.* V. stem. Cæs. n. 46.

2 *Pandataria.* In Puteolano sinu. Nunc *the Island of St. Mary.*

3 *Oppido Rheginorum.* Oppidum Rheginorum, nunc *Reggio*, in Calabria ulteriore. Frequens in nummis memoria ΡΗΓΗΝΩΝ.

4 *Ut imparem.* Taurum non ad illud jugum. *Lips.* Rectius alii ad genus referunt. *Ern.* Ut Liv. vi, 34. extr. de Fabia minore, Ambusti filia, nupta viro plebeio, 'Quod juncta impari esset.'

longinquitate exilii ratus. Par causa sævitiæ in Sempronium Graccum,[5] qui familia nobili, solers ingenio, et prave facundus, eamdem Juliam in matrimonio M. Agrippæ temeraverat: nec is libidini finis; traditam Tiberio, pervicax adulter contumacia et odiis in maritum accendebat; literæque, quas Julia patri Augusto cum insectatione Tiberii scripsit, a Gracco compositæ credebantur. Igitur amotus Cercinam,[6] Africi maris insulam, quatuordecim annis exilium toleravit. Tunc milites ad cædem missi, invenere in prominenti littoris nihil lætum opperientem: quorum adventu "breve tempus" petivit, "ut suprema mandata uxori Alliariæ per literas daret:" cervicemque percussoribus obtulit, constantia mortis haud indignus Sempronio nomine; vita degeneraverat. Quidam non Roma eos milites, sed ab L. Asprenate,[7] proconsule Africæ, missos tradidere, auctore Tiberio, qui famam cædis posse in Asprenatem verti, frustra speraverat.

54. Idem annus novas cærimonias accepit, addito sodalium Augustalium[1] sacerdotio; ut quondam T. Tatius retinendis Sabinorum sacris, sodales Tatios[2] instituerat: sorte ducti e primoribus civitatis unus et viginti.[3] Tiberius, Drususque, et Claudius,[4] et Germanicus adjiciuntur. Ludos Augustales, tunc primum cœpta[5] turbavit discordia, ex certamine histrionum.[6] Indulserat ei ludicro Augustus, dum Mæcenati obtemperat effuso in amorem Bathylli:[7] neque ipse abhorrebat

5 *Sempronium Graccum.* Pervicacem adulterum, de quo inf. An. iv, 13. In nummis appellatur TI. SEMPRONIVS GRACCVS IIIAAAFF, Triumvir auro, argento, ære flando, feriundo. TI. SEMPRONI. TI. F. GRACCVS LEG. PRO. COS. Vide Vaillant, Nummi famil. v. ii, p. 377. sq.

6 *Cercinam.* Nunc *Kerkeni,* prope Syrtim minorem, hodie *the gulph of Cabes.* Eam insulam accurate describit Plin. v, 7.

7 *L. Asprenate.* Credo cognomen esse gentis Noniæ. De Asprenatum claritudine et familia consulari Plin. xxx, 7. Suet. Aug. c. 43. *Lips.*

1 *Sodalium Augustalium.* Postea, grassante adulatione, instituti sodales Flavii, Hadrianales, &c. Eorum omnium mentio in inscr. passim occurrit. V. not. et em. ad An. i, 54.

2 *Sodales Tatios.* V. not. et em. ad An. i, 54.

3 *Unus et viginti.* Unus quidem et viginti in urbe; at in provinciis sex tantum erant Augustales. Unde passim in inscr. IIIIII. AVG. vel VI. VIR. AVGVST. I. e. sex viri Augustales. Insignem Augustalium Provincialium inscr. exhibet Gruter. p. 237. n. 1. V. not. et em. ad An. i, 54.

4 *Drususque, et Claudius.* Drusus Tiberii filius, Claudius Germanici frater. Veterem lapidem Germanico et Druso OB. HON. AVGVST. 'Ob honorem Augustalitatis' inscriptum memorat Gruter. p. 236. n. 10.

5 *Tunc—cœpta.* Sic quoque inf. c. 77. V. not. et em. ad An. i, 54.

6 *Certamine histrionum.* Histrionum, seu pantomimorum ludicro, quod primum, imperante Augusto, Romæ visum est. V. Dion. liv, p. 533.

7 *Bathylli.* Bathyllus et Pylades pantomimorum celeberrimi. Juv. vi, 63. 'Chironomon Ledam molli saltante Bathyllo.'

talibus studiis, et civile rebatur misceri voluptatibus vulgi: alia Tiberio morum via: sed populum per tot annos molliter habitum, nondum audebat ad duriora vertere.

A.U.C. 768. J.C. 15.

55. Druso Cæsare, C. Norbano Consulibus,[1] decernitur Germanico triumphus, manente bello; quod quamquam in æstatem summa ope parabat, initio veris, et repentino in Cattos[2] excursu, præcepit:[3] nam spes incesserat dissidere hostem in Arminium ac Segestem,[4] insignem utrumque perfidia in nos, aut fide.[5] Arminius turbator Germaniæ:[6] Segestes, "parari rebellionem" sæpe alias, et supremo convivio,[7] post quod in arma itum, aperuit: suasitque Varo, "ut se, et Arminium, et ceteros proceres vinciret: nihil ausuram plebem, principibus amotis; atque ipsi tempus fore, quo crimina, et innoxios discerneret:" sed Varus fato, et vi Arminii cecidit. Segestes, quamquam consensu gentis in bellum tractus, discors manebat, auctis privatim odiis, quod Arminius filiam[8] ejus, alii pactam, rapuerat; gener[9] invisus, inimici soceri;[10] quæque apud concordes vincula caritatis,[11] incitamenta irarum apud infensos erant.

56. Igitur Germanicus quatuor legiones, quinque auxiliarium millia, et tumultuarias catervas Germanorum cis Rhenum colentium,[1] Cæcinæ tradit:[2] totidem legiones, duplicem sociorum numerum ipse ducit: positoque castello super vestigia

1 *C. Norbano Coss.* Drusus Cæsar et C. Norbanus consules fuere, A. U. C. 768. J. C. 15.

2 *In Cattos.* Nunc *Hesse.*

3 *Præcepit.* Antevertit.

4 *Arminium ac Segestem.* Arminius ac Segestes, Cheruscorum, nunc *the states of Brunswick and Luneburgh,* duces. V. not. et em. ad An. i, 55. ubi Arminii et Segestis stemmata.

5 *Perfidia—fide.* Arminium perfidia, Segestem fide insignem.

6 *Turbator Germaniæ.* Quia Varianæ cladis auctor.

7 *Sæpe alias, et supremo convivio.* Vellei. ii, 118. 'Opprimi posse Romanos, et dicit et persuadet [Arminius]; decretis facta jungit; tempus insidiarum constituit. Id Varo per virum ejus gentis fidelem, clarique nominis Segestem indicatur: sed prævalebant jam fata consiliis, omnemque animi ejus aciem præstrinxerant.' De clade Variana sæpe dictum sup.

8 *Filiam.* Thusneldam, Segestis filiam, Arminii uxorem.

9 *Gener.* Arminius.

10 *Soceri.* Sigimerus et Segestes.

11 *Vincula caritatis.* Connubium apud concordes vinculum caritatis, apud infensos incitamentum erat irarum.

1 *Cis Rhenum colentium.* Ut erant Vangiones, Triboci, Nemetes, Treveri, Nervii, sed et pars aliqua Batavorum. *Lips.* Immo hi tum Galli. Ego intelligo Ubios, Sicambros, aliosque e Germania populos, ab Augusto traductos Rhenum, ut ibi colerent. *Ern.*

2 *Cæcinæ tradit.* A. Cæcinæ, inferioris Germaniæ legato, inferiorem exercitum, sup. c. 31. tradit. Ipse superiorem exercitum ducit.

paterni præsidii[3] in monte Tauno,[4] expeditum exercitum in Cattos rapit; L. Apronio ad munitiones viarum[5] et fluminum relicto. Nam, (rarum illi cœlo,) siccitate, et amnibus modicis inoffensum iter properaverat; imbresque, et fluminum auctus regredienti metuebantur. Sed Cattis adeo improvisus advenit, ut quod imbecillum ætate ac sexu, statim captum, aut trucidatum sit. Juventus flumen Adranam[6] nando tramiserat, Romanosque pontem cœptantes arcebant: dein tormentis sagittisque pulsi, tentatis frustra conditionibus pacis, cum quidam ad Germanicum perfugissent, reliqui, omissis pagis vicisque, in sylvas disperguntur. Cæsar incenso Mattio[7] (id genti caput) aperta populatus,[8] vertit ad Rhenum: non auso hoste terga abeuntium lacessere, quod illi moris, quotiens astu magis, quam per formidinem cessit. Fuerat animus Cheruscis juvare Cattos, sed exterruit Cæcina[9] huc illuc ferens arma: et Marsos congredi ausos, prospero prælio cohibuit.[10]

57. Neque multo post legati a Segeste venerunt, auxilium orantes adversus vim popularium,[1] a queis circumsedebatur; validiore apud eos Arminio, quando bellum[2] suadebat. Nam barbaris, quanto quis audacia promtus, tanto magis fidus, rebusque motis potior habetur. Addiderat Segestes legatis filium, nomine Segimundum: sed juvenis conscientia cunctabatur: quippe anno, quo Germaniæ[3] descivere, sacerdos apud Aram Ubiorum[4] creatus, ruperat vittas, profugus ad rebelles.

3 *Paterni præsidii.* Drusianum illud præsidium, a Druso Germanici patre exstructum, in eo loco erat, ubi nunc *Wisbaden*.

4 *Monte Tauno.* Mons Taunus e regione Moguntiæ, *Mentz*, situs, nunc *Heyrich*, seu *Hoehe*, appellatur.

5 *Munitiones viarum.* Viarum illarum, aggeribus tabulisque et trabibus munitarum, vestigia passim in Hessia et Westphalia extare docet Cl. Eccardus de Orig. Germ. p. 282. Addit earum reliquias *Pohlgraven* dictas invenisse et descripsisse Winckelmannum in historia Hessica, ii, 4. seque ex schedis Gamansianis didicisse aliam hujusmodi viam ad Visurgim, *the Weser*, processisse.

6 *Flumen Adranam.* Adrana, nunc *the Eder*. Comitatum *Waldek* interfluit.

7 *Incenso Mattio.* Mattium, nunc *Marpurg*.

8 *Aperta populatus.* Loca illa aperta, quæ sunt inter *Marpurg* et *Putzbach*, populatus, ad Rhenum vertit. Cluver. German. Antiq. iii, 7. p. 533. Eccardus sup. laudatus, p. 283.

9 *Exterruit Cæcina.* Qui Luppiam, *Lippe*, secutus, ad castrum Alisonem, *Elsen*, tetendisse videtur. Eccardus, ib.

10 *Cohibuit.* Hæc, vere; quæ sequuntur, æstate gesta sunt.

1 *Vim popularium.* Cheruscorum.

2 *Quando bellum.* Quia bellum suadebat.

3 *Anno, quo Germ.* Anno superiore, quo descivere Germaniæ, inferior scilicet et superior.

4 *Aram Ubiorum.* Nunc *Bonn*, in Germania inferiore. Ara illa videtur fuisse Augusto et Romæ sacra, sicut percelebris ara Lugdunensis.

Adductus tamen in spem clementiæ Romanæ, pertulit patris mandata, benigneque exceptus cum præsidio Gallicam in ripam[5] missus est. Germanico pretium fuit,[6] convertere agmen: pugnatumque in obsidentes, et ereptus Segestes magna cum propinquorum et clientium manu. Inerant fœminæ nobiles, inter quas uxor Arminii,[7] eademque filia Segestis, mariti magis quam parentis animo, neque victa in lacrymas, neque voce supplex, compressis intra[8] sinum manibus, gravidum uterum intuens. Ferebantur et spolia Varianæ cladis, plerisque eorum, qui tum in deditionem veniebant, prædæ data. Simul Segestes ipse ingens visu, et memoria bonæ societatis impavidus: verba ejus in hunc modum fuere.

58. "Non hic mihi primus erga populum Romanum fidei et constantiæ dies: ex quo a divo Augusto civitate donatus sum, amicos inimicosque ex vestris utilitatibus delegi: neque odio patriæ, (quippe proditores, etiam iis quos anteponunt, invisi sunt) verum quia Romanis Germanisque idem conducere;[1] et pacem, quam bellum probabam. Ergo raptorem filiæ meæ, violatorem fœderis vestri Arminium, apud Varum, qui tum exercitui præsidebat, reum feci: dilatus segnitia ducis,[2] quia parum præsidii in legibus erat, ut me, et Arminium, et conscios vinciret, flagitavi. Testis illa nox,[3] mihi utinam potius novissima! Quæ secuta sunt, defleri magis, quam defendi possunt: ceterum et injeci catenas Arminio, et a factione ejus injectas perpessus sum. Atque ubi primum tui copia, vetera novis, et quieta turbidis antehabeo: neque ob præmium, sed ut me perfidia exsolvam; simul genti Germanorum idoneus conciliator, si pœnitentiam quam perniciem maluerit. Pro juventa et errore filii veniam precor: filiam necessitate huc adductam fateor: tuum erit consultare, utrum

5 *Gallicam in ripam*. Cis Rhenum; et forte Aram Ubiorum missus. Inf. c. 59.

6 *Pretium fuit*. Operæ pretium fuit Germanico, qui ad Rhenum verterat, convertere agmen: pugnatumque in Cheruscos, obsidentes Segestem, qui ereptus est cum magna propinquorum et clientium manu.

7 *Uxor Arminii*. Thusnelda, uxor Arminii, Segestis filia, mariti magis, quam patris animo similis.

8 *Compressis intra*. Qui habitus etiam nunc Germanicis matronis (videre videor) per modestiam et decorum assumtus.

1 *Idem conducere*. Quia Romanis Germanisque idem conducere judicavi; et pacem magis, quam bellum probabam.

2 *Segnitia ducis*. Quinctilii Vari. Vellei. ii, 118. Germani 'in summam socordiam perduxere Quinctilium. Usque eo, ut se prætorem urbanum in foro jus dicere, non in mediis Germaniæ finibus exercitui præesse crederet.'

3 *Testis illa nox*. Quæ Varianam Cladem præcessit. Sup. c. 55.

prævaleat,[4] quod ex Arminio concepit, an quod ex me genita est." Cæsar, clementi responso, liberis propinquisque ejus incolumitatem, ipsi sedem Vetera,[5] in provincia, pollicetur. Exercitum reduxit, nomenque *imperatoris*[6] auctore Tiberio accepit. Arminii uxor, virilis sexus stirpem[7] edidit: educatus Ravennæ[8] puer, quo mox ludibrio[9] conflictatus sit, in tempore memorabo.[10]

59. Fama dediti benigneque excepti Segestis vulgata, ut quibusque bellum invitis aut cupientibus erat, spe vel dolore accipitur. Arminium, super insitam violentiam, rapta uxor, subjectus servitio uxoris uterus, vecordem[1] agebant: volitabatque per Cheruscos, arma in Segestem, arma in Cæsarem poscens: neque probris temperabat. "Egregium patrem![2] magnum imperatorem![3] fortem exercitum! quorum tot manus unam mulierculam avexerint. Sibi tres legiones,[4] totidem legatos procubuisse. Non enim se proditione, neque adversus fœminas gravidas, sed palam adversus armatos bellum tractare: cerni adhuc, Germanorum in lucis signa Romana, quæ Diis patriis suspenderit: coleret Segestes victam ripam;[5] redderet filio[6] sacerdotium: hominem Germanos[7] numquam satis excusaturos, quod inter Albim et Rhenum virgas, et secures, et togam viderint. Aliis gentibus, ignorantia imperii

4 *Utrum prævaleat.* Uter plus juris in eam habeat, et utri parere magis debeat, patri an marito mox patri. *Lips.* Immo, ut puto cum Freinshemio: utrum veniam dare malit, quia Segestis, fidelis socii, filia, an punire, quia hostis, Arminii, uxor. *Ern.*

5 *Sedem Vetera.* Vetera castra, nunc *Santen*, in provincia inferioris Germaniæ, ipsi sedem pollicetur. V. not. et em. ad An. i, 58.

6 *Nomenque imperatoris.* Re confecta, ducem suum milites *imperatorem* salutabant. At Germanicus, perspecta Tiberii invidia, nomen illud non a militibus, sed a Tiberio accepit.

7 *Virilis sexus stirpem.* Nomine Thumelicum.

8 *Ravennæ.* *Ravenna, in Romagna.*

9 *Puer, quo mox ludibrio.* Apud alios nihil reperi. Tacitus hæc narraverit, in rebus Caii aut Claudii, libris qui perierunt. *Lips.* Puero nomen Thumelico, matri Thusneldæ; si modo scripturæ apud Strab. vii, confidere licet.

10 *Memorabo.* Hæc annalium, aut historiæ pars iniquitate temporum periit. Thumelicum tamen, tres annos natum, in Germanici triumpho, An. ii, 41. vectum fuisse docet Strabo vii, p. 292. De ceteris ludibriis nihil audivi.

1 *Vecordem.* Trucem ac ferocem.

2 *Egregium patrem.* Segestem, Thusneldæ Arminii uxoris patrem.

3 *Imperatorem.* Germanicum.

4 *Tres legiones.* In clade Variana.

5 *Victam ripam.* Victam Galliæ Belgicæ ripam, in qua Vetera, nunc *Santen.*

6 *Filio.* Segimundo. Sup. c. 57.

7 *Hominem Germanos.* Germanos numquam satis excusaturos hominem illum, *Segestem,* quo proditore, viderunt Albim inter et Rhenum virgas, secures et togam Romanam. Aliis gentibus ignorantia populi imperiique Romani inexperta esse supplicia, inaudita tributa: quæ quando et ipsi exuerint, irritique discesserint tum ille Augustus inter numina dicatus, tum ille Tiberius delectus Princeps, ne ergo Germanicum, imperitum adolescentulum, ne exercitum nuper seditiosum pavescerent.

Romani, inexperta esse supplicia, nescia tributa: quæ quando exuerint, inritusque discesserit ille inter numina dicatus Augustus, ille delectus Tiberius, ne imperitum adolescentulum, ne seditiosum exercitum pavescerent. Si patriam, parentes, antiqua mallent, quam dominos, et colonias novas; Arminium potius gloriæ ac libertatis, quam Segestem flagitiosæ servitutis ducem sequerentur."

60. Conciti per hæc non modo Cherusci, sed conterminæ gentes: tractusque in partes Inguiomerus Arminii patruus, veteri apud Romanos auctoritate: unde major Cæsari metus:[1] et ne bellum mole una ingrueret, Cæcinam cum quadraginta cohortibus Romanis, distrahendo hosti, per Bructeros[2] ad flumen Amisiam mittit: equitem Pedo præfectus, finibus Frisiorum[3] ducit: ipse impositas navibus quatuor legiones per lacus[4] vexit: simulque pedes, eques, classis, apud prædictum amnem[5] convenere. Chauci,[6] cum auxilia pollicerentur, in commilitium adsciti sunt. Bructeros sua urentes, expedita cum manu L. Stertinius, missu Germanici fudit, interque cædem et prædam reperit undevicesimæ legionis aquilam cum Varo amissam. Ductum inde agmen ad ultimos Bructerorum: quantumque Amisiam et Luppiam[7] amnes inter, vastatum; haud procul Teutoburgiensi saltu,[8] in quo reliquiæ Vari legionumque insepultæ dicebantur.

61. Igitur cupido Cæsarem invadit solvendi suprema militibus, ducique;[1] permoto ad miserationem omni, qui aderat, exercitu, ob propinquos, amicos, denique ob casus bellorum et sortem hominum. Præmisso Cæcina, ut occulta saltuum

1 *Cæsari metus.* Germanico Cæsari.

2 *Per Bructeros.* Nunc *Overissel and part of Westphalia.* Rhenum inter ac Amisiam, *the Ems.* Eorum sedes postea invasere Angrivarii. V. Spener. Notit. Germ. Antiq. iv, 3. p. 247. sq.

3 *Frisiorum.* Supra Bructeros Frisii, *Friesland.* Iter Pedonis et Cæcinæ accurate descripsit Alting. Notit. Germ. Infer. Tab. 2.

4 *Per lacus.* Germanicus quatuor legiones, navibus impositas, vexit per lacus, quos omnes absorpsit pars illa oceani, quam dicimus *the Zuyder-zee.*

5 *Prædictum amnem.* Amisiam.

6 *Chauci.* Chauci minores, inter Amisiam et Visurgim, *the Weser*, positi, cum auxilia Romanis pollicerentur in commilitium adsciti.

7 *Amisiam et Luppiam.* Amisia, *the Ems;* Luppia, *the Lippe.*

8 *Teutoburgiensi saltu.* Teutoburgiensis saltus, Variana clade nobilis in Paderbornensi diœcesi prope Luppiæ fontem exsurgebat, ac per Lippiensem, Ravensbergensem, Osnabrugensem, Monasteriensem, et Oldenburgensem ditionem exporrigebatur. Pugnavit Varus prope oppidum *Horn* inter *Lemgow* et *Paderborn;* cladis monumenta adhuc extant sylva *Teuteberg*, et campus *Winfeldt*, id est, *Victoriæ.* Cluver. Germ. Antiq. iii, 19. p. 580. Spener. Notit. Germ. Antiq. ii, 3. p. 87. Lipsius, et Bucherius, in Belgio Roman. iii, 1.

1 *Ducique.* Varo.

scrutaretur, pontesque et aggeres humido paludum et fallacibus campis imponeret, incedunt mœstos locos, visuque ac memoria deformes. Prima Vari castra, lato ambitu, et dimensis principiis,[2] trium legionum manus ostentabant: dein semiruto vallo, humili fossa, accisæ jam reliquiæ consedisse[3] intelligebantur: medio campi albentia ossa, ut fugerant, ut restiterant, disjecta vel aggerata: adjacebant fragmina telorum, equorumque artus, simul truncis arborum antefixa ora;[4] lucis propinquis barbaræ aræ, apud quas tribunos, ac primorum ordinum centuriones mactaverant: et cladis ejus superstites pugnam aut vincula elapsi, referebant, "hic cecidisse legatos; illic raptas aquilas; primum ubi vulnus Varo adactum; ubi infelici dextra, et suo ictu mortem invenerit; quo tribunali concionatus Arminius; quot patibula captivis, quæ scrobes;[5] utque signis et aquilis per superbiam inluserit."

62. Igitur Romanus, qui aderat, exercitus, sextum post cladis annum, trium legionum ossa, nullo noscente alienas reliquias an suorum humo tegeret, omnes ut conjunctos, ut consanguineos, aucta in hostem ira, mœsti simul et infensi condebant. Primum exstruendo tumulo cespitem Cæsar posuit, gratissimo munere in defunctos, et præsentibus doloris socius. Quod Tiberio haud probatum; seu cuncta Germanici in deterius trahenti; sive exercitum imagine cæsorum insepultorumque tardatum ad prælia, et formidolosiorem hostium credebat: "neque imperatorem auguratu[1] et vetustissimis cærimoniis præditum, adtrectare feralia[2] debuisse."

63. Sed Germanicus cedentem in avia Arminium secutus, ubi primum copia fuit, evehi equites, campumque, quem hostis insederat, eripi jubet. Arminius colligi suos, et propin-

2 *Dimensis principiis.* Principia, locus erat, in quo aquilæ et signa legionum servabantur. Hic quoque imperatoris tabernaculum: hic forum, in quo jus dicebatur, et res quæque gravissimæ consultabantur; hic promulgabantur leges, Principis literæ legebantur, dabatur signum pugnæ. Statius, x, 120. 'Ventum ad concilii penetrale, domumque verendam Signorum.' Porro cognitis ac dimensis illis principiis, trium legionum manus, id est, castra ac spatia ostentabant. Inf. de mor. Germ. 37. 'Metiaris molem manusque gentis.'

3 *Consedisse.* Altero pugnæ die castra secunda tentasse intelligebantur.

4 *Antefixa ora.* Ad terrorem et victoriæ memoriam capita Romanorum truncis arborum antefixa.

5 *Quæ scrobes.* Scrobes fossæ erant, in quibus damnati capite plectebantur; mortui terra obruebantur. Inf. An. xv, 67.

1 *Auguratu.* Augur erat Germanicus, et vetustissimis flaminum cærimoniis præditus. Inf. An. ii, 83.

2 *Adtrectare feralia.* Non augures solum, sed Pontifices, et, opinor, omnes sacerdotes, arcebantur a funestis. Apparet ex facto Augusti et Tiberii, qui, velo interposito, mortuos laudarunt.

quare sylvis monitos, vertit repente: mox signum prorumpendi dedit iis, quos per saltus occultaverat. Tunc nova acie turbatus eques, missæque subsidiariæ cohortes, et fugientium agmine impulsæ, auxerant consternationem: trudebanturque in paludem gnaram vincentibus, iniquam nesciis, ni Cæsar productas legiones instruxisset: inde hostibus terror, fiducia militi: et manibus æquis abscessum. Mox reducto ad Amisiam exercitu, legiones classe, ut advexerat, reportat. Pars equitum littore Oceani petere Rhenum jussa. Cæcina, qui suum militem ducebat, monitus, quamquam notis itineribus[1] regrederetur, Pontes longos[2] quam maturrime superare. Angustus is trames, vastas inter paludes, et quondam a L. Domitio aggeratus: cetera limosa, tenacia gravi cœno, aut rivis incerta erant: circum sylvæ paulatim adclives; quas tum Arminius implevit, compendiis viarum, et cito agmine, onustum sarcinis armisque militem cum antevenisset. Cæcinæ, dubitanti quonam modo ruptos vetustate pontes reponeret, simulque propulsaret hostem, castrametari in loco placuit; ut opus,[3] et alii prælium inciperent.

64. Barbari perfringere stationes, seque inferre munitoribus nisi,[1] lacessunt, circumgrediuntur, occursant: miscetur operantium bellantiumque clamor: et cuncta pariter Romanis adversa; locus uligine profunda, idem ad gradum instabilis, procedentibus lubricus; corpora gravia loricis, neque librare pila inter undas poterant. Contra Cheruscis sueta apud paludes prælia, procera membra, hastæ ingentes ad vulnera facienda, quamvis procul: nox demum inclinantes tum legiones adversæ pugnæ exemit. Germani ob prospera indefessi, ne tum quidem sumta quiete, quantum aquarum circumsurgentibus jugis oritur, vertere in subjecta: mersaque humo, et obruto quod effectum operis, duplicatus militi labor. Quadragesimum id stipendium Cæcina parendi, aut imperitandi habebat: secundarum ambiguarumque rerum sciens, eoque interritus. Igitur futura volvens, non aliud reperit, quam ut

1 *Notis itineribus.* Per Bructeros. Sup. c. 60.

2 *Pontes longos.* Pontes illos, seu aggeres, a fluvio Sala vastas inter paludes per *Lankvoorde, Lichtvoorde, Amssen et Koevoorde,* a L. Domitio, Neronis Principis avo, ductos fuisse docet Alting, Notit. Germ. infer. Tab. 2. et p. 53.

3 *Ut opus.* Ut alii pontes reponerent, alii prælium inciperent. *Alii* quoque omisere, Cæsar de B. G. i, 8. Liv. iii, 37.

1 *Inferre—nisi.* Se inferre munitoribus enisi.

hostem[2] sylvis coërceret, donec saucii, quantumque gravioris agminis, anteirent: nam medio montium et paludum porrigebatur planicies, quæ tenuem aciem pateretur. Deliguntur legiones, quinta dextro[3] lateri; unaetvicesima in lævum; primani ducendum ad agmen; vicesimanus adversum secuturos.

65. Nox per diversa inquies: cum barbari festis epulis, læto cantu, aut truci sonore subjecta vallium ac resultantes saltus complerent; apud Romanos invalidi ignes, interruptæ voces,[1] atque ipsi passim adjacerent vallo, oberrarent tentoriis, insomnes magis quam pervigiles. Ducemque terruit dira quies: nam Quinctilium Varum sanguine oblitum, et paludibus emersum, cernere et audire visus est, velut vocantem, non tamen obsecutus, et manum intendentis repulisse. Cœpta luce, missæ in latera legiones, metu an contumacia, locum deseruere: capto propere campo, humentia ultra. Neque tamen Arminius, quamquam libero incursu, statim prorupit: sed ut hæsere cœno fossisque impedimenta, turbati circum milites, incertus signorum ordo, utque tali in tempore sibi quisque properus, et lentæ adversum imperia aures, irrumpere Germanos jubet, clamitans, "En Varus, et eodem iterum fato victæ legiones!" Simul hæc: et cum delectis scindit agmen, equisque maxime vulnera ingerit: illi sanguine suo, et lubrico paludum lapsantes, excussis rectoribus disjicere obvios, proterere jacentes: plurimus circa aquilas labor, quæ neque adversum ferri[2] ingruentia tela, neque figi limosa humo poterant. Cæcina dum sustentat aciem, suffosso equo delapsus circumveniebatur, ni prima legio sese opposuisset: juvit hostium aviditas, omissa cæde, prædam sectantium; enisæque legiones, vesperascente die, in aperta et solida: neque is miseriarum finis: struendum vallum, petendus agger: amissa[3] magna ex parte, per quæ egeritur humus, aut exciditur cespes: non

2 *Quam ut hostem.* Non aliud reperit, quam ut hostem sylvis coerceret, donec Romani, superiore prælio saucii, et quidquid erat gravioris agminis, ut impedimenta, commeatus, aliaque id genus, anteirent.

3 *Quinta dextro.* Hunc legionum ordinem prope *Amssen* imaginari haud difficile. Ad occidentem legio prima, *the van guard;* ad orientem legio vicesima, *the rear guard;* inter utramque mediæ, versus septentrionem legio quinta, versus meridiem legio unaetvicesima, *the main body.*

1 *Interruptæ voces.* Vide Xenoph. Anab. iii, 1. 3. Hom. Il. K. 11.

2 *Adversum ferri.* Quæ neque ferri adversum ingruentia tela, neque figi limosa humo poterant.

3 *Amissa.* Amissa erant magna ex parte instrumenta, per quæ egeritur humus, aut exciditur cespes.

tentoria manipulis, non fomenta sauciis: infectos cœno aut cruore cibos dividentes, funestas tenebras, et tot hominum millibus unum jam reliquum diem lamentabantur.

66. Forte equus abruptis vinculis vagus, et clamore territus, quosdam occurrentium obturbavit: tanta inde consternatio inrupisse Germanos credentium, ut cuncti ruerent ad portas; quarum Decumana[1] maxime petebatur, aversa hosti, et fugientibus tutior. Cæcina, comperto vanam esse formidinem, cum tamen neque auctoritate, neque precibus, ne manu quidem obsistere, aut retinere militem quiret; projectus in limine portæ, miseratione demum, quia per corpus legati eundum erat, clausit viam: simul tribuni et centuriones falsum pavorem docuerunt.

67. Tunc contractos in principia,[1] jussosque dicta cum silentio accipere, temporis ac necessitatis monet. "Unam in armis salutem, sed ea consilio temperanda: manendumque intra vallum, donec expugnandi hostes[2] spe, propius succederent: mox undique erumpendum: illa eruptione ad Rhenum perveniri: quod si fugerent, plures sylvas, profundas magis paludes, sævitiam hostium superesse: at victoribus decus, gloriam: quæ domi cara,[3] quæ in castris honesta," memorat: reticuit de adversis. Equos dehinc, orsus a suis, legatorum tribunorumque, nulla ambitione, fortissimo cuique bellatori tradit, ut hi,[4] mox pedes, in hostem invaderent.

68. Haud minus inquies Germanus, spe, cupidine, et diversis ducum sententiis agebat: Arminio, "sinerent egredi, egressosque rursum per humida et impedita circumvenirent," suadente: atrociora Inguiomero, et læta barbaris, ut "vallum armis ambirent: promtam expugnationem, plures captivos, incorruptam prædam fore." Igitur orta die, proruunt fossas, injiciunt crates, summa valli prensant, raro super[1] milite, et quasi ob metum defixo. Postquam hæsere munimentis, datur

1 *Decumana.* In Romanorum castris quatuor erant portæ, quarum præcipuæ Prætoria et Decumana. Prætoria vulgo orienti, semper hosti obversa. Decumana, Prætoriæ et hosti aversa, ac proinde fugientibus tutior. Per illam delinquentes milites ad pœnam educebantur. Veget. i, 23.

1 *In principia.* De principiis dictum sup. c. 61.

2 *Expugnandi hostes.* Donec hostes, expugnandi spe, propius succederent.

3 *Domi cara.* Si fugerent, plures sylvas, profundas magis paludes, sævitiam, seu vim impetumque hostium; at victoribus, decus ac gloriam superesse. Parentes, amicos, ceteraque, quæ domi cara sunt; munera et dona militaria, quæ in castris honesta, memorat.

4 *Ut hi.* Ut hi primum, deinde pedites, in hostem invaderent.

1 *Raro super.* Raro super vallum milite.

cohortibus signum, cornuaque ac tubæ concinuere: exin clamore et impetu tergis Germanorum circumfunduntur, exprobrantes, "non hic sylvas, nec paludes, sed æquis locis æquos deos." Hosti, facile excidium, et paucos et semermos cogitanti, sonus tubarum, fulgor armorum, quanto inopina, tanto majora offunduntur: cadebantque, ut rebus secundis avidi, ita adversis incauti. Arminius integer, Inguiomerus post grave vulnus, pugnam deseruere: vulgus trucidatum est, donec ira et dies permansit. Nocte demum reversæ legiones, quamvis plus vulnerum,[2] eadem ciborum egestas fatigaret, vim, sanitatem, copias, cuncta in victoria habuere.[3]

69. Pervaserat interim "circumventi exercitus" fama, et "infesto Germanorum agmine Gallias peti:" ac ni Agrippina impositum Rheno[1] pontem solvi prohibuisset, erant qui id flagitium formidine auderent: sed fœmina ingens animi, munia ducis per eos dies induit, militibusque ut quis inops, aut saucius, vestem et fomenta[2] dilargita est. Tradit C. Plinius,[3] Germanicorum bellorum scriptor, stetisse apud principium pontis, laudes et grates reversis legionibus habentem. Id Tiberii animum altius penetravit. "Non enim simplices[4] eas curas: nec adversus externos militem quæri: nihil relictum imperatoribus, ubi fœmina manipulos intervisat, signa adeat, largitionem tentet, tamquam parum ambitiose filium ducis[5] gregali habitu circumferat, *Cæsarem*que *Caligulam* appellari velit. Potiorem jam apud exercitus Agrippinam, quam legatos, quam duces: compressam a muliere seditionem,[6] cui nomen Principis obsistere non quiverit." Accendebat hæc, onerabatque Sejanus, peritia morum Tiberii, odia in longum[7] jaciens, quæ reconderet, auctaque promeret.

2 ***Plus vulnerum.*** Accepta enim erant nova vulnera. Legiones Vetera castra, nunc *Santen*, reversæ sunt.

3 ***Cuncta—habuere.*** Sensus: quamvis tot adversa premerent, tamen gaudio partæ victoriæ libenter tolerasse, eamque instar vis, sanitatis, copiarum habuisse.

1 ***Impositum Rheno.*** Apud Vetera castra. Nec audiendus Lipsius, qui existimat pontem illum apud Treveros fuisse, et eumdem esse, de quo agit Strabo iv, p. 194.

2 ***Et fomenta.*** Nempe vulneribus. Solent enim hoc Imperatores conciliandis militibus; fecitque Trajanus. Vide Suidam in λαμπάδιον, et me in Plinii Paneg. c. 13. *Lips.*

3 ***C. Plinius.*** Eruditissimus historiæ naturalis scriptor, 'bella omnia, quæ unquam cum Germanis gesta sunt, viginti voluminibus comprehenderat.' Suet. de viris illustr.

4 ***Non—simplices.*** Non enim simplices esse ac sinceras curas illas, sed fucatas; nec quæri militem adversus externos hostes, sed adversus patriam et Principem.

5 ***Filium ducis.*** C. Caligulam. De gregali ejus habitu dictum sup. c. 41.

6 ***Seditionem.*** Seditionem inferioris exercitus, nunc victoris. Sup. c. 40.

7 ***In longum.*** I. e., odii materiam præparans, et semina invidiæ spargens in animum Tiberii, quæ longo tempore post se

70. At Germanicus legionum,[1] quas navibus vexerat, secundam et quartamdecimam itinere terrestri P. Vitellio[2] ducendas tradit, quo levior classis vadoso mari[3] innaret, vel reciproco sideret. Vitellius primum iter sicca humo, aut modice adlabente æstu, quietum habuit. Mox impulsu aquilonis,[4] simul sidere æquinoctii,[5] quo maxime tumescit Oceanus, rapi agique agmen: et opplebantur terræ: eadem freto, littori, campis facies: neque discerni poterant incerta ab solidis, brevia a profundis. Sternuntur fluctibus, hauriuntur gurgitibus: jumenta, sarcinæ, corpora exanima, interfluunt, occursant: permiscentur inter se manipuli, modo pectore, modo ore tenus extantes, aliquando subtracto solo disjecti aut obruti: non vox, et mutui hortatus juvabant, adversante unda: nihil strenuus ab ignavo, sapiens ab imprudenti, consilia a casu differre: cuncta pari violentia involvebantur. Tandem Vitellius in editiora[6] enisus, eodem agmen subduxit: pernoctavere sine utensilibus, sine igni, magna pars nudo aut mulcato corpore, haud minus miserabiles, quam quos hostis circumsidet: quippe illis etiam honestæ mortis usus, his inglorium exitium: lux reddidit terram; penetratumque ad amnem Unsingin,[7] quo Cæsar classe contenderat: impositæ deinde legiones, vagante fama[8] submersas; nec fides salutis, antequam Cæsarem exercitumque reducem videre.

71. Jam Stertinius, ad accipiendum in deditionem Segimerum fratrem Segestis præmissus, ipsum et filium ejus[1] in civitatem Ubiorum[2] perduxerat: data utrique venia, facile Segimero, cunctantius filio; quia Quinctilii Vari corpus inlusisse dicebatur. Ceterum ad supplenda exercitus damna certavere Galliæ, Hispaniæ, Italia; quod cuique promtum, arma, equos, aurum offerentes: quorum laudato studio Germanicus, armis modo et equis ad bellum sumtis, propria pecu-

exsereret. Sequentia, 'quæ reconderet' &c. de Tiberio intelligenda sunt, et explicant *in longum*.

1 ***Legionum***. Superioris exercitus.

2 ***P. Vitellio***. Vitellii imperatoris patruo. Suet. in Vitell. 2. V. stemma Vitelliorum inter not. et em. Hist. i, 9.

3 ***Vadoso mari***. Mare illud vadosum inter insulas *Borkum* et *Schelling*.

4 ***Impulsu aquilonis***. Proprie Cori, *North-west*. Alting. Notit. Germ. inf. p. 4.

5 ***Æquinoctii***. Autumnalis.

6 ***In editiora***. Edita hæc loca adhuc videntur in ripa dextra amnis Unsings.

7 ***Ad—Unsingin***. Unsingis, nunc *Funse*, vel *Hunsing*, cui adjacet urbs *Gronngen*. V. not. et em. ad An. i, 70.

8 ***Vagante fama***. In inferiore Germania.

1 ***Filium ejus***. Sesitachum. V. ejus stem. sup. c. 55.

2 ***Civitatem Ubiorum***. Et, ut videtur, Aram Ubiorum, *Bonn*.

nia militem juvit. Utque cladis memoriam etiam comitate leniret, circumire saucios; facta singulorum extollere; vulnera intuens, alium spe, alium gloria, cunctos alloquio et cura, sibique et prælio firmabat.

72. Decreta eo anno triumphalia insignia[1] A. Cæcinæ, L. Apronio, C. Silio, ob res cum Germanico gestas. Nomen *patris patriæ* Tiberius, a populo sæpius ingestum, repudiavit: neque in acta sua jurari, quamquam censente senatu, permisit: "cuncta mortalium incerta, quantoque plus adeptus foret, tanto se magis in lubrico" dictans. Non tamen ideo faciebat fidem civilis animi: nam legem majestatis reduxerat, cui nomen apud veteres idem, sed alia in judicium veniebant; si quis proditione exercitum, aut plebem seditionibus, denique male gesta republica majestatem populi Romani minuisset: facta arguebantur, dicta impune erant. Primus Augustus cognitionem de famosis libellis, specie legis[2] ejus tractavit, commotus Cassii Severi libidine, qua viros fœminasque inlustres procacibus scriptis diffamaverat: mox Tiberius, consultante Pompeio Macro prætore, "an judicia majestatis redderentur?" "exercendas leges esse" respondit. Hunc quoque asperavere carmina, incertis auctoribus[3] vulgata in sævitiam superbiamque ejus, et discordem cum matre animum.

73. Haud pigebit referre, in Falanio et Rubrio, modicis equitibus Romanis, prætentata crimina; ut, quibus initiis, quanta Tiberii arte, gravissimum exitium irrepserit, dein repressum sit,[1] postremo arserit, cunctaque corripuerit, noscatur. Falanio objiciebat accusator, "quod inter cultores Augusti, qui per omnes domos in modum collegiorum habebantur, Cassium quemdam mimum corpore infamem adscivisset: quodque venditis hortis, statuam Augusti simul mancipasset." Rubrio crimini dabatur, "violatum perjurio[2] nomen Augusti."

1 *Triumphalia insignia.* De his ornamentis dicitur inf. Vit. Agr. 40.

2 *Specie legis.* Jam olim xii. Tabulis prohibiti libelli famosi. At eorum cognitionem specie legis majestatis Augustus primus tractavit. Dio lvi, p. 587. Hor. ii, Ep. 1. 152. 'Quin etiam lex, Pœnaque lata, malo quæ nollet carmine quemquam Describi.' De Cass. Severo plura An. iv, 21.

3 *Incertis auctoribus.* Intelligit ea ipsa carmina, quæ extant Suet. c. 59. *Lips.*

1 *Repressum sit.* Irrepsit sub Tiberio, repressum a Tito, Suet. in Tit. 8. Exarsit et cuncta corripuit sub Domitiano, Suet. in Domit. 10 et 11.

2 *Violatum perjurio.* Vulgatum, ut sanctissimum jusjurandum esset per nomen et numen Augusti. Horatius id accidisse testatur, eo etiam vivo, Ep. ii, 1. 15. Sapiens ille Claudius, 'jusjurandum neque sanctius sibi neque crebrius instituit, quam per Augustum.'

Quæ ubi Tiberio notuere, scripsit consulibus; "Non ideo decretum patri suo cœlum, ut in perniciem civium is honor verteretur. Cassium histrionem solitum inter alios ejusdem artis interesse ludis, quos mater[3] sua in memoriam Augusti sacrasset. Nec contra religiones fieri, quod effigies ejus, ut alia numinum simulacra, venditionibus hortorum et domuum accedant. Jusjurandum perinde æstimandum, quam si Jovem fefellisset: Deorum injurias Diis curæ."[4]

74. Nec multo post Granium Marcellum, Prætorem Bithyniæ, quæstor ipsius Cæpio Crispinus majestatis postulavit, subscribente[1] Romano Hispone: qui formam vitæ iniit, quam postea celebrem miseriæ temporum, et audaciæ hominum fecerunt: nam egens, ignotus, inquies, dum occultis libellis sævitiæ principis adrepit,[2] mox clarissimo cuique periculum facessit, potentiam apud unum, odium apud omnes adeptus, dedit exemplum, quod secuti, ex pauperibus divites, ex contemtis metuendi, perniciem aliis, ac postremum sibi invenere. Sed Marcellum insimulabat, "sinistros de Tiberio sermones habuisse:" inevitabile crimen, cum ex moribus Principis fœdissima quæque deligeret accusator, objectaretque reo: nam quia vera erant, etiam dicta credebantur. Addidit Hispo, "statuam Marcelli altius, quam Cæsarum sitam: et alia in statua, amputato capite[3] Augusti, effigiem Tiberii inditam:" ad quod exarsit adeo, ut rupta taciturnitate proclamaret, "se quoque in ea causa laturum sententiam palam et juratum."[4] quo ceteris eadem necessitas fieret. Manebant etiam tum vestigia morientis libertatis. Igitur Cn. Piso, "Quo," inquit, "loco censebis, Cæsar? si primus, habebo quod sequar: si post omnes, vereor ne imprudens dissentiam:" permotus his, quantoque incautius efferbuerat pœnitentia patiens,[5] tulit

3 *Quos mater.* Peculiares illos ludos a Livia institutos, et postea ab imperatoribus celebratos memorat Dio lvi, p. 600.

4 *Diis curæ.* Suas quidem injurias ulciscitur Deus. Ne tamen omnes impunitas sinant Principes: sed gravissimas quasque, religioni et imperio perniciosas, ulciscantur, ut populis, ut sibi consulant.

1 *Subscribente.* De his accusationum subscriptoribus v. Sigon. de Judiciis, ii, 10.

2 *Sævitiæ—adrepit.* I. e. sævitiæ materiam subministrando gratiam ejus colligit; quæ mox dicitur *potentia*, ut sæpe. iii, 50. 'mulierculárum animis adrepit.' *Ern.*

3 *Amputato capite.* Statuarum capita aliquando permutabant Romani, teste Plinio, xxxv, 2. Sed hæc, aliaque plurima crimini vertebantur, Principe Tiberio. Suet. Tib. 58.

4 *Et juratum.* In gravibus judiciis jurare soliti erant judices. Inde Plin. xxxiii, 34. 'Vir optimus semel a condito ævo judicatus est Scipio Nasica a jurato senatu.'

5 *Pœnitentia patiens.* Et patiens pœnitentia, quod incautius efferbuerat. V. not. et em. ad c. 74.

absolvi reum criminibus majestatis: de pecuniis repetundis, ad reciperatores[6] itum est.

75. Nec patrum cognitionibus satiatus, judiciis adsidebat in cornu tribunalis, ne prætorem curuli depelleret: multaque eo coram, adversus ambitum et potentium preces constituta: sed dum veritati consulitur, libertas corrumpebatur.[1] Inter quæ Pius Aurelius, senator, questus "mole publicæ viæ,[2] ductuque aquarum, labefactas ædes suas," auxilium patrum invocabat: resistentibus ærarii prætoribus, subvenit Cæsar, pretiumque ædium Aurelio tribuit, erogandæ per honesta pecuniæ cupiens: quam virtutem diu retinuit, cum ceteras exueret. Propertio Celeri prætorio, veniam ordinis ob paupertatem petenti, decies sestertium[3] largitus est, satis comperto, paternas ei angustias esse: tentantes eadem alios, probare causam senatui jussit; cupidine severitatis, in his etiam, quæ rite faceret, acerbus: unde ceteri silentium et paupertatem confessioni et beneficio præposuere.

76. Eodem anno continuis imbribus auctus Tiberis, plana urbis stagnaverat: relabentem secuta est ædificiorum et hominum strages. Igitur censuit Asinius Gallus, "ut libri Sibyllini[1] adirentur:" renuit Tiberius, perinde divina humanaque obtegens: sed remedium coercendi fluminis Ateio Capitoni, et L. Arruntio mandatum. Achaiam ac Macedoniam onera deprecantes, levari in præsens proconsulari imperio,[2] tradique Cæsari placuit. Edendis gladiatoribus, quos Germanici fratris[3] ac suo nomine obtulerat, Drusus præsedit, quamquam vili sanguine nimis gaudens: quod vulgus formi-

6 *Ad reciperatores.* Recuperatores, judices erant, qui de rebus privatis recipiendis reddendisque cognoscebant, ita ut quisque suum recuperaret. Sigon. de Judiciis, i, 22.

1 *Libertas corrumpebatur.* Veritati quidem Tiberius consulebat præsentia, sed libertatem corrumpebat majestate et reverentia. Putide Vellei. ii, 129. 'Cum quanta gravitate, ut senator et judex, non ut Princeps et causas pressius audit!'

2 *Mole publicæ viæ.* Ab ingentibus illis silicibus, quibus tum viæ omnes publicæ sternerentur, istam molem fuisse putat Muretus. Alii per reparationem atque aggerationem viæ domum istam labefactam putant. Freinshemio aliter visum, ob locum Plin. xxxvi, 2. ubi de columnis marmoreis in atrio Scauri collocatis: 'Satisdari sibi damni infecti egit redemtor cloacarum, cum in palatium extraherentur.'

3 *Decies sestertium.* Decies centena millia sestertium, *Angl.* 8333*l.* 6*s.* 8*d.*

1 *Libri Sibyllini.* In novis aut afflictis rebus Sibyllini libri consulebantur, et vulgo calamitates portendebant, quod oraculis familiare. V. Plin. xvii, 25. et Onuphr. Panvinium, De libris Sibyllinis.

2 *Proconsulari imperio.* Ita ut non jam a populo administrarentur, sed Cæsaris essent. V. not. et em.

3 *Germanici fratris.* Adoptione. In Sardianorum nummis apud Harduinum Select. Opera, p. 149. ΔΡΟΥΣΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΑΔΕΛΦΟΙ. Dru-

dolosum,[4] et pater arguisse dicebatur: cur abstinuerit spectaculo ipse, varie trahebant; alii tædio cœtus, quidam tristitia ingenii,[5] et metu comparationis, quia Augustus comiter interfuisset. Non crediderim ad ostentandam sævitiam,[6] movendasque populi offensiones, concessam filio materiem: quamquam id quoque dictum est.

77. At theatri licentia, proximo priore anno[1] cœpta, gravius tum erupit, occisis non modo e plebe, sed militibus et centurione,[2] vulnerato tribuno prætoriæ cohortis, dum probra in magistratus et dissensionem vulgi prohibent. Actum de ea seditione apud patres, dicebanturque sententiæ, "ut prætoribus jus virgarum in histriones esset:" intercessit Haterius Agrippa tribunus plebei, increpitusque est Asinii Galli oratione, silente Tiberio, qui ea simulacra libertatis senatui præbebat: valuit tamen intercessio, quia divus Augustus "immunes verberum histriones" quondam responderat,[3] neque fas Tiberio infringere dicta ejus. De modo lucaris,[4] et adversus lasciviam fautorum, multa decernuntur; ex queis maxime insignia: "Ne domos Pantomimorum[5] senator introiret: ne egredientes in publicum, equites Romani cingerent: aut alibi, quam in theatro, spectarentur: et spectantium immodestiam exilio multandi potestas prætoribus fieret."

78. Templum [1] ut in colonia Tarraconensi strueretur Augusto, petentibus Hispanis permissum; datumque in omnes

sus Cæsar, Germanicus Cæsar, fratres.

4 *Quod vulgus formidolosum.* Quod populo formidinem injiciebat. V. not. et em. ad An. i, 76.

5 *Tristitia ingenii.* Plin. xxviii, 2. §. 5. 'Cur sternumentis salutamus? Quod etiam Tiberium Cæsarem, tristissimum, ut constat, hominum, in vehiculo exegisse tradunt.'

6 *Ostentandam sævitiam.* Drusi, filii sui.

1 *Proximo—anno.* Ut dictum sup. c. 54. V. Misc. Obs. ix, 295. Ante biennium puto, anno, qui proximo prior fuit.

2 *Militibus et centurione.* Qui ludis adsidebant, ut turbas et rixas comprimerent.

3 *Responderat.* Quam facilis fuerit histrionibus, quomodo cum illis egerit Augustus fuse explicat Suet. in Aug. 45.

4 *Lucaris.* *Lucar* dicebatur pecunia, quæ in spectacula erogabatur. V. not. et em. ad An. i, 77.

5 *Pantomimorum.* Magnum studium, ut video, Romanorum in has nugas hominum, immo furor. Vestibula eorum, quasi principum, frequentabantur: adhærebant egressibus, non vulgus modo, sed Eques Senatusque. Plinius, xxi, 1.

1 *Templum.* Templum illud exhibent nummi plurimi Tarraconensium. In antica parte, DEO AVGVSTO, Augustus sedet, capite radiato, sinistra hastæ innixus, dextra victoriam tenens. In postica parte, templum, AETERNITATIS AVGVSTAE CVTT. Id est, 'Colonia Victrix Togata Tarraco.' Plura v. ap. Cl. V. Florez, *Medallas de Espana.* Tabla xliv, p. 583. sq. Exemplum illud provincias omnes pervasit. Inde tot templa Augusto erecta. Tarraco, olim citerioris Hispaniæ caput, nunc *Tarragon*, in Catalonia.

provincias exemplum. Centesimam[2] rerum venalium post bella civilia institutam deprecante populo, edixit Tiberius "militare ærarium eo subsidio niti: simul imparem oneri[3] rempublicam, nisi vicesimo militiæ anno veterani dimitterentur:" ita proximæ seditionis male consulta, quibus sexdecim stipendiorum finem expresserant,[4] abolita in posterum.

79. Actum deinde in senatu ab Arruntio et Ateio, an ob moderandas Tiberis exundationes verterentur flumina et lacus, per quos augescit. Auditæque municipiorum et coloniarum legationes, orantibus Florentinis, "ne Clanis[1] solito alveo demotus in amnem Arnum[2] transferretur, idque ipsis perniciem adferret." Congruentia his Interamnates[3] disseruere: "pessum ituros fœcundissimos Italiæ campos, si amnis Nar"[4] (id enim parabatur) "in rivos diductus, superstagnavisset." Nec Reatini[5] silebant, Velinum lacum,[6] qua in Narem effunditur, obstrui recusantes; "quippe in adjacentia erupturum: optime rebus mortalium consuluisse naturam, quæ sua ora fluminibus, suos cursus, utque originem, ita fines dederit: spectandas etiam religiones sociorum, qui sacra, et lucos,[7] et aras patriis amnibus[8] dicaverint: quin ipsum Tiberim nolle, prorsus accolis fluviis orbatum, minore gloria fluere." Seu preces coloniarum, seu difficultas operum, sive superstitio valuit, ut in sententiam Pisonis concederetur, qui nil mutandum censuerat.

2 *Centesimam.* Nec tantum centesima venalium, sed vicesima etiam hereditatum et legatorum, quæ a maxime propinquis et pauperibus non relinquerentur, ærario militari ab Augusto contributa. Dio lv, p. 565.

3 *Imparem oneri.* Ob præmia tanto plura, quanto brevius militiæ tempus, veteranis danda. Nec immerito hæc queritur Tiberius. Cum enim, exactis militiæ annis, darentur singulis militibus XII HS, ut dictum est sup. c. 17. si annus sextus decimus, non vero vicesimus, esset stipendiorum finis, tunc intra annos octoginta pro sola legionariorum missione solito majorem XVIII III HS, *Angl.* 1500*l.* impensam faciebat respublica: tanto oneri certe impar.

4 *Expresserant.* Ut dictum sup. c. 36.

1 *Clanis.* Clanis, nunc *Chiana,* in Tiberim defluit.

2 *Arnum.* Arnus, nunc *Arno.* 'Florentini præfluenti Arno appositi.' Plin. iii, 5.

3 *Interamnates.* Plin. iii, 14. 'Interamnates cognomine Nartes.' Quorum caput Interamna, nunc *Terni,* in Umbria. Civem suum fuisse Tacitum gloriantur, ut dictum est in Præf.

4 *Amnis Nar.* Amnis Umbriæ. Nunc dicitur *Nera.*

5 *Reatini.* Reatinorum urbs princeps Reate, nunc *Rieti,* in Umbria.

6 *Velinum lacum.* Lacus ille nunc appellatur *Lago di piè di Luco,* in Umbria.

7 *Sacra—lucos.* Nam fluvii priscis inter Deos: et res notior, quam ut exemplis firmetur. *Lips.*

8 *Patriis amnibus.* Loquitur de fluviis, ut de Diis, unde etiam mox 'accolas Tiberis' vocat. 'Amnes patrii' sunt, a majoribus culti, quorum cultus a majoribus traditus est. *Ern.*

80. Prorogatur Poppæo Sabino provincia Mœsia, additis Achaia et Macedonia.[1] Id quoque morum Tiberii fuit, continuare imperia, ac plerosque ad finem vitæ in iisdem exercitibus, aut jurisdictionibus[2] habere. Causæ variæ traduntur: alii "tædio novæ curæ, semel placita pro æternis servavisse:" quidam "invidia, ne plures fruerentur:" sunt qui existiment, "ut callidum ejus ingenium, ita anxium judicium:"[3] neque enim eminentes virtutes sectabatur, et rursum vitia oderat: ex optimis, periculum sibi; a pessimis, dedecus publicum metuebat: qua hæsitatione postremo eo provectus est, ut mandaverit quibusdam provincias, quos egredi Urbe non erat passurus.

81. De comitiis consularibus,[1] quæ tum primum illo principe, ac deinceps fuere, vix quidquam firmare ausim; adeo diversa, non modo apud auctores, sed in ipsius orationibus reperiuntur. Modo, subtractis[2] candidatorum nominibus, originem cujusque, et vitam, et stipendia descripsit, ut qui forent intelligeretur: aliquando, ea quoque significatione subtracta,[3] candidatos hortatus, ne ambitu comitia turbarent, suam ad id curam pollicitus est: plerumque, "eos tantum apud se professos" disseruit, "quorum nomina consulibus edidisset; posse et alios profiteri, si gratiæ, aut meritis confiderent:" speciosa verbis, re inania, aut subdola: quantoque majore libertatis imagine tegebantur, tanto eruptura ad infensius servitium.

1 *Achaia et Macedonia.* Quas Cæsari attributas vidimus sup. c. 76. Postea populo redditæ, ut dicetur in not. et em. ad An. i, 80. et in suppl. An. x, 7.

2 *Aut jurisdictionibus.* Ceterisque potestatibus, quæ jus dicebant in provinciis. Erant in Urbe magistratus, in provinciis potestates. Suet. Claud. 23.

3 *Anxium judicium.* Quod verius puto.

1 *Comitiis consularibus.* De comitiis, quæ sub Tiberii principatu primum hoc anno, ac deinceps fuere, ut crearentur consules, vix quidquam affirmare ausim.

2 *Modo, subtractis.* Reticendo candidatorum nomina.

3 *Significatione subtracta.* Hac quoque significatione aliquando suppressa et omissa, candidatos hortabatur, ne ambitu comitia turbarent, se id curaturum pollicitus. Plerumque dixit eos tantum, quorum nomina consulibus indicasset, apud ipsum professos se esse candidatos; posse et alios profiteri, si vel gratiæ, ob majorum amicorumque memoriam, vel meritis, ob beneficia in patriam collata, confiderent. Speciosa quidem verba, sed inania. Comitiis enim ita dominabitur, ut per simulationem tantum ea habere videretur. De his plura Dio lviii, p. 634.

BREVIARIUM

LIBRI SECUNDI

ANNALIUM.

---

1. Motus aliqui in Oriente. 3. Vonones, Parthorum Rex, solio ab Artabano pulsus, et ad Armenios profugus, ab his in regnum accipitur: quo mox demovetur ob metum et Artabani minas. 5. Tiberius specie moti Orientis, Germanicum a Germanicis legionibus abstrahit. Paret ille, sed lente. Germaniam enim ingreditur. Cheruscos et Arminium magno prælio vincit. Mox adversa maris expertus, quæ prospera in Marsos expeditione pensavit. 27. Libo Drusus rerum novarum accusatus. Spretæ M. Hortali preces. 39. Clemens, ementito Postumi Agrippæ nomine, turbat. Sallustii Crispi artibus capitur, et Romam perducitur. 41. Germanicus de Cattis, Cheruscis, aliisque nationibus usque ad Albim triumphat. 42. Archelaus, Cappadocum rex, dolo in urbem accitus, et indigne habitus, moritur. Regnum ejus in provinciam redactum. 43. Germanico Oriens permissus; Pisoni Syria, cum occultis, ut creditur, in Germanicum mandatis. 44. Drusus in Illyricum mittitur contra Germanos, qui inter se discordes otium et securitatem Romanis fecere. 45. Cherusci, duce Arminio, potentem et veterem regem Maroboduum, magno nec incruento prælio vincunt. 47. In Asia duodecim urbes terræ motu collapsæ. Tiberii liberalitas. 50. Adolescit lex majestatis. 52. Tacfarinas in Africa bellum movet. A. Furio Camillo statim repressus. 53. Germanicus, iterum consul, in Armeniam venit: regem Zenonem, amoto Vonone, volentibus iis imponit. Deinde Ægyptum proficiscitur. 62. Drusus Germanos ad discordias inlicit. Maroboduus, vi Catualdæ regno pulsus, in Italiam venit, et Ravennæ per duodeviginti annos egit. Idem Catualdæ mox casus, qui Forum Julium missus est. 64. Rhescuporis, Thracum rex, opera Pomponii Flacci datur in vincula: Romam perducitur. 68. Vononis cædes. 69. Germanicus, Ægypto remeans, cuncta, quæ jusserat, a Pisone abolita, vel in contrarium versa reperit. Hinc inimicitiarum

semina. Paulo post morbo correptus, cum ingenti gentium omnium luctu, Antiochiæ extinguitur. 74. Piso, veneficii suspectus, Syriam repetere impeditur. 83. Honores multi mortuo Germanico Romæ decreti. 85. Sanctiones contra muliebrem impudicitiam. 86. Virginis Vestalis delectus. 87. Arminius in Germania popularium dolo cæsus.

Hæc gesta annis quatuor.

A.U.C.	J.C.		
DCCLXIX.	16.	Coss.	T. Statilio Sisenna Tauro, L. Scribonio Libone.
DCCLXX.	17.	Coss.	C. Cæcilio Rufo, L. Pomponio Flacco Græcino.
DCCLXXI.	18.	Coss.	Tiberio Cæsare Augusto III, Germanico Cæsare II.
DCCLXXII.	19.	Coss.	M. Junio Silano, L. Norbano Flacco.

C. CORNELII TACITI

ANNALES.

LIBER SECUNDUS.

A. U. C. 769. J. C. 16.

1. SISENNA Statilio Tauro, L. Libone Consulibus,[1] mota Orientis regna, provinciæque Romanæ;[2] initio apud Parthos orto, qui petitum Roma, acceptumque regem, quamvis gentis Arsacidarum,[3] ut externum aspernabantur. Is fuit Vonones, obses Augusto datus a Phraate.[4] Nam Phraates, quamquam depulisset exercitus, ducesque Romanos,[5] cuncta venerantium officia ad Augustum verterat;[6] partemque prolis, firmandæ amicitiæ, miserat: haud perinde nostri metu, quam fidei popularium diffisus.

2. Post finem Phraatis et sequentium regum,[1] ob internas cædes, venere in urbem legati a primoribus Parthis, qui Vononen[2] vetustissimum liberorum ejus accirent. Magnificum

1 *Libone Coss.* T. Statilius Sisenna Taurus et L. Scribonius Libo consulatum gessere A. U. C. 769. J. C. 16. Prænomen Statilii Sisennæ docuit vetus lapis inter Fabretti inscr. p. 701.

2 *Provinciæque Romanæ.* Regnis Orientis conterminæ.

3 *Arsacidarum.* Arsacidæ dicti reges Parthi ab Arsace imperii Parthici conditore.

4 *A Phraate.* Phraate IV. V. not. et em. ad An. ii, 1. Ibi canon regum Parthorum proponitur.

5 *Ducesque Romanos.* Antonium, Oppium Statianum, aliosque duces Romanos vicit ac depulit Phraates. Plut. in Anton. p. 938. Dio xlix, p. 407. sq.

6 *Verterat.* Ita quidem verterat, ut signa, quæ oppresso Crasso, pulso Antonio, ceperant Parthi, Augusto remitteret, eique quatuor suos filios obsides committeret. Verebatur enim ne populi, scelera exosi, sibi insidias struerent. Hæc fuse prosequuntur Strabo vi, p. 288. xvi, p. 748. Vellei. ii, 91 et 94. Suet. in Aug. 43. Negligenter vero nec satis accurate Dio li, p. 456. liii, p. 519. In veteri inscrip. quæ extat Romæ in hortis Medicæis, Gruter. p. 288. n. 2. memorantur duo Phraatis filii,

SERASPADANES. PHRAATIS
ARSACIS. REGVM. REGIS. F
PARTHVS
RHODASPES. PHRAATIS
ARSACIS. REGVM. REGIS. F
PARTHVS.

1 *Sequentium regum.* Phraatis et Orodis II. V. canon. regum Parthorum l. sup. cit.

2 *Vononen.* Accitus est Vonones circa annum U. C. 766. J. C. 13. Vononis initia

id sibi credidit Cæsar,[3] auxitque opibus: et accepere barbari lætantes, ut ferme ad nova imperia. Mox subit pudor, "degeneravisse Parthos: petitum alio ex orbe regem[4] hostium artibus infectum: jam inter provincias Romanas solium Arsacidarum haberi, darique. Ubi illam gloriam trucidantium Crassum,[5] exturbantium Antonium, si mancipium Cæsaris, tot per annos servitutem perpessum, Parthis imperitet?" Accendebat dedignantes et ipse,[6] diversus a majorum institutis, raro venatu, segni equorum cura, quotiens per urbes incederet lecticæ gestamine, fastuque erga patrias epulas: inridebantur et Græci comites, ac vilissima utensilium anulo clausa:[7] sed promti aditus,[8] obvia comitas, ignotæ Parthis virtutes, nova vitia;[9] et quia ipsorum moribus aliena, perinde odium pravis et honestis.

3. Igitur Artabanus[1] Arsacidarum e sanguine, apud Dahas[2] adultus, excitur; primoque congressu fusus, reparat vires, regnoque potitur. Victo Vononi perfugium Armenia fuit, vacua tunc, interque Parthorum et Romanas opes infida, ob scelus Antonii, qui Artavasden, regem[3] Armeniorum, specie amicitiæ inlectum, dein catenis oneratum, postremo interfecerat. Ejus filius Artaxias,[4] memoria patris nobis infensus, Arsacidarum vi seque regnumque tutatus est. Occiso Artaxia per dolum propinquorum, datus a Cæsare[5] Armeniis Tigranes,[6] deductusque in regnum a Tiberio Nerone. Nec

cum annis u. c. 757 et 759. connectit V. Cl. Vaillant Arsacid. imp. p. 191 et 10. Errat in utroque, ut ex ipso Tacito patet.

3 *Cæsar.* Augustus, non vero Tiberius, ut perperam existimavit R. P. Gillet, qui hac in re Josephum adulteravit, Antiq. Judaic. xviii, 2.

4 *Petitum—regem.* Sic Parthi sæpius regem ab Imperatoribus Rom. poposcerunt; universus enim terrarum orbis in Romanos et in Parthos divisus videbatur. *Muretus.*

5 *Trucidantium Crassum.* Crassum trucidavit Orodes I. Antonium exturbavit Phraates IV. Florus iii, 11. iv, 10. V. canon. regum Parthorum.

6 *Et ipse.* Vonones.

7 *Anulo clausa.* Vilissima utensilium, nec nisi ad luxum comparata, Romano more inter pretiosissimam supellectilem asservata, et anulo clausa.

8 *Promti aditus.* Cum alioqui Parthorum reges, neque facile spectandi sui copiam facere, neque quenquam ad colloquium, sine magno molimine, admittere solerent; aditusque ad ipsos ardui ac difficiles essent. *Muretus.*

9 *Nova vitia.* Illæ ipsæ virtutes, Parthis ignotæ, nova videbantur vitia.

1 *Artabanus.* Artabanus II. V. canon. regum Parthorum.

2 *Apud Dahas.* Dahæ, populi Scythiæ, Oxo flumini vicini, et maris Caspii accolæ, nunc *the Dahistan.* De his Virg. Æn. viii, 728. 'Indomitique Dahæ.'

3 *Artavasden, regem.* Romanos prius deceperat Artavasdes. Strabo xi, p. 524. V. not. et em. ad An. ii, 3. Ibi canon regum Armeniorum dabitur.

4 *Artaxias.* Artaxias II. V. canon. regum Armeniorum.

5 *Datus a Cæsare.* Expressit Tac. antiquam formulam, quæ in veteribus quoque numismatibus extat. REX. ARMENIS. DATVS. REX. PARTHIS. DATVS. et cetera id genus. *Ursinus.*

6 *Tigranes.* Errat Dio, qui Tigranen in solio restitutum dicit, lib. liv. p. 526.

Tigrani diuturnum imperium fuit, neque liberis ejus, quamquam sociatis more externo[7] in matrimonium regnumque. Dein jussu Augusti impositus Artavasdes,[8] et non sine clade nostra dejectus.

4. Tum C. Cæsar[1] componendæ Armeniæ deligitur. Is Ariobarzanen, origine Medum, ob insignem corporis formam, et præclarum animum, volentibus Armeniis præfecit. Ariobarzane morte fortuita absumto, stirpem ejus haud toleravere: tentatoque fœminæ imperio, cui nomen Erato, eaque brevi pulsa, incerti solutique et magis sine domino, quam in libertate,[2] profugum Vononen in regnum accipiunt. Sed ubi minitari Artabanus, et parum subsidii in Armeniis, vel si nostra vi defenderetur, bellum adversus Parthos sumendum erat: rector Syriæ Creticus Silanus[3] excitum custodia circumdat, manente luxu et regio nomine: quod ludibrium ut effugere agitaverit Vonones, in loco[4] reddemus.

5. Ceterum Tiberio haud ingratum accidit turbari res Orientis, ut ea specie Germanicum suetis legionibus[1] abstraheret; novisque provinciis impositum, dolo simul[2] et casibus objectaret. At ille, quanto acriora in eum studia militum, et aversa patrui voluntas, celerandæ victoriæ intentior,[3] tractare præliorum vias, et quæ sibi tertium jam annum belligeranti sæva vel prospera evenissent: "fundi Germanos acie et justis locis;[4] juvari sylvis, paludibus, brevi æstate, et præmatura hieme: suum militem haud perinde vulneribus, quam spatiis itinerum, damno armorum[5] adfici: fessas Gallias ministrandis

Nondum rex fuerat Tigranes. Gravius adhuc peccat Vellei. ii, 94. cum regnum Artavasdi traditum scribit. De hoc Tigrane III. v. canon. regum Armeniorum.

7 *More externo.* More Ægyptiorum aliorumque externorum, quorum reges sorores suas uxores ducebant.

8 *Impositus Artavasdes.* Quis fuerit ille Artavasdes, quando impositus aut dejectus, quæ fuerit clades Romana, forte innotesceret, si Dionis historia manca non foret ac mutila. Pauca habet Zonaras vol. i, p. 589. Dio lv, p. 555. Nihil vero Moses Chorenensis, in inauditis totus.

1 *C. Cæsar.* Caius Cæsar, Augusti nepos, de quo sup. An. i, 3. et in stem. Cæs. n. 48.

2 *Magis—libertate.* Nam libertas legibus et magistratibus suis constat, et imperii certa forma: ideoque sine domino esse possunt, nec tamen liberi proprie dicendi. *Lips.*

3 *Creticus Silanus.* De illo inf. c. 43.

4 *In loco.* Inf. c. 68.

1 *Suetis legionibus.* Germanicis legionibus.

2 *Dolo simul.* Dolo, quem ipse meditabatur, et in longinquis locis veneno tollere, obscuriore sic fama. *Lips.*

3 *Victoriæ intentior.* At Germanicus, quanto acriora in se studia militum, et magis aversa patrui, *Tiberii*, voluntas, tanto celerandæ victoriæ intentior, cœpit tractare præliorum vias, et secum reputare, quæ sibi tertium jam annum belligeranti sæva vel prospera evenissent.

4 *Justis locis.* Vulgo dicimus *æquis locis*. *Justis* forte error est librariorum.

5 *Damno armorum.* Damno armorum, quæ in sylvis et paludibus amittebant.

equis: longum impedimentorum agmen, opportunum ad insidias, defensantibus iniquum. At si mare intretur, promtam ipsis possessionem,[6] et hostibus ignotam: simul bellum maturius incipi, legionesque et commeatus pariter vehi: integrum equitem, equosque, per ora et alveos fluminum media in Germania fore."

6. Igitur huc intendit: missis ad census[1] Galliarum, P. Vitellio et C. Antio; Silius, et Anteius, et Cæcina fabricandæ classi præponuntur. Mille naves sufficere visæ, properatæque: aliæ breves,[2] angusta puppi proraque, et lato utero, quo facilius fluctus tolerarent: quædam planæ carinis, ut sine noxa siderent: plures, adpositis utrimque gubernaculis, converso ut repente remigio, hinc vel illinc adpellerent: multæ pontibus stratæ, super quas tormenta veherentur, simul aptæ ferendis equis aut commeatui, velis habiles, citæ remis, augebantur alacritate[3] militum in speciem ac terrorem. Insula Batavorum,[4] in quam convenirent prædicta, ob faciles adpulsus,[5] accipiendisque copiis, et transmittendum ad bellum opportuna. Nam Rhenus uno alveo continuus, aut modicas insulas circumveniens, apud principium agri Batavi,[6] velut in duos amnes dividitur, servatque nomen et violentiam cursus, qua Germaniam prævehitur,[7] donec Oceano misceatur: ad Gallicam ripam latior et placidior adfluens, verso cognomento *Vahalem*[8] accolæ dicunt: mox id quoque vocabulum mutat *Mosa* flumine,[9] ejusque immenso ore eumdem in Oceanum effunditur.

7. Sed Cæsar, dum adiguntur[1] naves, Silium legatum cum

6 ***Promtam—possessionem.*** Nam triremes et classem in Rheno, et ad Oceanum, ordinariam Romani habebant. At eo ævo Germani navigiorum rudes: mox quam didicerunt! Saxones, Normanni, et piratarum illa agmina dicant: qui Europam per secula aliquot magnis classibus cladibusque infestarunt. *Lips.*

1 ***Ad census.*** Sup. Ann. i, 31.

2 ***Breves.*** Breves opponit *longis* navibus, i. e. triremibus, et describit lato alveo, angusta prora et puppi, uno verbo naves hodie maris nostri. *Lips.*

3 ***Augebantur alacritate.*** Naves illas, quamquam speciosas et terribiles, alacritas militum efficiebat speciosiores et terribiliores.

4 ***Insula Batavorum.*** Plin. iv, 15. 'In Rheno ipso prope centum M. passuum in longitudinem, nobilissima Batavorum insula et Cannenefatum.' Nunc *Betuwe.*

5 ***Faciles adpulsus.*** Huc enim naves omnes tum in Rheno, tum in Mosa factæ, facile adpellere poterant, copias accipere, et bellum transmittere.

6 ***Apud principium agri Batavi.*** Ubi nunc *Schencken-Schantz,* vulgo *the fort of Schenk.*

7 ***Germaniam prævehitur.*** Et Belgicam a Frisia dividit.

8 ***Vahalem.*** Nunc *the Wahal.*

9 ***Mosa flumine.*** Nunc *the Meuse.* Ipsum Vahalis nomen Rhenus mutat prope oppidum *Briel.* Ibi enim Mosa receptus immenso ore in Oceanum effunditur.

1 ***Dum adiguntur.*** Dum naves in Batavorum insulam adiguntur.

expedita manu inruptionem in Cattos [2] facere jubet: ipse, audito castellum Luppiæ [3] flumini adpositum obsideri, sex legiones eo duxit. Neque Silio ob subitos imbres aliud actum, quam ut modicam prædam, et Arpi principis Cattorum conjugem, filiamque raperet: neque Cæsari copiam pugnæ obsessores fecere, ad famam adventus ejus dilapsi. Tumulum tamen [4] nuper Varianis legionibus structum, et veterem aram [5] Druso sitam disjecerant: restituit aram; honorique patris princeps ipse cum legionibus decucurrit. [6] Tumulum iterare haud visum: et cuncta inter castellum Alisonem, ac Rhenum, novis limitibus, aggeribusque permunita.

8. Jamque classis advenerat, [1] cum præmisso commeatu, et distributis in legiones ac socios navibus, fossam, cui *Drusianæ* [2] nomen, ingressus, precatusque Drusum patrem, "ut se eadem ausum, libens placatusque exemplo ac memoria consiliorum atque operum juvaret:" lacus inde [3] et Oceanum usque ad Amisiam flumen secunda navigatione pervehitur: classis Amisiæ relicta, [4] lævo amne; erratumque in eo, [5] quod non subvexit: transposuit militem dextras in terras iturum: ita plures dies efficiendis pontibus absumti. Et eques quidem ac legiones prima æstuaria, nondum adcrescente unda, intrepidi transiere: postremum auxiliorum agmen, Batavique in parte ea, dum insultant aquis, artemque nandi ostentant, turbati, et quidam hausti sunt. Metanti castra Cæsari Angrivariorum [6] defectio a tergo nuntiatur: missus illico Stertinius

2 *In Cattos.* *Hesse.*

3 *Castellum Luppiæ.* Castellum Alisonem, nunc *Elsen*, prope urbem *Lipsprink*, flumini Luppiæ, *the Lippe*, adpositum obsideri a Germanis Transrhenanis.

4 *Tumulum tamen.* De hoc tumulo sup. Ann. i, 62.

5 *Veterem aram.* Ara illa vetus Druso, Germanici patri, sita ad Alisonem et Luppiam. Altera fuit ad Rhenum et Moguntiacum. Dio lv. p. 549. Eutrop. vii. V. etiam Cluver. Germ. Antiq. ii, 13. p. 378.

6 *Decucurrit.* Apud Veteres pompæ funebris pars fuit decursio. V. not. et em. ad Ann. ii, 7.

1 *Classis advenerat.* Advenerat in Batavorum insulam.

2 *Fossam, cui Drusianæ.* A Druso, Germanici patre ita nuncupatam: illam fecit Drusus, perfecit Paulinus Pompeius, ut dicetur inf. Ann. xiii, 53. Extat adhuc in Gueldria, a Rheno et vico *Iseloort*, ad fluvium Salam, *the Yssel*, et oppidum *Doesburg*, octo millium passuum intervallo deducta.

3 *Lacus inde.* Lacum Flevum et alios minores, quos omnes nunc occupat *the Zuyder-Zee.*

4 *Amisiæ relicta.* Amisia, non fluvius, sed statio, nunc *Wester-Emden*, ad lævam Amisiæ, *the Ems*, ripam sita.

5 *Erratumque in eo.* In eo erratum, quod classis militem in superiora et sicciora non subvexit, sed in demissis humidisque reliquit; iturumque in dextras Chaucorum minorum terras transposuit in lævos Frisiorum agros: ut optime explicat Bucher. Belg. Rom. iii, 6.

6 *Angrivariorum.* Pars major Angrivariorum inter Amisiam et Visurgim, ubi nunc comitatus *Lingen*, et episcopatus

cum equite et armatura levi, igne et cædibus perfidiam ultus est.

9. Flumen Visurgis[1] Romanos Cheruscosque[2] interfluebat: ejus in ripa cum ceteris primoribus Arminius adstitit, quæsitoque "an Cæsar[3] venisset?" postquam "adesse" responsum est, "ut liceret cum fratre conloqui" oravit. Erat is in exercitu cognomento Flavius, insignis fide, et amisso per vulnus oculo paucis ante annis, duce Tiberio: tum permissum; progressusque salutatur ab Arminio: qui amotis stipatoribus, "ut sagittarii nostra pro ripa dispositi abscederent," postulat; et postquam digressi, "unde ea deformitas oris?" interrogat fratrem: illo locum, et prælium referente, "quodnam præmium recepisset?" exquirit. Flavius "aucta stipendia, torquem, et coronam," aliaque militaria dona[4] memorat, inridente Arminio vilia servitii pretia.

10. Exin diversi ordiuntur:[1] hic "magnitudinem Romanam, opes Cæsaris,[2] et victis graves pœnas; in deditionem venienti paratam clementiam; neque conjugem[3] et filium ejus hostiliter haberi." Ille "fas patriæ, libertatem avitam, penetrales Germaniæ Deos,[4] matrem precum sociam; ne propinquorum et adfinium, denique gentis suæ desertor et proditor, quam imperator esse mallet." Paulatim inde ad jurgia prolapsi, quominus pugnam consererent, ne flumine quidem interjecto cohibebantur; ni Stertinius adcurrens, plenum iræ, "armaque et equum" poscentem Flavium attinuisset. Cernebatur contra minitabundus Arminius, præliumque denuntians: nam plera-

Osnaburg and Minden. Pars minor trans Visurgim, nunc *part of Schawenburg.* Manet veteris habitationis memoria in ducatu *Engern.* Postea sedes mutavere Angrivarii, ut dicetur de mor. Germ. c. 33.

1 *Flumen Visurgis. The Weser.*

2 *Cheruscosque.* Cherusci Visurgim inter et Albim, *the Elbe*, habitabant, ubi nunc *the states of Lunenburg and Brunswick.*

3 *An Cæsar.* Germanicus.

4 *Militaria dona.* De his militaribus donis dictum supra Ann. i, 44. in not. et em.

1 *Diversi ordiuntur.* Uterque causas suas et consilia proferre cœpit, diversa inter se et contraria.

2 *Opes Cæsaris.* Germanici.

3 *Neque conjugem.* Neque Thusneldam, Arminii conjugem, neque filium ejus Thumelicum hostiliter haberi. Sup. Ann. i, 57. V. etiam stem. Arminii inter not. et em. ad Ann. i, 55.

4 *Penetrales Germaniæ Deos.* Ipsosque Germaniæ Penates Deos, ita dictos, teste Tullio de Nat. Deor. ii, 28. 'Ab eo, quod penitus insident; ex quo etiam penetrales a poetis vocantur.' Cum in antiquis libris scribatur *penetralis Germaniæ Deos*, quidam intelligunt *interioris Germaniæ Deos*: nec attendunt *penetralis* scribi, ut in nummis OB CIVIS SERVATOS. Locum hunc Taciti citat Rob. Stephanus, sed vitiosum, et prava interpretatione vitiosiorem. Sit satis monuisse ut emendetur.

que Latino sermone interjaciebat, ut qui Romanis in castris ductor popularium meruisset.

11. Postero die, Germanorum acies trans Visurgim stetit. Cæsar, nisi pontibus præsidiisque impositis, dare in discrimen legiones haud imperatorium ratus, equitem vado tramittit: præfuere Stertinius, et e numero primipilarium[1] Æmilius, distantibus locis invecti, ut hostem diducerent. Qua celerrimus amnis, Cariovalda dux Batavorum erupit:[2] eum Cherusci, fugam simulantes, in planitiem saltibus circumjectam traxere: dein coorti, et undique effusi trudunt adversos, instant cedentibus, collectosque in orbem,[3] pars congressi, quidam eminus proturbant. Cariovalda, diu sustentata hostium sævitia,[4] hortatus suos, ut ingruentes catervas globo frangerent, atque ipse in densissimos inrumpens, congestis telis et suffosso equo labitur, ac multi nobilium circa: ceteros vis sua, aut equites cum Stertinio Æmilioque subvenientes, periculo exemere.

12. Cæsar transgressus Visurgim,[1] indicio perfugæ cognoscit, "delectum ab Arminio locum pugnæ; convenisse et alias nationes in sylvam Herculi sacram,[2] ausurosque nocturnam castrorum oppugnationem." Habita indici fides, et cernebantur ignes; suggressique propius speculatores "audiri fremitum equorum, immensique et inconditi agminis murmur" attulere. Igitur propinquo summæ rei discrimine, explorandos militum animos ratus, quonam id modo incorruptum foret,[3] secum agitabat: "Tribunos et centuriones læta sæpius, quam comperta nuntiare; libertorum servilia ingenia; amicis inesse adulationem: si concio vocetur, illic quoque, quæ pauci incipiant, reliquos adstrepere:[4] penitus noscendas mentes, cum

1 *Primipilarium.* 'Primipilaris' dicebatur primus legionis centurio. E numero primipilarium, i. e. e numero primorum centurionum. *Primipilares* dicti sunt quoque 'primipili.' Sic apud Cl. Gori. Inscr. Antiq. vol. i, p. 248. PRIMIPILO. ITER. LEG. XVI. V. not. et em. ad An. ii, 11.

2 *Erupit.* Natando erupit.

3 *Collectos in orbem.* Frontem hostibus, undique eos cingentibus, quaquaversum obvertentes, ut ab omnibus ita partibus pugnent; ut 'orbem volvere,' 'in orbem se tutari,' et 'in orbem pugnare.' Liv. ii, 50. 6.

4 *Hostium sævitia.* Hostium vi ac impetu. Sic ferme sup. An. i, 67.

1 *Transgressus Visurgim.* Inter urbem *Hamelen* et oppidum *Oldendorf* Visurgim transgressus videtur.

2 *Herculi sacram.* Sylva illa erat prope campum Idistavisum, de quo inf. c. 16.

3 *Incorruptum foret.* Secum agitabat quonam modo incorruptam, nec adulteratam, veritatem cognosceret.

4 *Reliquos adstrepere.* Strepitu approbare. Sic inf. Hist. iv, 49. 'Obvios et subitæ rei miraculo attonitos, ut eadem adstreperent, hortari.'

secreti et incustoditi, inter militares cibos, spem aut metum proferrent."

13. Nocte cœpta, egressus augurali,[1] per occulta et vigilibus ignara, comite uno, contectus humeros ferina pelle,[2] adit castrorum vias, adsistit tabernaculis, fruiturque fama sui: cum hic "nobilitatem ducis," "decorem" alius, plurimi "patientiam, comitatem, per seria, per jocos eumdem animum," laudibus ferrent: "reddendamque gratiam in acie" faterentur: simul "perfidos et ruptores pacis, ultioni et gloriæ mactandos." Inter quæ[3] unus hostium Latinæ linguæ sciens, acto ad vallum equo, voce magna, "conjuges, et agros, et stipendii in dies, donec bellaretur, sestertios centenos, si quis transfugisset," Arminii nomine pollicetur. Incendit ea contumelia legionum iras: "veniret dies, daretur pugna: sumturum militem Germanorum agros, tracturum conjuges: accipere omen,[4] et matrimonia ac pecunias hostium prædæ destinare." Tertia ferme vigilia[5] adsultatum est castris, sine conjectu teli, postquam crebras pro munimentis cohortes, et nihil remissum sensere.

14. Nox eadem lætam Germanico quietem tulit, viditque se operatum,[1] et sanguine sacro respersa prætexta, pulchriorem aliam manibus aviæ Augustæ[2] accepisse. Auctus omine, addicentibus auspiciis,[3] vocat concionem, et quæ sapientia prævisa, aptaque imminenti pugnæ, disserit. "Non campos modo[4] militi Romano ad prælium bonos, sed si ratio adsit,

1 *Egressus augurali.* Augurale, seu *Auguratorium*, erat *parte dextra* prætorii, *parte læva tribunal*, teste Hygino de Castrametatione. In *Augurali* sumebantur auspicia. Non prætorio, sed *Augurali*, egressus est Germanicus, ut certius lateret.

2 *Ferina pelle.* Germanorum more, quorum multi erant inter auxiliares.

3 *Inter quæ.* Dum ita obambulabat Germanicus, unus hostium, Cheruscus aliquis, Latinæ linguæ sciens, acto ad Romanorum vallum equo, vociferavit dari conjuges, et agros, et stipendii in singulos dies, donec bellaretur, sestertios centenos, *Angl.* 16*s.* 8*d.* si quis transfugisset.

4 *Accipere omen.* Jam jam omen accipiunt, matrimonia seu uxores, ac pecunias hostium prædæ destinant.

5 *Tertia vigilia.* In duodecim horas, seu quatuor vigilias, noctes suas dividebant Romani. Itaque circa mediam noctem, ut vulgo loquimur, Cherusci adsultavere castris Romanorum, sine ullo tamen conjectu teli, quod sensere cohortes crebras stare pro munimentis, et nihil esse remissum ac somnolentum.

1 *Se operatum.* Vidit se rem divinam fecisse, et Diis libasse. Tibull. ii. Eleg. v. 95. 'Tunc pubes operata Deo discumbat in herba.' Augur erat Germanicus; ideo se in sacris prætexta indutum vidit. Vestis enim erat pontificum, magistratuum et puerorum.

2 *Aviæ Augustæ.* Liviæ.

3 *Addicentibus auspiciis.* Ingens animi ob gratum omen faustaque auspicia.

4 *Non campos modo.* Non campos modo militi Romano ad prælium bonos esse, sed si ratio adsit, sylvas et saltus æque valere. Nec enim immensa barbarorum scuta, enormes hastas, inter truncos arborum, et enata humo virgulta pugnantibus tam commoda

sylvas et saltus: nec enim immensa barbarorum scuta, enormes hastas, inter truncos arborum, et enata humo virgulta, perinde haberi[5] quam pila, et gladios, et hærentia corpori tegmina: densarent ictus, ora mucronibus quærerent: non loricam Germano, non galeam; ne scuta quidem ferro nervove firmata, sed viminum textus, vel tenues et fucatas colore tabulas: primam utcumque aciem hastatam; ceteris, præusta aut brevia tela: jam corpus, ut visu torvum, et ad brevem impetum validum, sic nulla vulnerum patientia: sine pudore flagitii, sine cura ducum, abire, fugere; pavidos adversis;[6] inter secunda, non divini, non humani juris memores. Si tædio viarum ac maris finem cupiant, hac acie parari: propiorem jam Albim, quam Rhenum: neque bellum ultra, modo se patris patruique[7] vestigia prementem, iisdem in terris victorem sisterent." Orationem ducis secutus militum ardor; signumque pugnæ datum.

15. Nec Arminius, aut ceteri Germanorum proceres omittebant suos quisque testari: "Hos esse Romanos Variani exercitus fugacissimos, qui ne bellum tolerarent, seditionem induerint:[1] quorum pars onusta vulneribus tergum, pars fluctibus et procellis fractos artus, infensis rursum hostibus, adversis Diis, objiciant, nulla boni spe. Classem quippe et avia Oceani quæsita, ne quis venientibus occurreret, ne pulsos premeret: sed ubi miscuerint manus, inane victis ventorum remorumque subsidium. Meminissent modo avaritiæ, crudelitatis, superbiæ:[2] aliud sibi reliquum, quam tenere libertatem, aut mori ante servitium?"

16. Sic accensos et prælium poscentes in campum, cui *Idistaviso* nomen,[1] deducunt: is medius inter Visurgim et

esse, quam Romanorum pila, et gladios, et hærentia corpori tegmina, scilicet cassides et brevia scuta. Pila vero ita describit Vegetius, ii, 15. 'Bina missilia' habebant milites Romani, 'unum majus, ferro triangulo, unciarum novem, hastili pedum quinque et semis, quod pilum vocabant, nunc spiculum dicitur, ad cujus jactum exercebantur præcipue milites; quod arte et virtute directum et scutatos pedites, et loricatos equites sæpe transverberabat: aliud minus, ferro triangulo, unciarum quinque, hastili trium pedum et semis, quod tunc verriculum, nunc verutum dicitur.' Hæc pila in nummis et veteribus monumentis nonnumquam videntur.

5 *Perinde haberi.* Habilis est, qui facile regi potest. Sic 'haberi' pro geri, tractari. V. Ruhnken. ad Vell. Paterc. ii, 113.

6 *Pavidos adversis.* Adversis rebus.

7 *Patris patruique.* Patris sui Drusi, et patrui Tiberii Principis.

1 *Seditionem induerint.* Seditionem Pannonicam et Germanicam memorat, de qua multa libro superiore.

2 *Crudelitatis, superbiæ.* Meminissent modo avaritiæ, crudelitatis, superbiæ Romanæ. Aliudne sibi reliquum, quam tenere libertatem, aut mori ante servitium?

1 *Idistaviso nomen.* Quantum ex Corne-

colles, ut ripæ fluminis cedunt, aut prominentia montium resistunt, inæqualiter sinuatur: pone tergum insurgebat sylva,[2] editis in altum ramis, et pura humo[3] inter arborum truncos. Campum et prima[4] sylvarum, barbara acies tenuit: soli Cherusci juga insedere, ut præliantibus Romanis desuper incurrerent. Noster exercitus sic incessit: auxiliares Galli, Germanique in fronte: post quos pedites sagittarii: dein quatuor legiones, et cum duabus prætoriis cohortibus, ac delecto equite Cæsar: exin totidem aliæ legiones, et levis armatura cum equite sagittario, ceteræque sociorum cohortes. Intentus paratusque[5] miles, ut ordo agminis in aciem adsisteret.

17. Visis Cheruscorum catervis, quæ per ferociam proruperant, validissimos equitum incurrere latus, Stertinium cum ceteris turmis[1] circumgredi, tergaque invadere jubet, ipse in tempore adfuturus. Interea pulcherrimum augurium, octo aquilæ[2] petere sylvas, et intrare visæ, imperatorem advertere:[3] exclamat, "Irent, sequerentur Romanas aves,[4] propria legionum numina." Simul pedestris acies[5] infertur; et præmissus eques, postremos ac latera impulit. Mirumque dictu, duo hostium agmina diversa fuga, qui sylvam tenuerant, in aperta, qui campis adstiterant, in sylvam ruebant: medii inter hos Cherusci, collibus detrudebantur: inter quos insignis Arminius manu, voce, vulnere, sustentabat pugnam: incubueratque sagittariis, illa rupturus, ni Rætorum Vindelicorumque,[6] et Gallicæ cohortes signa objecissent: nisu tamen corporis, et impetu equi pervasit, oblitus faciem suo cruore, ne noscere-

lianæ descriptionis et locorum ratione possum adsequi, pugnatum inter oppidum *Oldendorf* et pagum *Stemern*, haud procul ab arce *Schawenburg*. Memoriam campi *Idistavisi* adhuc extare in nomine arcis *Eisdorp* opinatur Cluver. Germ. Antiq. iii, 14. p. 554. Eccardus, p. 291. in nomine montis *Deister*.

2 *Insurgebat sylva.* Herculi Germanico, seu Tuisconi sacra, ut explicat Eccardus, ib.

3 *Pura humo.* Sine virgultis aliisque viarum impedimentis.

4 *Campum et prima.* Germani bipartiti campum et prima sylvarum tenuere. Cherusci inter hos medii juga *Luerberg* et *Nesselberg* insedere.

5 *Intentus paratusque.* Ut, viso hoste aut signo a duce dato, omne agmen presso pede adsisteret, staret acie structa, stabili ac firma, vel incessum sisteret formata acie aut militibus in gradu stantibus ad hostem excipiendum aut invadendum: qualem incessum describit Sallust. Jug. 49.

1 *Cum ceteris turmis.* Equitum.

2 *Octo aquilæ.* Ne credas veras esse aquilas, sed secundi tantum generis, 'pygargos' a cauda albicante dictas, *Angl. the White-tailed Eagle.* V. Plin. x. 3.

3 *Imperatorem advertere.* Oculos animumque Germanici affecere. Sup. An. i, 41. 'Militum aures oraque advertere.'

4 *Romanas aves.* Aquilas Romanas, quas legiones tamquam propria numina venerabantur. V. not. et em. ad An. ii, 17.

5 *Pedestris acies.* Romanorum.

6 *Rætorum Vindelicorumque.* Vindelici, *Bavaria*, Ræti, *the Grisons, the Tirol.*

tur: quidam "agnitum a Chaucis inter auxilia Romana agentibus, emissumque" tradiderunt. Virtus, seu fraus eadem, Inguiomero[7] effugium dedit: ceteri passim trucidati. Et plerosque tranare Visurgim conantes, injecta tela aut vis fluminis, postremo moles ruentium, et incidentes ripæ, operuere. Quidam turpi fuga in summa arborum nisi, ramisque se occultantes, admotis sagittariis per ludibrium figebantur: alios prorutæ arbores adflixere. Magna ea victoria, neque cruenta nobis fuit.

18. Quinta ab hora[1] diei ad noctem cæsi hostes, decem millia passuum cadaveribus atque armis opplevere; repertis inter spolia eorum catenis, quas in Romanos, ut non dubio eventu, portaverant. Miles in loco prælii, Tiberium *Imperatorem*[2] salutavit, struxitque aggerem, et in modum tropæorum arma, subscriptis[3] victarum gentium nominibus, imposuit.

19. Haud perinde Germanos vulnera, luctus, excidia, quam ea species[1] dolore et ira adfecit: qui modo abire sedibus, trans Albim[2] concedere parabant, pugnam volunt, arma rapiunt: plebes, primores, juventus, senes, agmen Romanum repente incursant, turbant: postremo deligunt locum,[3] flumine et sylvis[4] clausum, arcta intus planitie, et humida:[5] sylvas quoque profunda palus[6] ambibat, nisi quod latus unum Angrivarii lato aggere extulerant, quo a Cheruscis dirimerentur: hic pedes adstitit;[7] equitem propinquis lucis texere, ut ingressis sylvam legionibus a tergo foret.

20. Nihil ex iis Cæsari incognitum: consilia, locos, promta, occulta noverat, astusque hostium in perniciem ipsis verte-

7 *Inguiomero.* Arminii patruo. V. stem. Arminii, inter not. et em. ad An. i, 55.

1 *Quinta ab hora.* Romanorum more, qui diem in duodecim horas dividebant. Porro cum prælium commissum videatur mense Julio, c. 23. 'æstate jam adulta,' quinta hora Romana cum nona ante meridiem juxta nostram computandi rationem fere concurrit.

2 *Tiberium Imperatorem.* Princeps absens inter aquilas et signa militaria *Imperator* salutabatur.

3 *Subscriptis.* Hujuscemodi inscriptionem, e tropæo Alpium, Augusto dicatam, recitat Plin. iii. 20. quem consulas, si lubet. Agger ille ac tropæum structum videtur ex adverso oppidi *Rintelen.*

1 *Quam ea species.* Quam hæc tropæa, superbaque inscriptio.

2 *Trans Albim. The Elbe.*

3 *Deligunt locum.* Infra urbem *Minden,* semper in dextra Visurgis ripa.

4 *Flumine et sylvis.* Visurgi, *the Weser,* et sylvis, quæ adhuc appellantur *the forest of Schaumburg,* vel *Schawenburg,* clausum.

5 *Arcta—humida.* In planitie illa nunc vici *Frille, Hulse* et *Wicdensal.*

6 *Profunda palus.* Infra sylvam adhuc palus maxima, *Steinhuder Meer,* appellata. Ipsamque sylvam intersecat fluvius *Gohle.*

7 *Hic—adstitit.* Pedites Germani in hoc ipso lato aggere, qui Angrivarios a Cheruscis dirimebat, adstitere.

bat. Seio Tuberoni legato tradit equitem, campumque: peditum aciem ita instruxit, ut pars æquo in sylvam aditu incederet, pars objectum aggerem eniteretur: quod arduum, sibi; cetera legatis permisit. Quibus plana evenerant, facile inrupere: queis impugnandus agger, ut si murum[1] succederent, gravibus superne ictibus conflictabantur. Sensit dux imparem cominus pugnam, remotisque paulum legionibus, funditores libratoresque[2] excutere tela, et proturbare hostem jubet: missæ e tormentis hastæ, quantoque conspicui magis propugnatores, tanto pluribus vulneribus dejecti. Primus Cæsar cum prætoriis cohortibus, capto vallo, dedit impetum in sylvas: conlato illic gradu certatum: hostem a tergo palus, Romanos flumen aut montes[3] claudebant: utrisque necessitas in loco, spes in virtute, salus ex victoria.

21. Nec minor Germanis animus, sed genere pugnæ et armorum superabantur; cum ingens multitudo, arctis locis, prælongas hastas non protenderet, non colligeret,[1] neque adsultibus et velocitate corporum uteretur, coacta stabile ad prælium: contra miles,[2] cui scutum pectori adpressum, et insidens capulo manus,[3] latos barbarorum artus, nuda ora foderet, viamque strage hostium aperiret: impromto jam Arminio,[4] ob continua pericula, sive illum recens acceptum vulnus tardaverat. Quin et Inguiomerum tota volitantem acie, fortuna magis quam virtus deserebat: et Germanicus, quo magis agnosceretur, detraxerat tegimen capiti, orabatque "insisterent cædibus, nil opus captivis, solam internecionem gentis finem bello fore." Jamque sero diei subducit ex acie legionem, faciendis castris:[5] ceteræ ad noctem cruore hostium satiatæ sunt: equites ambigue certavere.

1 *Ut—murum.* Gravibus superne ictibus conflictabantur, quasi voluissent murum conscendere. Vulgo dicitur *muro succedere;* sed tritos loquendi modos non semper sectatur Tacitus.

2 *Libratoresque.* Sunt, qui tormentis hastas aut lapides excutiunt: quia librant scilicet, et jactus arte expendunt. Sic Hist. iii, 23. 'vincla ac libramenta tormentorum' adpellat. Hoc verius, quam referri ad *libralia.*

3 *Flumen aut montes.* Flumen Visurgis, *the Weser*, et montes, *the mountains of Bukenburg.*

1 *Non colligeret.* Prælongas hastas neque protendere, neque colligere, id est, protensas reducere, poterant Barbari.

2 *Contra miles.* Contra miles Romanus.

3 *Insidens—manus.* Graphice dictum de gladiis minoribus. In oblongis, quibus ritu Gallorum Germani utebantur, non eadem manus habitudo: neque firmiter aut tenet gladios, aut regit. *Lips.*

4 *Impromto—Arminio.* Ob continua pericula, et vulnus recens acceptum, ad arma, ad imperia impromtus erat Arminius.

5 *Faciendis castris.* Legionem unam faciendis castris prope arcem *Bukenburg* subduxit.

22. Laudatis pro concione victoribus, Cæsar congeriem armorum[1] struxit, superbo cum titulo: DEBELLATIS INTER RHENUM ALBIMQUE NATIONIBUS EXERCITUM TIBERII CÆSARIS EA MONIMENTA MARTI ET JOVI ET AUGUSTO SACRAVISSE: de se nihil addidit, metu invidiæ, an ratus conscientiam facti satis esse. Mox bellum[2] in Angrivarios Stertinio mandat, ni deditionem properavissent: atque illi supplices, nihil abnuendo, veniam omnium accepere.

23. Sed æstate jam adulta,[1] legionum aliæ itinere terrestri in hibernacula remissæ: plures Cæsar classi impositas per flumen Amisiam Oceano invexit. Ac primo placidum æquor mille navium remis strepere, aut velis impelli: mox atro[2] nubium globo effusa grando: simul variis undique procellis, incerti fluctus prospectum adimere, regimen impedire: milesque pavidus, et casuum maris ignarus, dum turbat nautas, vel intempestive juvat, officia prudentium corrumpebat: omne dehinc cœlum, et mare omne in austrum[3] cessit, qui tumidis Germaniæ[4] terris, profundis amnibus, immenso nubium tractu validus, et rigore vicini septemtrionis horridior, rapuit disjecitque naves in aperta Oceani, aut insulas saxis abruptis, vel per occulta vada infestas. Quibus paulum ægreque vitatis, postquam mutabat æstus, eodemque quo ventus[5] ferebat; non adhærere anchoris, non exhaurire inrumpentes undas poterant; equi, jumenta, sarcinæ, etiam arma præcipitantur, quo levarentur alvei manantes[6] per latera, et fluctu superurgente.

1 *Congeriem armorum.* Eam struxit ex adverso urbis *Minden;* superbo quidem cum titulo, vero tamen, Arminio Cheruscisque devictis. Quos enim nondum victos populos memorat Cl. Eccard. p. 292. trans, non cis Albim habitabant, si Chaucos majores, Cheruscorum socios, exceperis.

2 *Mox bellum.* Victore exercitu Visurgim transgresso ad urbem *Minden*, Germanicus bellum in Angrivarios Stertinio mandavit.

1 *Æstate—adulta.* Exeunte mense Augusto.

2 *Mox atro.* Ipso æquinoctio, aut saltem propinquante, atro nubium globo effusa est grando.

3 *In austrum. To the south-west,* vulgo Africum. Idque ex ipsa tempestatis descriptione patet.

4 *Tumidis Germaniæ.* Perperam emendat Faernus *humidis.* Tumidas Germaniæ terras merito dixit Tacitus. Sunt enim præaltæ ac tumidæ; si quidem Germaniam nulli intrant fluvii: ex illa vero exeunt plurimi ac maximi.

5 *Quo ventus ferebat.* Hæc varii varie torquent. Plana tamen sententia. Insulas per saxa abrupta, aut occulta vada infestas paulum ægreque vitabant, favente refluxu. Sed æstus mutabat, navesque eodem, quo ventus Africus ferebat.

6 *Alvei manantes.* Optime dictum, licet istud plurimi emendent. Scilicet, equis, jumentis, sarcinis, armis etiam præcipitatis, levabantur alvei navium, qui ante gravidi, et fluctu superurgente, per latera ita manabant undis erumpentibus, ut exhauriri non possent. V. not. et em. ad An. ii, 23.

24. Quanto violentior cetero mari Oceanus, et truculentia cœli præstat Germania, tantum illa clades novitate et magnitudine excessit, hostilibus circum littoribus,[1] aut ita vasto et profundo,[2] ut credatur novissimum ac sine terris mare: pars navium haustæ sunt; plures, apud insulas longius sitas ejectæ: milesque nullo illic hominum cultu, fame absumtus, nisi quos corpora equorum eodem elisa toleraverant. Sola Germanici triremis Chaucorum terram[3] adpulit; quem per omnes illos dies noctesque, apud scopulos et prominentes oras, cum "se tanti exitii reum" clamitaret, vix cohibuere amici, quominus eodem mari oppeteret. Tandem relabente æstu, et secundante vento, claudæ naves, raro remigio, aut intentis vestibus,[4] et quædam a validioribus tractæ, revertere: quas raptim refectas misit, ut scrutarentur insulas: collecti ea cura plerique: multos Angrivarii nuper in fidem accepti redemtos ab interioribus reddidere: quidam in Britanniam rapti, et remissi a regulis. Ut quis ex longinquo revenerat, "miracula" narrabant, "vim turbinum, et inauditas volucres, monstra maris, ambiguas hominum et belluarum[5] formas;" visa, sive ex metu credita.

25. Sed fama classis amissæ, ut Germanos ad spem belli, ita Cæsarem ad coercendum erexit. C. Silio cum triginta peditum, tribus equitum millibus ire in Cattos[1] imperat: ipse majoribus copiis Marsos[2] inrumpit: quorum dux Malovendus nuper in deditionem acceptus, "propinquo luco[3] defossam Varianæ legionis aquilam[4] modico præsidio servari" indicat. Missa extemplo manus, quæ hostem a fronte eliceret, alii, qui terga circumgressi, recluderent humum: et utrisque adfuit fortuna. Eo promtior Cæsar pergit introrsus, populatur, exscindit non ausum congredi hostem: aut sicubi restiterat, statim pulsum; nec umquam magis, ut ex captivis cognitum est, paventem. Quippe "invictos et nullis casibus superabiles Romanos" prædicabant, "qui, perdita classe,

1 *Hostilibus—littoribus.* Cimbrorum, *of Jutland*, Suitonum, *of Sweden*, forte etiam ipsorum Pictorum, *of Scotland*, insularum Orcadum, *of the Orkney and Shetland Isles.*

2 *Vasto et profundo. The North Sea.*

3 *Chaucorum terram.* Ad ostium Visurgis, *of the Weser*, appulit.

4 *Intentis vestibus.* Velorum vice.

5 *Ambiguas—belluarum.* De hominibus marinis v. Plin. ix, 5.

1 *In Cattos. Hesse.*

2 *Marsos. Munster* et *Paderborn.*

3 *Propinquo luco.* Saltu Teutoburgiensi, *the forest of Teuteburg*, ut dictum sup. An. i, 60.

4 *Varianæ—aquilam.* V. not. et em. ad An. ii, 25.

amissis armis, post constrata equorum virorumque corporibus littora, eadem virtute, pari ferocia, et veluti aucti numero inrupissent."

26. Reductus inde in hiberna miles, lætus animi,[1] quod adversa maris, expeditione prospera pensavisset: addidit munificentiam Cæsar, quantum quis damni professus erat, exsolvendo. Nec dubium habebatur, labare hostes, petendæque pacis consilia sumere, et si proxima æstas adjiceretur, posse bellum patrari: sed crebris epistolis Tiberius monebat, "rediret ad decretum triumphum: satis jam eventuum, satis casuum: prospera illi et magna prælia: eorum quoque meminisset, quæ venti et fluctus, nulla ducis culpa, gravia tamen et sæva damna intulissent: se novies a divo Augusto in Germaniam missum, plura consilio quam vi perfecisse. Sic Sugambros[2] in deditionem acceptos, sic Suevos, regemque Maroboduum[3] pace obstrictum: posse et Cheruscos, ceterasque rebellium gentes, quando Romanæ ultioni consultum esset, internis discordiis relinqui." Precante Germanico annum efficiendis cœptis, acrius modestiam ejus adgreditur, alterum consulatum offerendo, cujus munia præsens obiret: simul adnectebat, "si foret adhuc bellandum, relinqueret materiem Drusi fratris[4] gloriæ, qui nullo tum alio hoste, non nisi apud Germanias adsequi nomen imperatorium,[5] et deportare lauream posset." Haud cunctatus est ultra Germanicus, quamquam fingi ea, seque per invidiam parto jam decori abstrahi intelligeret.

27. Sub idem tempus, e familia Scriboniorum Libo Drusus defertur moliri res novas. Ejus negotii initium, ordinem, finem curatius disseram; quia tum primum reperta sunt, quæ per tot annos rempublicam exedere. Firmius Catus senator, ex intima Libonis amicitia, juvenem improvidum et facilem inanibus, ad Chaldæorum promissa, Magorum sacra, som-

1 *Lætus animi.* V. Ruhnken. ad Vell. Paterc. ii, 93.

2 *Sugambros.* Sugambri vel Sicambri, a fluvio Siga, *Sieg*, nomen ducebant. Transrhenanam eorum sedem, Luppiam, *Lippe*, inter et Cattos, *Hesse*, occupavere Usipii et Tencteri. Eos quoque Σουγάμβρους appellat Strabo vii, p. 290.

3 *Suevos—Maroboduum.* Suevi inter Albim, *the Elbe*, et Vistulam, *the Vistula*, positi. Maroboduus, rex Boiohemi, *Bohemia.* Inf. c. 44.

4 *Drusi fratris.* Drusus, Tiberii filius. Germanicus a Tiberio adoptatus.

5 *Nomen Imperatorium.* Re præclare gesta dux salutabatur *Imperator*: et Romam redux, ac triumphalis, 'lauream in Capitolini Jovis gremio reponebat.' Senec. Cons. ad Helv. x.

niorum etiam interpretes impulit: dum "proavum Pompeium,[1] amitam Scriboniam,[2] quæ quondam Augusti conjunx fuerat, consobrinos Cæsares,[3] plenam imaginibus domum" ostentat; hortaturque ad luxum et æs alienum,[4] socius libidinum et necessitatum,[5] quo pluribus indiciis inligaret.

28. Ut satis testium, et qui servi eadem noscerent, reperit, aditum ad principem postulat, demonstrato crimine et reo per Flaccum Vescularium[1] equitem Romanum, cui propior cum Tiberio usus erat. Cæsar indicium haud aspernatus, congressus abnuit:[2] "posse enim, eodem Flacco internuntio, sermones commeare." Atque interim Libonem ornat prætura, convictibus adhibet, non vultu alienatus, non verbis commotior (adeo iram condiderat) cunctaque ejus dicta factaque cum prohibere posset, scire malebat: donec Junius quidam, tentatus[3] ut infernas umbras carminibus eliceret, ad Fulcinium Trionem indicium detulit: celebre inter accusatores Trionis ingenium erat, avidumque famæ malæ. Statim conripit reum,[4] adit consules, senatus cognitionem poscit: et vocantur patres, addito, "consultandum super re magna et atroci."

29. Libo interim veste mutata,[1] cum primoribus fœminis, circumire domos, orare adfines, vocem adversum pericula poscere: abnuentibus cunctis, cum diversa prætenderent,[2] eadem

1 *Proavum Pompeium.* Ergo Libo Drusus Pompeia, Pompeii M. nepte, genitus. Ejus stemma Lipsius, Ryckius, aliique varie consarcinant, merisque ludunt conjecturis.

2 *Amitam Scriboniam.* Amitam magnam, ut temporum ratio postulare videtur. Sic inf. c. 43. 'Avunculum Augustum,' i. e. magnum avunculum. De Scribonia, Augusti conjuge, v. stem. Cæs. n. 45. 'Gravis fœmina' appellatur a Seneca, Ep. lxx. et plurimum laudatur.

3 *Consobrinos Cæsares.* Caium et Lucium, verius sobrinos. Sed 'levi abusione,' ut loquuntur JC. consobrini dici possunt. V. stem. Cæs. n. 48 et 49.

4 *Æs alienum.* Luxu et ære alieno Julius Cæsar dictaturam, ipsamque summam potestatem olim obtinuerat. Iisdem artibus grassandum, et ad dignam natalibus fortunam enitendum Firmius Catus docebat.

5 *Et necessitatum.* Amicitiarum et necessitudinum, ut pluribus indiciis eum illigaret.

1 *Vescularium.* De hoc scelerato delatore dicetur inf. An. vi, 10.

2 *Congressus abnuit.* Tiberius congressum Firmii Cati senatoris abnuit, ut Flacco Vesculario internuntio, sermones tutius commearent.

3 *Junius—tentatus.* Tentatus a Libone, quem Firmius Catus ad Magorum sacra impulerat.

4 *Conripit reum.* Reum Libonem, non vero Junium, ut existimavit eruditus Huetius, Trio conripit, monetque dicendam causam, et crimen, a Junio delatum, diluendum.

1 *Veste mutata.* Rei, candida veste et splendido cultu positis, barba ac capillo promissis, atrati et squallidi domos patronorum et adfinium circumibant. Inde Gellius iii, 4. ait 'Scipionem Æmilianum, cum esset reus, neque barbam desiisse radi, neque non candida veste uti, neque fuisse solito cultu reorum.'

2 *Diversa prætenderent.* Acti eadem formidine, diversa prætexebant, ne res Libonis curarent.

formidine, die senatus[3] metu et ægritudine fessus,[4] sive ut tradidere quidam, simulato morbo, lectica delatus[5] ad fores curiæ, innisusque fratri,[6] et manus ac supplices voces ad Tiberium tendens, immoto ejus vultu excipitur: mox libellos et auctores recitat Cæsar, ita moderans, ne lenire, neve asperare crimina videretur.

30. Accesserant, præter Trionem et Catum accusatores, Fonteius Agrippa, et C. Vibius, certabantque cui jus perorandi in reum daretur: donec Vibius, quia nec ipsi inter se concederent, et Libo sine patrono introisset, singillatim se crimina objecturum[1] professus, protulit libellos vecordes adeo, ut consultaverit Libo,[2] "an habiturus foret opes, queis viam Appiam Brundisium usque pecunia operiret." Inerant et alia hujuscemodi, stolida, vana; si mollius acciperes, miseranda. Uni tamen libello, manu Libonis, nominibus Cæsarum aut senatorum, additas atroces vel occultas notas, accusator arguebat. Negante reo, agnoscentes servos per tormenta interrogari placuit. Et quia vetere senatusconsulto, quæstio in caput domini prohibebatur, callidus et novi juris repertor[3] Tiberius, mancipari[4] singulos actori publico jubet: scilicet, ut in Libonem ex servis, salvo senatusconsulto, quæreretur. Ob quæ posterum diem reus petivit; domumque digressus, extremas preces P. Quirinio propinquo suo ad Principem mandavit: responsum est, "ut senatum rogaret."

3 *Die senatus.* I. e. die ad actionem constituto. In quibusdam judiciis dies ille erat decimus, in aliis trigesimus. In gravissimis causis extra ordinem dies accipiebatur. V. Sigon. de Judic. ii, 10.

4 *Ægritudine fessus.* Hæc aliter Dio lvii, p. 612. in tota ista narratione haud satis accuratus.

5 *Lectica delatus.* Quod receptum in solis ægris. Nam lecticæ quamquam jam vulgatæ, tamen spernebantur adhuc a curiæ aditu. Suet. de Tib. 30. 'Numquam curiam nisi solus intravit: lectica quondam introlatus æger comites a se removit.'

6 *Innisusque fratri.* Frater ille non videtur fuisse L. Scribonius Libo, hoc anno consul. Id enim non siluisset Tacitus.

1 *Singillatim—objecturum.* Quod primus fecit Cicero in causa Verrina, in qua primam actionem fecit eam, quæ testimoniis literisque proferendis continebatur, (nam his maxime conficitur causa, neque oratoris potius ingenium cernitur) deinde adjecit actionem continuam, sc. perpetuam orationem: nam antea actio utraque conjungi, et illa hanc excipere solebat. Cf. Suet. Ner. 15. pr. ibique Ern.

2 *Consultaverit Libo.* Vibius protulit libellos adeo vecordes, ut argueretur Libo, quasi consultasset Magos, an habiturus foret opes, quibus viam Appiam Brundisium usque pecunia operiret. Insana ac ridicula accusatio. Via enim Appia Brundisium usque longa est CCCLX. M. passuum, quæ vix 8,172,057,600,000. sestertiis, *Angl.* 68,100,480,000*l.* sterneretur. Brundisium, nunc *Brindisi*, in regno Neapolitano et agro Leccensi.

3 *Juris repertor.* Jus illud reperit Augustus, amplificavit Tiberius. V. not. et em. ad An. ii, 30.

4 *Mancipari.* Mancipari actori publico, ut Libonis servi esse desinerent, et de eo interrogarentur.

31. Cingebatur interim milite domus: strepebant etiam[1] in vestibulo, ut audiri, ut aspici possent: cum Libo, ipsis, quas in novissimam voluptatem adhibuerat, epulis excruciatus, vocare percussorem, prensare servorum dextras, inserere gladium: atque illis, dum trepidant, dum refugiunt, evertentibus adpositum mensa lumen, feralibus jam sibi tenebris, duos ictus in viscera direxit.[2] Ad gemitum conlabentis, adcurrere liberti, et cæde visa miles abstitit.[3] Accusatio tamen apud patres adseveratione eadem peracta, juravitque Tiberius, "petiturum se vitam, quamvis nocenti, nisi voluntariam mortem properavisset."

32. Bona inter accusatores dividuntur: et præturæ extra ordinem[1] datæ his, qui senatorii ordinis erant. Tunc Cotta Messalinus,[2] "ne imago Libonis[3] exequias posterorum comitaretur," censuit: Cn. Lentulus, "ne quis Scribonius cognomentum Drusi[4] adsumeret:" "supplicationum dies,"[5] Pomponii Flacci sententia, constituti: "ut dona Jovi, Marti, Concordiæ, utque Iduum Septembrium[6] dies, quo se Libo interfecerat, dies festus haberetur," L. P.[7] et Gallus Asinius, et Papius Mutilus, et L. Apronius decrevere: quorum auctoritates adulationesque retuli, ut sciretur vetus id in republica malum. Facta et de mathematicis magisque[8] Italia pellendis senatusconsulta: quorum e numero, L. Pituanius saxo[9] dejec-

1 *Strepebant etiam.* Ut vi, aut sponte pereundum significare.

2 *In viscera direxit.* De morte Libonis, 'adolescentis tam stolidi, quam nobilis, majora sperantis, quam aut illo seculo quisquam sperare poterat, aut ipse ullo,' v. Senec. Ep. lxx.

3 *Abstitit.* Strepere desiit, et abiit.

1 *Extra ordinem.* Præturæ, quasi Libonis criminibus violatæ, extra sortem et comitia arbitrio Principis permissæ; ita postulante senatu, ut Tiberio gratificaretur. Eas vero senatorii ordinis hominibus dedit Tiberius, ut se gratum memoremque præberet: iisque muneribus senatum ad probra et scelera erudiret.

2 *Cotta Messalinus.* '*Claris majoribus, sed animo diversus,*' inf. An. iv, 20. Nec ita eleganter, nec ita vere Ovid. Ex Pont. iv, 16, 41.

3 *Ne imago Libonis.* De hoc usu v. inf. An. iii, 76.

4 *Cognomentum Drusi.* Assentatorie. Filius enim Tiberii Drusus appellabatur.

5 *Supplicationum dies.* Pro celebrandis victoriis, lætisque rebus; pro adversis malisque averruncandis supplicationes constituebantur.

6 *Iduum Septembrium.* Dies 13. Septembris.

7 *L. P.* Vulgo L. Publius. V. not. et em. ad An. ii, 32.

8 *Mathematicis magisque.* Mathematicos magosque, ni se vanam artem desituros promitterent, Italia expulit. Ægyptios Judaicosque ritus compescuit. Suet. Tib. 36. Dio lvii, p. 612. Quod vero laudandum magis, 'Tiberii Cæsaris principatus sustulit Druidas eorum, [Gallorum,] et hoc genus vatum medicorumque....Nec satis æstimari potest, quantum Romanis debeatur, qui sustulere monstra, in quibus hominem occidere religiosissimum erat, mandi vero etiam saluberrimum.' Plin. xxx, 1.

9 *Saxo dejectus est.* Saxo Tarpeio dejectus est.

tus est. In P. Martium consules extra portam Esquilinam,[10] cum classicum canere jussissent, more prisco advertere.[11]

33. Proximo senatus die, multa in luxum civitatis dicta a Q. Haterio consulari, Octavio Frontone prætura functo: decretumque "ne vasa auro solida ministrandis cibis fierent: ne vestis serica[1] viros fœdaret." Excessit Fronto, ac postulavit "modum argento, supellectili, familiæ."[2] Erat quippe adhuc frequens senatoribus, si quid e republica crederent, loco sententiæ promere. Contra Gallus Asinius disseruit, "Auctu imperii adolevisse etiam privatas opes; idque non novum, sed e vetustissimis moribus. Aliam apud Fabricios, aliam apud Scipiones pecuniam, et cuncta ad rempublicam referri: qua tenui,[3] angustas civium domos; postquam eo magnificentiæ venerit, gliscere singulos. Neque in familia et argento, quæque ad usum parentur, nimium aliquid, aut modicum, nisi ex fortuna possidentis: distinctos senatus et equitum census,[4] non quia diversi natura, sed ut locis, ordinibus, dignationibus, antistent et aliis, quæ ad requiem animi aut salubritatem corporum parentur: nisi forte clarissimo cuique plures curas, majora pericula subeunda; delinimentis curarum et periculorum carendum esse." Facilem adsensum Gallo, sub nominibus honestis, confessio vitiorum et similitudo audientium dedit. Adjecerat et Tiberius, "non id tempus censuræ: nec, si quid in moribus labaret, defuturum corrigendi auctorem."

34. Inter quæ L. Piso "ambitum fori, corrupta judicia, sævitiam oratorum accusationes minitantium" increpans, "abire se, et cedere urbe, victurum in aliquo abdito et longinquo rure" testabatur: simul curiam relinquebat. Commotus est Tiberius, et quamquam mitibus verbis Pisonem permulsisset, propinquos quoque ejus impulit, ut abeuntem auctoritate vel precibus tenerent. Haud minus liberi doloris documentum

10 *Portam Esquilinam.* Extra hanc portam plectebantur rei. Inde Hor. Epod. v, 100. 'Post insepulta membra different lupi Et Esquilinæ alites.' Nunc porta sancti Laurentii.

11 *Advertere.* More prisco puniri, id est, 'nudi hominis cervicem inseri furcæ, corpus virgis ad necem cædi.' Suet. Ner. 49.

1 *Vestis serica.* De Romanorum luxu fusius dicetur inf. An. iii, 52.

2 *Familiæ.* Famulorum numero.

3 *Qua tenui.* Cum respublica tenuis fuit et modica, angustas fuisse civium domos; postquam eo magnificentiæ venerit, singulorum quoque opes crevisse.

4 *Senatus—census.* Sestertia 400. *Angl.* 3,333*l.* 6*s.* 8*d.* equitum census. Plin. xxxiii, 2. Senatorum, stante republica, sestertia 800. *Angl.* 6,666*l.* 13*s.* 4*d.* sub Principibus duodecies sestertium. *Angl.* 10,000*l.* Suet. Aug. 41.

idem Piso mox dedit, vocata in jus Urgulania, quam supra leges amicitia Augustæ[1] extulerat: nec aut Urgulania obtemperavit, in domum Cæsaris, spreto Pisone, vecta; aut ille abstitit, quamquam Augusta "se violari et imminui" quereretur. Tiberius hactenus indulgere matri civile ratus,[2] ut "se iturum ad prætoris tribunal, adfuturum Urgulaniæ" diceret, processit palatio, procul sequi jussis militibus: spectabatur, occursante populo, compositus ore, et sermonibus variis tempus atque iter ducens; donec propinquis Pisonem frustra coercentibus, deferri Augusta pecuniam, quæ petebatur, juberet. Isque finis rei, ex qua neque Piso inglorius, et Cæsar majore fama fuit. Ceterum Urgulaniæ potentia adeo nimia civitati erat, ut testis in causa quadam, quæ apud senatum tractabatur, venire dedignaretur: missus est prætor, qui domi interrogaret; cum virgines Vestales in foro et judicio audiri, quotiens testimonium dicerent, vetus mos fuerit.

35. Res eo anno prolatas[1] haud referrem, ni pretium foret, Cn. Pisonis,[2] et Asinii Galli super eo negotio diversas sententias noscere. Piso, "quamquam abfuturum se dixerat Cæsar, ob id magis agendas" censebat, "et absente Principe, senatum et equites posse sua munia sustinere decorum reipublicæ fore." Gallus, quia speciem libertatis Piso præceperat, "nihil satis inlustre, aut ex dignitate populi Romani, nisi coram et sub oculis Cæsaris: eoque conventum Italiæ et adfluentes provincias, præsentiæ ejus servanda" dicebat. Audiente hæc Tiberio ac silente, magnis utrimque contentionibus acta; sed res dilatæ.

36. Et certamen Gallo adversus Cæsarem exortum est: nam censuit "in quinquennium magistratuum comitia habenda: utque legionum legati, qui ante præturam ea militia fungebantur, jam tum prætores destinarentur: Princeps duodecim candidatos, in annos singulos nominaret." Haud dubium erat, eam sententiam altius penetrare, et arcana imperii tentari:[1] Tiberius tamen, quasi augeretur potestas ejus, disseruit: "Grave mo-

1 *Augustæ.* Liviæ.

2 *Civile ratus.* Indulgere matri adeo civile ratus est, ut diceret se iturum ad prætoris tribunal.

1 *Prolatas.* Prolatæ ac dilatæ eo anno res, ne absente Principe tractarentur. Quod retulit Tacitus, non ob rei gravitatem, sed ut Pisonis et Galli super eo negotio diversæ sententiæ noscerentur.

2 *Cn. Pisonis.* De illo inf. c. 43.

1 *Arcana—tentari.* Sic enim tentabatur quid vellet, quid cogitaret Princeps; quos amaret, quos odio haberet.

derationi suæ tot eligere, tot differre: vix per singulos annos offensiones vitari, quamvis repulsam propinqua spes soletur: quantum odii fore ab his, qui ultra quinquennium projiciantur! unde prospici posse, quæ cuique tam longo temporis spatio mens, domus, fortuna?[2] superbire homines etiam annua designatione: quid si honorem per quinquennium[3] agitent? quinquiplicari[4] prorsus magistratus, subverti leges, quæ sua spatia exercendæ candidatorum industriæ, quærendisque aut potiundis honoribus statuerint."

37. Favorabili in speciem oratione vim imperii tenuit, censusque quorumdam senatorum juvit: quo magis mirum fuit, quod preces M. Hortali nobilis juvenis, in paupertate manifesta, superbius accepisset. Nepos erat oratoris Hortensii,[1] inlectus a divo Augusto liberalitate decies sestertii[2] ducere uxorem, suscipere liberos, ne clarissima familia extingueretur. Igitur quatuor filiis ante limen curiæ adstantibus, loco sententiæ, cum in palatio senatus haberetur, modo Hortensii inter oratores sitam imaginem, modo Augusti intuens, ad hunc modum cœpit: "Patres conscripti, hos quorum numerum et pueritiam videtis, non sponte sustuli, sed quia Princeps monebat: simul majores mei meruerant, ut posteros haberent: nam ego, qui non pecuniam, non studia populi, neque eloquentiam, gentile domus nostræ bonum, varietate temporum accipere vel parare potuissem, satis habebam, si tenues res meæ nec mihi pudori, nec cuiquam oneri forent; jussus ab imperatore, uxorem duxi. En stirps et progenies tot consulum, tot dictatorum:[3] nec ad invidiam ista, sed conciliandæ misericordiæ refero: adsequentur, florente te, Cæsar, quos dederis honores; interim Q. Hortensii pronepotes, divi Augusti alumnos, ab inopia defende."

2 *Domus, fortuna.* Quinque annorum spatio poterat candidati mens mutari, domus fœdari, fortuna everti.

3 *Per quinquennium.* Munus quidem fuisset semper annuum; sed honorem per quinquennium agitassent. Ut quis enim designatus, statim honor, reverentia, et mox superbia.

4 *Quinquiplicari.* Magistratus, non jam unius anni, sed quinque annorum esse; non exercendis muneribus, sed potiundis honoribus.

1 *Oratoris Hortensii.* V. not. et me. ad An. ii, 37.

2 *Decies sestertii.* *Angl.* 8,333*l.* 6*s.* 8*d.*

3 *Tot—dictatorum.* Vel paternum maternumque genus laudat, vel quinam sint isti consules (forte tamen suffectos enumerat) ignoratur. Dictator vero fuit A. U. C. 468. A. C. 285. Q. Hortensius. Plebem, quæ propter æs alienum et graves ac longas seditiones in Janiculum secesserat, in urbem deduxit, 'legemque tulit, ut eo jure, quod plebs statuisset, omnes Quirites tenerentur.' Gellius, xv, 27. 'In ipso

38. Inclinatio senatus incitamentum Tiberio fuit, quo promtius adversaretur, his ferme verbis usus: "Si quantum pauperum est, venire huc, et liberis suis petere pecunias cœperint; singuli numquam exsatiabuntur, respublica deficiet. Nec sane ideo a majoribus concessum est egredi aliquando relationem,[1] et quod in commune conducat loco sententiæ proferre, ut privata negotia, res familiares nostras hic augeamus, cum invidia senatus et principum, sive indulserint[2] largitionem, sive abnuerint. Non enim preces sunt istuc, sed efflagitatio intempestiva quidem et improvisa, cum aliis de rebus convenerint patres, consurgere,[3] et numero atque ætate liberum suorum urgere modestiam senatus, eamdem vim in me transmittere, ac velut perfringere ærarium: quod si ambitione exhauserimus, per scelera supplendum erit. Dedit tibi, Hortale, divus Augustus pecuniam, sed non compellatus, nec ea lege ut semper daretur: languescet alioqui industria, intendetur socordia, si nullus ex se metus, aut spes; et securi omnes aliena subsidia expectabunt, sibi ignavi, nobis graves." Hæc atque talia, quamquam cum adsensu audita ab his, quibus omnia principum honesta atque inhonesta laudare mos est, plures per silentium aut occultum murmur excepere: sensitque Tiberius; et cum paulum reticuisset: "Hortalo se respondisse" ait; "ceterum, si patribus videretur, daturum liberis ejus ducena sestertia[4] singulis, qui sexus virilis essent." Egere alii grates; siluit Hortalus,[5] pavore, an avitæ nobilitatis etiam inter angustias fortunæ retinens: neque miseratus est posthac Tiberius, quamvis domus Hortensii pudendam ad inopiam delaberetur.

39. Eodem anno, mancipii unius audacia, ni mature subventum foret, discordiis armisque civilibus rempublicam perculisset. Postumi Agrippæ[1] servus, nomine *Clemens*, comperto fine Augusti, pergere in insulam Planasiam,[2] et fraude aut vi

magistratu decessit.' Livius in Epit. xi. V. et Plin. xvi, 10.

1 *Egredi—relationem.* Egredi relationem, i. e. a causarum relatione diverti, et loco sententiæ id proferre, quod in communem utilitatem conducat.

2 *Sive indulserint.* Invidia quidem, quod vel intempestive indulgeant, vel dure abnuant.

3 *Consurgere.* Consurgebant, qui sententiam dicebant.

4 *Ducena sestertia.* *Angl.* 1,666*l.* 13*s.* 4*d.*

5 *Siluit Hortalus.* Merito quidem siluit, cum oblata largitio infra censum et nobilitatem Hortensiorum esset.

1 *Postumi Agrippæ.* De illo sup. An. i, 6.

2 *Insulam Planasiam.* Nunc *Pianosa.* Sup. An. i, 5. Hinc videas eruditum Bouche *Histoire de Provence*, vol. i, p. 461. amore patriæ potius, quam veritatis studio ductum, hanc insulam esse *the Island of St. Marguerite, near S. Honoré de Lerins*, pronuntiare.

raptum Agrippam ferre[3] ad exercitus Germanicos, non servili animo concepit. Ausa ejus impedivit tarditas onerariæ navis: atque interim patrata cæde,[4] ad majora et magis præcipitia conversus, furatur cineres; vectusque Cosam,[5] Etruriæ promontorium, ignotis locis sese abdit, donec crinem barbamque promitteret: nam ætate et forma haud dissimili in dominum erat. Tum per idoneos et secreti ejus socios, crebrescit "vivere Agrippam," occultis primum sermonibus, ut vetita solent; mox vago rumore apud imperitissimi cujusque promtas aures, aut rursum apud turbidos, eoque nova cupientes. Atque ipse adire municipia obscuro diei, neque propalam aspici, neque diutius iisdem locis: sed quia veritas visu et mora, falsa festinatione et incertis valescunt, relinquebat famam,[6] aut præveniebat.

40. Vulgabatur interim per Italiam, "servatum munere Deum Agrippam;" credebatur Romæ: jamque Ostiam invectum[1] multitudo ingens, jam in urbe clandestini cœtus celebrabant: cum Tiberium anceps cura distrahere,[2] vine militum servum suum[3] coerceret, an inanem credulitatem tempore ipso vanescere sineret: modo nihil[4] spernendum, modo non omnia metuenda, ambiguus pudoris ac metus reputabat. Postremo dat negotium Sallustio Crispo:[5] ille e clientibus duos (quidam milites fuisse tradunt) deligit, atque hortatur, simu-

3 *Agrippam ferre.* Ducere *ad exercitus Germanicos*, quibus eum propter patris memoriam gratissimum fore intelligebat. *Muret.* Immo gratissimum, quia frater erat Agrippinæ, uxoris Germanici, quem ducem venerabantur. V. iv, 67. extr. Suet. Aug. 19. et Tib. 3.

4 *Patrata cæde.* Patrata cæde Postumi Agrippæ, ut narratum est sup. An. i, 6.

5 *Cosam.* Cosa, nunc *Monte Argentaro*, prope urbem *Orbitello* in Statu Præsidii, vulgo *lo Stado degli Presidii.* Si Dioni lvii, p. 613. fides habeatur, Clemens in Galliam venit. Καὶ εἰς τὴν Γαλατίαν ἐλθὼν, ibi multos, plurimos in Italia, sibi adjunxit, ac tandem Romam contendit, avitum regnum repetiturus. Longe verisimiliora narrat Tacitus.

6 *Relinquebat famam.* Cum fama percrebrescere cœperat, illam aliis in locis præveniebat. Hac arte famam semper habebat pedissequam.

1 *Ostiam invectum.* Servato nomine, adhuc *Ostia* dicitur, in agro Romano.

2 *Cum—distrahere.* In diversas partes trahebat mentem ejus, illum reddebat dubium et incertum, in quam partem et quid decerneret ageretve; ut 'distrahi consiliis,' vi, 44. *Cum* nectitur infinitivo, ubi verbo significatur aliquid non jam perfectum, sed continuatum neque finitum; Croll. V. ii, 31. pr. iv, 1. pr.

3 *Servum suum.* Nam Tiberius et heres Agrippæ erat, et Princeps; unde et Phraates 'servum suum' Tiridatem adpellat ap. Justin. xlii, 5.

4 *Modo nihil.* Quoniam ex tenui et exiguo principio magnæ interdum turbæ ac seditiones exoriri solent; *modo non omnia metuenda:* quædam enim, quæ contemta evanescerent, interdum eo ipso crescunt, quod non negliguntur; 'ambiguus pudoris ac metus [v. ad. i, 7. 8.] reputabat:' pudebat, servi causa commoveri: metus erat, ne convalesceret malum nascens, nisi illud opprimeret, et obstaret principiis, quod medici docent. *Muret.*

5 *Sallustio Crispo.* De quo sup. An. i, 6.

lata conscientia[6] adeant, offerant pecuniam, fidem atque pericula polliceantur. Exsequuntur ut jussum erat: dein speculati noctem incustoditam,[7] accepta idonea manu, vinctum clauso ore in palatium traxere. Percunctanti Tiberio, "Quomodo Agrippa factus esset?" respondisse fertur, "Quomodo tu Cæsar?"[8] Ut ederet socios, subigi non potuit: nec Tiberius pœnam ejus palam ausus; in secreta palatii parte interfici jussit, corpusque clam auferri: et quamquam multi e domo principis, equitesque ac senatores, sustentasse opibus,[9] juvisse consiliis dicerentur, haud quæsitum.[10]

A.U.C. 770. J.C. 17.

41. Fine anni, arcus propter ædem Saturni,[1] ob recepta signa cum Varo amissa, ductu Germanici, auspiciis Tiberii; et ædes Fortis Fortunæ[2] Tiberim juxta in hortis, quos Cæsar dictator populo Romano legaverat; sacrarium genti Juliæ, effigiesque divo Augusto apud Bovillas,[3] dicantur. C. Cæcilio,[4] L. Pomponio consulibus, Germanicus Cæsar A. D. VII. Kalendas Junias triumphavit de Cheruscis[5] Cattisque et Angrivariis, quæque aliæ nationes usque ad Albim colunt: vecta spolia, captivi, simulacra montium,[6] fluminum, præliorum: bellumque, quia conficere prohibitus erat, pro confecto accipiebatur: augebat intuentium visus eximia ipsius species,

6 *Simulata conscientia.* Simulantes se scire et credere ipsum esse verum Agrippam.

7 *Noctem incustoditam.* Captantes opportunitatem noctis, in qua sine custodibus esset et præsidiis. V. ad. i, 28. 1. et vi, 51. 6.

8 *Quomodo tu Cæsar.* Salse dictum. Uterque enim fraude grassatus. Clemens, ementito Agrippæ nomine: Tiberius Liviæ artibus Cæsar evaserat.

9 *Sustentasse opibus.* Falsum illum Agrippam.

10 *Haud quæsitum.* Recte quidem. Egregia enim puniendi ratio dignaque Principe, imperiosa dissimulatio.

1 *Ædem Saturni.* In viii. urbis regione, 'imoque clivo Capitolino,' ut ait Festus. In hac vetustissima Saturni æde fuit ærarium publicum, Cic. ad Att. vii, 20. tabulæ ærarii debitorum, Suet. in Aug. 32. signa militaria, Liv. iv, 22.

2 *Fortis Fortunæ.* In xiv. urbis regione. Fors Fortuna a rusticis maxime colebatur. Columel. x, 316.

3 *Bovillas.* Bovillæ, nunc *Fratocchi,* via Appia sitæ ad decimum ab urbe lapidem. Ibi non tantum sacrarium genti Juliæ, et effigies D. Augusto dicata, sed etiam ludicrum circense editum, de quo inf. An. xv, 23.

4 *C. Cæcilio.* C. Cæcilius Rufus, L. Pomponius Flaccus, consules fuere A. U. C. 770. J. C. 17. V. not. et em. ad An. ii, 41.

5 *De Cheruscis.* Nummi plurimi hujus triumphi testes. Germanicus stat in quadrigis, sinistra, scipionem eburneum cum Aquila tenet. GERMANICVS CÆSAR. Ex altera parte vir paludatus et armatus stans tenet Aquilam legionariam. SIGNIS RECEPT. DEVICTIS GERM. SC. 'Signis receptis, devictis Germanis. Senatus consulto.'

6 *Captivi—montium.* Insigniorum captivorum, et devictorum populorum nomina, librariorum erroribus fœde deturpata, recenset Strabo vii, p. 291. Vecta sunt

currusque quinque liberis[7] onustus: sed suberat occulta formido reputantibus, "haud prosperum in Druso patre ejus favorem vulgi: avunculum ejusdem Marcellum flagrantibus plebis studiis intra juventam ereptum: breves et infaustos[8] populi Romani amores."

42. Ceterum Tiberius, nomine Germanici, trecenos plebi sestertios[1] viritim dedit, seque collegam consulatui ejus destinavit: nec ideo sinceræ caritatis fidem adsecutus, amoliri juvenem specie honoris statuit, struxitque causas, aut forte oblatas arripuit. Rex Archelaus[2] quinquagesimum annum[3] Cappadocia potiebatur, invisus Tiberio, quod eum Rhodi agentem[4] nullo officio coluisset: nec id Archelaus per superbiam omiserat, sed ab intimis Augusti monitus; quia florente C. Cæsare,[5] missoque ad res Orientis, intuta Tiberii amicitia credebatur. Ut, versa[6] Cæsarum sobole, imperium adeptus est, elicit Archelaum matris literis,[7] quæ, non dissimulatis filii offensionibus, clementiam offerebat, si ad precandum veniret: ille ignarus doli, vel, si intelligere crederetur, vim metuens, in urbem properat: exceptusque immiti a principe, et mox accusatus[8] in senatu; non ob crimina quæ fingebantur, sed angore, simul fessus senio, et quia regibus æqua, nedum infima, insolita sunt, finem vitæ, sponte, an fato implevit. Regnum in provinciam[9] redactum est, "fructibusque ejus levari posse centesimæ vectigal"[10] professus Cæsar, ducente-

simulacra montium, fluminum, non vero urbium, quæ nullæ adhuc in Germania extabant.

7 *Quinque liberis*. Novem liberos ex Agrippina suscepit Germanicus, v. stem. Cæs. sed cum tres jam essent mortui, necdum nata Julia, quinque tantum fuere; Nero, Drusus, Caius postea Princeps, Agrippina et Drusilla, quibus onustus currus triumphalis intuentium visus augebat.

8 *Breves et infaustos*. Nec mirum. Libertati studebat populus, servituti Princeps.

1 *Trecenos—sestertios*. *Angl.* 2*l.* 10*s*.

2 *Rex Archelaus*. Archelaum, Cappadociæ regem fecerat Antonius, A. U. C. 718. A. C. 35. Dio xlix, p. 411. Strabo xii, p. 540 et 534. xvii, p. 796. V. not. et em. ad An. ii, 42.

3 *Quinquagesimum annum*. Justa putatio. Cepit enim regnum ab Antonio, anno urbis 718. Consule Dionem xlix, 32. *Lips*.

4 *Rhodi agentem*. Ut dictum sup. An. i, 4.

5 *C. Cæsare*. Caio, Augusti nepote. V. stem. Cæs. n. 48.

6 *Versa*. Non finita, sed eversa, Agrippa Postumo in exilium acto.

7 *Matris literis*. Liviæ, Tiberii matris.

8 *Accusatus*. Accusatus, quod res novas in senatu esset molitus, teste Philostrato in vita Apollonii, i, 12. Alia multa, quorum penes lectores sit judicium, subjungit Dio lvii, p. 614.

9 *In provinciam*. 'Cappadoces in provinciæ formam redacti Q. Veranium legatum accepere.' Inf. c. 56.

10 *Centesimæ vectigal*. De centesima jam dictum sup. An. i, 78. Cum imperium accessione Cappadociæ ditius esset factum, Tiberius ducentesimam pro centesima statuit. Sic olim reipublicæ ærario 'intulit Æmilius Paulus, Perseo victo, e Macedonica præda HS. MM.CCC. [Angl. 5,000,000*l.*] a quo tempore populus Ro-

simam in posterum statuit. Per idem tempus Antiocho Commagenorum,[11] Philopatore Cilicum[12] regibus defunctis, turbabantur nationes, plerisque Romanum, aliis regium imperium cupientibus: et provinciæ Syria atque Judæa, fessæ oneribus, deminutionem tributi orabant.

43. Igitur hæc, et de Armenia, quæ supra memoravi,[1] apud patres disseruit: "nec posse motum Orientem nisi Germanici sapientia componi. Nam suam ætatem vergere, Drusi nondum satis adolevisse." Tunc decreto patrum, permissæ Germanico provinciæ, quæ mari dividuntur,[2] majusque imperium quoquo adisset, quam his, qui sorte aut missu Principis obtinerent. Sed Tiberius demoverat Syria Creticum Silanum,[3] per adfinitatem connexum Germanico, quia Silani filia Neroni, vetustissimo liberorum ejus, pacta erat:[4] præfeceratque Cn. Pisonem[5] ingenio violentum, et obsequii ignarum, insita ferocia a patre Pisone, qui civili bello[6] resurgentes in Africa partes acerrimo ministerio adversus Cæsarem juvit: mox Brutum et Cassium[7] secutus, concesso reditu, petitione honorum abstinuit, donec ultro ambiretur delatum ab Augusto consulatum accipere.[8] Sed præter paternos spiritus, uxoris quoque Plancinæ nobilitate et opibus accendebatur: vix Tiberio concedere, liberos ejus ut multum infra despectare: nec dubium habebat, se delectum, qui Syriæ imponeretur, ad spes Germanici coercendas: credidere quidam data et

manus tributum pendere desiit.' Plin. xxxiii, 3.

11 *Antiocho Commagenorum.* Antiocho iii. Commagenorum rege. In nummis ΚΟΜΜΑΓΗΝΩΝ. Pars Syriæ Antiochenæ, Commagene, nunc *Azar.* De Commagenorum regibus erudite scripsit V. Cl. Masson apud Haym, *Tesoro Britannico,* vol. i, p. 113. sq.

12 *Philopatore Cilicum.* Ad illum pertinet nummus a V. Cl. Haym, *Tesoro Britannico,* vol. i, p. 146. laudatus. Ex antica parte caput Ciliciæ turritum. E postica Pallas stans dextra Victoriam, sinistra clypeum tenet ΒΑCΙΛΕΩC ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟC, 'regis Philopatoris.' In altero nummo Δ Λ, id est, anno 34.

1 *Supra memoravi.* Sup. c. 3.

2 *Provinciæ—dividuntur.* Asia, Ægyptus, Africa. Majusque imperium, quam his, qui aut proconsules *sorte,* aut proprætores *missu Principis* obtinebant.

3 *Creticum Silanum.* V. not. et em. ad An. ii, 43.

4 *Pacta erat.* Pacta quidem. Sed postea Nero Juliam, Drusi Cæsaris filiam, uxorem duxit. Inf. An. iii, 29. V. et stem. Cæs. n. 82.

5 *Cn. Pisonem.* Sen. de Ira, i, 16. 'Cn. Piso fuit memoria nostra vir a multis vitiis integer, sed pravus, et cui placebat pro constantia rigor.' Iratus, tres homines, ob unius innocentiam, interfici jussit. Sen. ib.

6 *Civili bello.* Pompeium inter et Julium Cæsarem. Quid in Africa adversus Cæsarem Piso præstiterit, passim narrat Hirtius de Bell. Afric.

7 *Brutum et Cassium.* Julii Cæsaris interfectores.

8 *Consulatum accipere.* Donec Augustus ipse eum exoraret, ut secum consulatum gereret, quod contigit A. U. C. 731. A. C. 22.

a Tiberi oocculta mandata; et Plancinam haud dubie Augusta monuit, muliebri æmulatione Agrippinam insectandi: divisa namque et discors aula erat, tacitis in Drusum[9] aut Germanicum studiis. Tiberius, ut proprium, et sui sanguinis, Drusum fovebat: Germanico, alienatio patrui,[10] amorem apud ceteros auxerat; et quia claritudine materni generis anteibat, avum M. Antonium,[11] avunculum Augustum[12] ferens: contra Druso proavus, eques Romanus, Pomponius Atticus,[13] dedecere Claudiorum imagines[14] videbatur: et conjunx Germanici Agrippina, fœcunditate ac fama Liviam uxorem Drusi[15] præcellebat: sed fratres[16] egregie concordes, et proximorum certaminibus inconcussi.

44. Nec multo post Drusus in Illyricum missus est, ut suesceret militiæ, studiaque exercitus pararet; simul juvenem urbano luxu lascivientem melius in castris haberi Tiberius, seque tutiorem rebatur, utroque filio[1] legiones obtinente. Sed Suevi prætendebantur,[2] auxilium adversus Cheruscos orantes: nam discessu Romanorum, ac vacui externo metu, gentis adsuetudine, tum et æmulatione gloriæ, arma in se verterant: vis nationum, virtus ducum in æquo: sed Maroboduum[3] regis nomen invisum apud populares: Arminium pro libertate bellantem favor habebat.

45. Igitur non modo Cherusci sociique eorum, vetus Arminii miles, sumsere bellum: sed e regno etiam Marobodui Suevæ gentes, Semnones ac Langobardi,[1] defecere ad eum:

9 *Drusum.* Tiberii filium.

10 *Alienatio patrui.* Tiberius Germanici patruus.

11 *Avum M. Antonium.* M. Antonius triumvir avus erat Germanici Antonia minore, Antonii filia, geniti. V. stem. Cæs. n. 42 et 81.

12 *Avunculum Augustum.* Magnum avunculum, ut patet ex stem. Cæs. n. 43. 16. 42 et 81. Sic sup. c. 27. 'Amitam' pro 'magnam amitam.'

13 *Pomponius Atticus.* Pomponius erat Drusi Cæsaris proavus. Ejus enim filia nupserat M. Agrippæ. His genita Vipsania Agrippina Drusi mater. V. stem. Cæs. n. 69 et 70.

14 *Claudiorum imagines.* Domum Tiberii Principis, quæ a Patricia familia Claudia originem ducebat.

15 *Liviam uxorem Drusi.* Livillam quoque dictam, Germanici sororem. V. stem. Cæs. n. 71.

16 *Sed fratres.* Germanicus et Drusus fratres, quia Germanicus a Tiberio adoptatus. An. i, 3.

1 *Utroque filio.* Druso et Germanico.

2 *Prætendebantur.* Ut mens Tiberii lateret, prætexebantur Suevi auxilium adversus Cheruscos orantes.

3 *Maroboduum.* 'Maroboduus, genere nobilis, corpore prævalens, animo ferox, natione magis quam ratione barbarus.' Marcomannos aliasque Suevorum gentes, pulsis Boiis, in Hercyniam sylvam Boiohemumque transtulit, ut imperium ac vim regiam certius occuparet. Regis nomen illum brevi invisum fecit apud populares libertatis studiosissimos. Marobodui regnum, nunc *Bohemia.* Vide Vellei. ii, 108 et 109. Strab. vii, p. 290.

1 *Semnones ac Langobardi.* Semnones, *Lusatia*; Langobardi, *Brandeburg.* Perperam in quibusdam editionibus *Longobardi.*

quibus additis præpollebat, ni Inguiomerus cum manu clientium ad Maroboduum perfugisset; non aliam ob causam, quam quia fratris filio[2] juveni, patruus senex parere dedignabatur. Diriguntur acies pari utrimque spe, nec ut olim apud Germanos vagis incursibus, aut disjectas per catervas: quippe longa adversum nos militia, insueverant sequi signa, subsidiis firmari, dicta imperatorum accipere. At tunc Arminius equo conlustrans cuncta, ut quosque advectus erat: "Reciperatam libertatem, trucidatas legiones, spolia adhuc et tela Romanis derepta, in manibus multorum" ostentabat: contra "fugacem Maroboduum" appellans, "præliorum expertem, Hercyniæ latebris[3] defensum, ac mox per dona et legationes petivisse fœdus, proditorem patriæ, satellitem Cæsaris,[4] haud minus infensis animis exturbandum, quam Varum Quinctilium interfecerint: meminissent modo tot præliorum, quorum eventu, et ad postremum ejectis Romanis, satis probatum, penes utros summa belli fuerit." [5]

46. Neque Maroboduus jactantia sui, aut probris in hostem abstinebat: sed Inguiomerum tenens, "Illo in corpore decus omne Cheruscorum, illius consiliis gesta, quæ prospere ceciderint," testabatur: "vecordem Arminium,[1] et rerum nescium, alienam gloriam in se trahere, quoniam tres vacuas legiones[2] et ducem fraudis ignarum perfidia deceperit, magna cum clade Germaniæ, et ignominia sua, cum conjunx,[3] cum filius ejus,

2 *Fratris filio.* Sigimerus, Inguiomeri frater, pater Arminii. V. stemma Arminii, An. i, 55.

3 *Hercyniæ latebris.* Hercynia sylva 'dierum sexaginta iter occupans, ut major aliis, ita et notior.' Mela iii, 3. V. et Cæs. de Bell. Gall. vi, 24 et 25. Nomen duxit a voce Germanica *Hartz*, aut *Hart*, i. e. densa ac fruticosa sylva, teste Spenero Notit. Germ. Antiq. ii, 3.

4 *Satellitem Cæsaris.* Maroboduus, adhuc juvenis, Romam adierat, ibique Augusti beneficiis ornatus. Strabo vii, p. 290. Regias artes edoctus, et in patriam reversus, regnum condidit; se Hercyniæ sylvæ latebris defendit, per dona et legationes petivit fœdus Romanorum; prodidit patriam, non sociatis armis cum Cheruscis ceterisque Germanis, qui eam adversus Romanos defendere.

5 *Penes—fuerit.* Id, quod bellum conficit, in quo totum bellum et felix ejus eventus continetur ac versatur, quo omnia in bello redeunt, i. e. summa virtus, vel victoria et maxima belli commoda. Cf. Hist. i, 87. 33. iv, 68. et ad Liv. iii, 5. 6. ubi etiam monui, 'summam belli,' 'rei,' 'reipublicæ' vel 'remp.' nonnumquam poni pro universo bello.

1 *Vecordem Arminium.* Vecordem, i. e. turbidum et temerarium.

2 *Vacuas legiones.* Minime vacuas, teste Vellei. ii, 119. 'Exercitus omnium fortissimus, disciplina, manu, experientiaque bellorum inter Romanos milites princeps, marcore ducis,' Quinctilii Vari, 'perfidia hostis, iniquitate fortunæ circumventus—inclusus sylvis, paludibus, insidiis, ad internecionem trucidatus est.' Fatendum tamen legiones non fuisse integras. Nonnullos enim legionarios ipsis Barbaris, tuendorum præsidiorum aut fugandorum latronum specie permissos docet Dio lvi, p. 583.

3 *Cum conjunx.* Sup. An. i, 57 et 58.

servitium adhuc tolerent. At se duodecim legionibus petitum[4] duce Tiberio, illibatam Germanorum gloriam servavisse: mox conditionibus æquis discessum: neque pœnitere quod ipsorum in manu sit, integrum adversus Romanos[5] bellum, an pacem incruentam malint." His vocibus instinctos exercitus propriæ quoque causæ stimulabant: cum a Cheruscis Langobardisque, pro antiquo decore,[6] aut recenti libertate; et contra, augendæ dominationi certaretur. Non alias majore mole concursum, neque ambiguo magis eventu, fusis utrimque dextris cornibus. Sperabaturque rursum pugna, ni Maroboduus castra in colles subduxisset. Id signum perculsi[7] fuit: et transfugis[8] paulatim nudatus, in Marcomannos concessit, misitque legatos ad Tiberium oraturos auxilia. Responsum est, "non jure eum adversus Cheruscos arma Romana invocare, qui pugnantes in eundem hostem Romanos nulla ope juvisset." Missus tamen Drusus, ut retulimus,[9] pacis firmator.

47. Eodem anno duodecim celebres Asiæ urbes conlapsæ nocturno motu terræ:[1] quo improvisior graviorque pestis fuit: neque solitum in tali casu effugium subveniebat in aperta prorumpendi, quia diductis terris hauriebantur. "Sedisse immensos montes, visa in arduo quæ plana fuerint, effulsisse inter ruinam ignes" memorant. Asperrima in Sardianos lues plurimum in eosdem misericordiæ traxit: nam centies sestertium[2] pollicitus Cæsar, et quantum ærario, aut fisco pende-

4 *Petitum.* Maroboduum, firmato regno, Romanis metuendum petivit Tiberius A. U. C. 759; mandavitque Sentio Saturnino ut per Cattos, excisis continentibus Hercyniæ sylvæ, legiones Boiohemum, *Bohemia*, duceret: se a Carnunto nunc *Haynburg*, ad confluentes Danubii et Mari, *Moravia*, posito, exercitum ex Illyrico in Marcomannos ducturum. Intra paucos dies Saturninus cum Tiberio juncturus erat, cum Pannoniam Dalmatiamque rebellasse nuntiatum. Bello nondum cœpto, pax cum Maroboduo æquis conditionibus pacta, ut vis belli in rebelles verteretur. Vellei. ii, 109 et 110. Dio lv, p. 568. sq.

5 *Integrum—Romanos.* Nulla clade, nullo dedecore affecti, immo æquis conditionibus feroces, integrum adversus Romanos bellum, pacemve incruentam eligere poterant. Integrum est adhuc bellum, cum æquis viribus, ancipite victoria utrimque pugnatur.

6 *Pro—decore.* Cherusci, Romanorum victores, pro antiquo decore: Langobardi, qui nuper a Maroboduo defecerant, pro recenti libertate pugnabant. Contra Maroboduus, tot gentium domitor, pro augenda adhuc dominatione certabat.

7 *Signum perculsi.* Perculsi ac victi.

8 *Transfugis.* Paulatim nudatus Cheruscis, qui cum Inguiomero ad eum transfugerant, in Marcomannos populares suos concessit. Hi Marcomanni, Mari fluvii, *Moravia*, accolæ, omnino diversi a Marcomannis, quos Rheno proximos memorat Cæsar de Bell. Gall. i, 51. quique nomen ducebant a Marciana sylva, *Schwartzwald*. V. Ecccard. de orig. Germ. p. 204 et 241.

9 *Ut retulimus.* Sup. c. 44.

1 *Nocturno—terræ.* Idem testatur Plin. ii, 84. 'Maximus terræ memoria mortalium extitit motus, Tiberii Cæsaris principatu xii. urbibus Asiæ una nocte prostratis.' V. not. et em. ad An. ii, 47. Ibi de singulis urbibus eversis dicetur fusius.

2 *Centies sestertium.* Centies centena millia sestertium, *Angl.* 83,333*l.* 6*s.* 8*d.*

bant, in quinquennium remisit. Magnetes a Sipylo, proximi damno ac remedio habiti. Temnios, Philadelphenos, Ægeatas, Apollonidienses, quique Mosteni, atque Macedones Hyrcani vocantur, et Hierocæsaream, Myrinam, Cymen, Tmolum levari idem in tempus tributis, mittique ex senatu placuit, qui præsentia spectaret, refoveretque. Delectus est M. Aletus e prætoriis, ne consulari obtinente Asiam, æmulatio inter pares, et ex eo impedimentum oriretur.

48. Magnificam in publicum largitionem auxit Cæsar haud minus grata liberalitate, quod bona Æmiliæ Musæ[1] locupletis intestatæ petita in fiscum, Æmilio Lepido, cujus e domo videbatur; et Patulei divitis equitis Romani hereditatem (quamquam ipse heres in parte legeretur) tradidit M. Servilio, quem prioribus, neque suspectis tabulis, scriptum compererat; "nobilitatem utriusque pecunia juvandam" præfatus. Neque hereditatem cujusquam adiit, nisi cum amicitia meruisset; ignotos et aliis infensos, eoque Principem nuncupantes, procul arcebat. Ceterum ut honestam innocentium paupertatem levavit; ita prodigos et ob flagitia egentes Vibidium Varronem, Marium Nepotem, Appium Appianum, Cornelium Sullam, Q. Vitellium movit senatu, aut sponte cedere passus est.

49. Iisdem temporibus Deum ædes vetustate aut igni abolitas, cœptasque ab Augusto, dedicavit: Libero Liberæque et Cereri, juxta Circum maximum, quam A. Postumius[1] dictator voverat; eodemque in loco ædem Floræ, ab Lucio et Marco Publiciis ædilibus[2] constitutam: et Jano templum, quod apud forum olitorium C. Duillius[3] struxerat, qui pri-

1 *Æmiliæ Musæ.* Quam libertam fuisse merito conjicit Lipsius. Intestata mortua, incerto patrono, bona ejus juxta leges Romanas in fiscum a procuratoribus petita. Indulgentior Cæsar ea tradidit Æmilio Lepido, e cujus domo esse videbatur. Utrum cum Musa, celeberrimo Augusti medico, cognatione conjuncta fuerit, frustra divinaretur. De hoc medico plura Suet. in Aug. 59 et 81. Plin. xix, 8. Forte nomen acceperat ab aliquo Æmiliorum, qui uxorem e domo Pomponii Musæ, cujus habentur nummi, duxerat.

1 *A. Postumius.* A. Postumius dictator A. U. C. 258. A. C. 495. Latinos ad lacum Regillum, *Colonia,* in agro Tusculano, vicit; ædemque vovit, quam triennio post consul Cassius *Cereri*, *Libero*, i. e. Baccho, et *Liberæ* seu Proserpinæ, quæ Cora quoque dicebatur, consecravit. Τόν τε νεὼν τῆς Δήμητρος, καὶ Διονύσου, καὶ Κόρης— καθιέρωσεν. Dionys. Halic. Antiq. Rom. vi, p. 414. Ædes illa in urbis regione undecima ad metas Circi maximi posita. V. Liv. ii, 19 et 20.

2 *Publiciis ædilibus.* Ab ædilibus L. Publicio et M. Publicio, quos laudat Ovid. Fast. v, 297 sq. In veteri inscr. ap. Ficoroni, *Roma Antica*, i, 3. C. POBLICIO. L. F. ÆD. PL.

3 *C. Duillius.* C. Duillius, victor apud Liparas, nunc *Lipari* prope Siciliam, mersa et fugata Pœnorum classe, primus maritimum triumphum egit A. U. C. 494. A. C. 259. Templum Jani apud forum olitorium, nunc *Piazza Montanara*, in unde-

mus rem Romanam prospere mari gessit, triumphumque navalem de Pœnis meruit. Spei ædes a Germanico sacratur: hanc Atilius voverat eodem bello.[4]

50. Adolescebat interea lex majestatis.[1] Et Apuleiam Variliam sororis Augusti neptem,[2] qui probrosis sermonibus divum Augustum ac Tiberium, et matrem ejus inlusisset, Cæsarique connexa,[3] adulterio teneretur, majestatis delator arcessebat. "De adulterio satis caveri lege Julia"[4] visum. "Majestatis crimen distingui" Cæsar postulavit; "damnarique, si qua de Augusto inreligiose dixisset: in se jacta, nolle ad cognitionem vocari." Interrogatus a consule "quid de his censeret, quæ de matre ejus locuta secus argueretur," reticuit: dein proximo senatus die, illius quoque nomine oravit, "ne cui verba in eam quoquo modo habita crimini forent." Liberavitque Apuleiam lege majestatis; adulterii graviorem pœnam[5] deprecatus, "ut, exemplo majorum,[6] propinquis suis ultra ducentesimum lapidem removeretur" suasit. Adultero Manlio Italia atque Africa interdictum est.

51. De prætore in locum Vipsanii Galli, quem mors abstulerat, subrogando, certamen incessit. Germanicus atque Drusus (nam etiam tum Romæ erant) Haterium Agrippam propinquum Germanici[1] fovebant: contra plerique nitebantur, ut numerus liberorum[2] in candidatis præpolleret, quod lex jubebat. Lætabatur Tiberius, cum inter filios ejus et leges senatus disceptaret; victa est[3] sine dubio lex: sed neque statim, et

cima urbis regione struxit. Flor. ii, 2. Plin. xxxiv, 5.

4 *Eodem bello.* In eodem bello Punico. Hæc Spei ædes, in foro olitorio quoque posita.

1 *Lex majestatis.* De hac lege sup. An. i, 72.

2 *Sororis Aug. neptem.* Octaviæ neptem, Marcellæ filiam. V. Cæs. n. 22. Apuleium, Augusti cognatum, συγγενῆ, appellat Dio liv, p. 543.

3 *Cæsarique connexa.* Duplex igitur majestatis crimen. Prius, propter convitia in Augustam domum. Alterum, propter adulterium patratum a fœmina, quæ cum Cæsare erat affinitate conjuncta.

4 *Lege Julia.* Lex illa ab Augusto lata, 'ne quis posthac stuprum, adulterium facito sciens dolo malo.' Adulterium gladio, stuprum, si stupratores essent honesti, publicatione partis dimidiæ bonorum, si humiles, corporis coercitione cum relegatione puniebatur, ut accipimus ex Justin. Inst. iv, Tit. 18. *de publicis judiciis.* Julia lex dicebatur, quod Augustus a Julio Cæsare fuerat adoptatus. V. Ant. Augustin. de legibus, p. 70 sq.

5 *Graviorem pœnam.* Morte plectebatur adulterium, ut modo dictum est.

6 *Exemplo majorum.* Lege Romuli uxor in adulterio deprehensa repudiabatur, Plut. in Rom. p. 32. et, ut videtur ex his Taciti verbis, ultra ducentesimum lapidem, i. e. ultra CC M. passuum, a propinquis suis removebatur.

1 *Propinquum Germanici.* Agrippina, Germanici mater, erat M. Vipsanii Agrippæ filia.

2 *Numerus liberorum.* Lege Papia, candidati, qui plures liberos genuerant, præpollebant. De hac l. v. Ant. August. p. 108.

3 *Victa est.* Et Haterius Agrippa subrogatus, licet liberorum numerus non præpolleret.

paucis suffragiis: quomodo, etiam cum valerent, leges vincebantur.[4]

52. Eodem anno cœptum in Africa bellum, duce hostium Tacfarinate: is natione Numida,[1] in castris Romanis auxiliaria stipendia meritus, mox desertor, vagos primum, et latrociniis suetos, ad prædam et raptus congregare; dein more militiæ per vexilla et turmas componere; postremo non inconditæ turbæ, sed Musulanorum dux[2] haberi. Valida ea gens, et solitudinibus Africæ[3] propinqua, nullo etiam tum urbium cultu, cepit arma, Maurosque accolas[4] in bellum traxit: dux et his Mazippa: divisusque exercitus; ut Tacfarinas lectos viros, et Romanum in modum armatos castris attineret, disciplina et imperiis suesceret: Mazippa levi cum copia,[5] incendia et cædes, et terrorem circumferret: compulerantque Cinithios,[6] haud spernendam nationem, in eadem; cum Furius Camillus proconsul Africæ, legionem et quod sub signis sociorum, in unum conductos ad hostem duxit: modicam manum, si multitudinem Numidarum atque Maurorum spectares: sed nihil æque cavebatur, quam ne bellum metu eluderent:[7] spe victoriæ inducti sunt, ut vincerentur. Igitur legio medio, leves cohortes duæque alæ[8] in cornibus locantur; nec Tacfarinas pugnam detrectavit: fusi Numidæ, multosque post annos[9] Furio nomini partum decus militiæ: nam post illum reciperatorem Urbis,[10] filiumque ejus Camillum, penes alias familias

4 *Leges vincebantur.* Optimum imperium, in quo numquam vincerentur leges; bonum, in quo raro vincuntur. Cum inter filios ejus et leges senatus ita disceptaret, lætabatur Tiberius. Certus enim quid jam valeret, quid in posterum audere posset ominabatur.

1 *Natione Numida.* Numidia, nunc *the eastern part of the province of Algiers.*

2 *Musulanorum dux.* Nunc *Biledulgerid.* V. not. et em. ad An. ii, 52.

3 *Solitudinibus Africæ.* Hic Africam de tota Africa ne accipias, sed de hac Africæ parte, quæ provincia Romana erat, et Africa dicebatur, nunc *the province of Tunis.*

4 *Maurosque accolas.* Numidis et Musulanis vicinos. *The province of Fez, and the western part of the province of Algiers.*

5 *Levi cum copia.* Modico militum numero, vel levi armatura; nisi potius viliores designantur milites et *lectis viris* opponuntur. *Copia* pro *copiis.*

6 *Cinithios.* *Part of the province of Tripoli.* V. not. et em. ad An. ii, 52.

7 *Ne—eluderent.* Traherent, refugientes et detrectantes prælium, vel potius: *ne bellum*, i. e. pugnam sc. prælium (ut passim, et Gr. πόλεμος: de quo v. ad Sil. i, 621.) *metu* virium Rom. *eluderent*, detrectarent: quo sensu propr. 'eludere ictum' dicuntur pugiles et gladiatores, declinatione corporis eum effugientes. V. de eodem Tacfarinate, iii, 74. 2. et iv, 25.

8 *Duæque alæ.* Equitum. Gellius xvi, 4. 'Alæ dictæ exercitus equitum ordines; quod circum legiones dextra sinistraque, tanquam alæ in avium corporibus, locabantur.' Romani vix x aut xii millia hominum habuere, Barbari forte centum millia.

9 *Multosque post annos.* Multos quidem annos. Nam ab annis quadringentis nihil decoris Furiorum nomen a militia acceperat.

10 *Reciperatorem Urbis.* M. Furius Camillus, expugnatis Veiis A. U. C. 358. Gallos fudit, urbemque recuperavit A. U. C. 364.

imperatoria laus fuerat. Atque hic, quem memoramus, bellorum expers habebatur: eo pronior Tiberius[11] res gestas apud Senatum celebravit: et decrevere patres triumphalia[12] insignia: quod Camillo ob modestiam vitæ impune fuit.[13]

A.U.C. 771. J.C. 18.

53. Sequens annus Tiberium tertio,[1] Germanicum iterum consules habuit: sed eum honorem Germanicus iniit apud urbem Achaiæ Nicopolim,[2] quo venerat per Illyricam oram, viso fratre Druso in Dalmatia agente, Adriatici ac mox Ionii[3] maris adversam navigationem perpessus. Igitur paucos dies insumsit reficiendæ classi: simul sinus Actiaca[4] victoria inclitos, et sacratas ab Augusto[5] manubias, castraque Antonii cum recordatione majorum suorum adiit: namque ei, ut memoravi, avunculus Augustus,[6] avus Antonius erant, magnaque illic imago tristium lætorumque.[7] Hinc ventum Athenas, fœderique sociæ et vetustæ urbis datum, ut uno lictore uteretur.[8] Excepere Græci quæsitissimis honoribus, vetera suorum facta dictaque præferentes, quo plus dignationis adulatio haberet.

54. Petita inde Eubœa,[1] tramisit Lesbum,[2] ubi Agrippina

A. C. 389. Minio illitus triumphavit. Plin. xxxiii, 7. Filium haud degenerem habuit. At post illos imperatoria laus penes alias familias semper fuerat.

11 *Eo pronior Tiberius.* Nam is, claros viros detrectare et suspectare solitus, hunc ideo pronius extulit, quia hominem nulla eo usque militari fama, ob unicum hoc prælium, satis intelligebat, eo gloriæ atque auctoritatis non posse adscendere, ut exinde sibi periculum haberet metuendum. *Freinsh.*

12 *Triumphalia.* Sup. An. i, 72.

13 *Impune fuit.* Ab invido Principe laudatus est Furius, quia bellorum expers habebatur. Laus enim victoriæ in numen Principis potius, quam in victoris decus cedere videbatur. Decreta quoque a Patribus triumphalia insignia Camillus impune obtinuit, quod propter vitæ modestiam nihil offensionis cepit Tiberius.

1 *Tiberium tertio.* Tiberius Augustus III. Germanicus Cæsar II. consules fuere A. U. C. 771. J. C. 18.

2 *Nicopolim.* Nicopolis, nunc *Preveza Vecchia.* V. not. et em. ad An. ii, 53.

3 *Adriatici—Ionii.* Adriaticum mare, *the gulph of Venice.* Ionium, *the Archipelago.*

4 *Sinus Actiaca.* Sinus ille Epirum inter et Achaiam, nunc *the gulph of Azzio.*

5 *Sacratas ab Augusto.* V. not. et em. ad An. ii, 53.

6 *Avunculus Augustus.* Magnus avunculus, ut dictum est sup. c. 43.

7 *Tristium lætorumque.* Tristium ob Antonii cladem, lætorum propter Augusti victoriam. Quam eleganter! Quam Corneliane! 'Magnaque illic imago tristium lætorumque.'

8 *Uno—uteretur.* In Principibus maximum amicitiæ et securitatis argumentum, cum nullis, aut paucis, utuntur satellitibus.

9 *Vetera—facta.* Sup. c. 41. vidimus Romæ in Germanici triumpho 'vecta spolia, simulacra montium, fluminum, præliorum.' Ita quoque Græci vetera suorum ducum facta, philosophorum oratorumque dicta prætulere, ut plus dignationis haberet eorum adulatio. Et certe in hac pompa multum fuit magnificentiæ, dignumque Germanico spectaculum. Alii tamen aliter explicant. V. not. et em. ad An. ii, 53.

1 *Eubœa.* Nunc *Negropont.*

2 *Lesbum.* Nunc *Metelin.*

novissimo partu Juliam edidit:[3] tum extrema Asiæ, Perinthumque[4] ac Byzantium[5] Thracias urbes, mox Propontidis[6] angustias, et os Ponticum[7] intrat, cupidine veteres locos, et fama celebratos noscendi: pariterque provincias internis certaminibus, aut magistratuum injuriis fessas refovebat: atque illum in regressu sacra Samothracum[8] visere nitentem, obvii aquilones depulere. Igitur Ilio,[9] quæque ibi varietate fortunæ, et nostri origine veneranda, relegit Asiam, appellitque Colophona,[10] ut Clarii Apollinis oraculo uteretur. Non fœmina illic, ut apud Delphos, sed certis e familiis et ferme Mileto accitus[11] sacerdos, numerum modo consultantium et nomina audit: tum in specum degressus, hausta fontis arcani aqua, ignarus plerumque literarum et carminum, edit responsa versibus, compositis super rebus, quas quis mente concepit: et ferebatur, Germanico per ambages, ut mos oraculis, "maturum exitium" cecinisse..

55. At Cn. Piso, quo properantius destinata inciperet, civitatem Atheniensium turbido incessu[1] exterritam oratione sæva increpat, oblique Germanicum perstringens, "quod contra decus Romani nominis non Athenienses tot cladibus extinctos, sed colluviem illam nationum comitate nimia coluisset: hos enim esse Mithridatis adversus Sullam, Antonii adversus divum Augustum socios:" etiam vetera objectabat, "quæ in Macedones improspere, violenter in suos fecissent:" offensus urbi propria quoque ira; quia Theophilum quemdam Areo judicio[2] falsi damnatum, precibus suis non concederent. Exin

3 *Juliam edidit.* Juliam, dictam quoque *Livillam.* V. stem. Cæs. n. 97.

4 *Perinthumque.* Postea dictam Heracleam, nunc *Araclea.*

5 *Byzantium.* Nunc *Constantinople.*

6 *Propontidis.* *The Bosphorus, or the sea of Marmora.*

7 *Os Ponticum.* *The straights of Constantinople.*

8 *Sacra Samothracum.* In Ægæo mari insula Samothrace, nunc *Samandrachi.* De sacris Samothracum v. not. et em. ad An. ii, 54.

9 *Igitur Ilio.* Cum Germanicus propter obvios aquilones Samothracem insulam adire non posset, Ilium appulit, ibique visit loca omnia, quæ varietate fortunæ, et Romanorum origine veneranda erant. His perlustratis, relegit Asiam. Geographia cum Taciti narratione egregie consentit. Ilium, 'unde omnis rerum claritas,' Plin. v, 30. omnino periit. A veteri Ilio, xxx stadiis disjunctum novum Ilium.

10 *Colophona.* In Ionia urbs Colophon, nunc *Belvedere.* De fatidico specu Plin. ii, 3. 'Colophone in Apollinis Clarii specu lacuna est, cujus potu mira redduntur oracula, bibentium breviore vita.' V. et Van-Dale de orac. Dissert. ii, p. 311. et J. Baltum *Réponse à l'Histoire des oracles, part.* ii, *p.* 210. Oraculum illud brevi post Germanici adventum siluisse videtur ex Strabone, xiv, p. 642.

11 *Mileto accitus.* Miletus, urbs Cariæ, nunc *Milaxo,* dicta quoque *Palatschia* propter egregia palatiorum rudera.

1 *Turbido incessu.* Ingressu, adventu ad terrendum composito.

2 *Areo judicio.* Judicio Areopagi, cujus fides ac integritas tot ac tantis laudibus no-

navigatione celeri per Cycladas,[3] et compendia maris, adsequitur Germanicum apud insulam Rhodum, haud nescium quibus insectationibus petitus foret: sed tanta mansuetudine agebat, ut cum orta tempestas raperet in abrupta, possetque interitus inimici ad casum referri, miserit triremes, quarum subsidio discrimini eximeretur. Neque tamen mitigatus Piso, et vix diei moram perpessus, linquit Germanicum, prævenitque: et postquam Syriam ac legiones attigit, largitione, ambitu, infimos manipularium juvando, cum veteres centuriones, severos tribunos demoveret, locaque eorum clientibus suis, vel deterrimo cuique attribueret, desidiam in castris, licentiam in urbibus, vagum ac lascivientem per agros militem sineret, eo usque corruptionis provectus est, ut sermone vulgi, *parens legionum* haberetur. Nec Plancina se intra decora fœminis tenebat; sed exercitio equitum, decursibus cohortium[4] interesse: in Agrippinam, in Germanicum contumelias jacere: quibusdam etiam bonorum militum ad mala obsequia promtis, quod, "haud invito imperatore, ea fieri" occultus rumor incedebat.

56. Nota hæc Germanico; sed præverti ad Armenios[1] instantior cura fuit. Ambigua gens ea antiquitus, hominum ingeniis, et situ terrarum, quo nostris provinciis late prætenta, penitus ad Medos porrigitur, maximisque imperiis[2] interjecti, et sæpius discordes sunt, adversus Romanos odio, et in Parthum invidia. Regem illa tempestate non habebant, amoto Vonone:[3] sed favor nationis inclinabat in Zenonem,[4] Polemonis regis Pontici filium, quod is prima ab infantia instituta et cultum Armeniorum æmulatus, venatu, epulis, et quæ alia barbari celebrant, proceres plebemque juxta devinxerat. Igitur Germanicus in urbe Artaxata,[5] adprobantibus nobilibus,

bilitata. Forum illud Areum, aut Areopagus a colle Martis, Græce Ἄρειος, cui erat impositum prope Thesei templum, appellabatur. 'Judicium capitis in Areopago primum actum est.' Plin. vii, 56.

3 *Cycladas.* Nomen suum retinent, *the Cyclades.*

4 *Decursibus cohortium.* Campestri decursione exercebantur milites. Hinc Veget. iii, 4. 'Campicursionem, ut ipsi appellant, inspectionemque armorum assidue faciant.'

1 *Præverti ad Armenios.* Sed instantior cura fuit properare ad Armenios, eosque adire prius, quam Syriam ipsam, licet Pisonis et Plancinæ artibus corruptam.

2 *Maximisque imperiis.* Maximis Romanorum et Parthorum imperiis interjecti.

3 *Vonone.* De Vonone jam dictum sup. c. 2.

4 *In Zenonem.* Polemonis et Pythodoridis, fœminæ laudatissimæ, (Strabo xii, 556.) filium. Vide canon. regum Armenior. sup. c. 2. inter not. et em.

5 *Artaxata.* Artaxata, caput Armeniæ. Ejus rudera adhuc videntur prope *Koïrvirah*, ad austrum urbis *Erivan.*

circumfusa multitudine, insigne regium capiti ejus imposuit: ceteri venerantes regem, *Artaxiam*[6] consalutavere; quod illi vocabulum indiderant ex nomine urbis.[7] At Cappadoces, in formam provinciæ[8] redacti, Q. Veranium legatum accepere: et quædam ex regiis tributis deminuta,[9] quo mitius Romanum imperium speraretur. Commagenis Q. Servæus præponitur, tum primum ad jus prætoris translatis.[10]

57. Cunctaque socialia[1] prospere composita non ideo lætum Germanicum habebant, ob superbiam Pisonis, qui jussus partem legionum ipse, aut per filium, in Armeniam ducere, utrumque neglexerat. Cyrrhi[2] demum apud hiberna decumæ legionis convenere, firmato vultu, Piso adversus metum, Germanicus ne minari crederetur; et erat, ut retuli,[3] clementior: sed amici accendendis offensionibus callidi, intendere vera, adgerere falsa, ipsumque et Plancinam, et filios variis modis criminari. Postremo paucis familiarium adhibitis sermo cœptus a Cæsare, qualem ira et dissimulatio gignit: responsum a Pisone precibus contumacibus, discesserantque opertis odiis:[4] postque rarus in tribunali Cæsaris Piso; et si quando adsideret, atrox, ac dissentire manifestus: vox quoque ejus audita est in convivio, cum apud regem Nabatæorum[5] coronæ aureæ[6] magno pon-

6 *Artaxiam*. Peregrino Zenonis nomine mutato, Artaxiam III. appellavere. Ab Artaxia, primo Armeniorum rege, plures dicti sunt Artaxiæ, vel Artaxes. Strabo xi, p. 528.

7 *Nomine urbis*. Quæ ipsa ab Artaxia rege nomen ducebat. V. not. et em. ad An. ii, 56

8 *Formam provinciæ*. Archelao rege, viduæ Pythodoridis conjuge, mortuo, Cappadocia in formam provinciæ redacta est, ut dictum sup. c. 42. Eam equiti tunc traditam esse ait Dio lvii, p. 614. Idem innuit Suet. in Vesp. 8. Verum cum his scriptoribus longe accuratior sit Tacitus, merito existimat Lipsius Cappadociam a legato, seu proprætore primo administratam esse, deinde equiti, seu procuratori commissam, ac tandem a Vespasiano consulari viro traditam.

9 *Deminuta*. Magna ergo tributa exigebant Cappadocum reges. Nam deminuta sunt, ut Romanum imperium mitius videretur; et tamen tanta fuerunt, ut centesimæ vectigal levaverit Tiberius et ducentesimam in posterum statuerit. V. sup. c. 42.

10 *Ad—translatis*. Defuncto Antiocho, Commagenorum rege, et populis Romanum imperium cupientibus, Commagene facta est Cæsaris provincia, ut dictum sup. c. 42. sed postea id mutatum. Caius enim Cappadociæ regnum Antiocho, Antiochi filio, restituit, deinde ademit; iterum reddidit Claudius. Penitus tandem sustulit Vespasianus. Strabo xvi, p. 749. Dio lix, p. 645. lx, p. 670. Suet. in Vesp. 8.

1 *Cunctaque socialia*. Hæc cum superioribus conjungenda. Scilicet, res Cappadocum, Commagenorum, cunctaque socialia, i. e. sociorum, prospere composita, non ideo lætum Germanicum habebant.

2 *Cyrrhi*. Cyrrhus urbs Cyrrhestices provinciæ, quæ Commagenæ erat contermina, nunc appellatur *Quars*.

3 *Ut retuli*. Sup. c. 55.

4 *Opertis odiis*. Emendat Lipsius *apertis:* approbat Amelot de la Houssaie. Nihil tamen mutaverim. Si enim aperta fuissent odia tribunali Cæsaris numquam adstitisset Piso, eum acerba loquentem non tolerasset Germanicus. Vere Davanzati *con odii concentrati*. V. Misc. Obs. ix, 387.

5 *Nabatæorum*. Arabiam Nabatæam, *Arabia Petræa*, habitabant.

6 *Coronæ aureæ*. Ad luxum Orientis spectant, ubi tamen regibus tantum in con-

dere Cæsari et Agrippinæ, leves Pisoni et ceteris offerrentur: "Principis Romani, non Parthi regis[7] filio eas epulas dari:" abjecitque simul coronam, et multa in luxum addidit, quæ Germanico, quamquam acerba, tolerabantur tamen.

58. Inter quæ ab rege Parthorum Artabano[1] legati venere: miserat "amicitiam ac fœdus" memoraturos, et cupere renovari dextras,[2] daturumque honori Germanici, ut ripam Euphratis accederet:[3] petere interim, ne Vonones in Syria haberetur, neu proceres gentium propinquis nuntiis ad discordias traheret." Ad ea Germanicus, de societate Romanorum Parthorumque, magnifice: de adventu Regis[4] et cultu sui, cum decore ac modestia respondit. Vonones Pompeiopolim[5] Ciliciæ maritimam urbem, amotus est: datum id non modo precibus Artabani, sed contumeliæ Pisonis, cui gratissimus erat ob plurima officia et dona, quibus Plancinam devinxerat.

A.U.C. 772. J.C. 19.

59. M. Silano, L. Norbano consulibus,[1] Germanicus Ægyptum proficiscitur, cognoscendæ antiquitatis: sed cura provinciæ prætendebatur; levavitque, apertis horreis, pretia frugum: multaque in vulgus grata usurpavit, sine milite incedere, pedibus intectis, et pari cum Græcis amictu, P. Scipionis æmulatione;[2] quem eadem factitavisse apud Siciliam, quamvis flagrante adhuc Pœnorum bello, accepimus. Tiberius, cultu habituque ejus lenibus verbis perstricto, acerrime increpuit,[3] quod contra instituta Augusti, non sponte Principis, Alexan-

viviis dari solebant, vel quibus regalis honos habebatur. Cf. Capitol. in Ælio Vero 5. Justin. xviii, 2. et Polyb. xv, 31.

7 *Non Parthi regis.* Frustra sudant interpretes; plana est sententia. In speciem modestus, revera arrogans, ait Piso epulas illas dari Principis Romani filio, non ad luxum, sed ad imperium nato. Luxum illum decere filium regis Parthi, dedecere vero Cæsarem et Cæsaris socios.

1 *Artabano.* Artabano II. de quo sup. c. 3. v. et canon. regum Parthor. c. 1. inter not. et em.

2 *Renovari dextras.* In amicitiæ ac fœderis signum. Inde in nummis, CONCORDIA duabus manibus junctis exprimitur; nonnullaque militaria signa in manum desinunt.

3 *Accederet.* Ipse Artabanus.

4 *De adventu Regis.* Artabani ad ripam Euphratis.

5 *Pompeiopolim.* Pompeiopolis, nunc *Palesoli.* Ante dicta Soloe, unde vox solœcismus. De hac Plin. v, 27. Cilicia, nunc *Caramania and part of Aladula.*

1 *L. Norbano coss.* M. Junius Silanus, L. Norbanus Flaccus Balbus consules fuere A. U. C. 772. J. C. 19. In tessera eburnea apud Cl. V. de Caylus, *Recueil d'Antiquités*, vol. iii, Tab. lxxix, num. 1. M. SIL. L. NO. B. COS. I. e. 'M. Silano, L. Norbano Balbo consulibus.'

2 *P. Scipionis æmulatione.* De hac Scipionis Africani humanitate queritur Fabius Maximus apud Livium, xxix, 19. sed immerito. Populos exteros numquam certius devincit victor et Princeps, quam cum eorum mores ac cultus imitatur.

3 *Acerrime increpuit.* Et in ipso senatu, teste Suet. in Tib. 52.

driam introisset: nam Augustus, inter alia dominationis arcana,[4] vetitis, nisi permissu, ingredi senatoribus aut equitibus Romanis inlustribus,[5] seposuit Ægyptum: ne fame urgeret Italiam, quisquis eam provinciam, claustraque terræ ac maris,[6] quamvis levi præsidio adversum ingentes exercitus insedisset.

60. Sed Germanicus, nondum comperto profectionem eam incusari, Nilo subvehebatur, orsus oppido a Canopo.[1] Condidere id Spartani, ob sepultum illic rectorem navis Canopum; qua tempestate Menelaus Græciam repetens, diversum ad mare[2] terramque Libyam dejectus. Inde proximum amnis os dicatum Herculi,[3] quem indigenæ ortum apud se et antiquissimum perhibent; eosque, qui postea pari virtute fuerint, in cognomentum ejus adscitos:[4] mox visit[5] veterum Thebarum magna vestigia:[6] et manebant structis molibus[7] literæ Ægyptiæ,[8] priorem opulentiam complexæ: jussusque e senioribus sacerdotum patrium sermonem interpretari, referebat "habitasse quondam septingenta millia[9] ætate militari: atque eo cum exercitu regem Rhamsen[10] Libya, Æthiopia,[11] Medisque et Persis, et Bactriano, ac Scythia potitum: quasque terras

4 *Dominationis arcana.* V. not. et em. ad An. ii, 59.

5 *Equitibus—inlustribus.* Equites illustres sæpe memorat Tacit. Ii sunt, qui censum et spem senatorii ordinis habebant. De censu senatorio dictum sup. c. 33.

6 *Claustra—maris.* Ostia Nili, et Isthmum, quæ sunt terræ ac maris claustra, lævi præsidio adversus ingentes exercitus defendere quisque poterat.

1 *Canopo.* Canopus, urbs inferioris Ægypti, ad ostium Canopicum, Serapidis templo nobilis. Nunc dicitur *Aboukir.* V. not. et em. ad An. ii, 60.

2 *Diversum mare.* I. e. quod esset in contraria plaga ei, qua esset, quod petebat. Sic ' diversæ fenestræ' apud Ovid. in Amor. qui sæpe hoc verbo ita utitur. Sic iii, 2. ' diversa oppida.' *Ern.*

3 *Dicatum Herculi.* Urbi Canopo proximum os Nili Canopicum, nunc *Mezenia.* Dicatum erat Herculi cum templo et urbe vicina Heraclio. Strabo xvii, p. 801. Heraclium periit.

4 *In—adscitos.* Vera Ægyptiorum sententia. Nec ex Ægyptiaco tantum Hercule, sed ex fortissimis singularum gentium viris conflatus portentosus ille Hercules, Græcorum fabulis toties decantatus.

5 *Mox visit.* Antea (quod siluit Tacitus) adiit Memphim, nunc *Geeza.* Ibique Apis, cibos a Germanico oblatos aversatus, mala paulo post eventura portendisse ferebatur. Ammian. Marcellin. xxii, 14.

6 *Thebarum—vestigia.* In superiore Ægypto veteres Thebæ, nunc *Habou.* Nusquam terrarum plura adhuc extant antiquitatis et Ægyptiacæ magnificentiæ monumenta, quæ descripta cum erudito orbe nuper communicavit *Denon*, *Travels in Upper and Lower Egypt.*

7 *Structis molibus.* Obeliscis, de quibus plura apud Ammian. Marcellin. xvii, 4.

8 *Literæ Ægyptiæ.* Literæ illæ Hieroglyphicæ, quæ per figuras animalium aliaque signa sensus mentis effingebant. Inf. An. xi, 14. Per tot ergo secula viguit primævæ illius scripturæ cognitio!

9 *Septingenta millia.* V. not. et em. ad An. ii, 60.

10 *Regem Rhamsen.* V. not. et em. ad An. ii, 60.

11 *Æthiopia.* Non illa Æthiopia, quæ in plurimis sacræ scripturæ et veterum auctorum locis, pro Arabia deserta accipitur, sed vera Æthiopia, de qua Plin. vi, 29. ' Ægyptiorum bellis attrita est Æthiopia.' Itaque Rhamses imperitavit Æthiopiæ, Libyæ, Ægypto, Arabiæ, Syriæ, parti australi Asiæ minoris, Cappadociæ, Armeniæ,

Suri Armeniique et contigui Cappadoces colunt, inde Bithynum, hinc Lycium ad mare imperio tenuisse:" legebantur et indicta gentibus tributa, pondus argenti et auri, numerus armorum equorumque, et dona templis ebur, atque odores, quasque copias frumenti et omnium utensilium quæque natio penderet, haud minus magnifica, quam nunc vi Parthorum,[12] aut potentia Romana jubentur.

61. Ceterum Germanicus aliis quoque miraculis intendit animum, quorum præcipua fuere Memnonis saxea effigies, ubi radiis solis icta est, vocalem sonum[1] reddens: disjectasque inter[2] et vix pervias arenas, instar montium eductæ Pyramides, certamine et opibus[3] regum: lacusque,[4] effossa humo, superfluentis Nili receptacula: atque alibi angustiæ,[5] et profunda altitudo, nullis inquirentium spatiis penetrabilis. Exin ventum Elephantinen[6] ac Syenen,[7] claustra olim Romani imperii; quod nunc rubrum ad mare[8] patescit.

62. Dum ea æstas Germanico plures per provincias transigitur, haud leve decus Drusus quæsivit, inliciens Germanos ad discordias, utque, fracto jam Maroboduo,[1] usque in exitium insisteretur. Erat inter Gothones[2] nobilis juvenis nomine Catualda, profugus olim vi Marobodui, et tunc, dubiis rebus

Mediæ, Persidi, Bactrianæ, et Scythiæ intra Imaum.

12 *Vi Parthorum.* Cum hæc scriberet Tacitus, duo tantum erant magna imperia; Parthorum, et Romanorum. Illud vi ac luxu, hoc sapientia et potentia memorandum.

1 *Vocalem sonum.* Verius, ut existimo, Plin. xxxvi, 7. Basaltes 'narratur in Thebis delubro Serapis, ut putant, Memnonis statuæ dicatus: quem quotidiano solis ortu contactum radiis crepare dicunt.' Id confirmat Strabo xvii, p. 816. Thebis adhuc extat Memnonium, saxeaque Memnonis effigies. V. not. et em. ad An. ii, 61.

2 *Disjectasque inter.* Inter mobiles vixque pervias arenas. V. not. et em. ad An. ii, 61.

3 *Certamine et opibus.* Melius 'insania,' Plin. xxxvi, 15. Ad amplissimæ Pyramidis substructionem 'in raphanos, et allium ac cepas, mille sexcenta talenta,' Angl. 360,000*l.* erogata esse prodiderunt, teste eod. Plin. xxxvi, 12. De Pyramidibus passim Herodot. lib. ii, et Recentiores omnes.

4 *Lacusque.* Lacum Mareotim, *the lake Sabaka,* et lacum Mœridis, *the lake Bathen.*

5 *Alibi angustiæ.* Et prope Thebas antrum angustis canaliculis excavatum, profunda altitudine et tot anfractibus intricatum, ut nullis inquirentium spatiis sit penetrabile. V. not. et em. ad An. ii, 61.

6 *Elephantinen.* Insula hæc in Ægypti et Æthiopiæ finibus, nunc *the island of Fleur.* Strabo xvii, p. 819.

7 *Syenen.* Urbs Syene, nunc *Assouan,* sub ipso Cancri Tropico. Inde 'solstitii die medio nulla umbra.' Plin. vi, 29.

8 *Rubrum—mare.* Olim urbe Syene finiebatur imperium Romanum. At Trajani tempore, quo scribebat Tacit. ad fauces maris rubri, nunc *the straights of Babelmandel,* patebat. Veteribus enim scriptoribus Mare rubrum non est sinus Arabicus, *the Red Sea,* sed quod vulgo dicimus mare Indicum, *the Indian Sea.*

1 *Fracto—Maroboduo.* Ut dictum sup. c. 46.

2 *Inter Gothones.* Gothones, *part of Ducal Prussia,* cis Vistulam.

ejus, ultionem ausus. Is valida manu fines Marcomannorum[3] ingreditur, corruptisque primoribus ad societatem, inrumpit regiam,[4] castellumque juxta situm: veteres illic Suevorum prædæ,[5] et nostris e provinciis lixæ, ac negotiatores reperti, quos jus commercii, dein cupido augendi pecuniam, postremum oblivio patriæ, suis quemque ab sedibus hostilem in agrum transtulit.

63. Maroboduo undique deserto non aliud subsidium, quam misericordia Cæsaris fuit: transgressus Danubium, qua Noricam provinciam[1] præfluit, scripsit Tiberio, non ut profugus aut supplex, sed ex memoria prioris fortunæ. "Nam multis nationibus clarissimum quondam regem ad se vocantibus, Romanam amicitiam prætulisse." Responsum a Cæsare, "tutam ei honoratamque sedem in Italia fore, si maneret: sin rebus ejus aliud conduceret, abiturum fide, qua venisset." Ceterum apud senatum disseruit, "non Philippum[2] Atheniensibus, non Pyrrhum, aut Antiochum, populo Romano perinde metuendos[3] fuisse." Extat oratio, "qua magnitudinem viri, violentiam subjectarum ei gentium, et quam propinquus Italiæ hostis, suaque in destruendo eo consilia" extulit. Et Maroboduus quidem Ravennæ habitus, si quando insolescerent Suevi, quasi rediturus in regnum ostentabatur: sed non excessit Italia per duodeviginti annos; consenuitque, multum immunita claritate ob nimiam vivendi cupidinem. Idem Catualdæ casus, neque aliud perfugium: pulsus haud multo post Hermundurorum opibus,[4] et Vibilio duce; receptusque, Forum Julium,[5] Narbonensis Galliæ coloniam, mittitur. Barbari utrumque comitati,[6] ne quietas provincias im-

3 *Marcomannorum.* *Bohemia.*

4 *Regiam.* Ptolemæo ii, 11. Μαρόβουδον, nunc *Prague.* Strabo, vii, p. 290. 'Boviasmum, Marobodui regia, Βουίασμον, τὸ τοῦ Μαροβούδου βασίλειον.

5 *Suevorum prædæ.* Sup. c. 45. Ipsi Marcomanni erant origine Suevica, Suevusque Maroboduus, ut probat Balbin. Miscellanea Hist. Bohem. ii, 4.

1 *Noricam provinciam.* Noricum Ripense, nunc *part of Austria on this side of the Danube.* Danubium transgressus est inter *Passau* et *Vienna.*

2 *Non Philippum.* Philippum Alexandri M. patrem: Pyrrhum, Epiri et Macedoniæ regem: Antiochum III. Magnum, Syriæ regem, a L. Scipione victum A. U. 564. et 'pro impensis in bellum factis, quindecim [millibus] talentum Euboicorum,' *Angl.* 3,375,000*l.* multatum, ut docet Liv. xxxvii, 45.

3 *Perinde metuendos.* Non æque metuendos fuisse, ac Maroboduum. Magnitudinem Marobodui exaggerat Tiberius, ut prudentiam suam ostentet, bellicas imperatorum virtutes deterat.

4 *Hermundurorum opibus.* Hermunduri ad Bohemiæ occidentem positi, *part of Bavaria and Franconia,* Romanis fida gens. Inf. Germ. 41.

5 *Forum Julium.* Nunc *Fréjus.*

6 *Utrumque comitati.* Maroboduum et Catualdam.

mixti turbarent, Danubium ultra inter flumina Marum[7] et Cusum[8] locantur, dato rege Vannio gentis Quadorum.

64. Simul nuntiato "regem Artaxiam Armeniis a Germanico datum,[1]" decrevere patres, "ut Germanicus atque Drusus ovantes urbem introirent." Structi et arcus[2] circum latera templi Martis Ultoris[3] cum effigie Cæsarum:[4] lætiore Tiberio, quia pacem sapientia firmaverat, quam si bellum per acies confecisset. Igitur Rhescuporin quoque, Thraciæ regem, astu adgreditur. Omnem eam nationem Rhœmetalces[5] tenuerat: quo defuncto, Augustus partem Thracum Rhescuporidi[6] fratri ejus, partem filio Cotyi[7] permisit. In ea divisione arva, et urbes,[8] et vicina Græcis, Cotyi; quod incultum, ferox, adnexum hostibus, Rhescuporidi cessit; ipsorumque regum ingenia, illi mite, et amœnum, huic atrox, avidum, et societatis impatiens erat. Sed primo subdola concordia egere: mox Rhescuporis egredi fines, vertere in se Cotyi data, et resistenti vim facere; cunctanter sub Augusto, quem auctorem utriusque regni, si sperneretur, vindicem metuebat: enimvero audita mutatione Principis,[9] immittere latronum globos, exscindere castella, causas bello.

65. Nihil æque Tiberium anxium habebat, quam ne composita turbarentur: deligit centurionem, qui nuntiaret regibus, "ne armis disceptarent:" statimque a Cotye dimissa sunt, quæ paraverat, auxilia. Rhescuporis ficta modestia postulat,

7 *Marum.* Nunc *Moravia.* In Danubium influit haud procul ab urbe *Presburg* in Hungaria.

8 *Cusum.* Nunc *Vag.* Danubio infunditur prope urbem *Comorn* in Hungaria.

1 *A Germanico datum.* Sup. c. 46.

2 *Structi—arcus.* Extat prope portam S. Sebastiani arcus dictus Drusi; sed is Drusi senioris est Germanici, de quo Suet. Claud. 1. Spectatur et in nummo. Junioris Drusi arcus ævum non tulit.

3 *Martis ultoris.* In prima urbis regione.

4 *Effigie Cæsarum.* Germanici et Drusi.

5 *Rhœmetalces.* Rhœmetalces I. quem Dio lv, p. 569. perperam appellat 'Ρυμητάλκην. In æreo Cimelii Regii nummo, caput Augusti nudum ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ, 'Cæsaris Augusti.' Ex adversa parte caput Rhœmetalcis diadematum ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΡΟΙΜΗΤΑΛΚΟΥ, 'regis Rhœmetalcis.' Nummos alios exhibet V. Cl. Cary *Histoire des rois de Thrace*, tab. ii, p. 67. Regnum auspicatus est circa an. U. C. 738. A. C. 15. Vivebat adhuc A. U. C. 759. J. C. 6.

6 *Rhescuporidi.* Ad Rhescuporin I. et Cotyn V. Thraciæ reges, pertinet nummus æreus, in quo diadematum Cotyis caput, ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΚΟΤΥΣ, 'rex Cotys.' Ex altera parte, Victoria dextra coronam, sinistra palmam tenet, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΡΑΣΚΟΥΠΟΡΙΔΟΣ, 'regis Rhescuporidis.' V. V. Cl. Cary p. 72. sq.

7 *Filio Cotyi.* Cotyi, filio Rhœmetalcis, literarum studiis celeberrimo. V. not. et em. ad An. ii, 64.

8 *Arva, et urbes.* Thracia australis et orientalis, Græcis vicina, data est Cotyi. Rhescuporidi cessit Thracia occidentalis ac borealis, montuosa, inculta, ferox; Scythis, Getis, Dacis, adnexa.

9 *Mutatione Principis.* Cum audisset Rhescuporis, mortuo Augusto, Tiberium factum esse Principem, cœpit immittere latronum globos, exscindere castella, et causas belli serere.

"eumdem in locum coiretur, posse de controversiis colloquio transigi:" nec diu dubitatum de tempore, loco, dein conditionibus: cum alter facilitate, alter fraude, cuncta inter se concederent, acciperentque. Rhescuporis sanciendo, ut dictitabat, fœderi, convivium adjicit; tractaque in multam noctem lætitia, per epulas ac vinolentiam incautum Cotyn, et postquam dolum intellexerat, "sacra regni, ejusdem familiæ Deos, et hospitales mensas" obtestantem, catenis onerat. Thraciaque omni potitus, scripsit ad Tiberium, "structas sibi insidias, præventum insidiatorem:" simul bellum adversus Bastarnas Scythasque[1] prætendens, novis peditum et equitum copiis sese firmabat.

66. Molliter rescriptum, "si fraus abesset, posse eum innocentiæ fidere: ceterum neque se, neque senatum, nisi cognita causa, jus et injuriam discreturos: proinde, tradito Cotye, veniret, transferretque invidiam criminis." Eas literas Latinius Pandus proprætor Mœsiæ,[1] cum militibus, queis Cotys traderetur, in Thraciam misit. Rhescuporis inter metum et iram cunctatus, maluit patrati, quam incepti facinoris reus esse: "occidi Cotyn" jubet, mortemque sponte sumtam ementitur. Nec tamen Cæsar placitas semel artes mutavit; sed defuncto Pando, quem sibi infensum Rhescuporis arguebat, Pomponium Flaccum,[2] veterem stipendiis, et arcta cum rege amicitia, eoque accommodatiorem ad fallendum, ob id maxime Mœsiæ præfecit.

67. Flaccus in Thraciam transgressus, per ingentia promissa, quamvis ambiguum et scelera sua reputantem, perpulit, ut præsidia Romana[1] intraret: circumdata hinc regi specie honoris valida manus, tribunique, et centuriones, monendo, suadendo, et quanto longius abscedebatur apertiore custodia, postremo gnarum necessitatis in urbem traxere. Accusatus in senatu ab uxore Cotyis[2] damnatur, ut procul regno teneretur.

1 *Bastarnas Scythasque.* Ad Danubii ostia habitabant Bastarnæ et Scythæ. Dextra Scythæ, sinistra ripa Bastarnæ, Græcis Βαστάρναι, Strabo vii, p. 305. Plin. iv, 12. §. 25. 'Basternas' appellat. Sic quoque Beroaldus. At inf. Germ. 46. 'Bastarnæ' adhuc memorantur.

1 *Proprætor Mœsiæ.* Mœsia, Thraciæ vicina, nunc *part of Servia and Bulgaria.*

2 *Pomponium Flaccum.* Quem laudat Ovid. Ex Pont. iv, 9, 20. 'Præfuit his, Græcine, locis modo Flaccus; et illo Ripa ferox Istri sub duce tuta fuit.' Bellum Pannonicum memorat, de quo Dio lv, p. 569.

1 *Præsidia Romana.* Quæ erant in Mœsia, et Thraciæ contermina.

2 *Uxore Cotyis.* Pythodoridis, reginæ Ponti, matris optimæ filia optima. Nomen ejus ignoratur. V. Strabon. xii, p. 556.

Thracia in Rhœmetalcen[3] filium, quem paternis consiliis adversatum constabat, inque liberos Cotyis[4] dividitur: iisque nondum adultis Trebellienus Rufus prætura functus datur, qui regnum interim tractaret, exemplo quo majores Marcum Lepidum[5] Ptolemæi liberis tutorem, in Ægyptum miserant. Rhescuporis Alexandriam devectus, atque illic fugam tentans, an ficto crimine, interficitur.

68. Per idem tempus Vonones, quem amotum in Ciliciam memoravi,[1] corruptis custodibus effugere ad Armenios, inde in Albanos Heniochosque,[2] et consanguineum sibi regem Scytharum conatus est: specie venandi, omissis maritimis locis, avia saltuum petiit: mox pernicitate equi ad amnem Pyramum[3] contendit, cujus pontes accolæ ruperant, audita regis fuga: neque vado penetrari poterat. Igitur in ripa fluminis, a Vibio Frontone[4] præfecto equitum vincitur: mox Remmius, evocatus,[5] priori custodiæ regis adpositus, quasi per iram gladio eum transigit: unde major fides, conscientia sceleris, et metu indicii, mortem Vononi inlatam.[6]

69. At Germanicus Ægypto remeans, cuncta quæ apud legiones aut urbes jusserat, abolita, vel in contrarium versa cognoscit: hinc graves in Pisonem contumeliæ, nec minus

3 *In Rhœmetalcen.* In Rhœmetalcen II. Rhescuporidis I. filium, qui postea universam Thraciam a Caio Principe accepit. Nummum ejus æreum V. Cl. Cary primus publicum fecit. Ex antica parte caput Caii laureatum ΓΑ. . . . . . ΜΑΝΙΚΩ ΣΕΒΑΣΤΩ, 'Caio Germanico Augusto.' E postica . . . . ΥΣ ΡΟΙΜΗΤΑΛΚΑΣ, 'rex Rhœmetalces,' viri duo, alter sedens, stans alter, sinistra hastam tenet. Forte ipse Rhœmetalces, qui Thraciam totam ab imperatore accipit, ut conjectatur V. Cl. Cary p. 79.

4 *Liberos Cotyis.* Ita tamen ut non regnarent singuli Cotyis liberi, sed unus tantum imperaret. Certe Strabo xii, p. 556. ait unum, et natu maximum, cum hæc scriberet, regnare. Δυναστεύει δ' ὁ πρεσβύτατος αὐτῶν. A. U. C. 792. J. C. 39. cum Caius Thraciam totam Rhœmetalci II. tradidit, Cotys Armeniam minorem, et quasdam Arabiæ partes accepit, ut docet Dio lix, p. 649. V. et Suppl. An. ii, 67.

5 *Marcum Lepidum.* Marcum Æmilium Lepidum, Ptolemæi Philopatoris Ægypti regis liberorum tutorem. V. not. et em. ad An. ii, 67.

1 *Memoravi.* Sup. c. 58.

2 *Albanos Heniochosque.* Albani, mari Caspio vicini; Heniochi, ponto Euxino: Scythæ vero ii sunt, qui intra Imaum habitant.

3 *Amnem Pyramum.* Pyramus, Cataoniæ et Ciliciæ Campestris fluvius, de quo plurima memorat Strabo xii, p. 536. Nunc dicitur *Gihon.*

4 *Vibio Frontone.* Unius alæ præfecto. V. not. et em. ad An. ii, 68.

5 *Remmius, evocatus.* Apud Romanos militia defuncti, et ad eam revocati, appellabantur evocati, Græce ἀνάκλητοι; v. Dion. xlv, p. 276. lv, p. 565. In veteribus quibusdam Taciti editionibus 'evocatus' pro nomine proprio accipitur. At melius Beroaldus, recentiores, et optimi inrerpretes pro nomine militari usurpant. EVOCATOS sæpe memorant veteres lapides.

6 *Mortem—inlatam.* Suet. Tiber. 49. ait 'Vononem, regem Parthorum, qui pulsus a suis, quasi in fidem populi Romani cum ingenti gaza Antiochiam se receperat, spoliatum perfidia [Tiberii] et occisum.' Verum hac in re se Tiberio iniquum probat. Accuratior et verior Tacitus.

acerba, quæ ab illo in Cæsarem tentabantur. Dein Piso abire Syria statuit; mox adversa Germanici valetudine detentus, ubi recreatum accepit, votaque pro incolumitate solvebantur, admotas hostias, sacrificalem apparatum, festam Antiochiensium[1] plebem, per lictores proturbat. Tum Seleuciam[2] degreditur, opperiens ægritudinem,[3] quæ rursum Germanico acciderat: sævam vim morbi augebat persuasio veneni a Pisone accepti: et reperiebantur solo[4] ac parietibus erutæ humanorum corporum reliquiæ, carmina, et devotiones, et nomen Germanici plumbeis tabulis[5] insculptum, semiusti cineres, ac tabe obliti, aliaque maleficia, queis creditur[6] animas numinibus infernis sacrari: simul missi a Pisone incusabantur, ut valetudinis adversa rimantes.

70. Ea Germanico haud minus ira, quam per metum accepta; "si limen obsideretur, si effundendus spiritus sub oculis inimicorum foret; quid deinde miserrimæ conjugi, quid infantibus liberis eventurum? lenta videri veneficia: festinare et urgere,[1] ut provinciam, ut legiones solus habeat: sed non usque eo defectum Germanicum, neque præmia cædis apud interfectorem mansura:" componit epistolas, "queis amicitiam ei renuntiabat."[2] Addunt plerique jussum "provincia decedere:" nec Piso moratus ultra,[3] naves solvit; moderabaturque cursui, quo propius regrederetur, si mors Germanici Syriam aperuisset.

71. Cæsar paulisper ad spem erectus, dein fesso corpore,

1 *Antiochiensium.* Antiochia, Syriæ caput, nunc *Antakia.*

2 *Seleuciam.* Urbem Ciliciæ. Plin. v, 27. 'Seleucia supra amnem Calycadnum, Tracheotis cognomine.' Nunc *Selefké.* Errat graviter Amelot de la Houssaie, cum ait Seleuciam illam esse urbem principem Mesopotamiæ Tigri fluvio appositam.

3 *Opperiens ægritudinem.* Eventum ægritudinis.

4 *Reperiebantur solo.* In ea ipsa domo, quam inhabitabat Germanicus, reperiebantur hæc incantationum monumenta. V. Dion. lvii, p. 615.

5 *Plumbeis tabulis.* Ad magicam defixionem hoc spectat, qua nomen devovendi, in pugillaribus aut membranis aut laminis plumbeis exaratum, stylo atroci confodiebatur. Ita apud Ovid. Amor. iii, 7. 29. 'Saga Pœnicia defixit nomina cera,' et Heroid. vi, 91. Medea 'Devovet absentes simulacraque cerea figit.' et in Grut. thes. inscr. p. 19. 6. INFANDO LATROCINIO DEFIXA MONVMENTIS ORDINIS DECVRIONVM NOMINA memorantur. Laminarum plumbearum in scelesto hoc negotio mentionem facit Hieron. citatus Heinsio in Advers. et ad Ovid. l. c.

6 *Queis creditur.* Tiberianum seculum, ut ætates omnes politicæ, fuit rerum magicarum studiosissimum. Iisque pronior Germanicus Samothracum sacra, Canopum, Memphim, Serapidis ac Apidis cultu et oraculis urbes celebratissimas, adire voluit.

1 *Festinare et urgere.* Pisonem festinare et urgere, ut provinciam, &c.

2 *Renuntiabat.* Componit epistolas, quibus amicitiam cum Pisone dirimebat, eique domo, et, ut plerique addunt, provincia, interdicebat.

3 *Moratus ultra.* Seleuciæ.

ubi finis aderat, adsistentes amicos in hunc modum adloquitur: "Si fato concederem, justus mihi dolor etiam adversus Deos esset, quod me parentibus, liberis, patriæ, intra juventam præmaturo exitu raperent: nunc scelere Pisonis et Plancinæ interceptus, ultimas preces pectoribus vestris relinquo: referatis patri ac fratri,[1] quibus acerbitatibus dilaceratus, quibus insidiis circumventus, miserrimam vitam pessima morte finierim. Si quos spes meæ, quos propinquus sanguis, etiam quos invidia erga viventem movebat, inlacrymabunt, quondam florentem, et tot bellorum superstitem, muliebri fraude[2] cecidisse. Erit vobis locus querendi apud senatum, invocandi leges. Non hoc præcipuum amicorum munus est, prosequi defunctum ignavo questu:[3] sed quæ voluerit meminisse, quæ mandaverit exsequi: flebunt Germanicum etiam ignoti: vindicabitis vos, si me potius quam fortunam meam fovebatis. Ostendite populo Romano divi Augusti neptem, eamdemque conjugem meam: numerate sex liberos. Misericordia cum accusantibus[4] erit: fingentibusque scelesta mandata, aut non credent homines, aut non ignoscent." Juravere amici, dextram morientis contingentes,[5] spiritum ante quam ultionem amissuros.

72. Tum ad uxorem versus, "per memoriam sui, per communes liberos" oravit, "exueret ferociam, sævienti fortunæ submitteret animum; neu regressa in urbem æmulatione potentiæ validiores inritaret." Hæc palam, et alia secreto, per quæ ostendere credebatur metum ex Tiberio. Neque multo post extinguitur, ingenti luctu provinciæ et circumjacentium populorum. Indoluere exteræ nationes regesque; tanta illi comitas in socios, mansuetudo in hostes; visuque et auditu juxta venerabilis, cum magnitudinem et gravitatem summæ fortunæ retineret, invidiam et adrogantiam effugerat.[1]

1 *Patri ac fratri.* Tiberio et Druso.

2 *Muliebri fraude.* Fraude Liviæ Augustæ, cujus artes increpat. Mox c. sq. Agrippinam monuit: 'neu regressa in urbem æmulatione potentiæ, validiores inritaret,' et c. 77. Domitius ad Pisonem, 'est tibi Augustæ conscientia, est Cæsaris favor, sed in occulto.' c. 82. 'Secretos Augustæ cum Plancina sermones.' V. etiam An. iii, 10.

3 *Prosequi—questu.* Inani, sine vi et opera, qualis deceat ignavos, imbelles et timidos, eorumque esse soleat.

4 *Accusantibus.* Hæc recensentes, accusantes scelera, misericordiam commovebitis.

5 *Dextram—contingentes.* In pignus fidei, quam *morienti* datam fallere summum nefas. Morientes etiam amicis dextram suam porrigere, observant interp. V. Xenoph. de Cyro viii, 7.

1 *Invidiam—effugerat.* Brevissima, sed egregia laus. Ita quoque Dio, lvii, p. 615. 'Αλλὰ συνελόντι εἰπεῖν, ἐν ὀλίγοις τῶν πώποτε, οὔτε ἐξήμαρτέ τι εἰς τὴν ὑπάρξασαν αὐτῷ τύ-

73. Funus sine imaginibus[1] et pompa, per laudes, et memoriam virtutum ejus celebre fuit. Et erant qui formam, ætatem, genus mortis, ob propinquitatem etiam locorum,[2] in quibus interiit, Magni Alexandri fatis adæquarent. "Nam utrumque corpore decoro, genere insigni, haud multum triginta annos egressum, suorum insidiis externas inter gentes occidisse: sed hunc mitem erga amicos, modicum voluptatum, uno matrimonio, certis liberis egisse: neque minus prœliatorem, etiam si temeritas abfuerit, præpeditusque sit perculsas tot victoriis Germanias servitio premere. Quod si solus arbiter rerum, si jure et nomine regio fuisset, tanto promtius adsecuturum gloriam militiæ, quantum clementia, temperantia, ceteris bonis artibus præstitisset." Corpus antequam cremaretur, nudatum in foro Antiochensium, qui locus sepulturæ destinabatur.[3] Prætuleritne veneficii signa, parum constitit:[4] nam ut quis misericordia in Germanicum, et præsumta suspicione, aut favore in Pisonem pronior, diversi interpretabantur.[5]

74. Consultatum inde inter legatos, quique alii senatorum aderant, "quisnam Syriæ præficeretur:" et ceteris modice nisis, inter Vibium Marsum, et Cn. Sentium diu quæsitum: dein Marsus seniori, et acrius tendenti[1] Sentio concessit. Isque infamem veneficiis ea in provincia, et Plancinæ percaram, nomine Martinam, in urbem misit, postulantibus Vitellio[2] ac Veranio, ceterisque qui crimina et accusationem tamquam adversus receptos jam reos instruebant.

75. At Agrippina, quamquam defessa luctu, et corpore ægro,

χην, οὔτ' αὐτὸς ὑπ' ἐκείνης διεφθάρη. 'Sed ut summatim dicam, quod paucis ex omni memoria contigit, neque contra fortunam, qua utebatur, peccavit quicquam, neque ipse ab ea corruptus est.' Plura Suet. in Caio 3. 4. et 5.

1 *Sine imaginibus.* Quia externas inter gentes mortuus. Imagines Romæ asservabantur. De his imaginibus egregia habet Polyb. vi, p. 495. V. et Plin. xxxv, 2.

2 *Propinquitatem locorum.* In Syria mortuus est Germanicus, Alexander in Babylonia.

3 *Sepulturæ destinabatur.* Destinabatur busto, quo cremaretur: v. inf. c. 83.

4 *Parum constitit.* Haud ita modeste Suet. in Caio 1.

5 *Diversi interpretabantur.* Germanici partibus addicti, eum veneno interiisse dicebant. In Pisonem proniores, Germanicum cardiaco morbo mortuum contendebant. Id accipimus a Plin. xi, 37. §. 71. 'Negatur cremari posse [Cor] in iis, qui cardiaco morbo obierint: negatur et veneno interemtis. Certe extat oratio Vitellii, qua reum Pisonem ejus sceleris coarguit, hoc usus argumento: palamque testatus, non potuisse ob venenum cor Germanici Cæsaris cremari. Contra genere morbi defensus est Piso.' De Vitellio dicetur c. sq.

1 *Acrius tendenti.* Syriæ præfecturam acrius ambienti.

2 *Vitellio.* P. Vitellio, de quo sup. An. i, 70. V. stem. Vitellior. Hist. i, 9.

omnium tamen, quæ ultionem morarentur, intolerans, ascendit classem cum cineribus Germanici, et liberis; miserantibus cunctis, "quod fœmina nobilitate princeps, pulcherrimo modo matrimonio, inter venerantes gratantesque aspici solita, tunc ferales reliquias sinu ferret, incerta ultionis, anxia sui, et infelici fœcunditate fortunæ totiens obnoxia." Pisonem interim apud Coum insulam[1] nuntius adsequitur, "excessisse Germanicum." Quo intemperanter accepto, cædit victimas, adit templa: neque ipse gaudium moderans, et magis insolescente Plancina, quæ luctum amissæ sororis tum primum læto cultu mutavit.

76. Adfluebant centuriones, monebantque "promta illi legionum studia: repeteret provinciam non jure ablatam, et vacuam." Igitur "quid agendum" consultanti, M. Piso filius "properandum in urbem" censebat: "nihil adhuc inexpiabile admissum, neque suspiciones imbecillas, aut inania famæ pertimescenda: discordiam erga Germanicum odio fortasse dignam, non pœna: et ademtione provinciæ, satisfactum inimicis. Quod si regrederetur, obsistente Sentio, civile bellum incipi: nec duraturos in partibus centuriones militesque, apud quos recens imperatoris sui memoria, et penitus infixus in Cæsares amor prævaleret."

77. Contra Domitius Celer ex intima ejus amicitia disseruit, "Utendum eventu. Pisonem, non Sentium, Syriæ præpositum: huic fasces et jus prætoris, huic legiones datas: si quid hostile ingruat, quam justius arma oppositurum, qui legati auctoritatem,[1] et propria mandata acceperit? Relinquendum etiam rumoribus tempus, quo senescant: plerumque innocentes, recenti invidiæ impares. At si teneat exercitum, augeat vires, multa, quæ provideri non possint, fortuito in melius casura. An festinamus cum Germanici cineribus adpellere, ut te inauditum et indefensum planctus Agrippinæ, ac vulgus imperitum, primo rumore rapiant? Est tibi Augustæ conscientia, est Cæsaris favor, sed in occulto: et periisse Germanicum nulli jactantius mœrent, quam qui maxime lætantur."

1 *Coum insulam.* Cos, insula Ægæi maris, nunc *Stan Co.*

1 *Legati auctoritatem.* Quam justius arma oppositurum illum, qui legati auctoritatem, et propria mandata acceperit?

78. Haud magna mole[1] Piso, promtus ferocibus, in sententiam trahitur: missisque ad Tiberium epistolis, incusat "Germanicum luxus et superbiæ; seque pulsum, ut locus rebus novis patefieret, curam exercitus, eadem fide qua tenuerit, repetivisse." Simul Domitium impositum triremi "vitare littorum oram, præterque insulas lato mari pergere in Syriam" jubet: concurrentes desertores per manipulos componit, armat lixas, trajectisque in continentem navibus vexillum tironum[2] in Syriam euntium intercipit. Regulis Cilicum "ut se auxiliis juvarent" scribit; haud ignavo ad ministeria belli juvene Pisone, quamquam suscipiendum bellum abnuisset.

79. Igitur oram Lyciæ ac Pamphyliæ prælegentes, obviis navibus, quæ Agrippinam vehebant, utrimque infensi, arma primo expediere: dein mutua formidine, non ultra jurgium processum est: Marsusque Vibius nuntiavit Pisoni, "Romam ad dicendam causam veniret." Ille eludens respondit, "adfuturum, ubi prætor, qui de veneficiis quæreret, reo atque accusatoribus diem prædixisset." Interim Domitius Laodiceam,[1] urbem Syriæ, adpulsus, cum hiberna sextæ legionis peteret, quod eam maxime novis consiliis idoneam rebatur, a Pacuvio legato prævenitur. Id Sentius Pisoni per literas aperit, monetque "ne castra corruptoribus, ne provinciam bello tentet:" quosque Germanici memores, aut inimicis ejus adversos cognoverat, contrahit, "magnitudinem Imperatoris"[2] idemtidem ingerens, et "rempublicam armis peti:" ducitque validam manum, et prælio paratam.

80. Nec Piso, quamquam cœpta secus cadebant, omisit tutissima e præsentibus: sed castellum Ciliciæ munitum admodum, cui nomen Celendris,[1] occupat. Nam admixtis desertoribus, et tirone nuper intercepto, suisque et Plancinæ ser-

1 *Haud magna mole.* Difficultate, i. e. facile. Cf. ad Liv. i, 38. 4.—*rebus novis*, seditioni, rebellioni.

2 *Vexillum tironum.* Tirones qui nondum in numeros relati. Quod egregie illustrat Ulpian. Digest. xlix. tit. 1. De testamento militis, art. 42. 'Ex eo tempore quisque jure militari incipit posse testari, ex quo in numeros relatus est: ante non: proinde qui nondum in numeris sunt, licet etiam lecti tirones sint, et publicis expensis iter faciant, nondum tamen milites sunt: debent enim in numeros referri.' Tirones illi, experimentis comprobati, in numeros referebantur, seu punctis signorum inscribebantur, ut loquitur Veget. i, 8. Itaque dum altum petit Domitius, Piso oram Cariæ legit, et, navibus continenti admotis, vexillum tironum intercipit.

1 *Laodiceam.* Nunc *Ladik*, urbem Syriæ.

2 *Magnitudinem Imperatoris.* Majestatem Tiberii Principis, ut recte explicant Gronovius, Davanzati et Gordon. Male autem Freinshemius et Amelot de la Houssaie, 'magnitudinem Germanici.'

1 *Celendris.* Oppidum illud maritimum nunc *Kelnar* esse videtur, ad occasum urbis Seleuciæ.

vitiis, auxilia Cilicum, quæ reguli miserant, in numerum legionis composuerat. "Cæsarisque se legatum" testabatur "provincia, quam is dedisset, arceri, non a legionibus (earum quippe accitu venire) sed a Sentio, privatum odium falsis criminibus tegente: consisterent in acie, non pugnaturis militibus, ubi Pisonem[2] ab ipsis *parentem* quondam appellatum, si jure ageretur, potiorem, si armis, non invalidum vidissent." Tum pro munimentis castelli manipulos explicat, colle arduo et derupto; nam cetera mari cinguntur. Contra veterani, ordinibus ac subsidiis instructi: hinc militum, inde locorum asperitas: sed non animus, non spes, ne tela quidem nisi agrestia ad subitum usum properata. Ut venere in manus, non ultra dubitatum, quam dum Romanæ cohortes in æquum[3] eniterentur: vertunt terga Cilices, seque castello claudunt.

81. Interim Piso classem, haud procul opperientem, adpugnare frustra tentavit: regressusque, et pro muris[1] modo semet adflictando, modo singulos nomine ciens, præmiis vocans, seditionem cœptabat; adeoque commoverat, ut signifer legionis sextæ[2] signum ad eum transtulerit. Tum Sentius "occanere cornua tubasque, et peti aggerem, erigi scalas" jussit, "ac promtissimum quemque succedere: alios tormentis hastas, saxa, et faces ingerere." Tandem, victa pertinacia, Piso oravit, "uti, traditis armis, maneret in castello, dum Cæsar, cui Syriam permitteret, consulitur." Non receptæ conditiones: nec aliud, quam naves et tutum in Urbem iter, concessum est.

82. At Romæ, postquam Germanici valetudo percrebuit, cunctaque, ut ex longinquo, aucta in deterius adferebantur, dolor, ira. Et erumpebant questus: "Ideo nimirum in extremas terras relegatum: ideo Pisoni permissam provinciam: hoc egisse secretos Augustæ cum Plancina sermones: vera prorsus de Druso[1] seniores locutos: displicere

2 *Ubi Pisonem.* Consisterent in acie, non pugnaturis militibus, ubi vidissent Pisonem, ab ipsis parentem quondam, sup. c. 55. appellatum; potiorem certe, si jure ageretur; nec etiam invalidum, si armis decertaretur.

3 *In æquum.* In collem eniterentur, æquoque loco pugnarent.

1 *Pro muris.* I. e. e summis mœnibus, ut recte explicat Gronovius, vertuntque optimi quique interpretes. Haud ita probabiliter Freinshemius 'progressus extra muros.'

2 *Signifer—sextæ.* Unus e signiferis, non vero ipse legionis sextæ Aquilifer. Optime vertit Davanzati, *e tal commosso, che un' Alfiere della legion sesta gli portò l' insegna.* Haud ita accurate V. Cl. Gordon, *and thus much he had already effected, that the Eagle-bearer of the sixth legion revolted to him with his Eagle.*

1 *De Druso.* De Druso, Germanici patre, cujus 'magna apud populum Romanum

regnantibus civilia filiorum ingenia: neque ob aliud interceptos, quam quia populum Romanum æquo jure complecti, reddita libertate, agitaverint." Hos vulgi sermones audita mors adeo incendit, ut ante edictum magistratuum, ante senatusconsultum, sumto justitio,[2] desererentur fora, clauderentur domus; passim silentia et gemitus, nihil compositum in ostentationem: et quamquam neque insignibus lugentium abstinerent, altius animis mœrebant. Forte negotiatores, vivente adhuc Germanico, Syria egressi, lætiora de valetudine ejus attulere: statim credita, statim vulgata sunt: ut quisque obvius, quamvis leviter audita, in alios, atque illi in plures cumulata gaudio transferunt: cursant per urbem, moliuntur templorum fores:[3] juvit credulitatem nox, et promtior inter tenebras adfirmatio. Nec obstitit falsis Tiberius, donec tempore ac spatio vanescerent. Et populus, quasi rursum ereptum, acrius doluit.

83. Honores, ut quis amore in Germanicum, aut ingenio validus, reperti, decretique, "ut nomen ejus Saliari carmine[1] caneretur: sedes curules sacerdotum Augustalium[2] locis, superque eas querceæ coronæ[3] statuerentur: ludos Circenses eburna effigies præiret: neve quis flamen aut augur in locum Germanici, nisi gentis Juliæ, crearetur." Arcus additi Romæ, et apud ripam Rheni, et in monte Syriæ Amano,[4] cum inscriptione rerum gestarum, ac "mortem ob rempublicam obiisse:"

memoria; credebaturque, si rerum potitus foret, libertatem redditurus. Unde in Germanicum favor, et spes eadem.' Sup. An. i, 33.

2 *Sumto justitio.* De Justitio dictum est An. i, 16. Plurima habet Suet. in Caio 5. et 6.

3 *Templorum fores.* Suet. in Caio 6. 'Passim cum luminibus et victimis in capitolium concursum est, ac pene revulsæ templi fores, ne quid gestientes vota reddere moraretur. Expergefactus e somno Tiberius est gratulantium vocibus, atque undique concinentium: Salva Roma, Salva Patria, Salvus est Germanicus.'

1 *Saliari carmine.* Salios et saliare carmen instituit Numa. 'Salios duodecim Marti Gradivo legit, tunicæque pictæ insigne dedit, et super tunicam æneum pectori tegumen: cœlestiaque arma, quæ ancilia appellantur, ferre; ac per urbem ire canentes carmina cum tripudiis sollemnique saltatu jussit.' Liv. i, 20. In his carminibus decantari gloriosissimum fuit. Id Augusto datum 'ut in hymnos juxta cum Diis immortalibus adscriberetur,' ἔς τε τοὺς ὕμνους αὐτὸν ἐξ ἴσου τοῖς θεοῖς ἐσγράφεσθαι. Dio li, p. 457.

2 *Sacerdotum Augustalium.* Inter Augustales sacerdotes annumeratum vidimus Germanicum, An. i, 54. Erant etiam ludi Augustales, de quibus ibidem, et c. 15. Itaque decretum ut in sacerdotum Augustalium conventibus et in Augustalibus ludis sedes curules pro Germanico, licet defuncto, ponerentur. Id honoris Marcello olim tribuerat Augustus, teste Dione, liii. p. 517. 'Jussit ut ludis Romanis effigies Marcelli aurea cum aurea corona et sella curuli in theatrum inferretur, mediaque inter præfectos iis ludis magistratus collocaretur.'

3 *Querceæ coronæ.* Sæpe occurrunt in nummis cum inscriptione OB CIVIS SERVATOS, 'ob cives servatos.' Propter egregium libertatis studium Germanico decretæ.

4 *Amano.* Ciliciam a Syria dividit mons Amanus, nunc *Baïlan*.

sepulcrum Antiochiæ[5] ubi crematus: tribunal[6] Epidaphnæ, quo in loco vitam finierat. Statuarum locorumve in queis colerentur, haud facile quis numerum inierit. Cum censeretur clypeus,[7] auro et magnitudine insignis, inter auctores eloquentiæ; adseveravit Tiberius, "solitum paremque ceteris dicaturum: neque enim eloquentiam fortuna discerni; et satis inlustre,[8] si veteres inter scriptores haberetur." Equester ordo *cuneum Germanici*[9] appellavit, qui *Juniorum* dicebatur; instituitque uti turmæ Idibus Juliis imaginem ejus sequerentur: pleraque manent: quædam statim omissa sunt, aut vetustas obliteravit.

84. Ceterum recenti adhuc mœstitia, soror Germanici Livia, nupta Druso,[1] duos virilis sexus simul enixa est: quod rarum[2] lætumque etiam modicis penatibus, tanto gaudio Principem adfecit, ut non temperaverit, quin jactaret apud patres, "nulli ante Romanorum ejusdem fastigii viro geminam stirpem editam:" nam cuncta etiam fortuita ad gloriam vertebat. Sed populo tali in tempore id quoque dolorem tulit; tamquam auctus liberis Drusus,[3] domum Germanici magis urgeret.

85. Eodem anno gravibus senatus decretis libido fœminarum coercita; cautumque "ne quæstum corpore faceret, cui avus, aut pater, aut maritus eques Romanus fuisset:" nam

5 *Antiochiæ.* Nunc Antakia. Plin. v, 21. 'Intus ipsa Antiochia libera, Epidaphnes cognominata,' ob Daphnes vicum ab Antiochia xl. stadiis orientem versus dissitum. Hic lucus lxxx. stadiorum ambitu, in quo Apollinis ac Dianæ fanum. Strabo xvi, p. 749 et 750. Habentur nummi plurimi ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΤΩΝ ΠΡΟϹ ΔΑΦΝΗΝ.

6 *Tribunal.* I. e. altum tumulum. Ap. Gruter. p. 751. n. 11.

P. AELIVS. VENERIANVS.
HOC. VAS. DISOMVM. SIBI. ET
FELICITATI. SVAE. POSVIT. ET
TRIBVNAL. EX. PERMISSV PONTIF.
PERFECIT.

Ita quoque 'tumulos altos, aut tribunalia' μεταφορικῶς dixit Plin. xvi, 1.

7 *Censeretur clypeus.* Cum decerneretur imaginem Germanici inter eloquentiæ auctores esse collocandam. Cur autem imagines illæ appellarentur clypei dicetur inf. V. not. et em. ad An. ii, 83.

8 *Satis inlustre.* Ipsi principes ingenii laude inclarescunt; novumque exsurgit decus, si optimos inter scriptores haberi mereantur.

9 *Cuneum Germanici.* Equites, in plures cuneos divisi, cuneum Germanici appellavere, qui de gente Junia Juniorum dicebatur. V. not. et em. ad An. ii, 83. Ab iis quoque institutum ut turmæ Idibus Julii imaginem Germanici in solemni decursione sequerentur. De his decursionibus v. quæ dicta sunt sup. c. 7.

1 *Nupta Druso.* Tiberii filio. V. stem. Cæs. n. 70, 71, 72 et 73.

2 *Quod rarum.* Quæ res, rara lætaque etiam parentibus modicis, tanto gaudio adfecit Tiberium, ut non temperaverit, quin jactaret apud patres, nulli ante Romanorum ejusdem fastigii ac dignitatis viro, i. e. nondum in regnatrice domo, geminam stirpem editam. Tiberianæ lætitiæ et Drusianæ fortunæ monumentum singulare extare voluit senatus in Musei nostri nummo, ære magno: DRVSVS CÆSAR. TI. AVG. F. DIVI AVG. N. PONT. TR. POT. II. 'Drusus Cæsar Tiberii Augusti filius, Divi Augusti nepos, pontifex, tribuniciæ potestatis anno secundo.' In area SC, 'senatus consulto.' Ex adversa parte duæ cornucopiæ, ex quibus gemellorum duo capita exsurgunt, caduceo intermedio.

3 *Auctus—Drusus.* Ipse et liberi ejus,

Vistilia prætoria familia genita, licentiam stupri apud ædiles vulgaverat;[1] more inter veteres recepto, qui satis pœnarum adversum impudicas in ipsa professione flagitii credebant. Exactum et a Titidio Labeone, Vistiliæ marito, "cur in uxore delicti manifesta ultionem legis omisisset?" atque illo prætendente "sexaginta dies[2] ad consultandum datos necdum præteriisse," satis visum de Vistilia statuere. Eaque in insulam Seriphon[3] abdita est. Actum et de sacris Ægyptiis Judaicisque[4] pellendis: factumque patrum consultum, "ut quatuor millia libertini generis ea superstitione infecta, queis idonea ætas, in insulam Sardiniam veherentur," coercendis illic latrociniis, et, si ob gravitatem cœli interiissent, vile damnum: "ceteri cederent Italia, nisi certam ante diem profanos ritus exuissent."

86. Post quæ retulit Cæsar, "capiendam virginem[1] in locum Occiæ," quæ septem et quinquaginta per annos summa sanctimonia Vestalibus sacris præsederat: egitque grates Fonteio Agrippæ, et Domitio Pollioni, "quod, offerendo filias, de officio in rempublicam certarent." Prælata est Pollionis filia, non ob aliud, quam quod mater ejus in eodem conjugio manebat: nam Agrippa discidio domum imminuerat: et Cæsar quamvis posthabitam,[2] decies sestertii[3] dote solatus est.

87. "Sævitiam annonæ" incusante plebe, statuit frumento pretium quod emtor penderet, "binosque nummos[1] se addi-

'domum Germanici magis urgeret,' premeret, ei gravis esset, inminuta spe subcessionis in regno, et aucto metu periculi huic inde imminentis.

1 *Apud ædiles vulgaverat.* Apud ædiles professa fuerat se stupro quæstum facere velle. Tam pudenda in nobilibus fœminis licentia, imperante Tiberio, cœperat, teste Suet. Tiber. 35. 'Fœminæ famosæ, ut ad evitandas legum pœnas jure ac dignitate matronali exsolverentur, lenocinium profiteri cœperant.' Itaque quod subjungit Tacitus, 'more inter veteres recepto,' intelligendum de ignobilibus fœminis, non vero de nobilibus. Hæc fœminarum libido repudio et exilio coercita est, ut docet Suet. l. c. Porro stuprum in virginem viduamve, adulterium in nuptam committitur. Hic stuprum pro adulterio accipitur, qua significatione quoque usurpatur in lege Julia.

2 *Sexaginta dies.* Lege Julia *de adulteriis*, sexaginta dies a commissi criminis die marito ad accusandum competunt; si extraneus fuerit, menses sex. V. Anton. Augustin. de legibus p. 73.

3 *Seriphon.* Ægæi maris insulam, nunc *Serpho.*

4 *De—Judaicisque.* Suet. Tiber. 36. 'Externas cærimonias, Ægyptios Judaicosque ritus compescuit, coactis qui superstitione ea tenebantur, religiosas vestes cum instrumento omni comburere. Judæorum juventutem per speciem sacramenti, in provincias gravioris cœli distribuit: reliquos gentis ejusdem, vel similia sectantes, Urbe submovit, sub pœna perpetuæ servitutis, nisi obtemperassent.' Causas vero ipsas, sacrilega Judæorum latrocinia, sacrilegas Isiacorum impuritates, aliaque scelera, recenset Josephus Antiq. Jud. xviii, 3. n. 4 et 5.

1 *Capiendam virginem.* Ut Occiæ succederet.

2 *Posthabitam.* Filiam Fonteii Agrippæ.

3 *Decies sestertii. Angl.* 8333*l.* 6*s.* 8*d.*

1 *Binosque nummos. Angl.* 4*d.*

turum negotiatoribus in singulos modios."[2] Neque tamen ob ea *parentis patriæ*, delatum et antea, vocabulum adsumsit, acerbeque increpuit eos, qui *divinas occupationes*,[3] ipsumque *dominum* dixerant: unde angusta et lubrica oratio sub Principe, qui libertatem metuebat, adulationem oderat.

88. Reperio apud scriptores senatoresque eorumdem temporum, Adgandestrii, principis Cattorum, lectas in senatu literas, quibus "mortem Arminii" promittebat, "si patrandæ neci venenum mitteretur:" responsumque esse, non fraude, neque occultis, sed palam et armatum populum Romanum hostes suos ulcisci:" qua gloria æquabat se Tiberius priscis imperatoribus, qui venenum in Pyrrhum regem vetuerant, prodiderantque.[1] Ceterum Arminius, abscedentibus Romanis, et pulso Maroboduo, regnum adfectans, libertatem popularium adversam habuit: petitusque armis, cum varia fortuna certaret, dolo propinquorum cecidit: liberator haud dubie Germaniæ, et qui non primordia populi Romani,[2] sicut alii reges ducesque, sed florentissimum imperium lacessierit: præliis ambiguus,[3] bello non victus: septem et triginta annos vitæ, duodecim potentiæ explevit: caniturque adhuc[4] barbaras apud gentes; Græcorum annalibus ignotus, qui sua tantum mirantur: Romanis haud perinde celebris,[5] dum vetera extollimus, recentium incuriosi.

2 *Singulos modios.* Modius Romanus, pro varia tritici levitate aut ponderositate, xx vel xxii. Romanas libras tritici continebat, Plin. xviii, 7. Porro cum Tiberius in singulos modios binos nummos negotiatoribus adderet, ferme quintam partem pretii solvisse videtur. Modium recentiorem, qui xxv. libras tritici continet, describit Cl. Gori, Inscr. Antiq. vol. i, p. 263. vol. iii, p. 1. sq.

3 *Divinas occupationes.* Eadem habet Suet. Tiber. 27. 'Dominus appellatus a quodam, denuntiavit ne se amplius contumeliæ causa nominaret. Alium dicentem, sacras ejus occupationes—pro sacris, laboriosas dicere coegit.

1 *Vetuerant, prodiderantque.* Memorandum illud fidei et virtutis Romanæ exemplum contigit. A. U. C. 476. A. C. 277. 'Timochares Ambraciensis, [Ambrakia in Epirus,] Fabricio consuli pollicitus est, se Pyrrhum veneno per filium suum, qui potionibus ejus præerat, necaturum. Ea res cum ad senatum esset delata, missis legatis Pyrrhum monuit, ut adversus hujus generis insidias cautius se gereret: memor Urbem a filio Martis conditam; et armis bella, non venenis, gerere debere.' Valer. Max. vi, 5. n. 1. Literas Fabricii ad Pyrrhum recitat Plut. in Pyrrho, p. 396. Paulo diversas Gell. iii, 8.

2 *Primordia p. Romani.* Populum Rom. primis ejus temporibus.—Ceterum eodem anno periere Germanicus et Arminius, ut olim Hannibal, Scipio Africanus et Philopœmen.

3 *Præliis ambiguus.* Varia in iis fortuna usus.

4 *Caniturque adhuc.* V. not. et em. ad An. ii, 88.

5 *Haud—celebris.* Velleio tamen ii, 118. egregie laudatus: 'Juvenis, genere nobilis, manu fortis, sensu celer, ultra barbarum promtus ingenio, nomine Arminius—ardorem animi vultu oculisque præferens.'

BREVIARIUM

LIBRI TERTII.

1. Agrippina cum Germanici reliquiis Brundisium, inde Romam pervenit. Eæ tumulo Augusti illatæ, et funus ductum. 7. Drusus in Illyricum rursus proficiscitur. 8. Cn. Piso, cum Romam rediisset, veneni et majestatis postulatur. Dicta causa, cum omnia infensa et infesta experiretur, manus sibi adfert. 20. Tacfarinas bellum in Africa renovat, quod opprimitur a L. Apronio proconsule. 22. Lepida Æmilia adulterii et veneni defertur, et damnatur. 25. Papia Poppæa lex ad id tempus asperius exercita, mollitur a Tiberio, et nexus ejus exsolvuntur. Legum initia et vices. 30. L. Volusii et Sallustii Crispi, insignium virorum, obitus. 31. Tiberius in Campaniam concedit. 32. Iterum Africam incurrit Tacfarinas: cui tutandæ Junius Blæsus deligitur. 37. Equites aliquot Romani majestatis damnantur. 38. Thracum discordia. 40. Galliarum civitates rebellant, ducibus Julio Sacroviro et Julio Floro. At infeliciter. A legionibus Germanicis copiæ earum cæsæ; et ipsæ ad vetus jugum retractæ. 49. C. Lutorius, eques, majestatis damnatus, et in carcere exanimatus. 52. Cura luxus coercendi cœpta et omissa. 56. Drusus tribuniciam potestatem accipit. 58. Flamen Dialis vetitus provinciam sortiri. 60. Asyla Græcorum lustrata et repurgata. 66. C. Silanus repetundarum et majestatis damnatus. 73. Tacfarinatem Junius Blæsus proturbat et fratrem ejus capit. 76. Juniæ illustris fœminæ mors et funus.

Hæc triennio gesta.

A.U.C.	J.C.		
DCCLXXIII.	20.	Coss.	M. Valerio Messala, C. Aurelio Cotta.
DCCLXXIV.	21.	Coss.	Tiberio Augusto IV, Druso Cæsare II.
DCCLXXV.	22.	Coss	D. Haterio Agrippa, C. Sulpicio Galba.

C. CORNELII TACITI
ANNALES.

LIBER TERTIUS.

A. U. C. 772. J. C. 19.

1. NIHIL intermissa navigatione hiberni maris, Agrippina Corcyram[1] insulam advehitur, littora Calabriæ contra sitam. Illic paucos dies componendo animo insumit, violenta luctu, et nescia tolerandi. Interim adventu ejus audito, intimus quisque amicorum, et plerique militares, ut quique sub Germanico stipendia fecerant, multique etiam ignoti vicinis e municipiis, pars officium in Principem rati, plures illos secuti, ruere ad oppidum Brundisium;[2] quod naviganti celerrimum fidissimumque adpulsu erat. Atque ubi primum ex alto visa classis, complentur non modo portus et proxima maris, sed mœnia ac tecta, quaque longissime prospectari poterat, mœrentium turba, et rogitantium inter se, "silentione, an voce aliqua egredientem exciperent?" neque satis constabat quid pro tempore foret: cum classis paulatim successit, non alacri, ut adsolet, remigio, sed cunctis ad tristitiam compositis. Postquam duobus cum liberis[3] feralem urnam tenens egressa navi, defixit oculos;[4] idem omnium gemitus, neque discerneres, proximos, alienos, virorum fœminarumve planctus: nisi quod comitatum Agrippinæ longo mœrore fessum, obvii et recentes in dolore anteibant.

1 *Corcyram.* Nunc *Corfu*, Epiro vicinam.

2 *Brundisium.* Nunc *Brindisi*, Portus ille e Græcia navigantibus celerrimus, ad quem recto itinere contenditur, fidelissimusque adpulsu ac tutissimus. Plin. iii, 11. 'Brundisium L. M. passuum ab Hydrunte, in primis Italiæ portu nobile, ac velut certiore transitu, sic utique longiore.'

3 *Duobus liberis.* Caio, ut videtur, et Julia. Ceteri erant Romæ.

4 *Defixit oculos.* Oculis in feralem urnam terramque defixis, constitit, ut recte explicant Freinshem. in paraphrasi, et optimi interpretes Davanzati, Amelot de la Houssaie, Gordon, aliique plurimi. Non vero ubi omnium oculos in se unum defixos convertit, ut quibusdam placet. Vide D'Orvill. An. in Charit. p. 248.

A.U.C. 773. J.C. 20.

2. Miserat duas prætorias cohortes Cæsar, addito "ut magistratus Calabriæ, Apulique et Campani,[1] suprema erga memoriam filii sui munera fungerentur." Igitur tribunorum centurionumque humeris cineres portabantur: præcedebant incomta signa,[2] versi fasces: atque ubi colonias transgrederentur, atrata plebes, trabeati equites,[3] pro opibus loci, vestem, odores, aliaque funerum solemnia cremabant:[4] etiam quorum diversa oppida,[5] tamen obvii, et victimas atque aras Diis Manibus statuentes, lacrymis et conclamationibus dolorem testabantur. Drusus[6] Tarracinam[7] progressus est, cum Claudio fratre,[8] liberisque Germanici, qui in Urbe fuerant. Consules M. Valerius[9] et C. Aurelius (jam enim magistratum occœperant) et senatus, ac magna pars populi viam complevere, disjecti, et, ut cuique libitum, flentes: aberat quippe adulatio, gnaris omnibus lætam Tiberio Germanici mortem male dissimulari.[10]

3. Tiberius atque Augusta[1] publico abstinuere; inferius majestate sua rati, si palam lamentarentur, an, ne, omnium oculis vultum eorum scrutantibus, falsi intelligerentur. Ma-

1 *Calabriæ—Campani.* Nunc *Calabria, Puglia, Capitanate, the exterior Principality of Terra di Lavoro, and part of the interior Principality.* Magistratus illi erant municipales duumviri, decuriones, seviri Augustales, &c.

2 *Incomta signa.* Signa rebus lætis comta et uncta, tristibus incomta. Plin. xiii, 3. 'Mirum est hanc [unguentorum] gratiam penetrasse et in castra. Aquilæ certe ac signa, pulverulenta illa, et custodibus horrida, inunguntur festis diebus. Utinamque dicere possemus, quis primus instituisset. Ita est, nimirum hac mercede corruptæ terrarum orbem devicere aquilæ. Ista patrocinia quærimus vitiis, ut per hoc jus sumantur sub casside unguenta.' Itaque sine coronis, sine unguentis incomta militum signa: versi lictorum Germanici fasces.

3 *Trabeati equites.* Trabeati, non quidem luctus, sed solemnitatis causa, ut recte explicat Illustr. Huetius. Trabea, vestis fuit militaris, quæ virgas instar trabium intextas haberet. Nonnunquam in monumentis obvia.

4 *Cremabant.* Moris fuit apud veteres in funeribus ac sacrificiis dolorem ardentibus rogis testari. Quod nunc Germanico, olim Druso patri præstitum, teste Sen. consol. ad Marciam, III. 'Accedebat ad hanc mortem, quam ille pro republica obierat, ingens civium provinciarumque et totius Italiæ desiderium, per quam effusis in officium lugubre municipiis coloniisque usque in Urbem ductum erat funus triumpho simillimum—Longo itinere reliquias Drusi sui prosecuta [Livia], tot per omnem Italiam ardentibus rogis, quasi totiens illum amitteret, irritata.'

5 *Diversa oppida.* Non coloniæ tantum, sed diversa etiam oppida, et ob locorum situm ab Agrippinæ itinere nonnihil dissita.

6 *Drusus.* Tiberii filius.

7 *Tarracinam.* Nunc *Terracina,* in agro Romano.

8 *Claudio fratre.* Fratre Germanici, postea Principe. Et quatuor Germanici liberis, qui in Urbe fuerant, Nerone, Druso, Agrippina et Drusilla.

9 *Consules M. Valerius.* Consules fuere A. U. C. 773. J. C. 20. M. Valerius Messala et C. Aurelius Cotta. Ipsis Kalendis Januarii magistratum occœperant.

10 *Male dissimulari.* Ab illo senatus ac populi luctu aberat adulatio, cum scirent omnes Germanici mortem lætam esse Tiberio, ejusque lætitiam male dissimulari.

1 *Augusta.* Livia, Tiberii mater.

trem Antoniam[2] non apud auctores rerum,[3] non diurna actorum scriptura, reperio ullo insigni officio functam; cum super Agrippinam, et Drusum, et Claudium, ceteri quoque consanguinei nominatim perscripti sint: seu valetudine præpediebatur, seu victus luctu animus, magnitudinem mali perferre visu non toleravit: facilius crediderim, Tiberio et Augusta, qui domo non excedebant, cohibitam, ut par mœror, et matris exemplo, avia quoque et patruus[4] attineri viderentur.

4. Dies, quo reliquiæ tumulo Augusti[1] inferebantur, modo per silentium vastus,[2] modo ploratibus inquies: plena urbis itinera, conlucentes per campum Martis faces:[3] illic miles cum armis, sine insignibus[4] magistratus, populus per tribus, "concidisse rempublicam, nihil spei reliquum" clamitabant; promtius apertiusque,[5] quam ut meminisse imperitantium crederes. Nihil tamen Tiberium magis penetravit, quam studia hominum accensa in Agrippinam; cum "decus patriæ, solum Augusti sanguinem,[6] unicum antiquitatis specimen" appellarent, versique ad cœlum ac Deos, "integram illi subolem, ac superstitem iniquorum" precarentur.

5. Fuere qui publici funeris pompam requirerent, compararentque "quæ in Drusum,[1] patrem Germanici, honora et magnifica Augustus fecisset: ipsum quippe asperrimo hiemis, Ticinum[2] usque progressum, neque abscedentem a corpore simul urbem intravisse: circumfusas lecto Claudiorum Juliorumque[3] imagines, defletum in foro, laudatum pro rostris,

2 *Matrem Antoniam.* Matrem Germanici. V. stem. Cæs. n. 42.

3 *Auctores rerum.* Apud Scriptores. V. inf. c. 30.

4 *Avia—patruus.* Livia et Tiberius.

1 *Tumulo Augusti.* Tumulus Augusti in campo Martio inter Flaminiam viam ripamque Tiberis. Extant adhuc rudera, quæ exhibet d'Overbeke: *Restes de l'ancienne Rome*, vol. i, p. 87.

2 *Vastus.* Dies ille, modo propter silentium, vastitatem ac solitudinem referebat; modo propter ploratus, erat inquies ac tumultuosus.

3 *Conlucentes—faces.* Nam qui funus prosequebantur puerorum, cereos manibus gestabant, qui adultorum, candelas, funalia, faces, quia noctu olim cadavera solita efferri, ut Donatus censet: qui mos etiam in parentatione annua obtinuit, v. Suet. Aug. 98. et adeo tritus fuit, ut Isidorus, xii, 2. 'Funus dictum a funibus adcensis' velit, 'quos ante feretrum papyris circumdatis tulerint.' *Lips.* Cf. Kirchman. de fun. Rom. 2 et 3.

4 *Sine insignibus.* Sine toga prætexta, sine anulis, sine lato clavo, aliisque dignitatis insignibus ut recte explicat Lipsius.

5 *Promtius apertiusque.* Promtius apertiusque clamitabant, quam ut eos Tiberii ac Liviæ imperitantium meminisse crederes.

6 *Solum—sanguinem.* Plurimus adhuc extabat Augusti sanguis. At una Agrippina Augusto digna.

1 *In Drusum.* V. quæ dicta sunt sup. c. 2. et in stem. Cæs. n. 79. De his quoque funeribus Dio lv, p. 749. Suet. Claud. 1.

2 *Ticinum.* Nunc *Pavia.*

3 *Claudiorum Juliorumque.* Ferebantur Claudiorum imagines propter familiam. Claudiæ enim gentis erat Drusus: Juliorum vero, honoris causa. Nondum enim in familiam Juliam transierant Claudii.

cuncta a majoribus reperta, aut quæ posteri invenerint, cumulata. At Germanico ne solitos quidem, et cuicumque nobili debitos honores, contigisse: sane corpus ob longinquitatem itinerum externis terris quoquo modo crematum: sed tanto plura decora mox tribui par fuisse, quanto prima fors negavisset: non fratrem nisi unius diei[4] via, non patruum[5] saltem porta tenus obvium: ubi illa veterum instituta? præpositam toro[6] effigiem, meditata ad memoriam virtutis carmina, et laudationes et lacrymas, vel doloris imitamenta?"

6. Gnarum id Tiberio fuit; utque premeret vulgi sermones, monuit edicto: "Multos inlustrium Romanorum ob rempublicam obiisse; neminem tam flagranti desiderio celebratum: idque et sibi, et cunctis egregium, si modus adjiceretur: non enim eadem decora principibus viris, et imperatori populo,[1] quæ modicis domibus, aut civitatibus: convenisse recenti dolori luctum, et ex mœrore[2] solatia: sed referendum jam animum ad firmitudinem, ut quondam divus Julius, amissa unica filia,[3] ut divus Augustus, ereptis nepotibus,[4] abstruserint tristitiam. Nil opus vetustioribus exemplis: quotiens populus Romanus clades exercituum, interitum ducum, funditus amissas nobiles familias constanter tulerit? Principes mortales, rempublicam æternam esse. Proin repeterent solemnia:[5] et" quia ludorum Megalesium[6] spectaculum suberat, "etiam voluptates resumerent."

Sed Liviam, matrem Drusi, uxorem duxerat Augustus. V. not. et em. ad An. iii, 5.

4 *Unius diei.* Terracinam progressus erat Drusus, ut dictum sup. c. 2. Nonnulli emendant *fratres*, quod minime probaverim. Hic enim de Druso agitur, non vero de Claudio, qui certe longius progressus fuisset, si per Tiberium ac Drusum licuisset. Sic inf. c. 8 et 12. Drusus, non vero Claudius, memoratur.

5 *Patruum.* Tiberium.

6 *Præpositam toro.* Ubi illa veterum instituta? Ubi præpositam toro effigiem? Cerea enim defuncti effigies lecto præponebatur, v. Dion. lvi, p. 592. Ubi meditata ad memoriam virtutis carmina? Ubi laudationes et lacrymas; vel saltem doloris imitamenta?

1 *Imperatori populo.* Romani se imperatorem populum esse gloriabantur, fatebanturque exteri. Legati enim Pyrrhi quid de Roma sentirent, a rege suo interrogati, 'Urbem templum sibi visam, senatum regum consessum esse' responderunt, Florus i, 18. Et Tullius pro domo sua, xc. 'Ille, ille populus est dominus regum, victor atque imperator omnium gentium.'

2 *Ex mœrore.* Cum adhuc recens esset dolor, convenisse luctum; nunc vero post mœrorem convenire solatia, et ex ipso mœrore enasci debere.

3 *Unica filia.* Julia. V. stem. Cæs. n. 6. De ejus morte Sen. cons. ad Marciam, xiv. 'C. Cæsar cum Britanniam peragraret, nec Oceano felicitatem suam continere posset, audivit decessisse filiam, publica secum fata ducentem.—Tamen intra tertium diem imperatoria obiit munia, et tam cito dolorem vicit, quam omnia solebat.'

4 *Ereptis nepotibus.* Caio et Lucio, de quibus dictum sup. An. i, 3.

5 *Repeterent solemnia.* Ut ad munia et negotiorum consuetudinem redirent. Suet. Tib. 52.

6 *Ludorum Megalesium.* Celebrabantur mense Aprili per dies septem. V. not. et

7. Tum exuto justitio,[1] reditum ad munia: et Drusus Illyricos ad exercitus profectus est, erectis omnium animis petendæ e Pisone ultionis:[2] et crebro questu, "quod vagus interim per amœna Asiæ atque Achaiæ, adroganti et subdola mora, scelerum probationes subverteret." Nam vulgatum erat "missam," ut dixi,[3] "a Cn. Sentio famosam veneficiis Martinam, subita morte Brundisii extinctam, venenumque nodo crinium ejus occultatum, nec ulla in corpore signa sumti exitii reperta."

8. At Piso, præmisso in urbem filio, datisque mandatis, per quæ Principem molliret, ad Drusum pergit; quem haud fratris interitu[1] trucem, quam remoto æmulo æquiorem sibi sperabat. Tiberius quo integrum judicium ostentaret, exceptum comiter juvenem, sueta erga filios familiarum nobiles liberalitate auget.[2] Drusus Pisoni, "si vera forent quæ jacerentur, præcipuum in dolore[3] suum locum" respondit: "sed malle falsa et inania, nec cuiquam mortem Germanici exitiosam esse." Hæc palam, et vitato omni secreto: neque dubitabantur præscripta ei a Tiberio, cum, incallidus alioqui et facilis juventa, senilibus tum artibus uteretur.

9. Piso, Dalmatico mari[1] tramisso, relictisque apud Anconam navibus, per Picenum,[2] ac mox Flaminiam viam,[3] adsequitur legionem, quæ e Pannonia in Urbem, dein præsidio Africæ,[4] ducebatur: eaque res agitata rumoribus, "ut in ag-

em. ad An. iii, 6. Mortuus erat Germanicus exeunte Mense Novembri, ut colligitur ex Suet. in Caio, 6. Illi in urbe parentatum exeunte Martio.

1 *Exuto justitio.* De justitio sup. An. i, 16.

2 *Ultionis.* Petendæ e Pisone ultionis causa.

3 *Ut dixi.* Sup. An. ii, 74.

1 *Fratris interitu.* Quem haud tam trucem fratris interitu, quam sibi æquiorem, remoto æmulo, sperabat. Drusum non trucem, sed potius æquum sibi adpromittebat. Sic inf. c. 17. 'miseratio, quam invidia augebatur.' Sallust. in Jug. c. 'non diffidentia futuri, quæ imperavisset, quam uti militibus exæquatus cum imperatore labos volentibus esset.' I. e. non tam diffidentia futuri.

2 *Liberalitate auget.* Quanti esset sueta illa liberalitas incompertum.

3 *Præcipuum in dolore.* Drusus Pisoni respondit, si vera forent, quæ de veneno jacerentur, fore ut præcipuus in dolore sibi locus esset, graviusque ceteris omnibus indoleret ac succenseret: sed malle hæc esse falsa et inania, nec mortem Germanici cuiquam esse exitiosam. Quæ, cum palam, et vitato omni secreto, protulisset Drusus, minime dubitatum est quin præscripta a Tiberio esset locutus; præsertim cum incallidus alioqui, et facilis juventa, senilibus tamen artibus uteretur.

1 *Dalmatico mari.* Nunc *the gulf of Venice.*

2 *Picenum.* Nunc *the marches of Ancona.*

3 *Flaminiam viam.* Via Flaminia a Flaminio circa A. U. C. 533. A. C. 220. ab Urbe Arminium, nunc *Rimini,* deducta. Piso Ancona ad locum, qui nunc dicitur *Case Brugiate,* contendit, ibique viam Flaminiam ingressus est.

4 *Præsidio Africæ.* Adversus Tacfarinatem, de quo dicetur c. 20.

mine atque itinere crebro se militibus ostentavisset."[5] Ab Narnia,[6] vitandæ suspicionis, an quia pavidis consilia in incerto sunt, Nare,[7] ac mox Tiberi devectus, auxit vulgi iras, quia navem tumulo Cæsarum[8] adpulerat; dieque, et ripa frequenti, magno clientium agmine ipse, fœminarum comitatu Plancina, et vultu alacres incessere. Fuit inter inritamenta invidiæ domus foro imminens,[9] festa ornatu,[10] conviviumque et epulæ, et celebritate loci nihil occultum.[11]

10. Postera die, Fulcinius Trio Pisonem apud consules postulavit: contra Vitellius, ac Veranius,[1] ceterique Germanicum comitati tendebant, "nullas esse partes Trioni;[2] neque se accusatores, sed rerum indices et testes, mandata Germanici perlaturos." Ille, dimissa ejus causæ delatione, "ut priorem vitam[3] accusaret" obtinuit; petitumque est[4] a principe, "cognitionem exciperet." Quod ne reus quidem abnuebat, studia populi et patrum metuens: contra, "Tiberium spernendis rumoribus validum, et conscientiæ matris[5] innexum esse: veraque, aut in deterius credita, judice ab uno facilius discerni: odium et invidiam apud multos valere." Haud fallebat Tiberium moles cognitionis, quaque ipse fama[6] distraheretur. Igitur, paucis familiarium adhibitis, minas accusantium,[7] et hinc preces audit, integramque causam ad senatum remittit.

5 *Ostentavisset.* Ut eos corrumperet. Jam olim sermone vulgi *parens legionum* appellatus, An. ii, 55. Quam ob rem, vitandæne suspicionis causa, an quia pavidorum hominum incerta sunt consilia, ab Narnia in Urbem Nare ac mox Tiberi devectus est.

6 *Narnia.* Nunc *Narni,* in Umbria.

7 *Nare.* Nunc *Nera.* Prope oppidum *Orte* in Tiberim influit.

8 *Tumulo Cæsarum.* Quem sup. c. 4. appellavit 'tumulum Augusti.' Quique, ut jam dixi, erat in campo Martio inter Flaminiam viam et ripam Tiberis. Huc adpulisse crimen fecit odium publicum.

9 *Foro imminens.* Forum Romanum in viii. Urbis regione Capitolinum inter et Palatinum montes.

10 *Festa ornatu.* V. not. et em. ad An. iii, 9.

11 *Nihil occultum.* In tanta loci celebritate nihil fuit occultum.

1 *Vitellius, ac Veranius.* De illis jam sup. An. ii, 74.

2 *Nullas—Trioni.* Nullas esse in hac causa Trionis partes, neque esse audiendum.

3 *Ut priorem vitam.* Fulcinius Trio obtinuit ut priorem Pisonis vitam, actam scilicet ante Syriæ præfecturam, accusaret. V. inf. c. 13.

4 *Petitumque est.* Petitum est a Tiberio, ut ipse causæ cognitionem exciperet: quod ne Piso quidem abnuebat, studia populi et patrum in Germanicum metuens.

5 *Conscientiæ matris.* De illa Liviæ conscientia jam dictum An. ii, 77 et 82.

6 *Qua—fama.* Lætam enim Tiberio fuisse Germanici mortem omnes noverant, ut memoratum sup. c. 2. Propterea 'multifarium increpitum et per noctes creberrime acclamatum est, Redde Germanicum. Quam suspicionem confirmavit ipse postea: conjuge etiam ac liberis Germanici crudelem in modum afflictis.' Suet. Tib. 52.

7 *Minas accusantium.* Inde minas Pisonem accusantium, hinc Pisonis preces audit.

11. Atque interim Drusus rediens Illyrico, quamquam patres censuissent, "ob receptum Maroboduum,[1] et res priore æstate gestas, ut ovans iniret," prolato honore Urbem intravit. Post quæ, reo "T. Arruntium, T. Vinicium, Asinium Gallum, Æserninum Marcellum, Sex. Pompeium patronos" petenti, iisque diversa excusantibus, M. Lepidus, et L. Piso, et Livineius Regulus adfuere: arrecta omni civitate, "quanta fides amicis Germanici, quæ fiducia reo: satin' cohiberet, an promeret sensus suos Tiberius:" iis haud alias intentior[2] populus, plus sibi in principem occultæ vocis, aut suspicacis silentii permisit.

12. Die senatus, Cæsar orationem habuit meditato temperamento:[1] "Patris sui[2] legatum atque amicum Pisonem fuisse, adjutoremque Germanico datum a se, auctore senatu, rebus apud Orientem administrandis: illic contumacia et certaminibus asperasset juvenem, exituque ejus lætatus esset; an scelere extinxisset, integris animis dijudicandum. Nam si legatus[3] officii terminos, obsequium erga imperatorem exuit, ejusdemque morte, et luctu meo lætatus est; odero, seponamque a domo mea, et privatas inimicitias, non Principis ulciscar. Sin facinus in cujuscumque mortalium nece vindicandum detegitur; vos vero et liberos Germanici, et nos parentes[4] justis solatiis adficite: simulque illud reputate, turbide et seditiose tractaverit exercitus Piso: quæsita sint per ambitionem studia militum; armis repetita provincia; an falsa hæc in majus vulgaverint accusatores: quorum ego nimiis studiis jure succenseo. Nam quo pertinuit, nudare corpus, et contrectandum vulgi oculis permittere, differrique etiam[5]

1 *Receptum Maroboduum.* Receptum Maroboduum, et Ravennæ habitum, vidimus sup. An. ii, 63.

2 *Intentior.* Populus numquam alias se intentiorem præstitit, neque in Principem plus occultæ vocis, aut suspicacis silentii sibi permisit.

1 *Meditato temperamento.* Egregie dictum. Tiberius enim ita Pisonem accusat, ut Germanicum æque urgeat.

2 *Patris sui.* Augusti, qui Tiberium adoptaverat, Pisonemque in Hispaniam legatum miserat, inf. c. 13.

3 *Si legatus.* Si legatus filium meum non extinxit, sed tantummodo obsequium erga eum exuit, ejusdemque morte et luctu meo lætatus fuit, legatum quidem odero, seponam a domo mea; non tamen violatum Principem, læsam majestatem, sed privatas tantum inimicitias ulciscar. Nec enim hæc publica, sed privata solum injuria. At si filium meum interemit, si facinus illud in cujuscumque mortalium nece vindicandum detegitur, eum majestatis reum judicate; vosque, et liberos Germanici, et nos parentes justis solatiis adficite. Hæc enim justa judicum et offensorum solatia, sceleratorum pœna.

4 *Nos parentes.* Tiberium et Liviam, parentes propter adoptionem.

5 *Differrique etiam.* Differri et disseminari etiam per externas gentes tamquam veneno interceptus esset Germanicus.

per externos, tamquam veneno interceptus esset, si incerta adhuc ista, et scrutanda sunt? Defleo equidem filium meum, semperque deflebo: sed neque reum prohibeo, quominus cuncta proferat, quibus innocentia ejus sublevari, aut, si qua fuit iniquitas Germanici, coargui possit: vosque oro, ne, quia dolori meo causa connexa est, objecta crimina pro adprobatis accipiatis. Si quos propinquus sanguis, aut fides sua patronos dedit, quantum quisque eloquentia et cura valet, juvate periclitantem. Ad eumdem laborem, eamdem constantiam accusatores hortor. Id solum Germanico super leges præstiterimus, quod in curia potius quam in foro,[6] apud senatum quam apud judices, de morte ejus anquiritur: cetera pari modestia tractentur: nemo Drusi lacrymas, nemo mœstitiam meam spectet, nec siqua in nos adversa[7] finguntur."

13. Exin "biduum criminibus objiciendis" statuitur, "utque sex dierum spatio interjecto, reus per triduum defenderetur." Tum Fulcinius vetera et inania orditur, "ambitiose, avareque habitam Hispaniam." Quod neque convictum[1] noxæ reo, si recentia purgaret; neque defensum absolutioni erat, si teneretur majoribus flagitiis. Post quem Servæus, et Veranius, et Vitellius, consimili studio, sed multa eloquentia Vitellius, objecere; "odio Germanici, et rerum novarum studio, Pisonem vulgus militum, per licentiam et sociorum injurias, eo usque corrupisse,[2] ut *parens legionum* a deterrimis appellaretur: contra, in optimum quemque, maxime in comites et amicos Germanici, sævisse: postremo ipsum devotionibus et veneno peremisse: sacra hinc et immolationes nefandas[3] ipsius atque Plancinæ: petitam armis rempublicam; utque reus agi posset, acie victum."[4]

14. Defensio in ceteris trepidavit: nam neque ambitionem militarem, neque provinciam pessimo cuique obnoxiam, et contumelias quidem adversum imperatorem inficiari poterat:

6 *In foro.* Populi studia metuebant Piso et Tiberius: ideo in curia et apud senatum, non vero in foro et apud judices, de morte Germanici anquiritur.

7 *Siqua—adversa.* Siqui in nos adversi rumores finguntur. Inf. Hist. ii, 26. 'adverso rumore.'

1 *Neque convictum.* Quod quidem probatum licet et convictum, neque noxæ erat reo, si recentia purgaret: neque etiam defensum et purgatum, erat absolutioni, si majoribus flagitiis teneretur.

2 *Eo—corrupisse.* De hac legionum corruptela et licentia dictum sup. An. ii, 55 et 69.

3 *Immolationes nefandas.* Post Germanici mortem. Sup. An. ii, 75.

4 *Acie victum.* Petitam armis rempublicam, et victum acie Pisonem vidimus, An. ii, 80 et 81.

solum veneni crimen visus est diluisse; quod ne accusatores quidem satis firmabant, "in convivio Germanici, cum super eum Piso discumberet,[1] infectos manibus ejus cibos" arguentes: quippe absurdum videbatur, inter aliena servitia, et tot adstantium visu, ipso Germanico coram, id ausum: offerebatque familiam[2] reus, et ministros in tormenta flagitabat. Sed judices per diversa implacabiles erant: Cæsar ob bellum provinciæ inlatum;[3] Senatus, numquam satis credito, sine fraude Germanicum interiisse: "scripsissent" expostulantes:[4] quod haud minus Tiberius, quam Piso abnuere. Simul Populi ante curiam voces audiebantur, "non temperaturos manibus, si patrum sententias evasisset:" effigiesque Pisonis traxerant in Gemonias[5] ac devellebant, ni jussu Principis protectæ repositæque forent. Igitur inditus lecticæ, et a tribuno prætoriæ cohortis deductus est: vario rumore, custos salutis, an mortis exactor sequeretur.

15. Eadem Plancinæ[1] invidia, major gratia: eoque ambiguum habebatur, quantum Cæsari in eam liceret. Atque ipsa, donec mediæ Pisoni spes, "sociam se cujuscumque fortunæ, et si ita ferret, comitem exitii" promittebat. Ut secretis Augustæ precibus veniam obtinuit; paulatim segregari a marito, dividere defensionem cœpit: quod reus postquam sibi exitiabile intelligit, an adhuc experiretur dubitans, hortantibus filiis durat mentem, senatumque rursum ingreditur: redintegratamque accusationem, infensas patrum voces, adversa et sæva cuncta perpessus, nullo magis exterritus est, quam quod Tiberium sine miseratione, sine ira, obstinatum, clausumque vidit, ne quo adfectu perrumperetur. Relatus domum, tam-

1 *Super—discumberet.* In dextro Stibadii cornu discumbebat Germanicus, in sinistro cornu Piso. Itaque licet secundum locum occuparet Piso, super Germanicum discumbebat. Quod paucis intellectum, ut fatetur Davanzati. De hoc ritu discumbendi v. eruditum Sirmond. not. in Sidon. Apollinar. Ep. i, 11.

2 *Offerebatque familiam.* Servos suos ad tormenta offerebat Piso: servos quoque Germanici, qui super mensam ministraverant, in tormenta flagitabat.

3 *Provinciæ inlatum.* A Pisone bellum Ciliciæ illatum. An. ii, 80.

4 *Scripsissent expostulantes.* Senatores Germanici et Pisonis chartas omniaque Syriacæ legationis diaria expostulant. Quod haud minus Tiberius, quam Piso, ausus est abnuere. Nec mirum. Fertur enim fuisse 'literas Tiberii et mandata in Germanicum,' ut dicetur c. 16. et apud Suet. Tib. 52. V. not. et em. ad An. iii, 14.

5 *In Gemonias.* Gemoniæ scalæ, gradus erant in quibus reorum corpora populo spectanda proponebantur. Deinde unco gutturi infixo, in Tiberim trahebantur. Gemoniæ illæ Aventinum inter et Testaceum montem positæ.

1 *Eadem Plancinæ.* Eadem Plancinæ invidia, idem odium, sed major apud Principem et Augustam gratia. Quanto vero major gratia, tanto minus Tiberio in eam licebat.

quam defensionem in posterum meditaretur, pauca conscribit, obsignatque, et liberto tradit. Tum solita curando corpori exsequitur: dein multam post noctem, egressa cubiculo uxore, "operiri fores" jussit: et cœpta luce, perfosso jugulo, jacente humi gladio, repertus est.

16. Audire me memini ex senioribus, visum sæpius inter manus Pisonis libellum, quem ipse non vulgaverit; sed amicos ejus dictitavisse, "literas Tiberii, et mandata in Germanicum continere: ac destinatum promere apud patres, Principemque arguere, ni elusus a Sejano per vana promissa foret: nec illum sponte extinctum, verum immisso percussore:" quorum neutrum adseveraverim: neque tamen occulere debui narratum ab iis, qui nostram ad juventam duraverunt. Cæsar, flexo in mœstitiam ore, "suam invidiam tali morte[1] quæsitam" apud senatum,* crebrisque interrogationibus exquirit "qualem Piso diem supremum, noctemque exegisset." Atque illo pleraque sapienter, quædam inconsultius respondente, recitat codicillos a Pisone in hunc ferme modum compositos: "Conspiratione inimicorum et invidia falsi criminis oppressus, quatenus veritati, et innocentiæ meæ nusquam locus est, Deos immortales testor, vixisse me, Cæsar, cum fide adversum te, neque alia in matrem tuam pietate: vosque oro liberis meis consulatis: ex quibus Cn. Piso qualicumque fortunæ meæ non est adjunctus, cum omne hoc tempus in Urbe egerit: M. Piso repetere Syriam dehortatus est:[2] atque utinam ego potius filio juveni, quam ille patri seni cessisset! eo impensius precor, ne meæ pravitatis pœnas innoxius luat. Per quinque et quadraginta annorum obsequium, per collegium consulatus[3] quondam divo Augusto parenti tuo probatus, et tibi amicus, nec quidquam post hæc rogaturus, salutem infelicis filii rogo." De Plancina[4] nihil addidit.

1 *Tali morte.* Cæsar, flexo in mœstitiam ore, queritur Pisonem Principis invidiam apud senatum tali morte quæsivisse, quasi ipse mortis exactorem misisset; crebris interrogationibus exquirit qualem Piso diem supremum, noctemque exegisset. Atque liberto, qui ejus codicillos attulerat, pleraque sapienter, quædam inconsultius respondente, ne plura inconsulto expromeret, statim codicillos recitat Tiberius. Hæc nonnulli perperam interpretantur; v. not. et em. ad An. iii, 16.

2 *Dehortatus est.* Sup. An. ii, 76.

3 *Collegium consulatus.* Piso consul fuerat cum Augusto. A. U. C. 731. A. C. 22. cum Tiberio. A. U. C. 747. A. C. 6. Per hoc consulatus collegium Augusto probatus, Tiberio amicus.

4 *De Plancina.* Quia segregari a marito, et defensionem dividere cœperat. Sup. c. 15.

17. Post quæ Tiberius adolescentem[1] crimine civilis belli purgavit: "patris quippe jussa, nec potuisse filium detrectare:"[2] simul "nobilitatem domus,[3] etiam ipsius,[4] quoquo modo meriti, gravem casum" miseratus. Pro Plancina cum pudore et flagitio[5] disseruit, "matris preces" obtendens: in quam optimi cujusque secreti questus magis ardescebant. "Id ergo fas aviæ, interfectricem nepotis aspicere, adloqui, eripere senatui? quod pro omnibus civibus leges obtineant,[6] uni Germanico non contigisse! Vitellii et Veranii voce defletum Cæsarem; ab Imperatore et Augusta defensam Plancinam! proinde venena et artes tam feliciter expertas verteret in Agrippinam,[7] in liberos ejus, egregiamque aviam ac patruum sanguine miserrimæ domus exsatiaret." Biduum super hæc, imagine cognitionis, absumtum; urgente Tiberio liberos Pisonis, "matrem uti tuerentur." Et cum accusatores ac testes certatim perorarent, respondente nullo, miseratio quam invidia[8] augebatur. Primus sententiam rogatus Aurelius Cotta consul (nam referente Cæsare, magistratus eo etiam munere fungebantur) "nomen Pisonis radendum fastis" censuit: "partem bonorum publicandam; pars ut Cn. Pisoni filio concederetur, isque prænomen mutaret.[10] M. Piso exuta dignitate, et accepto quinquagies sestertio,[11] in decem annos relegaretur, concessa Plancinæ incolumitate ob preces Augustæ."

1 *Adolescentem.* M. Pisonem.

2 *Detrectare.* Mirum sane hæc loqui Tiberium. Talia patris jussa potest ac debet detrectare filius. 'Neque' enim sententia 'illa vera, et proba videri potest, omnia esse, quæ pater jusserit, parendum. Quid enim? si proditionem patriæ, si matris necem, si alia quædam imperavit turpia, aut impia. Media igitur sententia optima atque tutissima visa est; quædam esse parendum, quædam non obtemperandum,' Gell. ii, 7. Optime quoque Quinctilianus, 'non omnia præstanda etiam parentibus. Alioquin nihil est perniciosius acceptis beneficiis, si in omnem nos obligant servitutem.' Plura v. apud Grot. de jure belli ac pacis, ii, 26.

3 *Nobilitatem domus.* Domo Calpurnia erat Piso.

4 *Ipsius.* Pisonis, patris, qui sibi mortem consciverat.

5 *Pudore et flagitio.* Cum pudore, quod ream defenderet. Cum flagitio, quod matris preces obtenderet, eamque ipsam ream faceret. Atque inde in Liviam optimi cujusque civis questus magis ardescere.

6 *Leges obtineant.* Quod pro omnibus civibus obtinent leges, ut interfectores morte puniantur, id uni Germanico non contigisse. Immo interfectricem non modo vivere, sed ab Imperatore, ab Augusta defendi.

7 *In Agrippinam.* In uxorem Germanici, in ejus liberos. Et Liviam, egregiam illam aviam, Tiberium, egregium patruum, sanguine miserrimæ domus exsatiaret.

8 *Miseratio quam invidia.* Quod reis omnibus indefensis commune est, indefensa Plancina miserationem magis, quam invidiam augebat.

9 *Referente Cæsare.* Principe causas referente, ipsi consules munere dicendi sententiam fungebantur. Absente vero Principe, sententiam rogabant, non dicebant, ut omnibus compertum.

10 *Prænomen mutaret.* Idem enim filii, ac patris, prænomen. Postea *L. Piso* dictus est, ut videtur ex Dione lix, p. 656.

11 *Quinquagies sestertio. Angl.* 41,666*l.* 13*s.* 4*d.*

18. Multa ex ea sententia mitigata sunt a Principe: "ne nomen Pisonis fastis eximeretur, quando M. Antonii,[1] qui bellum patriæ fecisset, Juli Antonii,[2] qui domum Augusti violasset, manerent:" et M. Pisonem ignominiæ exemit, concessitque ei paterna bona; satis firmus, ut sæpe memoravi,[3] adversum pecuniam, et tum pudore absolutæ Plancinæ placabilior.[4] Atque idem, cum Valerius Messalinus "signum aureum[5] in æde Martis Ultoris;" Cæcina Severus "aram Ultioni statuendam" censuissent, prohibuit: "ob externas ea victorias sacrari" dictitans, "domestica mala tristitia operienda." Addiderat Messalinus, "Tiberio, et Augustæ, et Antoniæ, et Agrippinæ Drusoque, ob vindictam Germanici, grates agendas," omiseratque Claudii mentionem:[6] et Messalinum quidem L. Asprenas senatu coram percunctatus est, "an prudens præterisset?" ac tum demum nomen Claudii adscriptum est. Mihi, quanto plura recentium, seu veterum revolvo, tanto magis ludibria rerum mortalium cunctis in negotiis obversantur: quippe fama, spe, veneratione, potius omnes destinabantur imperio, quam quem futurum principem fortuna in occulto tenebat.

19. Paucis post diebus Cæsar auctor senatui fuit, "Vitellio, atque Veranio, et Servæo sacerdotia tribuendi:" Fulcinio "suffragium ad honores" pollicitus, monuit, "ne facundiam violentia præcipitaret."[1] Is finis fuit ulciscenda[2] Germanici morte, non modo apud illos homines, qui tum agebant,[3] etiam secutis temporibus vario rumore jactata: adeo maxima quæque ambigua sunt, dum alii quoquo modo audita pro compertis habent; alii vera in contrarium vertunt: et gliscit utrumque posteritate. At Drusus urbe egressus[4] repetendis auspi-

1 *M. Antonii.* Triumviri.
2 *Juli Antonii.* Julus Antonius, triumviri filius, ob adulterium Juliæ morte punitus. Inf. An. iv, 44.
3 *Sæpe memoravi.* An. i, 75. ii, 48.
4 *Placabilior.* Pudendum enim foret in patrem et filium sævire, Plancinæ vero longe nocentiori indulgere.
5 *Signum aureum.* Aureum Martis Ultoris signum, cujus ædes erat in viii. urbis regione.
6 *Claudii mentionem.* Claudius, Germanici frater, tunc summe despectus: v. Suet. Claud. 2. 10. Ibi mira rerum mortalium ludibria.

1 *Violentia præcipitaret.* Ea sane violentia abreptus, vetera et inania Pisoni objecit, ut dictum sup. c. 13.
2 *Ulciscenda.* In ulciscenda Germanici morte.
3 *Qui tum agebant.* Vitam agebant. Virg. Æn. v, 51. 'Getulis agerem si Syrtibus exul.'
4 *Urbe egressus.* Drusus, Urbem ingressus propter Germanici funera, sup. c. 11. auspicia et imperium deposuerat. Urbe egressus, repetit auspicia et imperium, ut ovans ob receptum Maroboduum introeat. Unus Augustus proconsularem dignitatem ita obtinuit, ut illam etiam intra Urbem servaret. Ceteri omnes, antequam pomœ-

ciis, mox ovans introiit, paucosque post dies Vipsania[5] mater ejus excessit, una omnium Agrippæ liberorum miti obitu: nam ceteros[6] manifestum ferro; vel creditum est, veneno aut fame extinctos.

20. Eodem anno Tacfarinas, quem priore æstate pulsum a Camillo memoravi,[1] bellum in Africa renovat, vagis primum populationibus, et ob pernicitatem inultis: dein vicos exscindere, trahere graves prædas: postremo haud procul Pagyda flumine,[2] cohortem Romanam circumsedit. Præerat castello Decrius, impiger manu, exercitus militia, et illam obsidionem flagitii ratus.[3] Is cohortatus milites, "ut copiam pugnæ in aperto facerent," aciem pro castris instruit: primoque impetu pulsa cohorte, promtus inter tela occursat fugientibus, increpat signiferos, "quod inconditis aut desertoribus miles Romanus terga daret:" simul excepta vulnera, et quamquam transfosso oculo, adversum os[4] in hostem intendit, neque prælium omisit, donec desertus suis caderet.

21. Quæ postquam L. Apronio (nam Camillo successerat) comperta; magis dedecore suorum, quam gloria hostis anxius, raro ea tempestate, et e vetere memoria facinore, decumum quemque[1] ignominiosæ cohortis sorte ductos, fusti necat. Tantumque severitate profectum, ut vexillum veteranorum,[2] non amplius quingenti numero, easdem Tacfarinatis copias, præsidium, cui Thala nomen,[3] adgressas fuderint: quo prælio Rufus Helvius, gregarius miles, servati civis decus retulit, donatusque est ab Apronio torquibus et hasta: Cæsar addidit

rium Urbis intrarent, magistratum et magistratus insignia deponebant. Dio xxxix, p. 120. liii, p. 519.

5 *Vipsania.* Vipsania Agrippina, olim Tiberii uxor. V. stem. Cæs. n. 69.

6 *Nam ceteros.* Ferro cecidit Agrippa, An. i, 6. Lucium et Caium artibus Liviæ extinctos creditum est, An. i, 3. Agrippina fame enecta, An. vi, 25. Julia in exilio periit, An. iv, 71.

1 *Pulsum—memoravi.* An. ii, 52.

2 *Pagyda flumine.* Flumen illud in Numidia. Idem mihi videtur esse, quod nunc dicitur *Abead.* Inter fontes fluminum *Abead* et *Mejerda* erat Castellum Romanum. Alius *rivus Pagida* in Phœnice, de quo Plinius, v, 19.

3 *Flagitii ratus.* Obsidionem illam probrosam esse ratus. Probrosum enim Romanos ab inconditis prædonibus, et militiæ rudibus, obsideri. *Flagitium* pro *dedecore* usurpant Livius aliique optimi scriptores.

4 *Adversum os.* Et, quamquam transfosso oculo, acrius adversum os oculumque in hostem intendit.

1 *Decumum quemque.* Illa decimandi ratione primus usus est Appius Claudius consul A. U. C. 259. A. C. 494. V. Liv. ii, 59. Polyb. vi, p. 482.

2 *Vexillum veteranorum.* De vexillariis dictum satis An. i, 38. in not. et em.

3 *Thala nomen.* Præsidium Thala in Numidia situm, et Pagydæ amni vicinum. Imperitante Jugurtha, oppidum fuit magnum et opulentum, thesauro regis grave. Opinor fuisse in jugis montis *Auras.* Florus i, 3. Sallust. Jug. 75.

civicam coronam,[5] "quod non eam quoque Apronius jure proconsulis tribuisset," questus magis, quam offensus. Sed Tacfarinas, perculsis Numidis, et obsidia aspernantibus, spargit bellum;[6] ubi instaretur, cedens ac rursum in terga remeans: et dum ea ratio barbaro fuit, inritum fessumque Romanum impune ludificabatur. Postquam deflexit[7] ad maritimos locos, inligatus præda, stativis castris adhærebat: missu patris Apronius Cæsianus cum equite et cohortibus auxiliariis, queis velocissimos legionum addiderat, prosperam adversum Numidas pugnam facit, pellitque in deserta.

22. At Romæ Lepida, cui super Æmiliorum decus[1] L. Sulla ac Cn. Pompeius proavi erant, defertur, "simulavisse partum ex P. Quirinio[2] divite atque orbo:" adjiciebantur "adulteria, venena; quæsitumque per Chaldæos in domum Cæsaris," defendente ream Manio Lepido,[3] fratre. Quirinius, post dictum repudium adhuc infensus, quamvis infami ac nocenti miserationem addiderat.[4] Haud facile quis dispexerit illa in cognitione mentem Principis: adeo vertit ac miscuit iræ et clementiæ signa; deprecatus primo senatum, "ne majestatis crimina[5] tractarentur:" mox M. Servilium e consularibus, aliosque testes inlexit ad proferenda, quæ velut reticere voluerat. Idemque servos Lepidæ, cum militari custodia[6] haberentur, transtulit ad consules: neque per tormenta interrogari passus est de his, quæ ad domum suam pertinerent. Exemit etiam Drusum, consulem designatum, dicendæ primo loco

5 *Civicam coronam.* Civica corona, 'militum virtutis insigne clarissimum,' Plin. xvi, 4. quercea erat. Sæpe occurrit in nummis cum inscriptione OB CIVIS SERVATOS. De his militum præmiis plurima et egregia habet Polyb. vi, p. 483. V. quæ dicta de donis militaribus An. i, 44. in not. et em.

6 *Spargit bellum.* Numidas ad præsidium Thalam fusos, ideoque perculsos, et obsidia aspernantes, in apertos campos deducit Tacfarinas, bellumque spargit.

7 *Postquam deflexit.* Postquam Tacfarinas ad maritimos locos deflexit; præda gravis, nec jam velitationibus habilis, stativis castris adhærebat, ne vires deficerent, prædaque periret. Tum missus est Apronius, qui adversus Numidas pugnam fecit; eosque deserta repetere coegit. Stativa castra appellabantur mansiones illæ, in quibus stabant milites, cum commearet exercitus.

1 *Æmiliorum decus.* E gente Æmilia erant Lepidi. Suet. Tiberio iniquior, Lepidam, 'generosissimam fœminam' appellat, quam Tiberius, ad rapinas conversus, damnaverit. Suet. Tib. 49. Lepida matrem habuerat Corneliam, Fausto Sylla dictatoris filio et Pompeia Pompeii M. filia natam.

2 *P. Quirinio.* De Quirinio, homine sordidæ et præpotentis senectæ, ut appellatur inf. c. 48. v. not. et em. ad An. ii, 22.

3 *Manio Lepido.* Ut patet ex prænomine, diversus est iste Lepidus a M. Lepido, de quo sup. An. i, 13.

4 *Miserationem addiderat.* Longiores gravioresque iræ invidiam minuunt; addunt miserationem.

5 *Majestatis crimina.* Crimen majestatis fuit, quod per Chaldæos in domum Cæsaris quæsierat; ipsumque Tiberium veneno petierat, ut dicetur c. seq.

6 *Militari custodia.* Servos Lepidæ, qui

sententiæ: quod alii civile rebantur,[7] "ne ceteris adsentiendi necessitas fieret:" quidam ad sævitiam[8] trahebant; "neque enim cessurum nisi damnandi officio."

23. Lepida ludorum diebus, qui cognitionem intervenerant, theatrum[1] cum claris fœminis ingressa, lamentatione flebili "majores suos" ciens, "ipsumque Pompeium," cujus ea monimenta et adstantes imagines visebantur, tantum misericordiæ permovit, ut effusi in lacrymas, "sæva et detestanda Quirinio" clamitarent, "cujus senectæ atque orbitati et obscurissimæ domui, destinata quondam uxor L. Cæsari,[2] ac divo Augusto nurus, dederetur:" dein tormentis servorum patefacta sunt flagitia, itumque in sententiam Rubellii Blandi, a quo aqua atque igni arcebatur. Huic Drusus adsensit, quamquam alii mitius censuissent: mox Scauro, qui filiam ex ea genuerat, datum, ne bona publicarentur. Tum demum aperuit Tiberius, "compertum sibi etiam ex P. Quirinii servis, veneno eum a Lepida petitum."

24. Inlustrium domuum adversa (etenim haud multum distanti tempore Calpurnii Pisonem, Æmilii Lepidam amiserant) solatio adfecit D. Silanus, Juniæ familiæ redditus: casum ejus paucis repetam. Ut valida divo Augusto in rempublicam fortuna, ita domi improspera fuit, ob impudicitiam filiæ[1] ac neptis,[2] quas Urbe depulit, adulterosque earum morte aut fuga[3] punivit: nam culpam inter viros ac fœminas vulgatam,[4] gravi nomine "læsarum religionum"[5] ac "violatæ

custodia militari habebantur, ad consules transtulit, ut invidiam a se amoveret. Imperatoris enim erat custodia illa militaris. De custodiis Romanorum v. not. et em. ad An. iii, 22.

7 *Civile rebantur*. Civile ac humanum, sententiam primo loco non dici ab illo, cui ceteri omnes adsentiuntur. Cur consul designatus sententiam primo loco diceret, conjectatus Appian. Bell. civil. ii, p. 430. ait: 'eum multa ex consultis postea exsecuturum, sapientius et cautius consulere.' Αὐτὸς, οἶμαι, πολλὰ τῶν κυρουμένων ἐργασόμενος, καὶ ἐκ τοῦδε εὐβουλότερόν τε καὶ εὐλαβέστερον ἐνθυμησόμενος περὶ ἑκάστου.

8 *Ad sævitiam*. Et existimabant Drusum non cessurum officio dicendæ primo loco sententiæ, nisi ut Lepidam certius damnaret. Certius enim damnat, qui postremo loco sententiam dicit: immo penes illum tota judicii summa, cum in æquas partes dividuntur judicum sententiæ. Ita censuit Drusus, qui Rubellio Blando, duriora proponenti, adsensit.

1 *Theatrum*. Ipsum Pompeii theatrum A. U. C. 699. dicatum, quod quadraginta hominum millia large capiebat. Plin. xxxvi, 15. Tac. An. xiv, 20. Dio xxxix, p. 107.

2 *Lucio Cæsari*. De quo sup. An. i, 3.

1 *Impudicitiam filiæ*. Ob adulteria Juliæ, Augusti filiæ, et consilia parricidæ palam facta. Plin. vii, 45. Tac. An. i, 53. iv, 44. Vellei. ii, 10. V. stem. Cæs. n. 46.

2 *Neptis*. Juliæ, Augusti neptis. Stem. Cæs. n. 52.

3 *Morte—fuga*. Morte punitus est Julus Antonius, in filia adulter; fuga D. Silanus, adulter in nepti. V. inf. An. iv, 44.

4 *Vulgatam*. Usu ac consuetudine vulgatam.

5 *Læsarum religionum*. Læsas religiones, quibus matrimonium consecrabatur; vio-

majestatis" appellando, clementiam majorum suasque ipse leges egrediebatur.[6] Sed aliorum exitus, simul cetera illius ætatis memorabo, si effectis in quæ tendi,[7] plures ad curas vitam produxero. D. Silanus, in nepti Augusti adulter, quamquam non ultra foret sævitum, quam ut amicitia Cæsaris prohiberetur, exilium sibi demonstrari intellexit: nec, nisi Tiberio imperitante, deprecari senatum ac Principem ausus est, M. Silani[8] fratris potentia, qui per insignem nobilitatem et eloquentiam præcellebat. Sed Tiberius grates agenti Silano, patribus coram respondit, "se quoque lætari, quod frater ejus e peregrinatione longinqua revertisset: idque jure licitum, quia non senatusconsulto, non lege pulsus foret: sibi tamen adversus eum integras parentis sui offensiones: neque reditu Silani dissoluta, quæ Augustus voluisset." Fuit posthac in urbe, neque honores adeptus est.

25. Relatum deinde de moderanda Papia Poppæa,[1] quam senior Augustus post Julias rogationes[2] incitandis cœlibum pœnis, et augendo ærario[3] sanxerat: nec ideo conjugia et educationes liberum frequentabantur, prævalida orbitate.[4] Ceterum multitudo periclitantium gliscebat, cum omnis domus delatorum interpretationibus subverteretur: utque antehac flagitiis, ita tunc legibus laborabatur. Ea res admonet, ut de principiis juris, et quibus modis ad hanc multitudinem infinitam ac varietatem legum perventum sit, altius disseram.

26. Vetustissimi mortalium, nulla adhuc mala libidine,[1]

latamque majestatem in filia et nepti querebatur Augustus.

6 *Egrediebatur.* Forte quod læsarum religionum et violatæ majestatis crimina diceret; non vero quod morte puniret. V. Anton. Augustin. de legibus p. 71 sq.

7 *In quæ tendi.* V. not. et em. ad An. iii, 7.

8 *M. Silani.* De quo dicetur inf. An. xiii, 1.

1 *Papia Poppæa.* Lex illa ita dicta est a M. Papio Mutilo, et Q. Poppæo Secundino suffectis coss. A. U. C. 772. J. C. 19. Dio lvi, p. 578. observat utrique consuli neque uxorem, neque liberos fuisse. Inde major legis, quæ maritos præmio, cœlibes pœna afficiebat, necessitas deprehenditur. De illa inf. c. 28.

2 *Julias rogationes.* I. e., post leges Julias. Eadem significatione *rogationem* accepit Florus iii, 17. 'Sed pretium rogationis statim socii flagitavere.' V. not. et em. ad An. iii, 25.

3 *Augendo ærario.* Augebatur ærarium, cum ei bona cœlibum addicerentur.

4 *Prævalida orbitate.* Scilicet, ut animadvertit Anton. Augustin. de legibus p. 74. immaturitate sponsarum et matrimoniorum crebra mutatione vis legum eludebatur. Inde Martial. vi, 7. 'Julia lex populis ex quo, Faustine, renata est, Atque intrare domos jussa pudicitia. Aut minus, aut certe non plus trigesima lux est, Et nubit decimo jam Thelesina viro. Quæ nubit toties, non nubit; adultera lege est. Offendor mœcha simpliciore minus.' Unde vero tantum illud orbitatis studium? Ex orborum luxu, et superbia, variisque captatorum artibus.

1 *Nulla—libidine.* Ætatem illam sine ulla mala libidine, sine probro, sine scelere, poetis excogitatam, a philosophis et maxime a Seneca Epist. xc. laudatam, numquam extitisse docet religio, testanturque certissima historiæ monumenta.

sine probro, scelere, eoque sine pœna aut coercitionibus, agebant: neque præmiis opus erat, cum honesta suopte ingenio peterentur; et ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabantur. At postquam exui æqualitas, et pro modestia ac pudore, ambitio et vis incedebat; provenere dominationes: multosque apud populos æternum mansere. Quidam statim, aut postquam regum pertæsum,[2] leges maluerunt. Hæ primo, rudibus hominum animis, simplices erant. Maximeque fama[3] celebravit Cretensium, quas Minos; Spartanorum, quas Lycurgus; ac mox Atheniensibus quæsitiores jam et plures Solon perscripsit. Nobis Romulus, ut libitum, imperitaverat:[4] dein Numa religionibus et divino jure populum devinxit: repertaque quædam a Tullo et Anco: sed præcipuus Servius Tullius sanctor legum fuit, queis etiam reges obtemperarent.

27. Pulso Tarquinio, adversum patrum factiones multa populus paravit tuendæ libertatis, et firmandæ concordiæ: creatique decemviri, et accitis quæ usquam egregia,[1] compositæ duodecim tabulæ, finis æqui juris: nam secutæ leges, etsi aliquando in maleficos ex delicto, sæpius tamen dissensione ordinum, et apiscendi inlicitos honores, aut pellendi claros viros, aliaque ob prava, per vim latæ sunt. Hinc Gracchi,[2] et Saturnini,[3] turbatores plebis: nec minor largitor, nomine senatus, Drusus;[4] corrupti spe,[5] aut inlusi per intercessio-

2 *Regum pertæsum.* Regum, qui pro arbitrio suo imperitabant. Justin. i, 1. 'Populus nullis legibus tenebatur: arbitria Principum pro legibus erant.'

3 *Maximeque fama.* De Cretensium, Spartanorum et Atheniensium legibus egregie scripsere Aristoteles et Plutarchus.

4 *Nobis—imperitaverat.* Sine lege et jure certo, quod civibus pro arbitrio reddebat, omniaque manu a regibus gubernabantur. Ita Pompon. de orig. Jur. Lib. 2. Leges tamen ab eo latas memorat Dionys. 2 et 9.

1 *Accitis—egregia.* A. U. C. 300. A. C. 453. missi in Græciam, legum sapientia celebratissimam, Sp. Postumius, Ser. Sulpitius et A. Manlius, qui leges illas explorarent. Ita 'accitis, quæ usquam egregia,' creati sunt A. U. C. 303. decemviri, qui populo Romano conscriberent leges, quas summopere commendat Tullius i. de oratore, xliv. 'Fremant omnes licet, dicam quod sentio. Bibliothecas me hercule omnium Philosophorum unus mihi videtur xii Tabularum libellus, si quis legum fontes et capita viderit, et auctoritatis pondere, et utilitatis ubertate superare.' Leges illæ optimæ fuerunt *finis* ac terminus *juris æqui*, ob mox secutarum legum vitia. V. Cl. de Montesq. *Esprit des loix*, vi, 15. leges illas redarguit; inhumanas et reipublicæ parum consentaneas appellat. Utri credendum, Romano, an Gallo?

2 *Gracchi.* Quas certaminum ac seditionum faces accenderint duo Gracchi, Tiberius A. U. C. 621. et Caius, frater, A. U. C. 633. dum populo nimis faverent, nobilitati adversarentur, explicat Florus, iii, 14 et 15.

3 *Saturnini.* Gracchanarum legum assertor Apuleius Saturninus interfectus est A. U. C. 653. A. C. 100. Florus iii, 16.

4 *Drusus.* Easdem leges asserere ipsius senatus nomine ac auctoritate conatus est. M. Livius Drusus, ita splendidus largitor, ut vox ejus extet, 'nihil se ad largitionem ulli reliquisse, nisi si quis aut cœnum dividere vellet, aut cœlum.' Rebus temere motis imparem, ægrumque mors abstulit A. U. C. 663. A. C. 90. Florus iii, 17.

5 *Corrupti spe.* Drusus socios spe civi-

nem socii. Ac ne bello quidem Italico, mox civili omissum,[6] quin multa et diversa sciscerentur; donec L. Sulla dictator,[7] abolitis, vel conversis prioribus, cum plura addidisset, otium ejus rei haud in longum paravit; statim turbidis Lepidi rogationibus,[8] neque multo post tribunis reddita licentia,[9] quoquo vellent, populum agitandi. Jamque non modo in commune, sed in singulos homines latæ quæstiones: et corruptissima republica plurimæ leges.[10]

28. Tum Cn. Pompeius tertium consul,[1] corrigendis moribus delectus, et gravior remediis, quam delicta erant, suarumque legum auctor idem ac subversor,[2] quæ armis tuebatur, armis amisit.[3] Exin continua per viginti annos[4] discordia: non mos, non jus: deterrima quæque impune; ac multa honesta exitio fuere. Sexto demum consulatu Cæsar Augustus, potentiæ securus, quæ triumviratu jusserat, abolevit: deditque jura, queis pace et Principe uteremur:[5] acriora ex eo vincla,[6] inditi custodes, et lege Papia Poppæa præmiis inducti,

tatis donandæ corruperat, aut potius per intercessionem eos illuserat. Nihil enim præstitum, quod promissum: obstitit intercessio. Inde natum est A. U. C. 663. bellum Italicum, quod Florus iii, 18. bellum sociale appellat.

6 *Mox civili omissum.* Bellum Italicum ad A. U. C. 666. duraverat, cum exceptum est bello civili Marium inter et Syllam, seculi sui ornamenta et pestes, Florus iii, 21. Nec iis etiam bellis omissum est, quin multæ et diversæ ob civium dissensionem sancirentur leges, et veteribus adsciscerentur.

7 *Sulla dictator.* Sylla dictaturam gessit ab A. U. C. 672. ad annum 675. Florus iii, 21 et 23.

8 *Turbidis—rogationibus.* Non diuturnum otium attulit Sylla. Abdicata enim dictatura, mortuus est A. U. C. 676. Et statim turbidas de ejus actis rescindendis leges promulgavit M. Lepidus. Florus iii, 23.

9 *Reddita licentia.* Sylla tribunis plebis injuriæ faciendæ potestatem ademerat, auxilii ferendi reliquerat. Cn. Pompeius consul A. U. C. 684. tribunis potestatem, aut potius licentiam restituit. Qua de re Cicero, iii. de legibus ix. 'Pompeium nostrum ceteris rebus omnibus semper amplissimis summisque effero laudibus. De tribunicia potestate taceo: nec enim reprehendere libet, nec laudare possum.'

10 *Plurimæ leges.* Numquam plures leges, quam cum corruptiora imperia.

1 *Tertium consul.* Pompeius tertium consulatum gessit A. U. C. 702. A. C. 51. Imperiosior remedia adhibuit delictis graviora; sicque omnia perdidit. V. Dion. xl, p. 145 sq.

2 *Auctor—subversor.* Legum suarum revera auctor et subversor. Confirmavit enim senatus consultum ut, qui in Urbe magistratus gessissent, externas provincias ante anni quinti exitum ne sortirentur. Ipsum vero non puduit Hispaniæ imperium in aliud quinquennium paulo post accipere. Dio xl, p. 147.

3 *Armis amisit.* Quæ armis tuebatur terræ ac maris dominus, ea tandem armis amisit, Pharsalicis in campis devictus A. U. C. 706.

4 *Viginti annos.* Anni illi viginti non a tertio Pompeii consulatu, sed ab ejus morte numerari debent. Augustus enim sextum consulatum gessit A. U. C. 726. A. C. 27.

5 *Pace—uteremur.* Quibus, firmata jam pace, et republica sub uno Principe constituta, uteremur, ut recte explicat Illustr. Huetius.

6 *Acriora ex eo vincla.* Post hunc sextum Pompeii consulatum, ac maxime A. U. C. 762. quo lata est lex Papia Poppæa, acriora fuerunt vincula, inditi custodes, iisque constituta præmia, ut cœlibibus, iisque omnibus, qui a privilegiis parentum cessa-

ut, si a privilegiis parentum cessaretur, velut parens omnium populus vacantia teneret: sed altius penetrabant;[7] Urbemque, et Italiam, et quod usquam civium, corripuerant: multorumque excisi status, et terror omnibus intentabatur; ni Tiberius statuendo remedio, quinque consularium, quinque e prætoriis, totidem e cetero senatu sorte duxisset: apud quos exsoluti plerique legis nexus, modicum in præsens levamentum fuere.

29. Per idem tempus Neronem e liberis Germanici jam ingressum juventam, commendavit patribus; utque "munere capessendi vigintiviratus[1] solveretur, et quinquennio maturius, quam per leges, quæsturam peteret,"[2] non sine inrisu[3] audientium postulavit. Prætendebat "sibi atque fratri[4] decreta eadem, petente Augusto:" sed neque tum fuisse dubitaverim,[5] qui ejusmodi preces occulti inluderent: ac tamen initia fastigii Cæsaribus erant: magisque in oculis vetus mos, et privignis cum vitrico levior necessitudo, quam avo adversum nepotem. Additur pontificatus,[6] et quo primum die forum ingressus est, congiarium plebi,[7] admodum lætæ, quod Germanici stirpem jam puberem aspiciebat. Auctum dehinc gaudium, nuptiis

rent, diligenter invigilarent. Si quis vero cœlebs aut sine liberis viveret, populus, velut omnium parens, bona vacantia, id est, hereditates, tenebat. V. not. et em. ad An. iii, 28.

7 *Altius penetrabant.* Custodes illi ac delatores non solos cœlibes et orbos accusabant, sed ipsos parentes falsis accusationibus impetebant. Quæ quidem pestis Urbem, Italiam, et quod usquam civium erat Romanorum, corripuit. Inde multorum excisi sunt status, eversæ fortunæ.

1 *Vigintiviratus.* Stante republica, viginti sex viri quotannis creati sunt, qui rempublicam curarent. Postea viginti tantum creati, quorum munia ita describit Dio liv, p. 540. Tres rebus capitalibus, tres signandæ pecuniæ præfecti, quatuor viarum urbanarum curatores, decem ad centumviralia judicia delecti. Hoc munere ipsis Principum liberis aditus ad capessendos honores patebat. XX. VIROS EX SENATVS CONSVLTO R. P. CVRANDAE memorat inscr. ap. Gruter. p. 381. n. 3.

2 *Quæsturam peteret.* Quæstura juxta leges post annum vigesimum quartum petebatur. Quinquennio maturius eam obtinuit Tiberius, 'quæstor undevicesimum annum agens.' Vellei. ii, 94. Dio liii, p. 516.

3 *Inrisu.* Patres irridebant, quod Tiberius postularet, quæ ipse posset concedere.

4 *Atque fratri.* Claudio Druso, Tiberii fratri. Sup. An. i, 3. V. et stem. Cæs. n. 79.

5 *Fuisse dubitaverim.* Sed neque dubitaverim ipsa Augusti ætate fuisse, qui ejus preces taciti occultique illuderent. Ac tamen, imperitante Augusto, initium fastigii Cæsaribus erat: tunc etiam magis in oculis magisque obvia veteris moris pristinæque libertatis vestigia. Tiberio quoque et Druso, Augusti privignis, cum vitrico suo levior erat necessitudo, quam Tiberio, Neronis avo, cum nepote suo, Germanici filio. Si igitur Augusti preces illuderent patres, quanto magis Tiberii preces debebant illudere.

6 *Additur pontificatus.* V. not. et em. ad An. iii, 29.

7 *Congiarium plebi.* Militibus donativum, populo congiarium proponebatur. Dictum est congiarium a congio, mensura Romana, tribus sextariis constante, *Angl. about two quarts*, paulo ampliore. Olim oleo, vino datum est congiarium; postea argento et auro: sed pristinum nomen remansit. Antiquitus salis modios sex mille in congiario a rege Anco Marcio datos populo docet Plin. xxxi, 7.

Neronis et Juliæ[8] Drusi filiæ. Utque hæc secundo rumore, ita adversis animis acceptum, quod filio Claudii[9] socer Sejanus destinaretur: polluisse nobilitatem familiæ videbatur,[10] suspectumque jam nimiæ spei Sejanum ultro extulisse.

30. Fine anni concessere vita insignes viri, L. Volusius, et Sallustius Crispus. Volusio vetus familia, neque tamen præturam egressa: ipse consulatum intulit,[1] censoria etiam potestate legendis equitum decuriis functus, opumque, queis domus illa immensum viguit, primus adcumulator. Crispum,[2] equestri ortum loco, C. Sallustius, rerum Romanarum florentissimus auctor, sororis nepotem in nomen adscivit: atque ille, quamquam promto ad capessendos honores aditu, Mæcenatem æmulatus, sine dignitate senatoria, multos triumphalium consulariumque potentia anteiit: diversus a veterum instituto, per cultum et munditias; copiaque et affluentia, luxu propior:[3] suberat tamen vigor animi, ingentibus negotiis par; eo acrior, quo somnum et inertiam magis ostentabat. Igitur, incolumi Mæcenate, proximus; mox præcipuus, cui secreta imperatorum inniterentur, et interficiendi Postumi Agrippæ conscius, ætate provecta speciem magis in amicitia principis, quam vim tenuit. Idque et Mæcenati acciderat; fato potentiæ raro sempiternæ: an satias capit, aut illos, cum omnia tribuerunt, aut hos, cum jam nihil reliquum est quod cupiant.

A.U.C. 774. J.C. 21.

31. Sequitur Tiberii quartus,[1] Drusi secundus consulatus, patris atque filii collegio insignis: nam biennio ante,[2] Germanici cum Tiberio idem honor, neque patruo lætus,[3] neque na-

8 *Neronis et Juliæ.* Neroni pactam Silani filiam vidimus sup. An. ii, 43. At uxorem duxit Juliam, Drusi Cæsaris filiam. V. stem. Cæs. n. 82 et 74.

9 *Filio Claudii.* Claudius frater erat Germanici. Filius ejus appellabatur Drusus; impubes adhuc, pyro per lusum in sublime jactato, et hiatu oris excepto Pompeiis fuit strangulatus. Suet. Claud. 27. V. stem. Cæs. n. 102.

10 *Videbatur.* Tiberius Claudiorum nobilitatem municipali sponso polluisse videbatur.

1 *Consulatum intulit.* Suffectus tantum consul. V. not. et em. ad An. iii, 30.

2 *Crispum.* De illo Crispo Sallustio interficiendi Postumi Agrippæ conscio jam dictum An. i, 6. Ejus hortos et Sallustianum æs, non levia luxus argumenta, celebrat Plin. vii, 16. xxxiv, 2.

3 *Luxu propior.* *Luxu* pro *luxui.* Sic sæpe veteres, et ipse Tacit. inf. c. 33. 'præsedisse decursu,' et c. 34. 'Exponi suo luxu.'

1 *Tiberii quartus.* Tiberius Augustus IV. Drusus Cæsar II. coss. fuere A. U. C. 774. J. C. 21.

2 *Biennio ante.* A. U. C. 771. quo Tiberius et Germanicus coss.

3 *Neque—lætus.* Propter invidiam, qua in Germanicum flagrabat patruus Tiberius.

tura tam connexus fuerat. Ejus anni principio Tiberius, quasi firmandæ valetudini, in Campaniam[4] concessit, longam et continuam absentiam paulatim meditans; sive ut, amoto patre, Drusus munia consulatus solus impleret. Ac forte parva res magnum ad certamen progressa, præbuit juveni materiem apiscendi favoris. Domitius Corbulo, prætura functus, de L. Sulla nobili juvene questus est apud senatum, "quod sibi inter spectacula gladiatorum loco non decessisset." Pro Corbulone ætas, patrius mos, studia seniorum erant: contra Mamercus Scaurus, et L. Arruntius, aliique Sullæ propinqui nitebantur: certabant orationibus, et memorabantur "exempla majorum, qui juventutis inreverentiam gravibus decretis notavissent:" donec Drusus apta temperandis animis disseruit; et satisfactum Corbuloni per Mamercum, qui patruus simul ac vitricus[5] Sullæ, et oratorum ea ætate uberrimus erat. Idem Corbulo, "plurima per Italiam itinera, fraude mancipum[6] et incuria magistratuum interrupta et impervia" clamitando, exsecutionem ejus negotii libens suscepit: quod haud perinde publice usui habitum, quam exitiosum multis, quorum in pecuniam atque famam damnationibus et hasta[7] sæviebat.

32. Neque multo post missis ad senatum literis Tiberius, "motam rursum[1] Africam incursu Tacfarinatis" docuit; "judicioque patrum deligendum proconsulem, gnarum militiæ, corpore validum, et bello suffecturum:" quod initium Sex. Pompeius agitandi adversus M. Lepidum odii nactus, "ut secordem, inopem, et majoribus suis dedecorum, eoque etiam

4 *In Campaniam.* Nunc *Terra di Lavoro*, in regno Neapolitano.

5 *Patruus—vitricus.* Mamercus Scaurus fratrem uterinum habuit L. Syllæ patrem; quo mortuo, Sexitiæ, L. Syllæ matri, nupsit. Ita Mamercus Scaurus fuit patruus simul et vitricus. De homine illo nobilitate et orandis causis insigni, vita probroso, dicetur inf. An. vi, 29.

6 *Fraude mancipum.* Curatores viarum vectigalia earumdem munitionesque certis hominibus locabant, quæ qui redimerent, 'mancipes' sunt dicti. Mancipum fraude et magistratuum incuria, itinera sæpe interrupta et impervia. De ejusmodi mancipe inscriptionem protulit eruditus Panvin. Descript. urbis Romæ apud Græv. Thes. Antiq. Rom. vol. iii, col. 262.

D. M. S.
CN. CORNELIO
CN. F. SAB.
MVSAEO
MANCIPI VIAE APPIAE
HERENNIA PRISCILLA
CONIVGI
BENE MERENTI
FECIT.

7 *Et hasta.* Sub hasta in foro posita venalia proponebantur bona, quæ ad fiscum pertinebant. Si hasta non esset, venditio erat nulla. Damnationibus et hasta in fraudulentos mancipes sæviebat Corbulo: multis nunc exitiosus; plurimis adhuc, Caio imperitante, exitiosior. Tanta hæc damna resarcivit Claudius, ut dicemus in suppl. An. viii, 2. ix, 44. V. et Dion. lix, p. 651. lx, p. 676.

1 *Motam rursum.* De belli initiis dictum sup. An. ii, 52.

Asiæ sorte[2] depellendum," incusavit; adverso senatu, qui "Lepidum mitem magis quam ignavum, paternas ei angustias, et nobilitatem sine probro actam, honori quam ignominiæ habendam" ducebat. Igitur missus in Asiam. Et de Africa decretum "ut Cæsar legeret, cui mandanda foret."

33. Inter quæ Severus Cæcina censuit, "ne quem magistratum, cui provincia obvenisset, uxor comitaretur:" multum ante repetito, "concordem sibi conjugem, et sex partus enixam: seque, quæ in publicum statueret, domi servavisse, cohibita intra Italiam, quamquam ipse plures per provincias quadraginta stipendia[1] explevisset. Haud enim frustra placitum olim, ne fœminæ in socios aut gentes externas traherentur: inesse mulierum comitatui,[2] quæ pacem luxu, bellum formidine morentur, et Romanum agmen ad similitudinem barbari incessus convertant. Non imbecillum tantum, et imparem laboribus sexum; sed, si licentia adsit, sævum, ambitiosum, potestatis avidum: incedere inter milites, habere ad manum centuriones: præsedisse nuper fœminam[3] exercitio cohortium, decursu legionum. Cogitarent ipsi, quotiens repetundarum aliqui arguerentur, plura uxoribus objectari: his statim adhærescere deterrimum quemque provincialium: ab his negotia suscipi, transigi: duorum egressus[4] coli, duo esse prætoria;[5] pervicacibus magis et impotentibus mulierum jussis, quæ Oppiis[6] quondam, aliisque legibus constrictæ, nunc, vinclis exsolutis, domos, fora, jam et exercitus regerent."

2 *Asiæ sorte.* Sorte eligebantur viri consulares, qui in Asiam et Africam mitterentur. Ab illa sorte M. Lepidum depellere studebant. In summis vero discriminibus, aliisve gravioribus de causis nonnumquam extra sortem mittebantur proconsules. Sic de Africa decretum, ut adversus Tacfarinatem Tiberius ipse legeret, cui provinciam mandaret.

1 *Quadraginta stipendia.* De Cæcina ejusque stipendiis, v. sup. An. i, 64.

2 *Inesse*—momenta, *quæ—morentur.* I. e., tales mulieres, quæ viros in provincias comitentur, impedimentum esse res ex præscripto legum et commodo sociorum administrandi; Freinsh. Cf. ad hæc et seq. Juvenal. i, 1.

3 *Præsedisse—fœminam.* Plancinam, Pisonis uxorem. Sup. An. ii, 55. *Decursu* pro *decursui.*

4 *Duorum egressus.* Viri ac fœminæ egressus coli, utriusque latus cingi salutantium et adulantium turba.

5 *Duo prætoria.* In prætorio jus dicebant imperatores, proconsules, aliique magistratus, qui consulari potestate utebantur. Pervicacia et impotentia mulierum brevi fiebant duo prætoria, alterum juris, favoris alterum; at potius ex utroque unum erat iniquissimum.

6 *Quæ Oppiis.* C. Oppius, tribunus plebis, legem tulerat A. U. C. 541. A. C. 212. qua vetitum 'ne qua mulier plus semuncia auri haberet: neu vestimento versicolori uteretur: neu juncto vehiculo in urbe oppidove, aut propius inde mille passus, nisi sacrorum publicorum causa veheretur,' Livius, xxxiv, 1. Abrogata est A. U. C. 559. M. Porcio Catone, L. Val. Flacco coss., frustra reluctante Catone. Livius, xxxiv,

34. Paucorum hæc adsensu audita; plures obturbabant,[1] "neque relatum de negotio; neque Cæcinam dignum tantæ rei censorem." Mox Valerius Messalinus, cui parens Messala,[2] ineratque imago paternæ facundiæ, respondit: "Multa duritiæ veterum in melius et lætius mutata. Neque enim, ut olim, obsideri urbem bellis, aut provincias hostiles esse; et pauca fœminarum necessitatibus concedi, quæ ne conjugum quidem penates, adeo socios non onerent: cetera promiscua cum marito, nec ullum in eo pacis impedimentum. Bella plane accinctis obeunda: sed revertentibus post laborem, quod honestius, quam uxorium levamentum? At quasdam in ambitionem, aut avaritiam prolapsas. Quid? ipsorum magistratuum, nonne plerosque variis libidinibus obnoxios? non tamen ideo neminem in provinciam mitti. Corruptos sæpe pravitatibus uxorum maritos: num ergo omnes cœlibes integros? Placuisse quondam Oppias leges, sic temporibus reipublicæ postulantibus: remissum aliquid postea, et mitigatum, quia expedierit.[3] Frustra nostram ignaviam alia ad vocabula transferri: nam viri in eo culpam, si fœmina modum excedat: porro ob unius aut alterius imbecillum animum, male eripi maritis consortia rerum secundarum adversarumque. Simul sexum natura invalidum deseri, et exponi suo luxu,[4] cupidinibus alienis: vix præsenti custodia manere illæsa conjugia: quid fore, si per plures annos in modum discidii obliterentur? Sic obviam irent iis, quæ alibi peccarentur, ut flagitiorum Urbis meminissent." Addidit pauca Drusus[5] de matrimonio suo: "nam Principibus adeunda sæpius longinqua imperii. Quotiens divum Augustum in Occidentem atque Orientem meavisse, comite Livia? se quoque in Illyricum profectum; et, si ita conducat, alias ad gentes iturum, haud semper æquo animo, si ab uxore carissima,[6] et tot communium liberorum parente, divelleretur." Sic Cæcinæ sententia elusa.

35. Et proximi senatus die, Tiberius per literas castigatis

8. Aliis quoque legibus sumtuariis, de ambitu, de muneribus, constrictæ tenebantur fœminæ, de quibus plurima apud Ant. Augustinum.

1 *Plures obturbabant.* Plures obturbabant, dictitantes neque relatum esse de negotio.

2 *Cui—Messala.* Inf. Dial. de Orat. 18. 'Cicerone mitior Corvinus Messala, et dulcior, et in verbis magis elaboratus.'

3 *Expedierit.* Optime Livius, xlv, 32. Usus, 'unus est legum corrector.'

4 *Suo luxu.* Suo luxui. Sup. c. 30.

5 *Drusus.* Tiberii filius.

6 *Uxore carissima.* Livia, Germanici sorore.

oblique patribus, "quod cuncta curarum ad Principem rejicerent," M. Lepidum et Junium Blæsum nominavit: ex queis proconsul Africæ legeretur. Tum audita amborum verba, intentius excusante se Lepido, cum "valetudinem corporis, ætatem liberum, nubilem filiam" obtenderet: intelligereturque etiam, quod silebat, avunculum esse Sejani Blæsum, atque eo prævalidum. Respondit Blæsus specie recusantis, sed neque eadem adseveratione, et consensu adulantium haud jutus est.

36. Exin promtum,[1] quod multorum intimis questibus tegebatur. Incedebat enim deterrimo cuique licentia, impune probra, et invidiam in bonos excitandi, arrepta imagine Cæsaris:[2] libertique etiam ac servi, patrono vel domino, cum voces, cum manus intentarent, ultro metuebantur. Igitur C. Cestius senator disseruit: "Principes quidem instar Deorum esse: sed neque a Diis nisi justas supplicum preces audiri, neque quemquam in Capitolium, aliave Urbis templa perfugere, ut eo subsidio ad flagitia utatur. Abolitas leges, et funditus versas, ubi in foro, in limine curiæ, ab Annia Rufilla, quam fraudis sub judice damnavisset, probra sibi et minæ intendantur: neque ipse audeat jus experiri, ob effigiem Imperatoris oppositam." Haud dissimilia alii, et quidam atrociora circumstrepebant; precabanturque Drusum, "daret ultionis exemplum:" donec accitam convictamque[3] attineri publica custodia jussit.

37. Et Considius Æquus, et Cœlius Cursor equites Romani, quod fictis majestatis criminibus Magium Cæcilianum, prætorem, petivissent, auctore Principe, ac decreto senatus puniti. Utrumque in laudem Drusi trahebatur: "ab eo, in Urbe[1] inter cœtus et sermones hominum obversante, secreta patris mitigari:" neque luxus in juvene adeo displicebat: "huc potius intenderet, diem editionibus,[2] noctem conviviis traheret, quam

1 *Exin promtum.* Exin promtum ac manifestum fuit, quod, &c.

2 *Imagine Cæsaris.* Ad imagines Principum, sicut ad asyla, confugiebatur. Illis supplicabant miseri. At novo usu, et profligata adulatione, ipsi accusatores imagines illas invocabant, testes appellabant, probraque et invidiam in bonos impune excitabant. Eo audaciæ ventum est, ut si liberti ac servi manus aut voces minitabundi intentarent, eos patroni ac domini ultro metuerent.

3 *Accitam convictamque.* Anniam Rufillam.

1 *In Urbe.* A Druso, qui in Urbe inter cœtus et sermones hominum obversabatur, secretam patris sævitiam mitigari.

2 *Editionibus.* Spectaculis. V. not. et em. ad An. iii, 38.

solus et nullis voluptatibus avocatus, mœstam vigilantiam, et malas curas[3] exerceret."

38. Non enim Tiberius, non accusatores fatiscebant. Et Ancharius Priscus Cæsium Cordum,[1] proconsulem Cretæ, postulaverat repetundis; addito majestatis crimine, quod tum omnium accusationum complementum[2] erat. Cæsar Antistium Veterem, e primoribus Macedoniæ,[3] absolutum adulterii, increpitis judicibus, ad dicendam majestatis causam retraxit, ut turbidum, et Rhescuporidis consiliis permixtum, qua tempestate Cotye, fratris F.[4] interfecto, bellum adversus nos volverat. Igitur "aqua et igni interdictum reo," adpositumque "ut teneretur insula, neque Macedoniæ, neque Thraciæ opportuna." Nam Thracia, diviso imperio in Rhœmetalcen[5] et liberos Cotyis, queis ob infantiam tutor erat Trebellienus Rufus, insolentia nostri[6] discors agebat; neque minus Rhœmetalcen, quam Trebellienum incusans, popularium injurias inultas sinere. Cœletæ,[7] Odrysæque,[8] et Dii,[9] validæ nationes, arma cepere, ducibus diversis et paribus inter se per ignobilitatem: quæ causa fuit, ne in bellum atrox coalescerent: pars turbant præsentia: alii montem Hæmum[10] transgrediuntur, ut remotos populos concirent: plurimi ac maxime compositi regem,[11] urbemque Philippopolim[12] a Macedone Philippo sitam, circumsidunt.

39. Quæ ubi cognita P. Velleio,[1] (is proximum exercitum

3 *Malas curas.* Quales exercebat Tiberius.

1 *Cæsium Cordum.* Damnatum postea. V. inf. c. 70.

2 *Accusationum complementum.* Plin. in Paneg. xlii. 'Locupletabant et fiscum et ærarium non tam Voconiæ et Juliæ leges, quam majestatis singulare et unicum crimen eorum, qui crimine vacarent.'

3 *E primoribus Macedoniæ.* V. not. et em. ad An. iii, 38.

4 *Cotye, fratris F.* Fratris filio. Cotyi pater fuit Rhœmetalces, Rhescuporidis frater. V. not. et em. ad An. iii, 38.

5 *In Rhœmetalcen.* Rhescuporidis filium, 'quem paternis consiliis adversatum constabat.' An. ii, 67.

6 *Insolentia nostri.* Romanis parere non sueta.

7 *Cœletæ.* Nunc *the northern part of Romania.* V. not. et em. ad An. iii, 38.

8 *Odrysæque.* Plin. iv, 11. 'Odrysarum gens fundit Hebrum.' Nunc *the western part of Romania.*

9 *Et Dii.* Nunc *the southern part of Romania.* V. not. et em. ad An. iii, 38.

10 *Montem Hæmum.* Nunc *mount Argentaro.* Bulgariam a Romania dividit.

11 *Regem.* Rhœmetalcen.

12 *Urbemque Philippopolim.* A Philippo, Alexandri patre, conditam, hodie *Philippopoli* in Romania, ad fluvium Hebrum, hodie *Marisa.* Plin. iv, 11. 'Oppidum sub Rhodope, Poneropolis antea, mox a conditore Philippopolis, nunc a situ Trimontium dicta.'

1 *P. Velleio.* Plurimi existimant P. Velleium eumdem esse ac M. immo C. Velleium Paterculum, historiæ scriptorem ingeniosum et aculeatum, sed adulatione fœdum. Prænominis diversitas hominum diversitatem potius arguere videtur.

præsidebat) alarios equites,[2] ac leves cohortium[3] mittit in eos, qui prædabundi, aut adsumendis auxiliis, vagabantur: ipse robur peditum, ad exsolvendum obsidium, ducit. Simulque cuncta prospere acta, cæsis populatoribus, et dissensione orta apud obsidentes, regisque opportuna eruptione, et adventu legionis: neque aciem aut prælium dici decuerit, in quo semermes ac palantes trucidati sunt, sine nostro sanguine.

40. Eodem anno Galliarum civitates, ob magnitudinem æris alieni,[1] rebellionem cœptavere: cujus extimulator acerrimus inter Treveros[2] Julius Florus, apud Æduos[3] Julius Sacrovir: nobilitas ambobus, et majorum bona facta, eoque Romana[4] civitas olim data, cum id rarum, nec nisi virtuti pretium esset. Ii secretis conloquiis, ferocissimo quoque adsumto, aut quibus ob egestatem, ac metum ex flagitiis maxima peccandi necessitudo, componunt, Florus Belgas, Sacrovir propiores Gallos concire. Igitur per conciliabula et cœtus seditiosa disserebant, "de continuatione tributorum, gravitate fœnoris, sævitia ac superbia præsidentium: et discordare militem, audito Germanici exitio: egregium resumendæ libertati tempus, si ipsi florentes, quam inops Italia, quam imbellis urbana plebes, nihil validum in exercitibus, nisi quod externum, cogitarent."

41. Haud ferme ulla civitas intacta seminibus ejus motus fuit: sed erupere primi Andecavi,[1] ac Turonii:[2] quorum Andecavos Acilius Aviola[3] legatus, excita cohorte,[4] quæ Lugduni præsidium agitabat, coercuit: Turonii, legionario milite, quem Visellius Varro, inferioris Germaniæ legatus,

2 *Alarios equites.* Non Romanos, sed auxiliares equites.

3 *Leves cohortium.* V. Misc. Obs. ix, 391.

1 *Æris alieni.* Ut tributa solverent, Romæ mutuabantur pecunias. Inde æs alienum ejusque magnitudo. V. de his usuris dicenda An. vi, 16.

2 *Inter Treveros.* Nunc *the country of Treves on the left bank of the Rhine.*

3 *Æduos.* Nunc *part of Burgundy and Nivernois.* Plinio, iv, 18. 'Hedui;' et in nummis Carolinæ stirpis HEDVA XPI CIVITAS, 'Christi civitas.'

4 *Eoque Romana.* Propterеaque Romana civitas olim iis data, cum adhuc id honoris rarum esset, nec nisi virtutis pretium. Postea id adulationi, opibus, ipsisque sceleribus datum.

1 *Andecavi.* Plinio iv, 18. 'Andegavi,' nunc *Anjou.* Forte Librariorum errore scriptum *Andecavi.* Sic enim in Caroli Calvi nummis, sequiore ævo cusis, ANDECAVIS CIVITAS.

2 *Turonii.* Vulgo Turones, Plin. iv, 18. Nunc *Touraine.* In ipsis Caroli Magni et Ludovici Pii nummis, TVRONES.

3 *Acilius Aviola.* De illo Plin. vii, 52. 'Aviola consularis in rogo revixit: et quoniam subveniri non potuerat, prævalente flamma, vivus crematus est.' Plura Val. Max. i, 8. n. 12.

4 *Excita cohorte.* Forte cohorte duodevicesima, quæ solita hiberna Lugduni habebat. Inf. Hist. i, 64.

miserat, oppressi, eodem Aviola duce, et quibusdam Galliarum primoribus; qui tulere auxilium, quo dissimularent defectionem, magisque in tempore efferrent:[5] spectatus et Sacrovir, intecto capite pugnam pro Romanis ciens, "ostentandæ," ut ferebat, "virtutis:" sed captivi, "ne incesseretur telis, agnoscendum se præbuisse," arguebant. Consultus super eo Tiberius, aspernatus est indicium, aluitque dubitatione bellum.

42. Interim Florus insistere destinatis, pellicere alam equitum, quæ conscripta Treveris, militia disciplinaque nostra habebatur, ut, cæsis negotiatoribus Romanis,[1] bellum inciperet: paucique equitum corrupti, plures in officio mansere. Aliud vulgus[2] obæratorum aut clientium arma cepit: petebantque saltus, quibus nomen *Arduenna*,[3] cum legiones utroque ab exercitu, quas Visellius et C. Silius adversis itineribus objecerant, arcuerunt: præmissusque cum delecta manu Julius Indus, e civitate eadem, discors Floro, et ob id navandæ operæ avidior, inconditam multitudinem adhuc disjecit. Florus incertis latebris victores frustratus, postremo, visis militibus, qui effugia insederant, sua manu cecidit: isque Treverici tumultus finis.

43. Apud Æduos major moles exorta, quanto civitas opulentior, et comprimendi[1] procul præsidium. Augustodunum[2] caput gentis, armatis cohortibus Sacrovir occupaverat, et nobilissimam Galliarum subolem, liberalibus studiis ibi operatam, ut eo pignore parentes propinquosque eorum adjungeret: simul arma occulte fabricata juventuti dispertit. Quadraginta millia fuere, quinta sui parte[3] legionariis armis, ceteri cum venabulis[4] et cultris, quæque alia venantibus tela sunt: adduntur e servitiis gladiaturæ destinati, quibus, more gentico, conti-

5 *In tempore efferrent.* Certiusque proderent, opportunum tempus nacti.

1 *Negotiatoribus Romanis. Angl. Bankers.*

2 *Aliud vulgus.* In Germanica inferiore vulgus quoque obæratorum et clientium arma cepit.

3 *Arduenna.* Nunc *the forest of Ardenne in the Low Countries.* Visellius inferioris Germaniæ legatus, superioris C. Silius, legiones utriusque exercitus diversis itineribus objecerunt, ut vulgus obæratorum et clientium a saltibus arcerent.

1 *Et comprimendi.* Tanto major moles apud Æduos exorta, quanto opulentior civitas, et remotius præsidium, quo bellum comprimeretur. De Æduis v. inf. An. xi, 25.

2 *Augustodunum.* Nunc *Autun,* olim Athenæ Gallicæ. De opulentia Mela iii, 2. 'urbes opulentissimæ, in Treveris Augusta, in Æduis Augustodunum.'

3 *Quinta parte.* Octo millia cum armis legionariis, i. e. clypeis, gladiis, et pilis.

4 *Venabulis.* Venabulum, telum erat latissimum, et aciei longissimæ.

nuum ferri tegimen (*Crupellarios*[5] vocant) inferendis ictibus inhabiles, accipiendis impenetrabiles. Augebantur hæ copiæ, vicinarum civitatum ut nondum aperta consensione, ita viritim promtis studiis, et certamine ducum Romanorum,[6] quos inter ambigebatur; utroque bellum sibi poscente. Mox Varro invalidus senecta, vigenti Silio concessit.

44. At Romæ "non Treveros modo et Æduos, sed quatuor et sexaginta Galliarum civitates descivisse; adsumtos in societatem Germanos, dubias Hispanias:" cuncta (ut mos famæ) in majus credita. Optimus quisque reipublicæ cura mœrebat: multi odio præsentium, et cupidine mutationis, suis quoque periculis lætabantur; increpabantque Tiberium, "quod in tanto rerum motu, libellis accusatorum insumeret operam. An Julium Sacrovirum[1] majestatis crimine reum in senatu fore? extitisse tandem viros, qui cruentas epistolas armis cohiberent: miseram pacem vel bello bene mutari." Tanto impensius in securitatem compositus, neque loco, neque vultu mutato, sed, ut solitum, per illos dies egit: altitudine animi,[2] an compererat modica esse, et vulgatis leviora?

45. Interim Silius, cum legionibus duabus incedens, præmissa auxiliari manu, vastat Sequanorum pagos,[1] qui finium extremi, et Æduis contermini, sociique in armis erant. Mox Augustodunum petit propero agmine, certantibus inter se signiferis, fremente etiam gregario milite: "ne suetam requiem, ne spatia noctium opperiretur: viderent modo adversos, et aspicerentur: id satis ad victoriam." Duodecimum apud lapidem,[2] Sacrovir, copiæque patentibus locis apparuere: in fronte statuerat

5 *Crupellarios.* Ita appellatos existimo a voce Celtica *Cropet,* quæ significat torpere, *Angl. to be stupified:* indeque multæ voces Gallicæ, *croupir, crouppe.* Illi enim gladiatores, continuo ferri tegmine testudinati, stabant mole sua torpidi, inferendis ictibus inhabiles, accipiendis impenetrabiles. *Ridicule* Boxhornius vocem deducit ab Hebraico כרבל, *Cirbel,* id est, vestitus. Sic David stola byssina indutus מכרבל, *Mecerbal,* dicitur 1 Chron. xv, 27. Quid hæc ad gladiatores? Quid ad Celtas?

6 *Ducum Romanorum.* Visellii Varronis, et C. Silii. Promta viritim studia, licet vicinarum urbium nondum aperta esset consensio, ipsum certamen ducum Romanorum, quos inter ambigebatur, utroque bellum sibi poscente, has Sacroviri copias augebant.

1 *Julium Sacrovirum.* Existimatne Tiberius Julium Sacrovirum Romam venturum, ut in senatu majestatis crimine reus judicetur? Tandem viros, Florum scilicet et Sacrovirum, extitisse, qui cruentas Tiberii epistolas, sanguinolentaque senatus decreta, armis cohiberent. Miseram pacem, civibusque Romanis luctuosam, bello, periculoso licet, bene mutari.

2 *Altitudine animi.* Animi profunditate, quam laudatus ab Ernesto, Tullius, Ep. ad Att. iv, 6. v. 10. βαθύτητα appellat.

1 *Sequanorum pagos.* Sequani, nunc *Franche-Comté.*

2 *Duodecimum lapidem.* Pugnatum inter *Autun* et *Beaune.*

3 *Ferratos.* Crupellarios, sup. c. 43.

ferratos,[3] in cornibus cohortes,[4] a tergo semermos.[5] Ipse inter primores equo insigni adire, memorare "veteres Gallorum glorias,[6] quæque Romanis adversa intulissent: quam decora victoribus libertas; quanto intolerantior[7] servitus iterum victis."

46. Non diu hæc, nec apud lætos: etenim propinquabat legionum acies: inconditique ac militiæ nescii oppidani, neque oculis neque auribus satis competebant.[1] Contra Silius, etsi præsumta spes hortandi causas exemerat, clamitabat tamen: "Pudendum ipsis, quod Germaniarum victores adversum Gallos, tamquam in hostem, ducerentur: una nuper cohors rebellem Turonium,[2] una ala Treverum, paucæ hujus ipsius exercitus turmæ profligavere Sequanos: quanto pecunia dites, et voluptatibus opulentos, tanto magis imbelles Æduos, evincite, et fugientibus consulite." Ingens ad ea clamor; et circumfudit eques; frontemque pedites invasere: nec cunctatum apud latera: paulum moræ attulere ferrati, restantibus laminis adversum pila et gladios: sed miles, correptis securibus et dolabris, ut si murum perrumperet, cædere tegmina et corpora: quidam trudibus[3] aut furcis, inertem molem prosternere; jacentesque nullo ad resurgendum nisu, quasi exanimes linquebantur. Sacrovir primo Augustodunum, dein metu deditionis in villam propinquam[4] cum fidissimis pergit. Illic sua manu, reliqui mutuis ictibus occidere: incensa super villa omnes cremavit.

47. Tum demum Tiberius ortum patratumque bellum senatui scripsit: neque demsit, aut addidit vero; sed "fide ac virtute legatos, se consiliis superfuisse."[1] Simul causas, cur

4 *Cohortes.* Armatas Sacroviri cohortes, seu octo millia hominum legionariis armis.

5 *Semermos.* Sup. c. 39. *Semermes.* Dictum quoque *inermis* et *inermus.*

6 *Veteres—glorias.* Galli Thraces et Macedones vicerunt, Romam ceperunt, cum Julio Cæsare triginta præliis decertaverunt: antequam luxus eorum animos fregisset, Romanis adeo formidabiles, ut in lege qua immunitas militiæ senibus ac sacerdotibus concedebatur, exciperentur bella Gallica. Tunc enim nec senibus nec sacerdotibus vacatio permissa, οὕτω δή τι Ῥωμαίοις ἐπίφοβα, (Κελτῶν ἔθνη), ὡς νόμῳ τῶν περὶ ἀστρατείας ἱερέων καὶ γερόντων ἐγγραφῆναι, πλὴν εἰ μὴ Κελτικὸς πόλεμος ἐπίοι, τότε δὲ καὶ γέροντας καὶ ἱερέας στρατεύεσθαι. Appian. Bell. civ. ii, p. 523.

7 *Quanto intolerantior.* Quanto intolerabilior. Ita quoque Lævius quidam poeta ap. Gell. xix, 7. dixit 'curis intolerantibus' pro 'intolerandis.'

1 *Satis competebant.* In hac re, ut in plurimis, imitatus est Sallust. Frag. Hist. lib. i. 'Sic vero quasi formidine attonitus, neque animo, neque auribus, aut lingua competere.'

2 *Rebellem Turonium.* Potius *Andegavum*, ut patet ex c. 41.

3 *Trudibus.* Trudes, *Angl. a lever.* Trudibus ligneis ferreisve ad protrudenda ac sublevanda onera utimur.

4 *Villam propinquam.* Hæc villa nunc dicitur *Sarvau*, teste London. Antiq. Æduor. p. 115 et 118. Ibi effossos ingentes lapides laceros et semiustos adseverat.

1 *Consiliis superfuisse.* Fide ac virtute legatos, se consiliis rem confecisse.

non ipse, non Drusus profecti ad id bellum forent, adjunxit, "magnitudinem imperii" extollens. "Neque decorum Principibus, si una alterave civitas turbet, omissa Urbe,[2] unde in omnia regimen: nunc quia non metu ducatur, iturum, ut præsentia spectaret, componeretque." Decrevere patres vota pro reditu ejus, supplicationesque, et alia decora. Solus Dolabella Cornelius, dum anteire ceteros parat, absurdam in adulationem progressus, censuit "ut ovans e Campania Urbem introiret." Igitur secutæ Cæsaris literæ, quibus "se non tam vacuum gloria" prædicabat, "ut post ferocissimas gentes perdomitas, tot receptos in juventa, aut spretos triumphos, jam senior peregrinationis suburbanæ inane præmium peteret."

48. Sub idem tempus, "ut mors Sulpicii Quirinii publicis exequiis[1] frequentaretur;" petivit a senatu. Nihil ad veterem et patriciam Sulpiciorum familiam Quirinius pertinuit,[2] ortus apud municipium Lanuvium:[3] sed impiger militiæ, et acribus ministeriis, consulatum[4] sub divo Augusto; mox expugnatis per Ciliciam Homonadensium castellis[5] insignia triumphi adeptus, datusque rector C. Cæsari[6] Armeniam obtinenti, Tiberium quoque Rhodi agentem[7] coluerat: quod tunc patefecit in senatu: laudatis in se officiis, et incusato "M. Lollio,"[8] quem "auctorem C. Cæsari pravitatis et discordiarum" arguebat: sed ceteris haud læta memoria Quirinii erat, ob intenta, ut memoravi,[9] Lepidæ pericula, sordidamque et præpotentem senectam.

2 *Omissa urbe.* V. not. et em. ad An. iii, 47.

1 *Publicis exequiis.* In publicis exequiis luctus publicus, sumtus fit e publico. V. Kirchman. de funer. Rom. i, 4.

2 *Quirinius pertinuit.* De Quirinio jam sup. c. 22.

3 *Municipium Lanuvium.* Lanuvium Roma xvi M passuum distabat, nunc dicitur *Civita Lavinia.* Nec confundendum cum Lavinio, nunc *Pratica.* V. Itinerar. Antonini et notas eruditi Wesseling. p. 302.

4 *Consulatum.* Consulatum gessit A. U. C. 742. A. C. 11. In fastis 'Quirinus' appellatur.

5 *Homonadensium castellis.* Homonadenses, montes, qui sunt inter Ciliciam, Pisidiam, et Pamphyliam, in eo tractu, quem dicimus *Karamania,* habitabant. Eorum oppidum Homona, non valde dissitum ab urbe *Ermenach.* Plin. v, 27. 'Contermina illi [Ciliciæ] gens Homonadum, quorum intus oppidum Homona. Cetera castella xliv. inter asperas convalles latent.' Inexpugnabiles habebantur. Eos fame expugnavit Quirinius. Quatuor millia virorum vivos cepit, quos in vicinis urbibus collocavit, nec ullos vegetæ ætatis homines reliquit in ea regione. Strabo xii, p. 569.

6 *C. Cæsari.* Sup. An. i, 3.

7 *Rhodi agentem.* Sup. An. i, 4.

8 *M. Lollio.* Idem quoque testatur Suet. Tib. 12. 'Privignum Caium Orienti præpositum, cum visendi gratia trajecisset Samum, alieniorem sibi sensit ex criminationibus Marci Lollii comitis et rectoris ejus.'

9 *Ut memoravi.* Sup. c. 22.

49. Fine anni C. Lutorium Priscum,[1] equitem Romanum, post celebre carmen, quo Germanici suprema defleverat, pecunia donatum a Cæsare, corripuit delator, objectans, "ægro Druso[2] composuisse, quod, si extinctus foret, majore præmio vulgaretur." Id C. Lutorius in domo P. Petronii, socru ejus Vitellia coram, multisque inlustribus fœminis, per vaniloquentiam legerat. Ut delator extitit, ceteris ad dicendum testimonium exterritis, sola Vitellia "nihil se audivisse" adseveravit; sed arguentibus ad perniciem plus fidei fuit. Sententiaque Haterii Agrippæ[3] consulis designati, indictum reo ultimum supplicium.

50. Contra M. Lepidus in hunc modum exorsus est. "Si, patres conscripti, unum id spectamus, quam nefaria voce[1] C. Lutorius Priscus mentem suam, et aures hominum polluerit; neque carcer, neque laqueus, ne serviles quidem cruciatus[2] in eum suffecerint: sin flagitia[3] et facinora sine modo sunt; suppliciis ac remediis, Principis moderatio, majorumque et vestra exempla temperant: et vana a scelestis, dicta a maleficiis differunt: est locus sententiæ, per quam neque huic delictum impune sit, et nos clementiæ simul ac severitatis non pœniteat. Sæpe audivi Principem nostrum conquerentem,[4] si quis, sumta morte, misericordiam ejus prævenisset. Vita C. Lutorii in integro est, qui neque servatus in periculum reipublicæ, neque interfectus in exemplum ibit: studia illi, ut plena vecordiæ, ita inania et fluxa sunt: nec quidquam grave ac serium ex eo metuas, qui suorum ipse flagitiorum proditor, non virorum animis, sed muliercularum adrepit. Cedat tamen urbe, et, bonis amissis, aqua et igni arceatur; quod perinde censeo, ac si lege majestatis teneretur."

51. Solus Lepido Rubellius Blandus e consularibus[1] ad-

1 *C. Lutorium Priscum.* Eadem narrat Dio lvii, p. 616. V. not. et. em. ad An. iii, 49.

2 *Ægro Druso.* Tiberii filio.

3 *Haterii Agrippæ.* Consulis anno sequenti.

1 *Nefaria voce.* Nefaria vox, quod, ægro Druso, lugubre carmen de ejus morte recitaverat.

2 *Serviles cruciatus.* Tormenta, patibula, cruces, aliique id genus servorum cruciatus.

3 *Sin flagitia.* At si flagitia et facinora sine modo sunt, suppliciis tamen ac remediis, Principis moderatio, majorumque et vestra exempla temperant. Vana etiam ac superba a scelestis, verba a maleficiis differunt. Est igitur locus sententiæ, per quam neque Lutorio delictum impune sit, et nos clementiæ simul ac severitatis non pœniteat.

4 *Principem conquerentem.* Sup. An. ii, 31.

1 *E consularibus.* Consul fuisse creditur, sed suffectus tantum, circa A. U. C. 770. In veteri lapide apud Muratori Thes. Inscr. vol. i, p. 301. C. RVBELLIVS C. F. BLANDVS SAC. DIVI AVG. TR. PL. PR.

sensit: ceteri sententiam Agrippæ secuti; ductusque in carcerem Priscus, ac statim exanimatus. Id Tiberius solitis sibi ambagibus apud senatum incusavit, cum extolleret "pietatem, quamvis modicas Principis injurias acriter ulciscentium;" deprecaretur "tam præcipites verborum pœnas:" laudaret Lepidum, neque Agrippam argueret. Igitur factum senatusconsultum, "ne decreta patrum ante diem decimum,[2] ad ærarium deferrentur; idque vitæ spatium damnatis prorogaretur:" sed non senatui libertas ad pœnitendum erat; neque Tiberius interjectu temporis mitigabatur.

A.U.C. 775. J.C. 22.

52. C. Sulpicius,[1] D. Haterius consules sequuntur. Inturbidus externis rebus annus, domi suspecta severitate adversum luxum, qui immensum proruperat[2] ad cuncta, queis pecunia prodigitur. Sed alia sumtuum, quamvis graviora, dissimulatis plerumque pretiis, occultabantur; ventris et ganeæ[3] paratus, adsiduis sermonibus vulgati, fecerant curam, ne Princeps antiquæ parcimoniæ durius adverteret. Nam incipiente C. Bibulo, ceteri quoque ædiles disseruerant, "sperni sumtuariam legem,[4] vetitaque utensilium pretia augeri in dies: nec mediocribus remediis sisti posse:" et consulti patres, integrum id negotium ad Principem distulerant. Sed Tiberius, sæpe apud se pensitato, an coerceri tam profusæ cupidines possent: num coercitio plus damni in rempublicam ferret; quam indecorum adtrectare quod non obtine-

cos. In alio lapide, BLANDO ET POLLIONE COSS.

2 *Diem decimum.* Vox *decimum* abest ab editione principe. Eam optime restituit Lipsius ex Suet. Tib. 75. et Dione lvii, p. 617. lviii, p. 638. Nam, teste Dione, Tiberius, Lutorium sine sua sententia damnatum fuisse questus, senatus consultum fieri jussit, ne quis, a senatu damnatus, ante diem decimum necaretur; neve decretum, in hanc rem latum, ante id tempus in ærarium deferretur, ut Princeps, licet absens, de senatorum sententia cognoscere et judicium ferre posset. Postea novis legibus in diem xxx. dilatam fuisse reorum pœnam docet Sidon. Apollin. 1. Ep. 7. V. notas eruditi Sirmondi. De ærario, quod erat in æde Saturni, dictum est sup. An. ii, 41.

1 *C. Sulpicius.* C. Sulpicius Galba et D. Haterius Agrippa coss. fuere. A. U. C. 775. J. C. 22. In fastis Haterius præponitur.

2 *Immensum proruperat.* Quo luxus prorupisset, fuse dicimus in not. et em. ad An. iii, 52.

3 *Ventris et ganeæ.* Alia sumtuum, quamvis graviora, dissimulatis plerumque pretiis, occultabantur. At ventris et ganeæ paratus ita assiduis sermonibus erant vulgati, ut omnibus innotescerent, curamque facerent helluonibus, ne Princeps antiquæ parcimoniæ in illos durius animadverteret.

4 *Sumtuariam legem.* De vetere parcimonia, antiquisque sumtuariis legibus, multa habet Gell. ii, 24. docet quoque hac de re latam fuisse legem Juliam, Cæsare

ret: vel retentum,[5] ignominiam et infamiam virorum inlustrium posceret: postremo literas ad senatum composuit, quarum sententia in hunc modum fuit.

53. "Ceteris forsitan in rebus, patres conscripti, magis expediat me coram interrogari, et dicere quid e republica censeam: in hac relatione, subtrahi oculos meos melius fuit, ne denotantibus vobis ora, ac metum singulorum, qui pudendi luxus arguerentur, ipse etiam viderem eos, ac velut deprehenderem. Quod si mecum ante viri strenui, ædiles, consilium habuissent; nescio an suasurus fuerim omittere potius prævalida et adulta vitia, quam hoc adsequi, ut palam fieret, quibus flagitiis impares essemus: sed illi quidem officio functi sunt, ut ceteros quoque magistratus sua munia implere velim: mihi autem neque honestum silere, neque proloqui expeditum, quia non ædilis, aut prætoris, aut consulis partes sustineo: majus aliquid et excelsius a Principe postulatur; et cum recte factorum[1] sibi quisque gratiam trahant, unius invidia ab omnibus peccatur. Quid enim primum prohibere, et priscum ad morem recidere aggrediar? villarumne infinita spatia, familiarum numerum et nationes? argenti et auri pondus? æris, tabularumque miracula? promiscuas viris et fœminis vestes?[2] atque illa fœminarum propria, queis, lapidum causa,[3] pecuniæ nostræ ad externas, aut hostiles gentes transferuntur?

Augusto imperante: 'qua profestis quidem diebus ducenti, [*Angl.* 1*l.* 11*s.*] finiuntur; Kalendis, Idibus, Nonis, et aliis quibusdam festivis trecenti, [*Angl.* 2*l.* 6*s.*] nuptiis autem et repotiis HS mille, [*Angl.* 8*l.* 2*s.*] Esse etiam dicit Capito Ateius edictum, divi ne Augusti, an Tiberii Cæsaris, non satis commemini: quo edicto per dierum varias solemnitates a trecentis HS ad usque duo millia, [*Angl.* 16*l.* 4*s.*] sumtus cœnarum propagatus est; ut his saltem finibus luxuriæ effervescentis æstus coerceretur.'

5 *Vel retentum.* Quam indecorum ea adtrectare, quæ non obtinerentur; vel quæ retenta, et angustiores intra fines conscripta, ignominiam et infamiam virorum illustrium poscerent.

1 *Cum recte factorum.* Si quid recte factum, sibi quisque gratiam trahunt; si quid vero peccatum, Princeps unus invidia laborat, omnium delicta uni imputantur. Vel ut a Tiberiana brevitate minus discedam; recte factorum sibi quisque gratiam trahunt, at pro unius Principis invidia ab omnibus peccatur.

2 *Promiscuas—vestes.* Fœmineam vestium insaniam imitati, perlucentes togas induebant, quæ denudabant corpus. Egregie Plin. xi, 23. 'Nec puduit has vestes usurpare etiam viros, levitatem propter æstivam. In tantum a lorica gerenda discessere mores, ut oneri sit etiam vestis. Assyria tamen bombyce adhuc fœminis cedimus.' De his quoque bombycinis nebulis Sen. Ep. xc. 'Quid si contigisset illi videre has nostri temporis telas, quibus vestis nihil celatura conficitur, in qua non dico nullum corpori auxilium, sed nullum pudori est?'

3 *Lapidum causa.* Margaritarum. V. quæ de Romanorum luxu diximus in not. et em. ad An. iii, 52.

54. " Nec ignoro in conviviis et circulis incusari ista, et modum posci: sed si quis legem sanciat, pœnas indicat: iidem illi, civitatem verti, splendidissimo cuique exitium parari, neminem criminis expertem, clamitabunt. Atqui, ne corporis quidem morbos veteres, et diu auctos, nisi per dura et aspera coerceas: corruptus simul et corruptor, æger et flagrans animus, haud levioribus remediis restinguendus est, quam libidinibus ardescit. Tot a majoribus repertæ leges, tot quas divus Augustus tulit, illæ oblivione, hæ (quod flagitiosius est) contemtu abolitæ, securiorem luxum fecere: nam si velis [1] quod nondum vetitum est; timeas, ne vetere: at si prohibita impune transcenderis, neque metus ultra, neque pudor est. Cur ergo olim parcimonia pollebat? quia sibi quisque moderabatur: quia unius urbis cives eramus: ne inritamenta quidem eadem, intra Italiam [2] dominantibus: externis victoriis, aliena; civilibus, etiam nostra consumere didicimus. Quantulum istud est, de quo ædiles admonent! Quam, si cetera respicias, in levi habendum! At hercule nemo refert, quod Italia externæ opis indiget, quod vita populi Romani [3] per incerta maris et tempestatum quotidie volvitur; ac nisi provinciarum [4] copiæ et dominis, et servitiis, et agris subvenerint, nostra nos scilicet nemora, nostræque villæ tuebuntur. Hanc, patres conscripti, curam sustinet Princeps: hæc omissa, funditus rempublicam trahet. Reliquis intra animum medendum est: nos, pudor; pauperes, necessitas; divites, satias in melius mutet. Aut, si quis ex magistratibus, tantam industriam ac severitatem pollicetur, ut ire obviam queat; hunc et laudo, et exonerari laborum meorum partem fateor: sin accusare [5] vitia volunt, dein cum gloriam ejus

1 *Nam si velis.* Nam si velis, quæ nullis adhuc legibus sunt vetita, timeas ne veteris, id est, ne res illæ vetentur. At si prohibita impune transcenderis, nullus ultra metus, nullus est pudor.

2 *Intra Italiam.* Ne eadem quidem luxus et deliciarum irritamenta, dum intra Italiam tantum sumus dominati.

3 *Vita p. Romani.* Ex provinciis, ac maxime ex Ægypto, frumenta Romam advehebantur. Inde ut dictum sup. An. ii, 59. senatores equitesque Romani vetiti Ægyptum ingredi, ne fame urgerent Italiam, si eam provinciam claustraque terræ ac maris insedissent.

4 *Nisi provinciarum.* Si provinciarum copiæ nobis ipsis dominis, nostris servitiis, nostris agris et agrorum cultoribus non subvenerint, an nos tuebuntur umbrosa nostra nemora, nostræ villæ ad voluptates, ad luxum compositæ? Hanc, patres conscripti, curam sustinet Princeps. Hac omissa, rempublicam pessumdat et evertit funditus. Reliquis vitiis intra animum medendum est. Itaque me Principem, vos patres, pudor; pauperes, necessitas; divites, ipsa divitiarum satietas in melius mutet.

5 *Sin accusare.* Sin volunt vitia accusare, ut cum gloriam accusationis fuerint

rei adepti sunt, simultates faciunt, ac mihi relinquunt; credite, patres conscripti, me quoque non esse offensionum avidum: quas cum graves, et plerumque iniquas pro republica suscipiam, inanes et inritas, neque mihi aut vobis usui futuras, jure deprecor."

55. Auditis Cæsaris literis,[1] remissa ædilibus talis cura; luxusque mensæ, a fine Actiaci belli, ad ea arma queis Ser. Galba rerum adeptus est, per annos centum[2] profusis sumtibus exerciti, paulatim exolevere. Causas ejus mutationis quærere libet. Dites olim familiæ nobilium, aut claritudine insignes, studio magnificentiæ prolabebantur: nam etiam tum plebem, socios, regna colere,[3] et coli licitum: ut quisque opibus, domo, paratu speciosus, per nomen et clientelas inlustrior habebatur: postquam cædibus sævitum, et magnitudo famæ exitio erat;[4] ceteri ad sapientiora convertere: simul novi homines e municipiis et coloniis, atque etiam provinciis, in senatum crebro adsumti, domesticam parcimoniam intulerunt: et quamquam fortuna, vel industria, plerique pecuniosam ad senectam pervenirent, mansit tamen prior animus. Sed præcipuus adstricti moris auctor Vespasianus fuit, antiquo ipse cultu victuque: obsequium inde in Principem, et æmulandi amor validior, quam pœna ex legibus et metus. Nisi forte rebus cunctis inest quidam velut orbis, ut quemadmodum temporum vices, ita morum vertantur: nec omnia apud priores meliora, sed nostra quoque ætas multa laudis et artium, imitanda posteris, tulit. Verum hæc nobis[5] majores. Certamina ex honesto maneant.

adepti, simultates faciant, mihique uni invidiam relinquant; credite, patres conscripti, me quoque non esse avidum offensionum. Eas quidem graves, et plerumque iniquas pro republica suscipio; inanes vero et irritas, neque mihi, neque vobis usui futuras, jure deprecor.

1 *Cæsaris literis.* His Tiberii Cæsaris literis nihil prudentius, nihil acutius. In illis tota se prodit Tiberii mens, arsque Taciti. Earum sensum haud ita assecutus est V. Cl. de Montesquieu, ut diximus in not. et em. ad An. iii, 52.

2 *Annos centum.* Bellum Actiacum gestum est A. U. C. 723. Galba occisus est A. U. C. 822.

3 *Plebem—colere.* Nam etiam tum erat licitum plebem, socios, reges colere, et ab iis coli. Nobiles Romani colebant plebem, ut, ea suffragante, ad magistratus promoverentur; socios vero ac reges colebant, ut eorum negotiorum cura sibi demandaretur. Plebs quoque nobiles Romanos colebat propter munera. Eos etiam colebant socii ac reges, ut res suas diligentius curarent. Hisce clientelis Romani plurimi regibus ipsis ditiores illustrioresque extitere.

4 *Exitio erat.* Id maxime contigit, imperantibus Claudio ac Nerone. Quo quis ditior ac illustrior, eo fuit exitio propior. At postquam cædibus diu sævitum est, tandem ceteri, tot cædibus edocti, ad sapientiora se convertere.

5 *Hæc nobis.* Verum hæc nobis majores tulere, i. e. verum hæc luxus et parcimoniæ exempla majores nobis reliquere. Certa-

56. Tiberius, fama moderationis parta, quod ingruentes accusatores represserat, mittit literas ad senatum, queis "potestatem tribuniciam" Druso petebat.[1] Id summi fastigii vocabulum Augustus reperit,[2] ne *regis* aut *dictatoris* nomen adsumeret, ac tamen appellatione aliqua cetera imperia præmineret.[3] M. deinde Agrippam[4] socium ejus potestatis; quo defuncto, Tiberium Neronem delegit, ne successor in incerto foret: sic cohiberi pravas aliorum spes rebatur: simul modestiæ Neronis,[5] et suæ magnitudini fidebat. Quo tunc exemplo, Tiberius Drusum summæ rei admovet; cum, incolumi Germanico, integrum inter duos judicium tenuisset. Sed principio literarum veneratus deos, "ut consilia sua reipublicæ prosperarent," modica de moribus adolescentis, neque in falsum aucta retulit: "esse illi conjugem et tres liberos, eamque ætatem,[6] qua ipse quondam a divo Augusto ad capessendum hoc munus vocatus sit. Neque nunc propere, sed per octo annos capto experimento, compressis seditionibus, compositis bellis, triumphalem et bis consulem,[7] noti laboris participem sumi."

57. Præceperant animis[1] orationem patres: quo quæsitior adulatio fuit: nec tamen repertum, nisi "ut effigies Principum, aras Deum, templa et arcus," aliaque solita censerent. Nisi

mina ex honesto maneant, i. e. pergamus cum illis de honesto ac virtute certare. V. not. et em. ad An. iii, 55.

1 *Druso petebat.* Tribuniciæ potestatis Drusi monumentum extat in nummo, quem laudavi sup. An. ii, 84. Cusus est A. U. C. 776.

2 *Augustus reperit.* Sup. An. i, 2.

3 *Præmineret.* Itaque summi fastigii vocabulum fuit 'tribunicia potestas;' illudque reperit Augustus, ut odiosum 'regis' aut 'dictatoris' nomen fugeret, auctoritatem adsumeret. Hac appellatione cetera imperia præminebat. Tribuniciæ potestatis socius summæ rei admovebatur, nec successor in incerto habebatur. Augustum tamen an. tantum U. C. 735. A. C. 18. et consulatu perpetuo summam potestatem adeptum esse contendit, totamque Principum auctoritatem in hac consulari potestate fuisse positam pronuntiat V. Cl. de la Bléterie: *Mém. de l'Acad. Roy. des Inscr.* vol. xxiv, p. 289 sq.

4 *M. Agrippam.* Jam laudatum sup. An. i, 3. Nummum argenteum ejus potestatis tribuniciæ testem edidit Morellius, Thes. Num. vol. i, p. 490. M. AGRIPPA TRIB. POT. COS. III. Utinam nummum illum a Goltzio, cujus suspecta fides, non accepisset.

5 *Neronis.* Tiberii Neronis, nunc Principis. Sup. An. i, 3.

6 *Eamque ætatem.* Natus est Tiberius A. U. C. 712. die decima sexta Novembris, Suet. in Tib. 5. Tribuniciam potestatem accepit anno 748. die 27. Junii, Dio lv, p. 544. cum annum ætatis suæ 36. ageret. Ergo natus est filius ejus Drusus A. U. C. 739.

7 *Triumphalem—consulem.* De triumpho, aut potius ovatione Drusi Cæsaris dictum sup. c. 19. Consul fuerat annis U. C. 768 et 774.

1 *Præceperant animis.* Patres jam præceperant animis, quod petebat Tiberius. Ideo quæsitior fuit adulatio. Nec tamen repertum est, nisi ut censerent effigies Principum faciendas, aras Deum, arcus, templa, extruenda, aliaque solita peragenda. Marcus tamen Silanus honorem, qui in consulum contumeliam recidebat, Principibus petivit. Negligenter dictum 'nisi ut—nisi

quod M. Silanus ex contumelia consulatus, honorem Principibus petivit: dixitque pro sententia, "ut publicis privatisque monimentis, ad memoriam temporum, non consulum nomina præscriberentur, sed eorum, qui tribuniciam potestatem gererent." At Q. Haterius, cum "ejus diei senatusconsulta aureis literis[2] figenda in curia" censuisset, deridiculo fuit, senex fœdissimæ adulationis tantum infamia usurus.[3]

58. Inter quæ, provincia Africa Junio Blæso[1] prorogata, Servius Maluginensis flamen Dialis, ut Asiam sorte haberet[2] postulavit; "frustra vulgatum" dictitans, "non licere Dialibus egredi Italia: neque aliud jus suum, quam Martialium, Quirinaliumque flaminum:[3] porro si hi duxissent provincias, cur Dialibus id vetitum? nulla de eo populi scita, non in libris cærimoniarum reperiri. Sæpe pontifices Dialia sacra fecisse, si flamen valetudine, aut munere publico, impediretur. Sex et septuaginta[4] annis post Cornelii Merulæ cædem, neminem suffectum;[5] neque tamen cessavisse religiones. Quod si per tot annos possit non creari, nullo sacrorum damno; quanto facilius abfuturum, ad unius anni proconsulare imperium? Privatis olim simultatibus effectum, ut a pontificibus maximis ire in provincias prohiberentur: nunc Deum munere, summum pontificum[6] etiam summum hominum esse, non æmulationi, non odio, aut privatis adfectionibus obnoxium."

59 Adversus quæ cum augur Lentulus,[1] aliique varie dis-

quod.'—Nec omnia in optimis scriptoribus laudanda.

2 *Aureis literis.* Sententiæ insolentiam, aureasque literas contra patrium morem arguit Tiberius, c. 59.

3 *Infamia usurus.* Nec aliud præter infamiam ex fœdissima sua adulatione emolumentum percepturus.

1 *Junio Blæso.* Avunculo Sejani, sup. c. 35. Et sane propter consanguinitatem ei prorogata provincia.

2 *Asiam haberet.* Ac proinde succederet M. Lepido, de quo sup. c. 32. V. not. et em. ad An. iii, 58.

3 *Quirinaliumque flaminum.* Dialium Flaminum olim idem jus fuerat ac Martialium et Quirinalium, ut videre est apud Liv. xxxvii, 51. Val. Max. i, 1. At ob privatas pontificum simultates id Dialibus vetitum. Flamines Diales, Jovis; Martiales, Martis; Quirinales, Romuli, dicti etiam Quirini, sacra curabant.

4 *Sex et septuaginta.* A. U. C. 667. se ipse interemit Merula in execrationem Cinnæ et Marianarum partium, Vellei. ii, 22. Nec nisi A. U. C. 743. flaminem Dialem suffecit Augustus, Dio liv, p. 546. Ergo sex et septuaginta annis nemo suffectus, ut jam ante nos observavit Vossius, not. in Vellei. In omnibus Taciti editionibus legitur *duobus et septuaginta annis*, errore librariorum, qui, detrita una quinarii numeri parte, lxxii pro lxxvi. scripsere.

5 *Neminem suffectum.* Julius Cæsar flamen Dialis destinatus fuerat A. U. C. 671. sed statim sacerdotio a dictatore Sylla multatus. Suet. Jul. 1.

6 *Summum pontificum.* Nunc Deorum munere datum esse Romanis Tiberium, summum pontificum simul ac summum hominum, non æmulationi, non odio, non privatis adfectionibus obnoxium.

1 *Augur Lentulus.* De quo dictum in dissertatione de Romanorum luxu, c. 52.

sererent, eo decursum est, "ut pontificis maximi sententiam opperirentur." Tiberius, dilata notione de jure flaminis, decretas ob tribuniciam Drusi potestatem cærimonias[2] temperavit; nominatim arguens "insolentiam sententiæ, aureasque literas contra patrium morem." Recitatæ et Drusi epistolæ, quamquam ad modestiam flexæ, pro superbissimis accipiuntur: "Huc decidisse[3] cuncta, ut ne juvenis quidem, tanto honore accepto, adiret Urbis Deos, ingrederetur senatum, auspicia saltem gentile apud solum inciperet? Bellum scilicet, aut diverso terrarum distineri, littora et lacus Campaniæ cum maxime peragrantem: sic imbui rectorem generis humani: id primum e paternis consiliis discere: sane gravaretur aspectum civium senex Imperator, fessamque ætatem, et actos labores prætenderet: Druso quod, nisi ex adrogantia, impedimentum?"

60. Sed Tiberius, vim principatus sibi firmans, imaginem antiquitatis senatui præbebat, postulata provinciarum ad disquisitionem patrum mittendo. Crebrescebat enim Græcas per urbes licentia atque impunitas asyla statuendi. Complebantur templa pessimis servitiorum: eodem subsidio obærati adversum creditores, suspectique capitalium criminum receptabantur. Nec ullum satis validum imperium erat coercendis seditionibus populi, flagitia hominum, ut cærimonias Deum, protegentis. Igitur placitum, ut mitterent civitates jura, atque legatos. Et quædam, quod falso usurpaverant, sponte omisere: multæ vetustis superstitionibus, aut meritis in populum Romanum fidebant. Magnaque ejus diei species fuit, quo senatus majorum beneficia, sociorum pacta, regum etiam, qui ante vim Romanam valuerant, decreta, ipsorumque numinum

2 *Cærimonias.* De quibus sup. c. 57. Arguit insolentiam sententiæ M. Silani, et aureas literas a Q. Haterio propositas.

3 *Huc decidisse.* Recitatæ sunt Drusi epistolæ, quæ, quamquam ad modestiam flexæ, pro superbissimis accipiuntur. Queruntur patres, huc ergo decidisse cuncta, ut ne juvenis quidem, tanto tribuniciæ potestatis honore accepto, adiret Urbis Deos, ingrederetur senatum, munia dignitatis suæ gentile apud solum, id est, Romæ auspicaretur! ('In externo solo' auspicia concipi non posse testatur Livius, xxii, 1. Aut saltem raro, et gravissimas ob causas ibi concipiebantur. Sic Germanicus consulatum iniit Nicopoli, ut dictum est sup. An. ii, 53.) Bellum scilicet imminere, aut terrarum longinquitate distineri juvenem, qui littora et lacus Campaniæ cum maxime peragrat. Sic imbui futurum generis humani rectorem. Id primum et paternis Tiberii consiliis discere. Sane gravaretur adspectum civium senex imperator, fessamque ætatem et actos labores prætenderet. Quod vero impedimentum Druso, nisi ex adrogantia?

religiones introspexit; libero, ut quondam,[4] quid firmaret mutaretve.

61. Primi omnium Ephesii[1] adiere, memorantes: "Non, ut vulgus crederet, Dianam atque Apollinem Delo[2] genitos: esse apud se Cenchrium amnem,[3] lucum Ortygiam,[4] ubi Latonam, partu gravidam, et oleæ, quæ tum etiam maneat, adnisam, edidisse ea numina: deorumque monitu sacratum nemus. Atque ipsum illic Apollinem, post interfectos Cyclopas,[5] Jovis iram vitavisse. Mox Liberum patrem bello victorem, supplicibus Amazonum,[6] quæ aram insederant, ignovisse. Auctam hinc, concessu Herculis, cum Lydia potiretur, cærimoniam templo: neque Persarum ditione, deminutum jus. Post Macedonas, dein nos servavisse."[7]

62. Proximo Magnetes[1] L. Scipionis, et L. Sullæ[2] constitutis nitebantur: quorum ille Antiocho, hic Mithridate, pulsis, fidem atque virtutem Magnetum decoravere, "uti Dianæ

4 *Libero, ut quondam.* Eique, ut quondam, liberum fuit, quid firmaret, mutaretve. De Asylis optima habet Grotius Jur. Bell. ac. pac. ii, 21. De eorum origine, variis generibus, et urbibus, quæ ΙΕΡΑΙ ΚΑΙ ΑΣΥΛΟΙ dicebantur, vide Spanheimium, de præst. et usu numism. vol. i. p. 659 sq.

1 *Ephesii.* In Ionia Ephesus, Dianæ Ephesinæ templo ac cultu celeberrima. Extant ejus rudera in loco, qui dicitur *Agio-tzoluc*, vel *Aiasoluk*. Vide Pococke, *Description of the east*, vol. ii. part. 2. p. 45 sq.

2 *Delo.* Delos insula, 'Cycladum media ac templo Apollinis et mercatu celebrata,' Plin. iv. 12. §. 22. Nunc *Sailles* appellatur.

3 *Cenchrium amnem.* Cenchrius amnis Ortygiam sylvam omnigenis arboribus ac maxime cupresso consitam intermeabat, Strabo xiv. p. 639.

4 *Lucum Ortygiam.* Tota Delos dicta olim Ortygia, teste Plinio l. c. Sed Ephesii lucum Ortygiam, in quo pepererat Latona, se habere gloriabantur. Haud ita sentiebat Pindar. quem laudat Strabo x. p. 485. Lucus Ortygia medius erat mare inter et urbem Ephesum. Strabo xiv, p. 639.

5 *Cyclopas.* Cyclopes, Homerica et Platonica somnia. V. Strabon. xiii, p. 592.

6 *Amazonum.* Amazonas Ephesum condidisse, aliaque portentosa patrasse ferebant. Nugæ, quas merito irridet Strabo xi, p. 504 et 505. Περὶ δὲ τῶν Ἀμαζόνων τὰ αὐτὰ λέγεται, καὶ νῦν, καὶ πάλαι, τερατώδη τ' ὄντα, καὶ πίστεως πόῤῥω. 'De Amazonibus eadem et nunc, et antiquitus traduntur, prodigiosa quidem, et a fide procul remota.' De supplicibus Amazonibus pauca habet Pausan. vii, 2. in Achaic.

7 *Nos servavisse.* De origine Asyli multa mentiti sunt Ephesii. De ipso jure accuratius scripsit Strabo xiv, p. 641. 'Nunc, ut quondam, Asylum est templum. At fines Asyli immutari sæpe contigit. Alexander ad unum stadium extendit. Mithridates sagitta ab angulo tecti emissa, quod stadio paulo longius, dimensus est. Antonius id duplicavit, partemque urbis Asylo adjecit. Quod cum damnosum videretur, et maleficis tutam urbem faceret, [Antonianam amplificationem] abrogavit Augustus.'

1 *Magnetes.* Hi non sunt Magnetes a Sipylo, populi Lydiæ, de quibus sup. An. ii, 47. sed Magnetes ad Mæandrum in Caria: v. Strab. xiv, p. 647. Interpretationi tamen Latinæ, quæ minime accurata est, diffide. Magnetum urbs princeps Magnesia, nunc *Guzelhizar*. Templi ruinas describit Pococke, *Description of the east*, vol. ii. part. 2. p. 54sq. V. not. et em. ad An. iii, 62.

2 *L. Scipionis, et L. Sullæ.* L. Scipio Antiochum vicit A. U. C. 564. Mithridates Asia pulsus a L. Sylla A. U. C. 670.

Leucophryenæ[3] perfugium inviolabile foret." Aphrodisienses[4] posthac, et Stratonicenses[5] dictatoris Cæsaris, ob vetusta in partes merita, et recens divi Augusti decretum attulere. Laudati, "quod Parthorum inruptionem, nihil mutata in populum Romanum constantia, pertulissent."[6] Sed Aphrodisiensium civitas, Veneris; Stratonicensium, Jovis et Triviæ[7] religionem tuebantur. Altius Hierocæsarienses[8] exposuere, "Persicam apud se Dianam; delubrum, rege Cyro,[9] dicatum:" et memorabantur "Perpernæ,[10] Isaurici,"[11] multaque alia imperatorum nomina, qui non modo templo, sed duobus millibus passuum eamdem sanctitatem tribuerant. Exin Cyprii tribus delubris,[12] quorum vetustissimum Paphiæ Veneri auctor Aërias,[13] post filius ejus Amathus Veneri Amathusiæ, et Jovi Salaminio Teucer, Telamonis patris ira profugus, posuissent.

63. Auditæ aliarum quoque civitatum legationes. Quorum copia fessi patres, et quia studiis certabatur, consulibus permisere, "ut perspecto jure, et si qua iniquitas involveretur, rem integram rursum ad senatum referrent." Consules super eas civitates, quas memoravi, "apud Pergamum[1]

3 *Dianæ Leucophryenæ.* Apud Magnetes templum erat Dianæ Leucophryenæ celeberrimum, ipso Ephesino templo, tum concinnitate, tum architectura præstantius. Strabo xiv, p. 647. In nummis Hadriani Dianæ effigies ΛΕΥΚΟΦΡΥΣ· ΜΑΓΝΗΤΩΝ. In nummis vero Otaciliæ Severæ, Dianæ templum, ΜΑΓΝΗΤΩΝ ΛΕΥΚΟΦΡΥΗΝΗ. V. Harduin. Select. Opp. p. 97. et Marm. Oxon. p. 14 et 43.

4 *Aphrodisienses.* In Caria 'Aphrodisienses liberi,' Plin. v, 29. Urbs princeps Aphrodisia, nunc *Geyra.* V. not. et em. ad An. iii, 62. et Pococke l. c. p. 69.

5 *Stratonicenses.* In Caria 'Stratonicea libera,' Plin. v, 29. Nunc appellatur *Eski-hissar.* V. not. et em. ad An. iii, 62.

6 *Pertulissent.* Ita fortiter pertulit Stratonicea, ut a Labieno diu obsessa A. U. C. 714. numquam capi potuerit. Dio xlviii, p. 379.

7 *Jovis et Triviæ.* Prope urbem Stratoniceam templum erat Jovis Chrysaoris, Χρυσαορίως Διὸς, Caribus omnibus commune. Eo ad sacrificia et deliberationes de republica conveniebant, et *conventus* ille *Chrysaoreus*, σύστημα Χρυσαορίον, dicebatur. Strabo xiv, p. 660. Apud eosdem populos, in Laginorum pago, celeberrimum erat fanum Hecatæ Deæ, quam in triviis natam et educatam Tacitus *Triviam* appellat. Strabo ibid.

8 *Hierocæsarienses.* Populi Lydiæ, quorum urbem principem, Hierocæsaream, nocturno terræ motu collapsam vidimus sup. An. ii, 47. V. not. et em. ad An. iii, 62.

9 *Rege Cyro.* Cyrus Persici imperii conditor fuit A. U. C. 195. A. C. 558. V. Petav. Doctr. Temp. x, 14.

10 *Perpernæ.* Marcus Perperna Aristonicum, qui Asiam invaserat, vicit A. U. C. 624. Justin. xxxvi, 4.

11 *Isaurici.* Publius Servilius A. U. C. 679. piratas domuit, validissimas urbes Ciliciæ, ipsamque arcem Isauron evertit: 'Unde conscius sibi magni laboris, Isaurici cognomen adamavit.' Florus iii, 6.

12 *Tribus delubris.* Tria hæc Cypri insulæ delubra in tribus oppidis cognominibus posita. Templum Paphiæ Veneris Paphi, nunc *Bafo;* Amathusiæ, Amathunte, cujus audera extant prope urbem *Limisso;* Jovis Salaminii, Salamine, nunc *Salamis.*

13 *Aerias.* Rex de quo Hist. ii, 3.

1 *Apud Pergamum.* Pergamus, urbs Mysiæ majoris, olim sub Attalicis regibus clarissima, nunc *Bergamo.* Nummi ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ Æsculapium hujus asyli tutorem exhibent.

Æsculapii compertum asylum" retulerunt: "ceteros obscuris ob vetustatem initiis niti: nam Smyrnæos oraculum Apollinis,[2] cujus imperio Stratonicidi Veneri[3] templum dicaverint: Tenios[4] ejusdem carmen referre, quo sacrare Neptuni effigiem, ædemque jussi sint: propiora Sardianos:[5] Alexandri victoris id donum: neque minus Milesios Dario rege niti: sed cultus[6] numinum utrisque, Dianam aut Apollinem venerandi. Petere et Cretenses[7] simulacro divi Augusti." Factaque senatusconsulta, queis multo cum honore,[8] modus tamen præscribebatur; jussique "ipsis in templis figere æra,[9] sacrandam ad memoriam, neu specie religionis in ambitionem[10] delaberentur."

64. Sub idem tempus Juliæ Augustæ[1] valetudo atrox, necessitudinem Principi fecit festinati in urbem reditus: sincera adhuc inter matrem filiumque concordia; sive occultis odiis. Neque enim multo ante, cum haud procul theatro Marcelli, effigiem divo Augusto Julia dicaret, Tiberii nomen suo postscripserat; idque ille credebatur, ut inferius majestate Principis, gravi et dissimulata offensione abdidisse. Sed tum "supplicia Diis,[2] ludique magni" ab senatu decernuntur,

2 *Oraculum Apollinis.* Cultum Clarii Apollinis apud Smyrnæos testatur nummus ΚΛΑΡΩΣ ΣΜΥΡ. ΕΠΙ ΕΡΜΟΓΕΝΟΥΣ, i. e. 'Clarii [Apollinis] Smyrnæorum sub Hermogene' prætore. V. Harduin. Select. Opp. p. 158.

3 *Stratonicidi Veneri.* Ita dictæ in honorem Stratonices, aviæ Seleuci II. cognomento Callinici, qui sancivit templum Veneris Stratonicidis asylum fore, urbemque Smyrnam sacram et asylum. Seleucus Callinicus regnum Syriæ auspicatus est A. U. C. 507. A. C. 246. V. not. et em. ad An. iii, 63.

4 *Tenios.* Tenos insula, una Cycladum, nunc *Tino.* Obvii ΤΗΝΙΩΝ nummi cum tridente Neptuni, quem ut *medicum*, ἰατρὸν, ob expulsos serpentes, colebant. Philocorus apud Clem. Alex. in Protrept. ad Gentes p. 18. V. et Strab. xii, p. 487.

5 *Propiora Sardianos.* Sardianos et Milesios haud ita vetusta arcessere. Sed Sardianos asylum suum Alexandro victori acceptum referre, Milesios Dario rege niti, et utrisque numina esse Dianam aut Apollinem. Apud Sardianos templum 'Dianæ Coloenes,' ἱερὸν τῆς Κολοήνης Ἀρτέμιδος, Strabo xiii, p. 626. Milesii Apollinem Didymæum colebant. Inde nummi ΜΙΛΗΣΙΩΝ ΔΙΔΥΜΕΥΣ; ejus templi rudera, et insignes tres inscriptiones de donariis a rege Prusia aliisque, etiam cum inscriptione ΑΠΟΛΛΩΝΟΣ ΔΙΔΥΜΕΩΣ exhibet eruditus Chishull. Antiq. Asiat. p. 90 sq. De Sardianis dictum sup. An. ii, 47 et 54.

6 *Sed cultus.* I. e. *et cultus. Sed* sententiam continuat, novam non incipit, quod optimis scriptoribus non insolens. Sic δὲ apud Græcos. V. Cortium in Sallust. Catil. 43.

7 *Cretenses.* Creta insula, nunc *Candia.*

8 *Multo honore.* Tum Deorum, tum populorum.

9 *Figere æra.* Tabulas æreas, quibus inscripta essent senatusconsulta de Asylis.

10 *In ambitionem.* Specie religionis nova semper ac majora ambiunt populi. In hac de Asylis sententia, sicut in aliis plurimis, Tiberium calumniatus est Suet. Tib. 37. 'Abolevit et jus moremque asylorum, quæ usquam erant.' Asylorum licentiam, non vero jus et morem, abolevit Tiberius.

1 *Juliæ Augustæ.* Liviæ, Tiberii matris, in familiam Juliam et Augustæ nomen adsumtæ. An. i, 8.

2 *Supplicia Diis.* A senatu decernuntur supplicationes Diis, ludique magni, i. e. circenses, quos pontifices, et augures, et quindecimviri, simul ac septemviri et sodales Augustales ederent. Septemviri dicti sunt quoque epulones, quod epulis et

"quos pontifices, et augures, et quindecimviri, septemviris simul et sodalibus Augustalibus ederent." Censuerat L. Apronius, "ut feciales[3] quoque iis ludis præsiderent:" contradixit Cæsar, distincto sacerdotiorum jure, et repetitis exemplis: "neque enim umquam fecialibus hoc majestatis fuisse. Ideo Augustales adjectos,[4] quia proprium ejus domus sacerdotium esset, pro qua vota persolverentur."

65. Exsequi sententias haud institui, nisi insignes per honestum, aut notabili dedecore: quod præcipuum munus annalium reor, ne virtutes sileantur, utque pravis dictis factisque ex posteritate et infamia metus sit. Ceterum tempora illa adeo infecta, et adulatione sordida fuere, ut non modo primores civitatis, quibus claritudo sua obsequiis protegenda erat; sed omnes consulares, magna pars eorum, qui prætura functi, multique etiam pedarii senatores[1] certatim exsurgerent, fœdaque et nimia censerent. Memoriæ proditur, Tiberium, quotiens curia egrederetur, Græcis verbis in hunc modum eloqui solitum, *o homines ad servitutem paratos!* scilicet etiam illum, qui libertatem publicam nollet, tam projectæ servientium patientiæ tædebat.

66. Paulatim dehinc, ab indecoris ad infesta transgrediebantur. C. Silanum proconsulem Asiæ, repetundarum a sociis postulatum, Mamercus Scaurus e consularibus, Junius Otho prætor, Brutidius Niger ædilis simul corripiunt, objectantque "violatum Augusti numèn, spretam Tiberii majestatem." Mamercus antiqua exempla jaciens, "L. Cottam[1] a Scipione Africano, Ser. Galbam[2] a Catone censorio, P. Ruti-

sacrificiis epularibus præessent. *Simul*, Græcorum exemplo, cum dativo conjungit Tacitus. Sic adhuc inf. An. iv, 55. V. G. Cuper. Obs. iv, 142 et 143.

3 *Feciales.* Non ludorum, sed 'fœderum, pacis, belli, induciarum, oratores feciales judicesque sunto,' Cic. de legg. ii, 9.

4 *Augustales adjectos.* Apud Romanos ludorum cura erat commissa quatuor collegiis pontificum, augurum, quindecimvirorum, et septemvirorum. Ludis vero pro Julia editis adjecti sunt Augustales, quod hoc sacerdotium esset proprium Juliæ domus, pro qua vota persolverentur.

1 *Pedarii senatores.* Gell. iii, 18. 'Senatores, qui magistratum curulem nondum cœperant, pedibus itavisse in curiam. Propterea senatores, nondum majoribus honoribus functos, pedarios nominatos.' Nec pedibus tantum in curiam itabant, sed in curia magis annuebant, quam sententiam dicebant, juxta versum Laberii. 'Caput sine lingua, pedaria sententia est.'

1 *L. Cottam.* P. Scipio Africanus L. Cottam ad prætorem accusavit circa A. U. C. 622. Cottam, quamquam gravissimorum criminum reum, absolverunt judices, 'ne accusatoris amplitudini damnatio ejus donata existimaretur,' Val. Max. viii, 1. n. 11.

2 *Ser. Galbam.* Galba, quod Lusitanos plurimos interemisset, a Libone et M. Catone accusatus, a judicibus, non æquitate, sed misericordia motis, absolutus circa A. U. C. 604. Val. Max. l. c. n. 2. Cic. de claris orat. xxiii.

lium[3] a M. Scauro accusatos." Videlicet Scipio[4] et Cato talia ulciscebantur; aut ille Scaurus, quem proavum suum, opprobrium majorum Mamercus, infami opera dehonestabat. Junio Othoni[5] literarium ludum exercere vetus ars fuit: mox Sejani potentia senator, obscura initia impudentibus ausis propellebat. Brutidium artibus honestis copiosum, et, si rectum iter pergeret, ad clarissima quæque iturum, festinatio extimulabat, dum æquales, dein superiores, postremo suasmet ipse spes anteire parat: quod multos etiam bonos pessum dedit, qui, spretis quæ tarda cum securitate, præmatura vel cum exitio properant.'

67. Auxere numerum accusatorum Gellius Poplicola et M. Paconius:[1] ille quæstor Silani, hic legatus. Nec dubium habebatur, sævitiæ captarumque pecuniarum teneri reum: sed multa adgerebantur etiam insontibus periculosa; cum, super tot senatores adversos, facundissimis totius Asiæ, eoque ad accusandum delectis, responderet solus, et orandi nescius, proprio in metu, qui exercitam quoque eloquentiam debilitat: non temperante Tiberio, quin premeret voce, vultu, eo quod ipse creberrime interrogabat: neque refellere, aut eludere, dabatur; ac sæpe etiam confitendum erat, ne frustra quæsivisset. Servos quoque Silani, ut tormentis interrogarentur, actor publicus mancipio acceperat:[2] et ne quis necessariorum juvaret periclitantem, majestatis crimina subdebantur, vinclum et necessitas silendi. Igitur petito paucorum dierum interjectu, defensionem sui deseruit, ausis ad Cæsarem[3] codicillis, quibus invidiam et preces miscuerat.

68. Tiberius, quæ in Silanum parabat, quo excusatius sub exemplo acciperentur, libellos divi Augusti de Voleso Messala,[1] ejusdem Asiæ proconsule, factumque in eum senatuscon-

3 *P. Rutilium.* A. U. C. 645. 'cum una consulatum petivissent P. Rutilius et M. Scaurus; Rutilius, qui repulsam tulerat, accusavit ambitus designatum competitorem: sed Scaurus etiam absolutus Rutilium in judicium vocavit,' Cic. de claris orat. xxx.

4 *Videlicet Scipio.* Tacitus hæc loquitur indignabundus. Quasi vero talia, tamque nefariis artibus, ulti fuissent Scipio, et Cato, aut ille Scaurus, quem proavum suum Mamercus iste, majorum opprobrium, infami delatoris opera dehonestabat. De probroso isto Mamerco dictum sup. c. 31. dicetur inf. An. vi, 29. V. adhuc longe fœdiora ap. Senec. de Benef. iv, 31.

5 *Junio Othoni.* De Junio Othone et Nigro Brutidio mentio ap. Senec. II. Controv. 9. in fine.

1 *M. Paconius.* Forte idem, qui postea majestatis damnatus. Suet. Tib. 61.

2 *Mancipio acceperat.* De hoc Tiberiano usu dictum sup. An. ii, 30.

3 *Ausis ad Cæsarem.* V. not. et em. ad An. iii, 67.

1 *Voleso Messala.* Effero barbaroque homine, de quo Seneca de Ira ii, 5. 'Volesus nuper sub divo Augusto, proconsul

sultum recitari jubet. Tum L. Pisonem sententiam rogat: ille multum de "clementia Principis" præfatus, "aqua et igni Silano interdicendum" censuit, "ipsumque in insulam Gyarum[2] relegandum." Eadem ceteri, nisi quod Cn. Lentulus "separanda Silani materna bona (quippe alia parente[3] geniti) reddendaque filio" dixit, adnuente Tiberio. At Cornelius Dolabella, dum adulationem longius sequitur, increpitis C. Silani moribus, addidit, "ne quis vita probrosus, et opertus infamia, provinciam sortiretur; idque Princeps dijudicaret; nam a legibus delicta puniri: quanto fore mitius in ipsos, melius in socios, provideri ne peccaretur?"

69. Adversum quæ disseruit Cæsar: "Non quidem sibi ignara, quæ de Silano vulgabantur, sed non ex rumore statuendum; multos in provinciis contra, quam spes aut metus de illis fuerit, egisse: excitari quosdam ad meliora, magnitudine rerum; hebescere alios: neque posse Principem sua scientia cuncta complecti, neque expedire, ut ambitione aliena trahatur. Ideo leges in facta constitui, quia futura in incerto sint: sic a majoribus institutum, ut si anteissent delicta, pœnæ sequerentur. Ne verterent sapienter reperta, et semper placita: satis onerum Principibus, satis etiam potentiæ: minui jura, quotiens gliscat[1] potestas: nec utendum imperio, ubi legibus agi possit." Quanto rarior apud Tiberium popularitas, tanto lætioribus animis accepta. Atque ille prudens moderandi, si propria ira non impelleretur, addidit, "insulam Gyarum immitem et sine cultu hominum esse: darent Juniæ familiæ,[2] et viro quondam ordinis ejusdem, ut Cytheram[3] potius concederet: id sororem quoque Silani Torquatam,[4]

Asiæ, cum trecentos una die securi percussisset, incedens inter cadavera vultu superbo, quasi magnificum quiddam conspiciendumque fecisset, Græce proclamavit: O rem regiam! Quid hic rex fecisset? Non fuit hæc ira, sed majus malum et insanabile.'

2 *Gyarum.* Ægæi maris insulam, reorum exilio notissimam, nunc *Joura.* Juv. i, 73. 'Aude aliquid brevibus Gyaris, et carcere dignum, Si vis esse aliquid.'*

* [V. Burman. ad Ov. Heroid. xii, 31. Misc. Obs. v, 265. vulgo *aliquis.*]

3 *Alia parente.* Silani mater non e gente Junia, sed ex alia familia, et forte Manlia; ejus enim soror *Torquata* appellatur c. seq. Porro cum Principum adulatore squascumque nocendi causas prætexant, Cn. Lentulus censet separanda Silani materna bona, quippe alia parente nati, et filio Æmiliæ Lepidæ, Augusti proneptis marito, reddenda. Adnuit Tiberius. V. not. et em. ad An. iii, 68.

1 *Quotiens gliscat.* Quantum crescit nimia potestas, tantum minuuntur jura.

2 *Juniæ familiæ.* Claritudini Juniæ familiæ, et viro ordinis senatorii.

3 *Cytheram.* Græciæ insulam, nunc *Cerigo,* juxta Maleam promontorium, positam. V. not. et em. ad An. iii, 69.

4 *Torquatam.* Ejus statua, velato capite, manibus ignem sacrum præferens, extat apud Spon. Miscell. erudit. Antiq. p. 150.

priscæ sanctimoniæ virginem expetere." In hanc sententiam facta discessio.

70. Post auditi Cyrenenses,[1] et, accusante Anchario Prisco, Cæsius Cordus repetundarum damnatur. L. Ennium, equitem Romanum, majestatis postulatum, "quod effigiem Principis promiscuum ad usum argenti vertisset," recipi Cæsar inter reos vetuit; palam aspernante Ateio Capitone,[2] quasi per libertatem, "Non enim debere eripi patribus vim statuendi, neque tantum maleficium impune habendum: sane lentus in suo dolore esset; reipublicæ injurias ne largiretur." Intellexit hæc Tiberius, ut erant magis, quam ut dicebantur: perstititque intercedere. Capito insignitior infamia fuit, quod humani divinique juris sciens, egregium publicum,[3] et bonas domi artes dehonestavisset.

71. Incessit dein religio, quonam in templo locandum foret donum, quod pro valetudine Augustæ equites Romani voverant Equestri Fortunæ: nam etsi delubra ejus Deæ multa in Urbe, nullum tamen tali cognomento[1] erat: repertum est ædem esse apud Antium,[2] quæ sic nuncuparetur, "cunctasque cærimonias Italicis in oppidis, templaque, et numinum effigies, juris atque imperii Romani esse:" ita donum apud Antium statuitur. Et quando de religionibus tractabatur, dilatum nuper responsum adversus Servium Maluginensem, flaminem Dialem, promsit Cæsar; recitavitque decretum pontificum:

cum hac insigni inscriptione:

IVNONI
IVNIAE C. SILANI F
TORQVATAE
SACERDOTI VESTALI
ANNIS LXIIII
COELESTI PATRONAE
ACTIVS. L.

1 *Cyrenenses.* Cyrenaicam, nunc *the desert of Barca,* habitabant. Auditi sunt autem Cyrenenses, licet Cordus Cretæ proconsul fuisset, ut dictum est sup. c. 38. quod Creta et Cyrenaica uni et eidem proconsuli parerent, teste Strabone, xvii, p. 840. 'Ογδόην δὲ (στρατηγίαν) Κρήτην μετὰ τῆς Κυρηναίας.

2 *Ateio Capitone.* De quo plura inf. c. 75.

3 *Egregium publicum.* Ita quoque assiduus Taciti imitator Sulpitius Severus, Hist. Sacr. ii, p. 163. 'Hoc fere modo homines, luce indignissimi, pessimo exemplo necati, aut exiliis multati: quod initio jure judiciorum et egregio publico defensum.' Et Gell. vii, 3. 'id, quod optimum esse publicum existimabat.' Egregium publicum, idem est quod vulgo dicimus *the public good.* Contra Varro de R. R. i, 13. 'Nunc villam urbanam quam maximam ac politissimam habeant, dant operam: ac cum Metelli ac Luculli villis, pessimo publico ædificatis, certant.'

1 *Tali cognomento.* Ergo tunc dirutum templum Fortunæ Equestris, a Fulvio Flacco olim inauspicato factum, de quo Liv. xl, 40. Val. Max. i, 1. n. 20. Nec emendandum, ut nonnullis placuit *Sequestri Fortunæ.* V. eruditum Philip. a Turre, Monumenta veteris Antii, c. 1. p. 16.

2 *Apud Antium.* Urbem Latii. Manent rudera apud locum, qui nunc dicitur *Anzio.* Qui plura volet de Antio et Fortuna Equestri Antiatum, adeat Vulp. S. J. Vetus Latium, vol. iii, p. 98 sq. Templi ruinas exhibet tabula xiv.

"Quotiens valetudo adversa flaminem Dialem incessisset, ut, pontificis maximi arbitrio, plusquam binoctium abesset: dum ne diebus publici sacrificii, neu sæpius quam bis eumdem in annum." Quæ, Principe Augusto constituta, satis ostendebant, annuam absentiam et provinciarum administrationem Dialibus non concedi: memorabaturque L. Metelli, pontificis maximi, exemplum, qui Aulum Postumium, flaminem, attinuisset.[3] Ita sors Asiæ in eum, qui consularium Maluginensi proximus erat, conlata.

72. Iisdem diebus Lepidus ab senatu petivit, "ut basilicam Pauli,[1] Æmilia monimenta, propria pecunia firmaret ornaretque." Erat etiam tum in more publica munificentia: nec Augustus arguerat Taurum,[2] Philippum, Balbum, hostiles exuvias, aut exundantes opes, ornatum ad urbis, et posterum gloriam conferre: quo tum exemplo Lepidus, quamquam pecuniæ modicus, avitum decus recoluit. At Pompeii theatrum igne fortuito haustum, Cæsar extructurum pollicitus est, "eo quod nemo e familia restaurando sufficeret, manente tamen nomine Pompeii." Simul laudibus Sejanum extulit, "tamquam labore vigilantiaque ejus tanta vis unum intra damnum stetisset;" et censuere patres "effigiem Sejano,[3] quæ

3 *Flaminem, attinuisset.* Ad sacra retinuisset. Hæc fusius explicat Liv. xxxvii, 51. 'Patrum memoria [certamen] inter L. Metellum et Postumium Albinum fuerat. Consulem illum cum C. Luctatio collega, in Siciliam ad classem proficiscentem, ad sacra retinuerat Metellus pontifex max. Et in senatu et ad populum magnis contentionibus certatum est, et imperia inhibita ultro citroque, et pignora capta, et mulctæ dictæ, et tribuni appellati, et provocatum ad populum est. Religio ad postremum vicit, ut dicto audiens esset flamen pontifici; et mulctæ ex jussu populi remissæ.'

1 *Basilicam Pauli.* Basilicam illam, seu porticum, in viii. Urbis regione extruxerat Æmilius Paulus, qui consul fuit A. U. C. 704. Eam laudat Plin. xxxvi, 15. 'Nonne inter magnifica basilicam Pauli columnis e Phrygibus mirabilem?' Cic. ad Att. iv, Ep. 16. 'Quid quæris? Nihil gratius illo monumento, nihil gloriosius.' Illam exhibet nummus familiæ Æmiliæ apud Vaillant, Famil. Rom. vol. iii, n. 39. Ex una parte caput Libertatis laureatum et velatum. Ex altera ipsa Basilica AEMILIA REF. SC. M. LEPIDVS. 'Æmilia refecta senatusconsulto. M. Lepidus.' V. not. et em. ad An. iii, 62.

2 *Arguerat Taurum.* De illis operibus Vellei. ii, 89. ac maxime Suet. Aug. 29. 'Multaque a multis extructa sunt: sicut a Marcio Philippo, ædes Herculis Musarum; a Lucio Cornificio, ædes Dianæ; ab Asinio Pollione, atrium Libertatis; a Munatio Planco, ædes Saturni; a Cornelio Balbo, theatrum; a Statilio Tauro, amphitheatrum; a Marco vero Agrippa, complura et egregia.' Cl. Ernestus, Lips. et Gronov. secutus, emendavit, *arcuerat.* Sed frustra. Sic enim inf. An. iv, 12. 'Ut superbam fœcunditate, subnixam popularibus studiis, inhiare dominationi apud Cæsarem arguerent.'

3 *Effigiem Sejano.* Animose et vere Seneca, Consol. ad Marciam, xxii. 'Decernebatur illi statua in Pompeii theatro ponenda, quod exustum Cæsar reficiebat. Exclamavit Cordus: Tunc vere theatrum perire. Quis ergo non rumperetur, supra cineres Cn. Pompeii constitui Sejanum, et in monumentis maximi imperatoris consecrari perfidum militem?'

apud theatrum Pompeii locaretur." Neque multo post Cæsar, cum Junium Blæsum, proconsulem Africæ, triumphi insignibus attolleret, "dare id se" dixit "honori Sejani," cujus ille avunculus erat.

73. Ac tamen res Blæsi dignæ decore tali fuere: nam Tacfarinas,[1] quamquam sæpius depulsus, reparatis per intima Africæ auxiliis, huc adrogantiæ venerat, ut legatos ad Tiberium mitteret, "sedemque" ultro "sibi atque exercitui suo" postularet, aut "bellum inexplicabile" minitaretur. Non alias magis sua populique Romani contumelia indoluisse Cæsarem ferunt, quam "quod desertor et prædo, hostium more ageret. Ne Spartaco[2] quidem, post tot consularium exercituum clades inultam Italiam urenti, quamquam Sertorii atque Mithridatis[3] ingentibus bellis labaret respublica, datum, ut pacto in fidem acciperetur: nedum, pulcherrimo populi Romani fastigio, latro Tacfarinas, pace et concessione agrorum redimeretur." Dat negotium Blæso, "ceteros quidem ad spem proliceret arma sine noxa ponendi; ipsius autem ducis quoquo modo potiretur."

74. Et recepti ea venia plerique: mox adversum artes Tacfarinatis, haud dissimili modo belligeratum. Nam quia ille robore exercitus impar, furandi melior, plures per globos incursaret, eluderetque, et insidias simul tentaret; tres incessus, totidem agmina parantur: ex queis Cornelius Scipio legatus præfuit, qua prædatio in Leptitanos,[1] et suffugia Ga-

1 *Tacfarinas.* De illo sup. c. 20. et Annal. ii, 52.

2 *Ne Spartaco.* A. U. C. 681. A. C. 72. Spartacus, Œnomaus, et Crixus servile bellum in Italia concitarunt; Claudium Pulchrum legatum, ac Publium Varinium prætorem bello vicerunt; tandem a Licinio Crasso superati fortiter occubuerunt. Florus iii, 20.

3 *Mithridatis.* Pontici regis, odio in Romanos celeberrimi, qui cum Sertorio fœdus iniit A. U. C. 680. Florus iii, 5. Appian. in Mithridatic. p. 216 sq.

1 *In Leptitanos.* Cl. Ernestus difficultatem Geographicam movet. 'Quomodo,' inquit, 'e finibus Leptitanorum suffugium erat in Garamantas, cum Leptis sit ad mare, Garamantes in interiori Africa?' At si quis ad populorum situm attenderit, certe perspiciet facillimam fuisse Tacfarinati prædationem in Leptitanos, et inde in Garamantas suffugium. Itaque in extrema Byzacena, haud procul a Tritone fluvio, ita positus Cornelius Scipio, ut Leptitanos protegeret, simul immineret Garamantibus. Contra vero in Numidia prope Ampsagam fluvium excubias agebat Blæsus filius, ne Cirtensium pagi impune traherentur. Scipionem inter et Blæsum filium medius Blæsus pater arcta et infensa hostibus cuncta faciebat. Quoquo enim inclinaret Tacfarinas, occurrebat pars aliqua militis Romani. Si Africam peteret, in ore erat Blæsus pater, in latere dextro Blæsus filius, in sinistro Cornelius Scipio. Si forte versus Blæsum filium aut Scipionem progrederetur, tum alteruter erat in tergo. Hæc debetur Tacito laus maxima, quod inter Historicos nullus sit rerum Geographicarum illo peritior. Leptitani, *between the gulfs of Cabes and Syrtis.* Garamantes, *the western part of Biledulgerid.* Cirten-

ramantum; alio latere, ne Cirtensium pagi impune traherentur, propriam manum Blæsus filius duxit: medio, cum delectis, castella et munitiones idoneis locis imponens, dux ipse arcta et infensa hostibus cuncta fecerat: quia quoquo inclinarent, pars aliqua militis Romani in ore, in latere, et sæpe a tergo erat: multique eo modo cæsi, aut circumventi. Tunc tripartitum exercitum plures in manus dispergit, præponitque centuriones virtutis expertæ: nec, ut mos fuerat, acta æstate retrahit copias, aut in hibernaculis veteris provinciæ[2] componit: sed ut in limine belli, dispositis castellis, per expeditos et solitudinum gnaros, mutantem mapalia[3] Tacfarinatem proturbat: donec, fratre ejus capto, regressus est, properantius tamen quam ex utilitate sociorum, relictis per quos resurgeret bellum. Sed Tiberius pro confecto interpretatus, id quoque Blæso tribuit, ut *imperator* a legionibus salutaretur; prisco erga duces honore, qui, bene gesta republica, gaudio et impetu victoris exercitus conclamabantur: erantque plures simul imperatores, nec super ceterorum æqualitatem: concessit quibusdam et Augustus id vocabulum; ac tunc Tiberius Blæso postremum.[4]

75. Obiere eo anno viri inlustres, Asinius Saloninus,[1] M. Agrippa et Pollione Asinio avis, fratre Druso insignis, Cæsarique progener destinatus: et Capito Ateius, de quo memoravi,[2] principem in civitate locum studiis civilibus adsecutus; sed avo centurione Sullano, patre prætorio. Consulatum[3] ei adceleraverat Augustus, ut Labeonem Antistium,[4] iisdem

ses, *the western part of Algiers.* Africa et Byzacena, *the kingdom of Tunis.*

2 *Veteris provinciæ.* Provinciæ, quæ Africa dicebatur.

3 *Mutantem mapalia.* Sallust. Jug. 18. 'Ædificia Numidarum agrestium, quæ mapalia illi vocant, oblonga, incurvis lateribus tuta, quasi navium carinæ sunt.' V. et Liv. xxx, 3.

4 *Blæso postremum.* Id observatione dignum. Sic enim veteris populi mores obsolevere, eviluere virtutes.

1 *Asinius Saloninus.* Dictus est Saloninus a Saloniis, Dalmatiæ populis, ab avo suo devictis. Ejus avi, Pollio Asinius et M. Vipsanius Agrippa. Drusi Cæsaris frater, quippe filius Vipsaniæ Agrippinæ, Drusi matris, quam Tiberius jam gravidam dimiserat. Tiberio progener destinatus, quod ei destinata una ex Germanici filiabus. V. not. et em. ad An. iii, 75. Ibi stemma Pollionum, ad Annalium Taciti intelligentiam utilissimum, proponeretur.

2 *Memoravi.* Sup. c. 70. et An. i, 76 et 79. 'Atteium Capitonem,' virum eruditum, sed antiquiorem, memorat etiam Plin. xiv, 13.

3 *Consulatum.* A. U. C. 759. J. C. 6. consulatum gessere M. Æmilius Lepidus et L. Arruntius. Iis suffecti C. Ateius Capito et C. Vibius Postumius. In tessera gladiatoria apud Muratori, Thes. Inscr. vol. i, p. 299. C. VIB. C. ATEI. COS.

4 *Labeonem Antistium.* De literato illo homine, sed minutularum rerum amatore ridiculo, Plin. xxxv, 4. 'Parvis gloriabatur tabellis, extinctus nuper in longa senecta Antistius Labeo Prætorius, etiam

artibus præcellentem, dignatione ejus magistratus anteiret. Namque illa ætas duo pacis decora[5] simul tulit: sed Labeo incorrupta libertate,[6] et ob id fama celebratior: Capitonis obsequium[7] dominantibus magis probabatur. Illi, quod præturam intra stetit, commendatio ex injuria; huic, quod consulatum adeptus est, odium ex invidia oriebatur.

76. Et Junia,[1] sexagesimo quarto post Philippensem aciem[2] anno, supremum diem explevit, Catone avunculo genita, C. Cassii uxor, M. Bruti soror. Testamentum ejus multo apud vulgum rumore fuit; quia, in magnis opibus, cum ferme cunctos proceres cum honore nominavisset, Cæsarem omisit: quod civiliter acceptum: neque prohibuit quominus laudatione pro rostris, ceterisque solemnibus funus cohonestaretur. Viginti clarissimarum familiarum[3] imagines antelatæ sunt, Manlii, Quinctii, aliaque ejusdem nobilitatis nomina: sed præfulgebant[4] Cassius atque Brutus, eo ipso, quod effigies eorum non visebantur.

proconsulatu provinciæ Narbonensis functus. Sed ea res in risu et contumelia erat.' Ideo forte, et ob nimiam in originibus Latinarum vocum expiscandis diligentiam, irrisus ab Horatio, i. Sat. iii, 82. 'Labeone insanior inter Sanos dicatur.'

5 *Pacis decora.* Labeo Antistius et Ateius Capito duo fuere pacis decora ob civilia legum studia, quibus ita præstitere, ut jurisprudentiam, nullis ducibus hactenus mancipatam, in duas scholas diviserint, teste Pomponio, de origine Juris, Digest. i. Tit. ii, 47. 'Ex his Ateius consul fuit: Labeo noluit, cum offerretur ei ab Augusto consulatus, quo suffectus fieret, honorem suscipere: sed plurimum studiis operam dedit: et totum annum ita diviserat, ut Romæ sex mensibus cum studiosis esset, sex mensibus secederet, et conscribendis libris operam daret. Itaque reliquit quadringenta volumina, ex quibus plurima inter manus versantur. Hi duo primum veluti diversas sectas fecerunt: nam Ateius Capito in his, quæ ei tradita fuerant, perseverabat: Labeo ingenii qualitate et fiducia doctrinæ, qui et ceteris operis sapientiæ operam dederat, plurima innovare instituit.' De utroque jurisconsulto, qui plura volet, adeat eruditum Gravinam, orig. jur. civil. p. 105 sq.

6 *Incorrupta libertate.* Incorruptæ ejus libertatis, cum Augustum ipsum alloqueretur, exempla suppeditant Dio, liv, p. 531. Suet. Aug. 54. Gell. xiii, 12.

7 *Capitonis obsequium.* Ut Capitonis obsequium, dominantibus probatum, agnoscatur, haud silendum, quod memorat Suet. de Illustr. Grammat. 22. 'Marcus Pomponius Marcellus, sermonis Latini exactor molestissimus—cum ex oratione Tiberium reprehendisset: affirmante Ateio Capitone, et esse illud Latinum, et, si non esset, futurum: certe jam inde mentitur, inquit, Capito. Tu enim, Cæsar, civitatem dare potes hominibus, verbis non potes.'

1 *Junia.* D. Junius Silanus uxorem duxit Serviliam, M. Catonis Uticensis sororem. Iis genita Julia, cujus avunculus Cato. Soror erat M. Bruti, non ex patre, sed ex matre Servilia, nupta olim M. Junio Bruto, Bruti patri. Junia nupsit C. Cassio, et forte etiam M. Lepido triumviro. Sic enim Vellei. ii, 88. 'Marcus Lepidus, juvenis forma, quam mente melior; Lepidi ejus, qui triumvir fuerat reipublicæ constituendæ, filius; Junia, Bruti sorore, natus.' Lepidi matrimonium silere potuit Tacitus, ut Catonem, Cassium, et Brutum magis commendaret.

2 *Philippensem aciem.* Pugnatum ad Philippos in Thracia A. U. C. 712. A. C. 41. Manent adhuc Philipporum rudera, prope locum, qui nunc dicitur *Philippopoli.*

3 *Clarissimarum familiarum.* Affinitate cum Junia familia conjunctarum.

4 *Præfulgebant.* Inter tot nobilitatis decora Brutus et Cassius præfulgebant, eo ipso, quod, oppressa libertate, eorum imagines non visebantur. 'Negatus honor gloriam intendit,' An. iv, 26.

BREVIARIUM

LIBRI QUARTI.

---

1. ÆLII Sejani origo et mores. 2. Militari et senatorio ambitu ad dominationem adspirat. 3. Qualem exercituum et reipublicæ statum nactus. 8. Primas dominandi spes, veneno Druso Cæsari dato, auspicatur, conscia uxore ejus Livia. Senatum morte Drusi mœstum erigit Tiberius; patribusque commendat, ut imperii heredes, Germanici filios. 12. Iis, matrique Agrippinæ perniciem molitur Sejanus, scelerum ferox. 14. Aliquot provinciarum legationes, et accusationes. Histriones Italia pulsi. 15. Templum ab Asiæ civitatibus Tiberio, Liviæ, et senatui decretum. 17. Neronem et Drusum, Germanici filios, Diis commendatos a pontificibus queritur Tiberius. 18. Qua causa promtissimos Germanici amicos subvertit Sejanus. Alii accusati ac damnati. 23. In Africa bello finem imponit Dolabella, cæso Tacfarinate. 27. Mota per Italiam servilis belli semina statim oppressa. 28. Vibius Serenus a filio accusatus. P. Suilius, Cremutius Cordus, aliique damnati. 36. Cyzicenis libertas ademta. 37. Tiberius spernit templi honorem ab Hispanis oblatum. 39. Sejanus, nimia fortuna socors, Liviam sibi uxorem petit. 41. Matrimonii spe dejectus, Principem ad vitam procul Roma degendam impellit. 43. Legationes Græcorum de asylorum jure. 44. Mors Cn. Lentuli et L. Domitii. 45. L. Piso in Hispania interficitur. 46. Contusis Thracum gentibus, triumphi insignia accipit Poppæus Sabinus. 52. Claudia Pulchra adulterii accusata et damnata. 53. Agrippina maritum sibi postulat, nec obtinet. 55. Undecim Asiæ urbes certant, in qua earum templum Tiberii statueretur. Smyrnæi prælati. 57. Tiberius in Campaniam secedit. Ibi repentino lapidum lapsu periclitantem, opposito corpore, periculo eximit Sejanus, ex eo major, et adversus Germanici stirpem audacior. 60. Neronem adgreditur. 62. Apud Fidenas amphitheatri casu quinquaginta hominum millia debilitata, vel obtrita. 64. Romæ deustus mons Cælius. 67. In insulam Capreas se abdit Tiberius. Sejanus apertis adversum Agrippinam et Neronem insidiis grassatur. 68. Titius Sabinus ob amici-

tiam Germanici ipsis Calendis Januarii punitur. 71. Mors Juliæ, Augusti neptis. 72. Frisii rebellant, et ægre repressi. 75. Agrippina, Germanici filia, Cn. Domitio nupta.

Hæc sexennio fere gesta.

A.U.C.	J.C.		
DCCLXXVI.	23.	Coss.	C. Asinio Pollione, C. Antistio Vetere.
DCCLXXVII.	24.	Coss.	Sergio Cornelio Cethego, L. Visellio Varrone.
DCCLXXVIII.	25.	Coss.	M. Asinio Agrippa, Cosso Cornelio Lentulo.
DCCLXXIX.	26.	Coss.	Cn. Cornelio Lentulo Gætulico, C. Calvisio Sabino.
DCCLXXX.	27.	Coss.	M. Licinio Crasso, L. Calpurnio Pisone.
DCCLXXXI.	28.	Coss.	Ap. Junio Silano, P. Silio Nerva.

C. CORNELII TACITI
ANNALES.

LIBER QUARTUS.

A. U. C. 776. J. C. 23.

1. C. Asinio, C. Antistio consulibus,[1] nonus Tiberio annus erat compositæ reipublicæ, florentis domus: (nam Germanici mortem inter prospera ducebat) cum repente turbare fortuna cœpit; sævire ipse, aut sævientibus vires præbere. Initium et causa penes Ælium Sejanum, cohortibus prætoriis præfectum, cujus de potentia supra memoravi:[2] nunc originem, mores, et, quo facinore[3] dominationem raptum ierit, expediam. Genitus Vulsiniis,[4] patre Seio Strabone,[5] equite Romano, et prima juventa C. Cæsarem,[6] divi Augusti nepotem, sectatus, non sine rumore Apicio diviti[7] et prodigo stuprum veno dedisse: mox Tiberium variis artibus devinxit adeo, ut obscurum adversum alios, sibi uni incautum intectumque efficeret; non tam solertia,[8] (quippe iisdem artibus victus est)

1 *C. Antistio coss.* C. Asinius Pollio et C. Antistius Vetus consules fuere A. U. C. 776. J. C. 23. His coss., in unitatem venit equester ordo, ut diximus Ann. iii, 55. in not. et em.

2 *Memoravi.* An. i, 24. ii, 72.

3 *Quo facinore.* Nece Drusi Cæsaris, inf. c. 8.

4 *Genitus Vulsiniis.* Volsinios appellat Plin. ii, 52. 'Volsinii, oppidum Tuscorum opulentissimum, totum concrematum est fulmine.' Nunc *Bolsina* in Etruria.

5 *Sejo Strabone.* V. not. et em. ad An. iv, 1. Ibi Sejani stemma dabitur.

6 *C. Cæsarem.* De quo sup. An. i, 3.

7 *Apicio diviti.* Et prodigo homini, de quo Seneca cons. ad Helv. x. 'Apicius nostra memoria vixit: qui in ea urbe, ex qua aliquando Philosophi, velut corruptores juventutis, abire jussi sunt, scientiam popinæ professus, disciplina sua seculum infecit: cujus exitum nosse, operæ pretium est. Cum sestertium millies, [*Angl.* 833,333*l.* 6*s.* 8*d.*] in culinam congessisset, cum tot congiaria Principum, et ingens papitolii vectigal singulis comessationibus exsorpsisset; ære alieno oppressus, rationes suas tunc primum coactus inspexit. Superfuturum sibi sestertium centies, [*Angl.* 83,333*l.* 6*s.* 8*d.*] computavit: et velut in ultima fame victurus, si in sestertio centies vixisset, veneno vitam finivit. Quanta luxuria erat, cui sestertium centies egestas fuit!'

8 *Non tam solertia.* Non tam solertia dominationem obtinuit Sejanus, (quippe iisdem artibus, quas abhibuerat, victus est) quam Deorum ira in rem Romanam, cujus

quam Deum ira in rem Romanam, cujus pari exitio viguit, ceciditque. Corpus illi laborum tolerans, animus audax: sui obtegens, in alios criminator: juxta adulatio[9] et superbia: palam compositus pudor, intus summa apiscendi libido: ejusque causa,[10] modo largitio et luxus, sæpius industria ac vigilantia, haud minus noxiæ, quotiens parando regno finguntur.

2. Vim præfecturæ,[1] modicam antea, intendit, dispersas per Urbem[2] cohortes una in castra conducendo; ut simul imperia acciperent, numeroque et robore, et visu inter se, fiducia ipsis, in ceteros metus crederetur.[3] Prætendebat "lascivire militem diductum: si quid subitum ingruat, majore auxilio pariter subveniri: et severius acturos, si vallum statuatur procul Urbis inlecebris."[4] Ut perfecta sunt castra, inrepere paulatim militares animos, adeundo, appellando: simul centuriones ac tribunos ipse deligere: neque senatorio ambitu[5] abstinebat, clientes suos honoribus aut provinciis ornando, facili Tiberio, atque ita prono, ut *socium laborum*, non modo in sermonibus, sed apud patres et populum celebraret, colique per theatra et fora effigies ejus,[6] interque principia legionum[7] sineret.

pari exitio viguit ceciditque. Ipsam Sejani mortem in rei Romanæ exitium cessisse docet infra Tacitus Annal. vi, 51. Tiberius 'obtectis libidinibus, dum Sejanum dilexit, timuitve: postremo in scelera simul ac dedecora prorupit.'

9 *Juxta adulatio.* Quanta adulatio, tanta superbia.

10 *Ejusque causa.* Dominationem adipiscendi causa, modo largitionem et luxum adhibebat, sæpius industriam ac vigilantiam, quæ haud minus noxiæ sunt, quam largitio et luxus, quoties parando regno finguntur. Hæc vera, et egregie dicta de Sejano: qui adulatoria et falsa desiderat, audiat Vellei. ii, 127. 'Tiberius Cæsar Sejanum Ælium, principe equestris ordinis patre natum, materno vero genere clarissimas, veteresque et insignes honoribus complexum familias, habentem consulares fratres, consobrinos, avunculum, ipsum vero laboris ac fidei capacissimum, sufficiente etiam vigori animi compage corporis, singularem principalium onerum adjutorem in omnia habuit, atque habet; virum severitatis lætissimæ, hilaritatis priscæ, actu otiosis simillimum, nihil sibi vindicantem, eoque assequentem omnia, semper infra aliorum æstimationes se metientem; vultu vitaque tranquillum, animo exsomnem. In hujus virtutum æstimatione jam pridem judicia civitatis cum judiciis principis certant.' Velleius hæc scribebat, cum viveret ac ferme imperaret Sejanus, quod haud satis attendit Cl. Rapin, *Instructions pour l'Histoire*, xx. Velleii studiosior, Tacito iniquior.

1 *Vim præfecturæ.* Vim præfecturæ cohortium prætoriarum, antea modicam, intendit, majoremque fecit.

2 *Per Urbem.* Et forte 'circa finitima oppida,' ut solitum, imperitante Augusto. Suet. Aug. 49.

3 *Metus crederetur.* Dispersas olim per Urbem prætorias cohortes una in castra conduxit, ut, cum simul imperia acciperent, numero, robore, et visu inter se majorem fiduciam ipsæ conciperent, vel concipere viderentur; ceteri vero magis timerent, aut saltem timere existimarentur. Hæc quidem vera novandæ rei causa. Verum alia et minus odiosa prætendebat Sejanus, scilicet lascivire militem dispersum ac diductum.

4 *Procul—inlecebris.* Hac de re v. not. et em. ad An. iv, 2.

5 *Senatorio ambitu.* Senatorum quoque gratiam aucupabatur.

6 *Effigies ejus.* Ut dictum sup. An. iii, 72.

7 *Principia legionum.* De principiis jam dictum An. i, 61. Ibi imagines imperatorum, tamquam divina et præsentia signa, a Romanis cultas dicetur inf. c. 5. not.

3. Ceterum plena Cæsarum domus, juvenis filius,[1] nepotes adulti,[2] moram cupitis adferebant: et, quia vi tot simul corripere intutum, dolus intervalla scelerum poscebat. Placuit tamen occultior via, et a Druso incipere, in quem recenti ira ferebatur. Nam Drusus impatiens æmuli, et animo commotior, orto forte jurgio intenderat Sejano manus, et contra tendentis os verberaverat. Igitur cuncta tentanti promtissimum visum, ad uxorem ejus Liviam[3] convertere; quæ soror Germanici, formæ initio ætatis indecoræ, mox pulchritudine præcellebat. Hanc, ut amore incensus, adulterio pellexit: et postquam primi flagitii potitus est, (neque fœmina, amissa pudicitia, alia abnuerit) ad conjugii spem, consortium regni, et necem mariti impulit. Atque illa, cui avunculus Augustus,[4] socer Tiberius, ex Druso liberi, seque ac majores et posteros municipali adultero[5] fœdabat; ut pro honestis et præsentibus, flagitiosa et incerta expectaret. Sumitur in conscientiam Eudemus, amicus ac medicus[6] Liviæ, specie artis[7] frequens secretis: pellit domo Sejanus uxorem Apicatam, ex qua tres liberos genuerat, ne pellici suspectaretur.[8] Sed magnitudo facinoris metum, prolationes, diversa interdum consilia adferebat.

4. Interim anni principio, Drusus ex Germanici liberis togam virilem[1] sumsit; quæque fratri ejus Neroni decreverat senatus, repetita:[2] addidit orationem Cæsar, multa cum laude filii sui, "quod patria benevolentia in fratris liberos[3] foret." Nam Drusus (quamquam arduum sit, eodem loci potentiam et concordiam esse) æquus adolescentibus, aut certe non adversus habebatur. Exin vetus et sæpe simulatum proficis-

1 *Juvenis filius.* Drusus, Tiberii filius.

2 *Nepotes adulti.* Filii Germanici, Tiberii nepotes.

3 *Uxorem Liviam.* Liviam, sororem Germanici, Drusi uxorem pessimam. V. stem. Cæs. n. 71.

4 *Avunculus Augustus.* Liviæ, Antonia genitæ, magnus avunculus erat Augustus. V. stem. Cæs. n. 43. 42. 71.

5 *Municipali adultero.* Sejanum municipalem adulterum appellat, quod e municipio Vulsiniensi esset oriundus; ac proinde obscurus et ignobilis.

6 *Amicus ac medicus.* Inter varias, et forte acriores artis medicæ criminationes, id recenset Plin. xxix, 1. §. 8. 'Quid enim [arte medica] venenorum fertilius, aut unde plures testamentorum insidiæ? Jam vero et adulteria etiam in Principum domibus, ut Eudemi in Livia Drusi Cæsaris.'

7 *Specie artis.* Revera specie artis, quæ scelera obtegeret.

8 *Suspectaretur.* Ne pellex Livia eam suspectam haberet.

1 *Togam virilem.* Natus annos quatuordecim.

2 *Repetita.* Ipsi quoque datum, ut munere capessendi vigintiviratus solveretur; et quinquennio maturius, quam per leges, quæsturam peteret. Sup. An. iii, 29.

3 *Fratris liberos.* In Germanici liberos. Germanicus a Tiberio fuerat adoptatus, ideo Drusi frater.

cendi in provincias consilium refertur: "multitudinem veteranorum" prætexebat Imperator, et "delectibus supplendos exercitus: nam voluntarium militem deesse; ac si suppeditet, non eadem virtute ac modestia agere: quia plerumque inopes ac vagi sponte militiam sumant:" percensuitque cursim numerum legionum, et quas provincias tutarentur. Quod mihi quoque exsequendum reor, quæ tum Romana copia in armis, qui socii reges, quanto sit angustius imperitatum.[4]

5. Italiam utroque mari[1] duæ classes, Misenum apud et Ravennam,[2] proximumque Galliæ[3] littus rostratæ naves præsidebant, quas Actiaca victoria captas Augustus in oppidum Forojuliense[4] miserat, valido cum remige. Sed præcipuum robur Rhenum juxta,[5] commune in Germanos Gallosque subsidium, octo legiones[6] erant. Hispaniæ recens perdomitæ, tribus habebantur.[7] Mauros Juba rex[8] acceperat, donum populi Romani. Cetera Africæ per duas legiones,[9] parique

4 *Angustius imperitatum.* Quanto angustius ætate Tiberii imperitatum, quam Trajani, optimi Principis, Germanici, Dacici, Parthici, Armeniæ et Mesopotamiæ domitoris, tempore, quo scribebat Tacitus. Principe Tiberio, Elephantine ac Syene claustra erant Romani imperii: Trajano imperante, rubrum ad mare patebat. V. sup. An. ii, 61.

1 *Utroque mari.* Tyrrheno et Adriatico, quod Romani appellabant quoque mare inferum et superum. Vagas antea reipublicæ classes certis locis distribuit Augustus: alteram 'Miseni, alteram Ravennæ, ad tutelam superi et inferi maris collocavit.' Suet. Aug. 49. Mare superum aut Adriaticum, nunc *the gulf of Venice.* Mare inferum aut Tyrrhenum, nunc *the Tuscan Sea.*

2 *Misenum—Ravennam.* Misenum in mari Tyrrheno. Extant tantum rudera ad Misenum promontorium, nunc *Cape Miseno.* Ravennam in sinu Adriatico, nunc *Ravenna.* Misenatium classis, occidentalem imperii Romani partem præsidebat; Ravennatium vero, occidentalem.

3 *Galliæ.* Galliæ Narbonensis.

4 *Oppidum Forojuliense.* Nunc *Fréjus.* Plin. iii, 4. 'Forum Julii Octavanorum colonia, quæ Pacensis appellatur, et classica.'

5 *Rhenum juxta.* In superiore et inferiore Germania.

6 *Octo legiones.* Veget. ii, 6. 'Decem cohortibus legio plena fundatur, quæ habet pedites sex millia centum, equites septingentos viginti sex.'—Ex his decem cohortibus 'prima cohors reliquas et numero militum et dignitate præcedit. Nam genere atque institutione literarum viros selectissimos quærit. Hæc enim suscipit aquilam, quod præcipuum signum in Romano est semper exercitu, et totius legionis insigne. Hæc imagines imperatorum, hoc est, divina et præsentia signa veneratur. Habet pedites mille centum quinque: equites loricatos centum triginta duos: et appellatur cohors milliaria. Hæc caput est legionis.'

7 *Tribus habebantur.* Tribus legionibus habebantur.

8 *Juba rex.* Juba junior, senioris Jubæ filius, Maurorum regnum ab Augusto acceperat A. U. C. 724. A. C. 29. Dio li, p. 454. liii, p. 514. Strabo vi, p. 288. Plin. v, 1. 'Juba, Ptolemæi pater—studiorum claritate memorabilior etiam, quam regno.' De hoc literato, et Romanorum studioso, principe diligentissime scripsit Cl. Sevin, *Mém. de l'Acad. Roy. des Inscr.* Vol. iv, p. 457 sq. In nummis REX IVBA, caput Jubæ diadematum. Ex altera parte ΚΛΕΟΠΑΤΡΑ ΒΑΣΙΛΙΣΣΑ. 'Cleopatra regina,' Jubæ uxor, Ceopatræ et M. Antonii III. viri filia. Vide Harduin. Select. opp. p. 102 sq.

9 *Duas legiones.* Una tantum legio Africam attinebat, teste ipso Tac. H. ii, 97. iv, 48. Sed propter diversos Tacfarinatis motus nona legio e Pannonia præsidio Africæ ducta fuerat, necdum in Pannoniam reportata. Tac. An. iii, 9. iv, 23. Inde

numero Ægyptus: dehinc initio[10] ab Syria ad flumen Euphraten, quantum ingenti terrarum sinu ambitur, quatuor legionibus coercita; accolis Ibero,[11] Albanoque,[12] et aliis regibus, qui magnitudine nostra proteguntur adversum externa imperia. Et Thraciam[13] Rhœmetalces, ac liberi Cotyis; ripamque Danubii, legionum duæ in Pannonia,[14] duæ in Mœsia[15] attinebant: totidem apud Dalmatiam[16] locatis, quæ positu regionis a tergo[17] illis, ac, si repentinum auxilium Italia posceret, haud procul accirentur. Quamquam insideret urbem proprius miles, tres urbanæ, novem prætoriæ[18] cohortes, Etruria[19] ferme Umbriaque delectæ, aut vetere Latio,[20] et coloniis antiquitus Romanis.[21] At apud idonea provinciarum[22] sociæ triremes, alæque, et auxilia cohortium: neque multo secus in iis virium:[23] sed persequi incertum fuerit, cum ex usu temporis huc illuc mearent, gliscerent numero, et aliquando minuerentur.

Tacitus duas legiones tribuit Africæ. Contra vero Pannoniæ, quæ tres legiones habebat, duas tantum assignat, quod tertia ex Africa nondum redierat.

10 *Dehinc initio.* Dehinc initio ab Syria ducto usque ad flumen Euphraten, quantum ingenti terrarum sinu ambitur, hæc omnia quatuor legionibus coercita sunt. Earum adhuc præsidio tuti accolæ Iberus et Albanus, aliique reges, qui magnitudine nostra proteguntur adversum externa imperia Armenorum et Parthorum.

11 *Ibero.* Iberia, nunc *Georgia.*

12 *Albanoque.* Albania, nunc *the Shirvan.*

13 *Thraciam.* Nunc *Romania.* Thraciam obtinebant Rhœmetalces, filius Rhescuporidis, et liberi Cotyis, ut dictum est An. ii, 67.

14 *Duæ in P.* Tres vulgo erant. Nunc duæ, quia tertia adhuc in Africa, cito reditura, ut notatum supra. Pannonia, nunc *Lower Hungary and part of Austria.*

15 *In Mœsia.* Nunc *Servia and Bulgaria.*

16 *Dalmatiam. Dalmatia.*

17 *A tergo.* A tergo illis legionibus, quæ erant in Pannonia et Mœsia.

18 *Tres u., novem p.* Ergo tunc imminutus urbanarum et prætoriarum cohortium numerus. Nam Dio lv, p. 565. ait sub Augusto fuisse decem millia prætorianorum in x. cohortes divisos, et sex millia urbanorum, seu Urbis præsidiariorum, in iv. cohortes distributos. Septem vigilum cohortes merito omisit Tacitus. Militibus enim minime annumerandi homines illi, restinguendis incendiis, agendisque nocturnis vigiliis constituti. Insigne eorum monumentum protulit Cl. Gori, Inscr. Antiq. Vol. i, p. 125.

19 *Etruria.* Nunc *Tuscany.*

20 *Vetere Latio.* Vetus Latium Tiberim inter et Antium continebatur.

21 *Antiquitus Romanis.* Dum viguit res Romana, non modo urbanæ et prætoriæ cohortes, sed legiones omnes civibus Romanis constabant. Qua lege nihil fuit ad gloriam splendidius, ad præsidium tutius. Sed jure civitatis pluribus dato, ac tandem ab Antonino Caracalla cum omnibus, qui sub Romano imperio erant, communicato, periit disciplina militaris, et res Romana pessum data.

22 *Idonea provinciarum.* At apud provincias, quæ seditionum et hostium periculis objectabantur, erant sociorum triremes, alæ et auxilia cohortium. Scilicet tota res militaris Romanorum constabat legionibus, quæ Romanæ erant, et auxiliis, quæ 'a sociis, vel fœderatis gentibus mittebantur.' Veget. ii, 1. In auxiliis erat ferme tantum virium, quantum in legionibus, si spectetur numerus, non vero si virtus. Hæc enim in legionibus præpollet. Unde ut ait Veget. ii, 2. 'Legionibus auxilia tamquam levis armatura, in acie jungebantur, ut in his præliandi magis adminiculum esset, quam principale subsidium.'

23 *Virium.* De militaribus imperii Romani viribus ætate Tiberii, v. not. et em. ad An. iv, 5.

6. Congruens crediderim recensere ceteras quoque reipublicæ partes, quibus modis ad eam diem habitæ sint; quando Tiberio mutati in deterius principatus initium ille annus attulit. Jam primum publica negotia, et privatorum maxima, apud patres tractabantur: dabaturque primoribus disserere; et in adulationem lapsos, cohibebat ipse: mandabatque honores, nobilitatem majorum, claritudinem militiæ, inlustres domi artes spectando; ut satis constaret, non alios potiores fuisse. Sua consulibus, sua prætoribus species: minorum quoque magistratuum exercita potestas; legesque, si majestatis quæstio[1] eximeretur, bono in usu. At frumenta, et pecuniæ vectigales, cetera publicorum fructuum, societatibus equitum Romanorum[2] agitabantur. Res suas[3] Cæsar spectatissimo cuique, quibusdam ignotis ex fama mandabat; semelque adsumti tenebantur; prorsus sine modo, cum plerique iisdem negotiis insenescerent. Plebes acri quidem annona fatigabatur: sed nulla in eo culpa ex principe: quin infœcunditati terrarum,[4] aut asperis maris[5] obviam iit, quantum impendio, diligentiaque poterat. Et ne provinciæ novis oneribus turbarentur, utque vetera, sine avaritia aut crudelitate magistratuum, tolerarent, providebat: corporum verbera, ademtiones bonorum aberant.

7. Rari per Italiam Cæsaris agri; modesta servitia,[1] intra paucos libertos domus: ac si quando cum privatis disceptaret, forum et jus.[2] Quæ cuncta, non quidem comi via, sed horridus, ac plerumque formidatus, retinebat tamen, donec morte Drusi verterentur:[3] nam dum superfuit, mansere; quia Sejanus, incipiente adhuc potentia, bonis consiliis notescere volebat; et ultor metuebatur,[4] non occultus odii, et crebro

1 *Majestatis quæstio.* Si eximeretur quæstio de criminibus majestatis, quæ cuivis, ac levissimis de causis, imputabantur.

2 *Equitum Romanorum.* Qui hæc a fisco redimebant. V. Suppl. An. x, 32.

3 *Res suas.* Res vero suas Tiberius spectatissimo cuique, nonnunquam etiam quibusdam ignotis, sed fama celebratis, mandabat.

4 *Infœcunditati terrarum.* Ob porticus, deambulationes, balnea, vivaria, villas, maxima terrarum infœcunditas.

5 *Asperis maris.* Ex Africa et Ægypto frumenta in Italiam asportabantur: inde maris aspera.

1 *Modesta servitia.* Modesta servitia, nec gratia, nec fastu tumida. Ne enim de servorum paucitate accipias. Id peccavit Davanzati, *non turbe di schiavi.* Bene Cl. Gordon, *the behaviour of his slaves modest.*

2 *Forum et jus.* Forum et jus Principem inter ac privatos dijudicabant.

3 *Verterentur.* Desinant ergo Tacitum calumniari: eumque virtutum et vitiorum æstimatorem æquissimum fuisse; nec malorum, sed optimorum principum præceptorem esse fateantur.

querens, "incolumi filio, adjutorem imperii alium vocari: et quantum superesse ut collega dicatur? Primas dominandi spes in arduo: ubi sis ingressus, adesse studia et ministros: exstructa jam, sponte præfecti, castra;[5] datos in manum milites: cerni effigiem ejus in monimentis Cn. Pompeii:[6] communes illi cum familia Drusorum fore nepotes:[7] precandam post hæc modestiam,[8] ut contentus esset." Neque raro, neque apud paucos talia jaciebat: et secreta quoque ejus, corrupta uxore, prodebantur.

8. Igitur Sejanus maturandum ratus, deligit venenum, quo paulatim inrepente, fortuitus morbus adsimularetur: id Druso datum per Lygdum spadonem, ut octo post annos[1] cognitum est. Ceterum Tiberius per omnes valetudinis ejus dies, nullo metu,an ut firmitudinem animi ostentaret, etiam defuncto, necdum sepulto, curiam ingressus est: consulesque, sede vulgari,[2] per speciem mœstitiæ sedentes, honoris locique admonuit; et effusum in lacrymas senatum, victo gemitu, simul oratione continua erexit. "Non quidem sibi ignarum, posse argui, quod tam recenti dolore subierit oculos senatus: vix propinquorum adloquia tolerari, vix diem aspici a plerisque lugentium: neque illos imbecillitatis damnandos; se tamen fortiora solatia e complexu reipublicæ petivisse." Miseratusque "Augustæ extremam senectam, rudem adhuc nepotum,[3] et ver-

4 *Ultor metuebatur.* Et ultor metuebatur Drusus, non occultus odii, et crebro querens: incolumi filio, adjutorem imperii alium a Tiberio vocari; et quantum superesse, ut Sejanus collega dicatur? Primas quidem dominandi spes arduas esse ac difficiles. At, ubi illas sis ingressus, statim adesse studia et ministros. Exstructa jam sponte Sejani castra prætoria; datos in illius manum milites; cerni effigiem ejus in Cn. Pompeii monumentis; brevi communes illi cum Drusorum familia futuros nepotes: ac tandem precandam fore modestiam, ut contentus vivat. Forte scripserat Tacitus, *et Drusus ultor metuebatur.* Aliter vix obscuritatem excuses.

5 *Castra.* Ut dictum sup. c. 2.

6 *In—Pompeii.* Sup. An. iii, 72. et Ruhnken. ad Vell. Paterc. Lib. ii, p. 43.

7 *Fore nepotes.* Jam enim Druso, filio Claudii, Germanici fratris, socer Sejanus fuerat destinatus. An. iii, 29. Verum licet Drusus ille paucis diebus post sponsalia mortuus esset, teste Suetonio in Claud. 27. facile tamen fuit Sejano novas nuptias obtinere, sibique nepotes ex Drusorum familia adpromittere. Nihil est ergo cur tot difficultates comminiscatur Lipsius. De Druso v. stem. Cæs. n. 102.

8 *Precandam—modestiam.* Hæc ne intelligas de Dea Modestia, quæ apud Romanos nulla memoratur, sed de ipsa virtute, vere precanda Sejano, viro minime modesto. In editione principe aliisque optimis *modestiam*, non vero *Modestiam*, ut placuit Lipsio, quem tamen ægre arguerim, cum de Tacito sit tam bene meritus.

1 *Octo post annos.* A. U. C. 784. quo scelus per Apicatam, Sejani uxorem, et tormentis Eudemi ac Lygdi patefactum est. ut dicetur inf. c. 11. V. et Dion. lviii, p. 628. Nos quoque diximus in suppl. An. v, 44.

2 *Sede vulgari.* In imis senatorum subselliis, non vero in consulum sede, quæ sublimior.

3 *Rudem adhuc nep.* Miseratus Augustæ extremam senectam, rudem adhuc ne-

gentem ætatem suam, ut Germanici liberi, unica præsentium malorum levamenta, inducerentur," petivit. Egressi consules firmatos adloquio adolescentulos, deductosque ante Cæsarem statuunt. Quibus adprehensis, "Patres conscripti, hos," inquit, "orbatos parente, tradidi patruo ipsorum,[4] precatusque sum, quamquam esset illi propria soboles, ne secus quam suum sanguinem foveret ac tolleret, sibique et posteris conformaret. Erepto Druso, preces ad vos converto, Diisque et patria coram obtestor, Augusti pronepotes, clarissimis majoribus genitos suscipite, regite: vestram meamque vicem explete. Hi vobis,[5] Nero et Druse, parentum loco; ita nati estis, ut bona malaque vestra ad rempublicam pertineant."

9. Magno ea fletu, et mox precationibus faustis audita; ac, si modum orationi posuisset, misericordia sui gloriaque animos audientium impleverat: ad vana et totiens inrisa revolutus, "de reddenda republica: utque consules, seu quis alius, regimen susciperent," vero quoque et honesto fidem demsit. Memoriæ Drusi eadem, quæ in Germanicum,[1] decernuntur; plerisque additis, ut ferme amat posterior adulatio. Funus imaginum pompa maxime inlustre fuit, cum origo Juliæ gentis Æneas, omnesque Albanorum reges, et conditor Urbis Romulus, post Sabina nobilitas, Attus Clausus,[2] ceteræque Claudiorum effigies, longo ordine spectarentur.

10. In tradenda morte Drusi, quæ plurimis maximeque fidis auctoribus memorata sunt, retuli: sed non omiserim eorumdem temporum rumorem, validum adeo, ut nondum exolescat. "Corrupta ad scelus Livia, Sejanum Lygdi quoque spadonis animum stupro vinxisse: quod is Lygdus[1] ætate atque forma carus domino, interque primores ministros erat: deinde, inter conscios ubi locus veneficii tempusque composita sint,

potum ætatem, et suam vergentem. *Rudem*, id est, nondum adultam, et artis regnandi rudem. A ceteris omnibus dissentiens, Illustr. Huetius ita explicat: '*Augustam rudem adhuc nepotum*, i. e. quæ nondum nepotum funeribus assuevisset. Solum enim Germanicum tunc amiserat.' Quod an cuiquam sit approbaturus nescio.

4 *Patruo ipsorum.* Druso, patruo adoptionis jure, non re.

5 *Hi vobis.* Conversus ad filios Germanici, et senatores monstrando, hæc loquitur Tiberius.

1 *Eadem—Germanicum.* Hæc v. An. ii, 83.

2 *Attus Clausus.* A. U. C. 250. A. C. 503. Attus Clausus e Sabinis, magna clientum comitatus manu, Romam transfugit, ibique appellatus 'Appius Claudius,' auctor fuit gentis Claudiæ. Liv. ii, 16. V. et inf. An. xi, 24.

1 *Is Lygdus.* *Lygdus* redundat: vixque Latinæ aures patiantur. Librariorum, aut scioli, additamentum est, ut jam monuit Cl. Ernestus.

eo audaciæ provectum, ut verteret; et occulto indicio Drusum veneni in patrem arguens, moneret Tiberium, vitandam potionem, quæ prima ei, apud filium epulanti, offerretur. Ea fraude tum senem,[2] postquam convivium inierat, exceptum poculum Druso tradidisse; atque illo ignaro, et juveniliter hauriente, auctam suspicionem, tamquam metu et pudore, sibimet inrogaret mortem, quam patri struxerat."

11. Hæc vulgo jactata,[1] super id, quod nullo auctore certo firmantur, promte refutaveris. Quis enim mediocri prudentia, nedum Tiberius, tantis rebus exercitus, inaudito filio exitium offerret, idque sua manu, et nullo ad pœnitendum regressu? Quin potius ministrum veneni excruciaret, auctorem exquireret; insita denique, etiam in extraneos, cunctatione et mora, adversum unicum, et nullius ante flagitii compertum, uteretur. Sed quia Sejanus facinorum omnium repertor habebatur, ex nimia caritate in eum Cæsaris, et ceterorum in utrumque odio, quamvis fabulosa et immania credebantur: atrociore semper fama[2] erga dominantium exitus. Ordo alioqui sceleris per Apicatam Sejani proditus, tormentis Eudemi ac Lygdi patefactus est: neque quisquam scriptor tam infensus extitit, ut Tiberio objectaret, cum omnia alia conquirerent, intenderentque. Mihi tradendi arguendique rumoris causa fuit, ut, claro sub exemplo, falsas auditiones depellerem, peteremque ab iis, quorum in manus cura nostra venerit, ne divulgata atque incredibilia, avide accepta, veris, neque in miraculum corruptis, antehabeant.

12. Ceterum laudante filium[1] pro rostris Tiberio, senatus populusque habitum ac voces dolentum simulatione magis quam libens induebat, domumque Germanici revirescere occulti lætabantur. Quod principium favoris, et mater Agrippina,

2 *Tum senem.* Existimat Cl. Ernestus emendandum, *ea fraude captum senem.* Quod tamen probare vix ausim. Nescio quid duri sonat *captum senem—exceptum poculum.* Mallem *victum senem.*

1 *Vulgo jactata.* Hæc vulgo jactata, nec ullo auctore certo firmata, promte refutaveris.

2 *Atrociore semper f.* Vere et eleganter dictum. Atrocior semper est fama erga dominantium exitus. Nec, ut vulgus hominum, moriuntur Principes. Semper vel suo, vel aliorum, scelere extincti dicuntur.

1 *Laudante filium.* Hæc illustrat Sen., Con. ad Marciam, xv. 'Tiberius Cæsar, et quem genuerat, et quem adoptaverat, amisit: ipse tamen pro rostris laudavit filium, stetitque in conspectu, posito corpore, interjecto tantummodo velamento, quod pontificis oculos a funere arceret, et, flente populo Romano, non flexit vultum: experiendum se dedit Sejano ad latus stanti, quam patienter posset suos perdere.' Tacitum Seneca morum hominumque prudentiorem esse nemo non videt.

spem male tegens, perniciem adceleravere. Nam Sejanus, ubi videt mortem Drusi inultam interfectoribus, sine mœrore publico esse, ferox scelerum, et quia prima provenerant, volutare secum, quonam modo Germanici liberos perverteret, quorum non dubia successio: neque spargi venenum in tres poterat, egregia custodum fide, et pudicitia Agrippinæ impenetrabili. Igitur contumaciam[2] ejus insectari, vetus Augustæ odium, recentem Liviæ conscientiam exagitare, ut "superbam, fœcunditate subnixam, popularibus studiis inhiare dominationi," apud Cæsarem arguerent. Atque hæc callidis[3] criminatoribus: inter quos delegerat Julium Postumum, per adulterium Mutiliæ Priscæ inter intimos aviæ, et consiliis suis peridoneum: quia Prisca, in animo Augustæ valida, anum, suapte natura potentiæ anxiam, insociabilem nurui efficiebat. Agrippinæ quoque proximi inliciebantur, pravis sermonibus tumidos spiritus perstimulare.

13. At Tiberius, nihil intermissa rerum cura, negotia pro solatiis accipiens, jus civium, preces sociorum tractabat. Factaque, auctore eo, senatusconsulta, "ut civitati Cibyraticæ[1] apud Asiam, Ægiensi[2] apud Achaiam motu terræ labefactis, subveniretur remissione tributi in triennium." Et Vibius Serenus, proconsul ulterioris Hispaniæ,[3] de vi publica[4] damnatus, ob atrocitatem morum, in insulam Amorgum[5] de-

2 *Igitur contumaciam.* Igitur contumaciam Agrippinæ insectari, vetus Juliæ Augustæ odium, recentem Liviæ, olim Drusi uxoris, nunc pellicis Sejani conscientiam exagitare, ut apud Cæsarem arguerent Agrippinam, superbam, fœcunditate subnixam, popularibus studiis inhiare dominationi.

3 *Atque hæc callidis.* Atque hæc dictitare callidis criminatoribus, inter quos delegerat Julium Postumum per adulterium Mutiliæ Priscæ inter intimos aviæ Augustæ, et consiliis suis peridoneum: quia Prisca, in animo Augustæ valida, anum *Augustam*, suapte natura potentiæ anxiam, insociabilem Agrippinæ efficiebat. V. not. et em. ad An. iv, 12.

1 *Civitati Cibyraticæ.* In antiquo marmore civitatum Asiaticarum, a Tiberio restitutarum, de quo mentio facta An. ii, 47. CIBYRA. Oppidum erat Phrygiæ ad Mæandrum, Laodiceæ proximum. Nunc periit.

2 *Ægiensi.* Perperam in vulgatis libris *Ægirensi* vel *Æginensi*. Emendandum *Ægiensi* recte monuit Cl. Bulifon, apud Græv. Antiq. Gr. Vol. vii, p. 488. Ita quoque Sen. Nat. Quæst. vi, 25. 'Cum laboravit Ægium, tam propinquas illi Patras de motu solum audivisse.' Urbs illa, quæ Græca fuit, non memoratur inter urbes Asiaticas, quæ Colossum, memoris animi testem, Tiberio dicavere. De illa vero Plin. iv, 5. inter Achaiæ provinciæ urbes—*Ægion*. Videtur haud procul fuisse ab urbe, quæ nunc dicitur *Vostitza*.

3 *Ulterioris Hispaniæ.* I. e., Bæticæ et Lusitaniæ, *Portugal, Andalusia, and the Kingdom of Grenada.*

4 *De vi publica.* Lege Julia de vi publica tenetur, qui, cum potestatem imperiumve habet, civem Romanum adversus provocationem necaverit, verberaverit, jusseritve quid fieri, aut quid in collum injecerit, ut torqueatur. Item quod ad legatos, oratores, comitesve attinebit, si quis quem eorum pulsasse, sive injuriam eis fecisse arguetur. V. Ant. August. de legibus, p. 86 et 87.

5 *Amorgum.* Ægæi maris insulam, nunc *Amorgo.*

portatur. Carsidius Sacerdos, reus, tamquam frumento hostem Tacfarinatem juvisset, absolvitur; ejusdemque criminis C. Graccus. Hunc comitem exilii admodum infantem, pater Sempronius[6] in insulam Cercinam[7] tulerat. Illic adultus inter extorres, et liberalium artium nescios, mox per Africam ac Siciliam mutando sordidas merces sustentabatur: nec tamen effugit magnæ fortunæ pericula. Ac ni Ælius Lamia, et L. Apronius, qui Africam obtinuerant,[8] insontem protexissent, claritudine infausti generis, et paternis adversis foret abstractus.

14. Is quoque annus legationes Græcarum civitatum habuit, Samiis[9] "Junonis," Cois[10] "Æsculapii delubro, vetustum asyli jus ut firmaretur," petentibus. Samii decreto Amphictyonum[11] nitebantur, queis præcipuum fuit rerum omnium judicium, qua tempestate Græci, conditis per Asiam urbibus, ora maris potiebantur. Neque dispar apud Coos antiquitas; et accedebat meritum ex loco. Nam cives Romanos templo Æsculapii induxerant, cum, jussu regis Mithridatis, apud cunctas Asiæ insulas et urbes trucidarentur.[12] Variis dehinc et sæpius inritis prætorum questibus, postremo Cæsar "de immodestia histrionum" retulit. "Multa ab iis in publicum seditiose, fœda per domos tentari: Oscum quondam ludicrum,[13] levissimæ apud vulgum oblectationis, eo flagitiorum et virium venisse, ut auctoritate patrum coercendum sit." Pulsi tum histriones Italia.

6 *Sempronius.* De Sempronio Gracco ejusque exilii causis dictum est An. i, 53.

7 *Insulam Cercinam.* Nunc *Kerkeni*, ad lævum minoris Syrtis, hodie *the Gulf of Cabes*.

8 *Africam obtinuerant.* I. e., qui fuerant Africæ proconsules. De L. Apronio, sup. iii, 21. De Ælio Lamia, inf. An. vi, 27.

9 *Samiis.* Samos, Ægæi maris insula, nunc *Samo*. Urbis principis rudera adhuc videntur haud procul ab urbe *Megali Kora*. Juno in nummis CAMIΩN frequens.

10 *Cois.* Cos, nunc *Stan-co*, Ægæi maris insula, patria Hippocratis, sacra Æsculapio, quem exhibent KΩIΩN nummi.

11 *Amphictyonum.* Amphictyones, publicum Græciæ concilium ab Acrisio institutum; vere Delphis, autumno ad Thermopylas conveniebant, ut tum de re Græcorum publica, tum de sacris simul consultarent. Eruditissime de Amphictyonibus scripsit Ant. Van-Dale, Dissertationes de Antiq. et marmor. Diss. vi.

12 *Trucidarentur.* Dum mutuis Marii Syllæque odiis Roma laborabat, cives Romanos Asia tota Mithridatis jussu ad condictum diem trucidavit A. U. C. 666. A. C. 87. Trucidatos 150000 uno die tradit Plut. in Sylla, p. 467.

13 *Oscum ludicrum.* Ab Oscis, Campaniæ populis, ab Etruria oriundis, reperta ludicra illa levis ac futilis oblectationis, quæ tamen eo flagitiorum atque etiam virium pervenerant, ut tandem auctoritate patrum coercenda fuerint. De eorum origine v. Liv. vii, 2. Strabo quoque, v, p. 233. fabulas illas Oscas, Osco sermone et cum patrio certamine habitas memorat. Atellanæ etiam appellabantur. Oscorum gens perierat: sed sermo, carmina, et mimi apud Romanos remanserant, teste Strab. l. c.

15. Idem annus alio quoque luctu Cæsarem adficit, alterum ex geminis[1] Drusi liberis extinguendo: neque minus morte amici. Is fuit Lucilius Longus, omnium illi tristium lætorumque socius, unusque e senatoribus Rhodii secessus comes. Ita, quamquam novo homini, censorium funus,[2] effigiem apud forum Augusti, publica pecunia patres decrevere; apud quos etiam tum cuncta tractabantur: adeo ut procurator Asiæ Lucilius Capito, accusante provincia, causam dixerit, magna cum adseveratione Principis, "non se jus nisi in servitia, et pecunias familiares dedisse: quod si vim prætoris usurpasset, manibusque militum usus foret, spreta in eo mandata sua: audirent socios." Ita reus, cognito negotio, damnatur.[3] Ob quam ultionem, et quia priore anno in C. Silanum[4] vindicatum erat, decrevere Asiæ urbes "templum Tiberio[5] matrique ejus, ac senatui." Et permissum statuere: egitque Nero[6] grates ea causa patribus atque avo, lætas inter audientium adfectiones, qui, recenti memoria Germanici, illum aspici, illum audiri rebantur: aderantque juveni modestia, ac forma, principe viro digna, notis in eum Sejani odiis, ob periculum gratiora.

16. Sub idem tempus "de flamine Diali, in locum Servii Maluginensis[1] defuncti legendo, simul roganda nova lege," disseruit Cæsar. "Nam patricios confarreatis parentibus[2] genitos, tres simul nominari, ex queis unus legeretur, vetusto more; neque adesse, ut olim, eam copiam, omissa confarreandi adsuetudine, aut inter paucos retenta: pluresque ejus rei causas" adferebat; "potissimam, penes incuriam virorum fœminarumque. Accedere ipsius cærimoniæ difficultates,

1 *Alterum ex g.* Quadrimus erat. De illo sup. An. ii, 84. V. et stem. Cæs. n. 73.

2 *Censorium funus.* I. e. quale, censore mortuo, celebrabatur. Purpuream vestem fuisse censorii funeris insigne docet Polyb. vi, p. 495. Quemadmodum censoria dignitas omnium maxima, ita quoque funerum magnificentissimum fuit censorium. Illo viri illustres, ipsique imperatores celebrabantur. V. Kirchmann. de funerib. i, 4. Meurs. de fun. xvi.

3 *Damnatur.* Et in exilium mittitur, ut docet Dio lvii, p. 618.

4 *C. Silanum.* De illo sup. An. iii, 66 sq.

5 *Templum Tiberio.* De hoc templo plura dicentur inf. c. 55 et 56.

6 *Nero.* Liberorum Germanici natu maximus.

1 *Servii Maluginensis.* De illo sup. An. iii, 58 et 71.

2 *Confarreatis parentibus.* Parentibus confarreatione conjunctis genitos. 'In sacris nihil religiosius confarreationis vinculo erat,' Plin. xviii, 3. Usu quidem, vel coemtione initum matrimonium: at illud unum apud Romanos sanctissimum habebatur, quod confarreatione sacratum. De ritibus confarreationis v. not. et em. ad An. iv, 16. Ibi tota hæc Tiberii oratio explanabitur.

quæ consulto vitarentur; et quando exiret e jure patrio, qui id flaminium apisceretur, quæque in manum flaminis conveniret. Ita medendum senatus decreto, aut lege: sicut Augustus quædam ex horrida illa antiquitate, ad præsentem usum flexisset." Igitur tractatis religionibus, placitum "instituto flaminum nihil demutari:" sed lata lex, qua "flaminica Dialis sacrorum causa in potestate viri, cetera promiscuo fœminarum jure ageret:" et filius Maluginensis patri suffectus.[3] Utque glisceret dignatio sacerdotum, atque ipsis promtior animus foret ad capessendas cærimonias, decretum "Corneliæ virgini, quæ in locum Scantiæ[4] capiebatur, LLS. $\overline{\text{XX}}$;[5] et quotiens Augusta theatrum introisset, ut sedes inter Vestalium consideret."

A.U.C. 777. J.C. 24.

17. Cornelio Cethego, Visellio Varrone consulibus[1] pontifices, eorumque exemplo ceteri sacerdotes, cum pro incolumitate Principis vota susciperent,[2] Neronem quoque et Drusum iisdem Diis commendavere; non tam caritate juvenum, quam adulatione: quæ moribus corruptis, perinde anceps[3] si nulla, et ubi nimia est. Nam Tiberius haud umquam domui Germanici mitis, tum vero "æquari adolescentes senectæ suæ," impatienter indoluit: accitosque pontifices percunctatus est, "num id precibus Agrippinæ, aut minis tribuissent." Et illi quidem, quamquam abnuerent, modice perstricti,[4] (etenim pars magna e propinquis ipsius, aut primores civitatis

3 *Patri suffectus.* De Dialibus, seu Jovis flamine et flaminica, nihil illustrius hoc Taciti loco habet antiquitas.

4 *In l. Scantiæ.* Ut esset flaminica.

5 *LLS.* $\overline{\text{XX}}$. Vicies centena millia sestertium, *Angl.* 16666*l.* 13*s.* 4*d.*

1 *Varrone coss.* Ser. Cornelius Cethegus et L. Visellius Varro coss. fuere A. U. C. 777. J. C. 24.

2 *Vota susciperent.* Decennalia vota susciperent. Quo de more Dio liii, p. 507. Ὥστε τῇ τῶν δεκετηρίδων διαδοχῇ διὰ βίου αὐτὸν μοναρχῆσαι. Καὶ διὰ τοῦτο καὶ οἱ μετὰ ταῦτα αὐτοκράτορες, καίτοι μηκέτ' ἐς τακτὸν χρόνον, ἀλλ' εἰς πάντα καθάπαξ τὸν βίον ἀποδεικνύμενοι, ὅμως διὰ τῶν δέκα ἀεὶ ἐτῶν ἑώρτασαν, ὡς καὶ τὴν ἡγεμονείαν αὖθις τότε ἀνανεούμενοι· καὶ τοῦτο καὶ νῦν γίγνεται. 'Cum Augustus continuatis decenniis per totam vitam imperii summam obtinuisset, eam ob causam posteriores quoque imperatores, etsi non amplius ad certum tempus, sed per omne vitæ spatium iis imperium deferatur, tamen singulis decenniis festum, quasi ob ejus renovationem agunt, quod hodie etiam fit.' Immo, ut patet ex nummis, numquam major, quam sequiore ætate, fuit DECENNALIUM celebritas. Ita semper quadam libertatis imagine ludificatum.

3 *Perinde anceps.* Moribus corruptis, perinde periculosum non adulari, et nimis adulari.

4 *Modice perstricti.* Sacerdotes quidem, quamquam abnuerent, modica reprehensione perstrinxit. Eorum enim pars magna e propinquis Agrippinæ, aut primores civitatis erant, quos æque oderat Tiberius.

erant:) ceterum in senatu, oratione monuit in posterum, "ne quis mobiles adolescentium animos, præmaturis honoribus ad superbiam extolleret." Instabat quippe Sejanus, incusabatque "diductam civitatem,[5] ut civili bello: esse qui se partium Agrippinæ vocent: ac ni resistatur, fore plures: neque aliud gliscentis discordiæ remedium, quam si unus alterve maxime promti subverterentur."

18. Qua causa C. Silium, et Titium Sabinum,[1] adgreditur: amicitia Germanici perniciosa utrique; Silio[2] et, quod ingentis exercitus septem per annos moderator, partisque apud Germaniam triumphalibus, Sacroviriani belli victor, quanto majore mole procideret, plus formidinis in alios dispergebatur. Credebant plerique auctam offensionem ipsius intemperantia, immodice jactantis, "suum militem in obsequio duravisse, cum alii ad seditiones prolaberentur: neque mansurum Tiberio imperium, si iis quoque legionibus cupido novandi fuisset." Destrui per hæc fortunam suam Cæsar, imparemque[3] tanto merito rebatur. Nam beneficia eo usque læta sunt, dum videntur exsolvi posse: ubi multum antevenere, pro gratia odium redditur.

19. Erat uxor Silio Sosia Galla, caritate Agrippinæ invisa Principi. Hos corripi, dilato ad tempus Sabino, placitum: immissusque Varro consul, qui "paternas inimicitias" obtendens, odiis Sejani per dedecus suum gratificabatur. Precante reo, "brevem moram, dum accusator consulatu abiret," adversatus est Cæsar: "solitum quippe magistratibus, diem privatis dicere: nec infringendum consulis jus, cujus vigiliis niteretur, ne quod respublica detrimentum caperet." Proprium id Tiberio fuit, scelera nuper reperta priscis verbis[1] obtegere. Igitur multa adseveratione, quasi aut legibus cum Silio ageretur, aut Varro consul,[2] aut illud respublica esset,

5 *Diductam civitatem.* Diductam ac divisam esse civitatem.

1 *Titium Sabinum.* V. inf. c. 68 sq.

2 *Silio.* De C. Silio sæpe sup. An. i, 31. ii, 6. iii, 43, 45.

3 *Imparemque.* Per hæc immodice jactata fortunam suam destrui, eamque tanto merito imparem esse rebatur Cæsar. Nam beneficia, eo usque læta sunt, dum videntur posse exsolvi: ubi multum antevenere, nec exsolvi posse judicantur, pro gratia odium redditur. Vere Seneca Ep. xix. 'Quidam, quo plus debent, magis oderunt. Leve æs alienum debitorem facit, grave, inimicum.'

1 *Priscis verbis.* Priscis verbis et antiquis usibus nova jura, aut potius scelera, obtegebat Tiberius.

2 *Varro consul.* Quasi aut legibus cum Silio ageretur, aut Varro consulis auctoritatem, non vero speciem, ac inane nomen, haberet: aut denique illud pristinam reipublicæ libertatem ac formam argueret.

coguntur patres; silente reo, vel si defensionem cœptaret, non occultante,[3] cujus ira premeretur. "Conscientia belli Sacrovir diu[4] dissimulatus, victoria per avaritiam fœdata, et uxor Sosia" arguebantur: nec dubie[5] repetundarum criminibus hærebant: sed cuncta quæstione majestatis exercita; et Silius imminentem damnationem voluntario fine[6] prævertit.

20. Sævitum tamen in bona, non ut stipendiariis[1] pecuniæ redderentur, quorum nemo repetebat: sed liberalitas[2] Augusti avulsa, computatis singillatim quæ fisco petebantur: ea prima Tiberio erga pecuniam alienam diligentia fuit. Sosia in exilium pellitur Asinii Galli sententia, qui "partem bonorum publicandam, pars ut liberis relinqueretur," censuerat. Contra M. Lepidus "quartam accusatoribus, secundum necessitudinem legis, cetera liberis" concessit. Hunc ego Lepidum,[3] temporibus illis, gravem et sapientem virum fuisse comperio. Nam pleraque ab sævis adulationibus aliorum, in melius flexit: neque tamen temperamenti egebat,[4] cum æquabili auctoritate et gratia apud Tiberium viguerit. Unde dubitare cogor, fato et sorte nascendi,[5] ut cetera, ita principum inclinatio in hos, offensio in illos: an sit aliquid in nostris consiliis, liceatque inter abruptam contumaciam, et deforme obsequium, pergere iter ambitione ac periculis vacuum. At Messalinus Cotta, haud minus claris majoribus, sed animo diversus, censuit "cavendum senatusconsulto, ut quamquam

3 *Non occultante.* Non occultante se Tiberii ira premi.

4 *Sacrovir diu.* Sacrovir diu dissimulatus, licet Silio bellici apparatus conscientia esset; victoria per avaritiam fœdata; et uxoris Sosiæ vitia arguebantur. Aliter, sed minus probabiliter, explicat Illustr. Huetius. V. not. et em. ad An. iv, 19.

5 *Nec dubie.* Satis certa repetundarum crimina; sed cuncta, ut in majestatis reum, exercita.

6 *Voluntario fine.* Voluntaria morte.

1 *Stipendiariis.* Gallis, qui tributum pendebant. Oppida stipendiaria passim memorat Plin. in Geogr.

2 *Sed liberalitas.* Sed quæ ex liberalitate Augusti acceperat Silius avulsa sunt, ut Tiberio redderentur: singillatim vero computata, quæ fisco petebantur. Hæc quidem prima fuit Tiberio erga pecuniam alienam diligentia. Hactenus enim 'satis firmus adversum pecuniam,' ut dictum est sup. An. iii, 18. Aliter explicat Cl. Ryckius. V. not. et em. ad An. iv, 20.

3 *Lepidum.* Laudatum sup. An. i, 13. iii, 50. Laudandum inf. An. vi, 27.

4 *Temperamenti egebat.* Sævas aliorum adulationes in melius flectebat; sed semper ita temperamento ac dexteritate usus, ut æquabili auctoritate et gratia apud Tiberium viguerit.

5 *Fato—nascendi.* Hæc ne intelligas de fato ineluctabili, quod absurdum foret. Si enim fatum res regeret, cur historiam scribebat Tacitus ut virtutes per honestum insignes, scelera notabili dedecore infamia faceret, An. iii, 65? Id tantum, innuit, ipsam Principum inclinationem et offensionem sæpissime a quodam casu et sorte nascendi, raro a nostris consiliis esse repetendam. Quid tamen hac in re valeant consilia egregie docet. Scilicet inter abruptam contumaciam et deforme obsequium, pergere iter ambitione ac periculis vacuum.

insontes magistratus, et culpæ alienæ nescii, provincialibus uxorum criminibus, perinde quam suis plecterentur."

21. Actum dehinc de Calpurnio Pisone, nobili ac feroci viro.[1] Is namque, ut retuli, "cessurum se Urbe ob factiones accusatorum," in senatu clamitaverat: et spreta potentia Augustæ, trahere in jus Urgulaniam, domoque Principis excire ausus erat. Quæ in præsens Tiberius civiliter habuit: sed in animo revolvente iras, etiamsi impetus offensionis languerat, memoria valebat: Pisonem Q. Granius secreti sermonis incusavit, adversum majestatem habiti: adjecitque "in domo ejus venenum esse, eumque gladio accinctum introire curiam." Quod, ut atrocius vero, tramissum:[2] ceterorum, quæ multa cumulabantur, receptus est reus; neque peractus, ob mortem opportunam. Relatum et de Cassio Severo[3] exule, qui sordidæ originis, maleficæ vitæ, sed orandi validus, per immodicas inimicitias, ut judicio jurati senatus[4] Cretam[5] amoveretur, effecerat: atque illic eadem actitando, recentia veteraque odia advertit: bonisque exutus, interdicto igni atque aqua, saxo Seriphio[6] consenuit.[7]

22. Per idem tempus Plautius Silvanus, prætor, incertis causis Aproniam conjugem in præceps jecit; tractusque ad Cæsarem ab L. Apronio socero, turbata mente respondit, tamquam "ipse somno gravis, atque eo ignarus, et uxor sponte mortem sumsisset." Non cunctanter Tiberius pergit in domum, visit cubiculum; in quo reluctantis et impulsæ vestigia cernebantur. Refert ad senatum, datisque judicibus, Urgulania, Silvani avia, pugionem nepoti misit. Quod perinde creditum, quasi Principis monitu, ob amicitiam Augustæ cum Urgulania.[1] Reus, frustra tentato ferro, venas præbuit exsolvendas. Mox Numantina, prior uxor ejus, accusata "injecisse carminibus et veneficiis vecordiam marito," insons judicatur.

1 *Feroci viro.* Virum intelligas fortem ac recti pervicacem, non vero atrocem et efferum. V. An. ii, 34.

2 *Tramissum.* Quod prætermissum est, quasi atrocius, quam ut verum videretur.

3 *Cassio Severo.* Sordido homine, de quo An. i, 72. Quam misere vixerit et occubuerit testatur Euseb. Chron. ad an. IV. Olymp. 202. Tiberii 19. 'Cassius Severus, orator egregius, qui Quintianum illud proverbium luserat, xxv. exilii sui anno summa inopia moritur, vix panno verenda contectus.'

4 *Jurati senatus.* Jurati sententiam suam e republica esse. V. inf. c. 31.

5 *Cretam.* Nunc *Candia.* In hanc insulam amotus fuerat A. U. C. 760.

6 *Saxo Seriphio.* Seriphus, nunc *Serpho*, parva Ægæi maris insula, de qua Juv. vi, 563. 'Et parva tandem caruisse Seripho.'

7 *Consenuit.* Mortuus est A. U. C. 785. Tiberii 19. teste Euseb. l. c.

1 *Cum Urgulania.* De hac amicitia dictum sup. An. ii, 34.

23. Is demum annus populum Romanum longo adversum Numidam Tacfarinatem bello absolvit. Nam priores duces, ub impetrando triumphalium insigni sufficere res suas crediderant, hostem omittebant: jamque tres laureatæ[1] in Urbe statuæ; et adhuc raptabat Africam Tacfarinas, auctus Maurorum auxiliis, qui Ptolemæo, Jubæ filio,[2] juventa incurioso, libertos regios, et servilia imperia bello mutaverant. Erat illi prædarum receptor, ac socius populandi, rex Garamantum;[3] non ut cum exercitu incederet, sed missis levibus copiis, quæ ex longinquo in majus audiebantur: ipsaque e provincia,[4] ut quis fortunæ inops, moribus turbidus, promtius ruebant, quia Cæsar, post res a Blæso gestas, quasi nullis jam in Africa hostibus, reportari[5] nonam legionem jusserat: nec proconsul ejus anni P. Dolabella retinere ausus erat, jussa Principis magis, quam incerta belli, metuens.

24. Igitur Tacfarinas, disperso rumore, "rem Romanam aliis quoque ab nationibus lacerari, eoque paulatim Africa decedere, ac posse reliquos circumveniri, si cuncti, quibus libertas servitio potior, incubuissent;" auget vires, positisque castris, Thubuscum oppidum[1] circumsidet. At Dolabella, contracto quod erat militum, terrore nominis Romani, et quia Numidæ peditum aciem ferre nequeunt, primo sui incessu solvit obsidium, locorumque opportuna permunivit: simul principes Musulanorum,[2] defectionem cœptantes, securi percutit. Dein, quia pluribus adversum Tacfarinatem expeditionibus cognitum, non gravi, nec uno incursu consectandum hostem

1 *Tres laureatæ.* Statuæ scilicet Furii Camilli, An. ii, 52. L. Apronii, iii, 21. et Junii Blæsi, iii, 72.

2 *Ptolemæo, Jubæ f.* Cum Ptolemæus, Mauritaniæ rex, propter juventutem regni incuriosus viverit, omniaque libertis suis permitteret, Mauri bellum maluerant, quam regios libertos et servilia imperia perferre. Ptolemæum, Jubæ junioris, de quo sup. c. 5. et Cleopatræ filium, Cleopatræ, Ægypti reginæ, nepotem, C. Caligula interemit A. U. C. 793. V. Plin. v, 1. Suet. in Caio 26. Dion. lix, p. 659. Nos quoque in suppl. An. viii, 34.

3 *Rex Garamantum.* Garamantes. *The Western part of Biledulgerid.*

4 *E provincia.* Ex ipsa provincia, Africa proprie dicta, et Romanis subdita, nunc *the kingdom of Tunis.*

5 *Reportari.* Reportari in Pannoniam. V. quæ observata sunt sup. c. 5.

1 *Thubuscum oppidum.* Graviter errant, qui Thubuscum urbem Mauritaniæ fuisse existimant. Tunc enim Ptolemæus, non vero Romani, in Mauritania imperitabat; et teste Plin. v, 1. 'Romana arma primum, Claudio Principe, in Mauritania bellavere.' Verum cum in provincia Africa duplex esset hujus nominis oppidum, alterum minus nunc *Tuburb*, alterum majus nunc *Tubernock*, de utro agatur dubitari potest. De minore ad ripam fluminis *Mejerda* posito, accipiendum mihi videtur.

2 *Musulanorum.* Musulani, *the Eastern part of Biledulgerid.* De his sup. An. ii, 52. Perperam in libris editis *Musulamorum.*

vagum; excito cum popularibus rege Ptolemæo,[3] quatuor agmina parat, quæ legatis aut tribunis data: et prædatorias manus, delecti Maurorum duxere: ipse consultor aderat omnibus.

25. Nec multo post adfertur, "Numidas apud castellum semirutum, ab ipsis quondam incensum, cui nomen Auzea,[1] positis mapalibus consedisse; fisos loco, quia vastis circum saltibus claudebatur." Tum expeditæ cohortes alæque, quam in partem ducerentur ignaræ, cito agmine rapiuntur. Simulque cœptus dies, et concentu tubarum, ac truci clamore aderant semisomnos in barbaros: præpeditis Numidarum equis, aut diversos pastus pererrantibus. Ab Romanis confertus pedes, dispositæ turmæ, cuncta prælio provisa: hostibus contra omnium nesciis, non arma, non ordo, non consilium, sed pecorum modo, trahi, occidi, capi. Infensus miles memoria laborum, et adversum eludentes optatæ totiens pugnæ, se quisque ultione et sanguine explebant. Differtur per manipulos, "Tacfarinatem omnes, notum tot præliis, consectentur: non, nisi duce interfecto, requiem belli fore." At ille, dejectis[2] circum stipatoribus, vinctoque jam filio, et effusis undique Romanis, ruendo in tela, captivitatem haud inulta morte effugit. Isque finis armis impositus.

26. Dolabellæ petenti abnuit triumphalia Tiberius, Sejano tribuens, ne Blæsi avunculi ejus laus obsolesceret. Sed neque Blæsus ideo inlustrior, et huic[1] negatus honor gloriam intendit. Quippe minore exercitu, insignes captivos, cædem ducis, bellique confecti famam deportarat. Sequebantur et Garamantum legati, raro in Urbe visi, quos, Tacfarinate cæso, perculsa gens, nec culpæ nescia,[2] ad satisfaciendum

3 *Rege Ptolemæo.* Rege Maurorum.

1 *Auzea.* Castellum illud fuit in Numidia. Nunc periit. Apud Ptolem. iv, 2. memoratur quidem urbs Auzia, Αὔζια, sic enim scriptum in Ms. nostro codice et in Palatino. At cum omnia, quæ ad Mauritaniam Cæsariensem ac Sitifensem ipsamque Numidiam spectant, confuderit, et in longitudinum mensura gravissime toto hoc capito aberravit, verus loci situs assignari non potest. Emendemus saltem Bertium, qui Latinam Ptolemæi versionem omnino infidam edidit. In ea notatur Auzia 22°. 10′. et 49°. 40′. corrigendum, ut patet ex Græcis tum editis, tum Mss. 22°. 10′. 29°. 40′. κβ. ϛ. κθ. γ.

2 *Ille, dejectis.* At Tacfarinas, dejectis circum stipatoribus suis, vinctoque jam filio, et effusis undique Romanis, ut suffugia intercluderent, ruendo in tela occubuit, sicque captivitatem haud inulta morte effugit.

1 *Et huic.* Et Dolabellæ.

2 *Nec—nescia.* Perperam in libris editis *et culpæ nescia*, cum ipsa esset prædarum receptrix et socia, ut dictum sup. c. 23. et An. iii, 74. Merito emendant Illustr. Huetius et Ryckius *nec culpæ nescia.*

populo Romano miserat. Cognitis dehinc Ptolemæi[3] per id bellum studiis, repetitus ex vetusto mos, missusque e senatoribus, qui scipionem eburnum, togam pictam,[4] antiqua patrum[5] munera, daret, "regemque et socium atque amicum" appellaret.

27. Eadem æstate, mota per Italiam servilis belli semina fors oppressit. Auctor tumultus T. Curtisius, quondam prætoriæ cohortis miles, primo cœtibus clandestinis, apud Brundisium[1] et circumjecta oppida; mox positis propalam libellis, ad libertatem vocabat agrestia per longinquos saltus et ferocia servitia: cum, velut munere Deum, tres biremes adpulere ad usus commeantium illo mari.[2] Et erat iisdem regionibus Curtius Lupus, quæstor, cui provincia vetere ex more Calles evenerat.[3] Is, disposita Classiariorum[4] copia, cœptantem cum maxime conjurationem disjecit. Missusque a Cæsare propere Staius, tribunus, cum valida manu, ducem ipsum, et proximos audaciæ in urbem traxit, jam trepidam, ob multitudinem familiarum,[5] quæ gliscebat immensum, minore in dies plebe ingenua.

28. Iisdem consulibus, miseriarum ac sævitiæ exemplum atrox, reus pater, accusator filius, (nomen utrique Vibius

Haud ita feliciter Gronovius *et culpæ non nescia*, Lipsius, *et culpæ conscia*. Optime vertit Cl. Gordon, *and conscious of guilt*.

3 *Ptolemæi*. Maurorum regis.

4 *Togam pictam*. Plin. viii, 48. Accipio 'pictas vestes jam apud Homerum fuisse, unde triumphales natæ. Acu facere id Phryges invenerunt, ideoque Phrygioniæ appellatæ sunt. Aurum intexere in eadem Asia invenit Attalus rex: unde nomen Attalicis. Colores diversos picturæ intexere Babylon maxime celebravit, et nomen imposuit.'

5 *Antiqua patrum*. Antiqua quidem. Nam Porsenæ regi data A. U. C. 249. A. C. 504. teste Dionys. Halicarn. Antiq. Rom. v, 35. 'Senatus censuit mittenda Porsenæ sellam eburneam, et sceptrum, et coronam auream, et triumphalem vestem, qua reges ornabantur;' Ἡ δὲ τῶν Ῥωμαίων βουλὴ—ἐψηφίσατο Πορσίνᾳ μὲν πέμψαι θρόνον ἐλεφάντινον, καὶ σκῆπτρον, καὶ στέφανον χρύσεον, καὶ θριαμβικὴν ἐσθῆτα, ὑφ' ἧς οἱ βασιλεῖς ἐκοσμοῦντο. Vestes triumphales fuisse auro intextas docet Polyb. vi, p. 495.

1 *Brundisium*. Nunc *Brindisi*.

2 *Illo mari*. Mari supero, nunc *the gulf of Venice*.

3 *Calles evenerat*. Cui evenerat cura publicorum saltuum et callium, in quibus pecora pascebantur. Provincia illa Julio Cæsari et M. Bibulo coss. olim decreta, ne Cæsar graviora agitaret, et rempublicam turbaret. Suet. Jul. 19. 'Eandem ob causam opera optimatibus data est, ut provinciæ futuris consulibus minimi negotii, id est, sylvæ callesque decernerentur.' Calles illos *Angl.* dicimus, *Commons*. V. not. et em. ad An. iv, 27.

4 *Classiariorum*. Classiarii dicebantur, qui in classe stipendia merebant. Sordidum militiæ genus ex servis, vel infima Romanorum conditione conscriptum. De illis plurima et curiosa habet Cl. Gori, Inscr. Antiq. vol. ii, p. 181 et seq. vol. iii, p. 95 sq. V. et Suet. Vespas. 8.

5 *Multitudinem familiarum*. Ob multitudinem servitiorum, quæ crescebat immensum opulentiorum dominorum luxu. Contra vero minor erat indies plebs ingenua, et Urbe cedere cogebatur, acriore annona fatigata. V. not. et em. ad An. iv, 27.

Serenus)[1] in senatum inducti sunt: ab exilio retractus, inluvieque ac squalore obsitus, et tum catena vinctus, perorante filio, pater. Paratus[2] adolescens multis munditiis, alacri vultu, "structas Principi insidias, missos in Galliam concitores belli," index idem et testis dicebat; adnectebatque, "Cæcilium Cornutum, prætorium, ministravisse pecuniam:" qui tædio curarum, et quia periculum pro exitio habebatur, mortem in se festinavit. At contra reus, nihil infracto animo, obversus in filium, quatere vincula, "vocare ultores Deos, ut sibi quidem redderent exilium, ubi procul tali more ageret; filium autem quandoque supplicia sequerentur." Adseverabatque "innocentem Cornutum, et falsa exterritum:[3] idque facile intellectu, si proderentur alii: non enim se cædem Principis, et res novas, uno socio, cogitasse."

29. Tum accusator "Cn. Lentulum, et Seijum Tuberonem," nominat: magno pudore[1] Cæsaris, cum primores civitatis, intimi ipsius amici, Lentulus senectutis extremæ, Tubero defecto corpore, tumultus hostilis, et turbandæ reipublicæ arcesserentur. Sed hi quidem statim exemti. In patrem, ex servis quæsitum: et quæstio adversa accusatori fuit: qui scelere vecors, simul vulgi rumore territus, "robur et saxum, aut parricidarum pœnas"[2] minitantium, cessit Urbe: ac retractus Ravenna, exsequi accusationem[3] adigitur; non occultante Tiberio vetus odium, adversus exulem Serenum.[4] Nam post damnatum Libonem,[5] missis ad Cæsarem literis exprobraverat, "suum tantum studium[6] sine fructu fuisse;" addideratque quædam contumacius, quam tutum apud aures superbas

1 *Vibius Serenus.* De Vibio Sereno patre, jam dictum sup. c. 13.

2 *Filio, pater. Paratus.* In libris editis *perorante filio. Præparatur adolescens.* Mutilum hunc locum ita feliciter restituit Cl. Erricus Memmius, Fori Gallici et literarum decus, ut de ejus emendatione, *perorante filio, pater. Paratus adolescens multis munditiis,* ne minima quidem haberi possit dubitatio. Inutiliter et minus probabiliter Jac. Gronov. *pater, orante filio. Præparatus adolescens.*

3 *Falsa exterritum.* Græcorum more, pro *falsis exterritum.* Muretus emendabat, *falso.* Tentabat Acidalius, *per falsa.*

1 *Magno pudore.* Quem enim tam absonæ, tam nefariæ accusationis non puduisset?

2 *Robur—pœnas.* Robur dicebant Romani cæcum carcerem, *Angl. the dungeon;* quod olim malefici in carcere robusteis arceis includebantur. V. Festum verbo *Robus,* ni potius emendandum *Robur.* Saxum illud, Tarpeium est, unde præcipites agebantur rei; de illo sup. An. ii, 32. Parricidarum pœnas Tullius, juveniliter exultans, descripsit in oratione pro Roscio Amerino, xxvi. Insuebantur in culleum vivi, atque ita in flumen dejiciebantur.

3 *Exsequi accusationem.* Cœptam accusationem persequi.

4 *Exulem Serenum.* Serenum patrem.

5 *Damnatum Libonem.* De famosa Libonis damnatione dictum est An. ii, 27 sq.

6 *Suum studium.* Libonem accusando.

et offensioni proniores. Ea Cæsar octo post annos[7] retulit, medium tempus varie arguens; etiam si tormenta, pervicacia servorum, contra evenissent.[8]

30. Dictis dein sententiis, "ut Serenus more majorum[1] puniretur," quo molliret invidiam, intercessit.[2] Gallus Asinius, "Gyaro aut Donusa[3] claudendum" censere: id quoque aspernatus est, "egenam aquæ utramque insulam" referens, "dandosque vitæ usus, cui vita concederetur." Ita Serenus Amorgum reportatur. Et quia Cornutus sua manu ceciderat, "actum de præmiis accusatorum[4] abolendis, si quis majestatis postulatus ante perfectum judicium se ipse vita privavisset:" ibaturque in eam sententiam, ni durius contraque morem suum palam pro accusatoribus Cæsar, "Inritas leges, rempublicam in præcipiti" conquestus esset: "subverterent potius jura, quam custodes eorum amoverent." Sic delatores, genus hominum publico exitio repertum, et pœnis quidem numquam satis coercitum, per præmia eliciebantur.

31. His tam adsiduis, tamque mœstis, modica lætitia interjicitur, quod C. Cominium, equitem Romanum, probrosi in se carminis convictum, Cæsar precibus fratris, qui senator erat, concessit. Quo magis mirum habebatur, gnarum meliorum, et quæ fama clementiam sequeretur, tristiora malle: neque enim socordia peccabat; nec occultum est, quando ex veritate, quando adumbrata lætitia, facta imperatorum celebrentur: quin ipse compositus alias, et velut eluctantium[1] verborum, solutius promtiusque eloquebatur, quotiens subveniret. At P. Suilium,[2] quæstorem quondam Germanici,

7 *Octo post a.* Damnatus erat Libo A. U. C. 769.

8 *Contra evenissent.* Non eum habuissent exitum, quem voluisset Tiberius. Pervicaces enim servi structas fuisse Principi insidias negabant.

1 *More majorum.* Ut virgis ad necem cæderetur. V. quæ de 'more prisco' annotata sunt An. ii, 32.

2 *Intercessit.* Intercessit Tiberius jure tribuniciæ suæ potestatis.

3 *Gyaro aut Donusa.* Donusa, Ægei maris insula, nunc *Stenosa.* De Gyaro dictum An. iii, 68. De Amorgo, An. iv, 13.

4 *Præmiis accusatorum.* Si accusatus damnaretur, tunc quarta pars bonorum accusatoribus cedebat. Sed si mortem in se festinasset, tunc bona ejus non fisci, sed heredum, erant. Solvendi itaque ex fisco accusatores; quod hac ætate, accusationum fœcunda, gravissimum. Ideo actum de præmiis accusatorum abolendis, si quis, majestatis postulatus, se ipse vita privavisset. De delatoribus dictum in not. et em. c. 20. Eos Tiberius, suspiciosus Princeps, fovet ac protegit, ut dividat et regnet.

1 *Eluctantium.* Difficulter et ambigue exeuntium; ut sensus suos occuleret.

2 *P. Suilium.* P. Suilius Italia tantum ob quædam flagitia arcebatur. At convictus pecuniam ob rem judicandam cepisse, eum in insulam amovendum censuit Tiberius. De Suilio, præpotenti et venali homine, multa dicentur inf. An. xi et xiii.

cum Italia arceretur, convictus pecuniam ob rem judicandam cepisse, "amovendum in insulam" censuit; tanta contentione animi, ut et jurando obstringeret, "e republica id esse." Quod aspere acceptum ad præsens, mox in laudem vertit, regresso Suilio: quem vidit sequens ætas præpotentem, venalem, et Claudii Principis amicitia diu prospere, numquam bene usum. Eadem pœna in Catum Firmium senatorem statuitur, tamquam falsis majestatis criminibus sororem petivisset. Catus, ut retuli,[3] Libonem inlexerat insidiis, deinde indicio perculerat: ejus operæ memor Tiberius, sed alia prætendens, exilium deprecatus est: quominus senatu pelleretur, non obstitit.

32. Pleraque eorum quæ retuli, quæque referam, parva forsitan, et levia memoratu videri, non nescius sum: sed nemo Annales nostros cum scriptura eorum contenderit, qui veteres populi Romani res composuere. Ingentia illi bella, expugnationes urbium, fusos captosque reges; aut, si quando ad interna præverterent, discordias consulum adversum tribunos, agrarias frumentariasque leges, plebis et optimatium certamina, libero egressu memorabant. Nobis in arcto, et inglorius labor. Immota quippe, aut modice lacessita pax, mœstæ Urbis res, et Princeps proferendi imperii incuriosus erat. Non tamen sine usu fuerit, introspicere illa primo aspectu levia, ex queis magnarum sæpe rerum motus oriuntur.

33. Nam cunctas nationes et urbes populus, aut primores, aut singuli regunt: delecta ex his[1] et consociata reipublicæ forma, laudari facilius, quam evenire; vel si evenit, haud diuturna esse potest. Igitur ut olim, plebe valida, vel cum patres pollerent, noscenda vulgi natura, et quibus modis temperanter haberetur; senatusque et optimatium ingenia qui maxime perdidicerant, callidi temporum et sapientes credebantur: sic converso statu, neque alia re Romana,[2] quam si unus imperitet, hæc conquiri tradique in rem fuerit: quia pauci prudentia, honesta ab deterioribus, utilia ab noxiis discernunt; plures, aliorum eventis docentur. Ceterum ut pro-

3 *Ut retuli.* Sup. An. ii, 27.

1 *Delecta ex his.* Forma reipublicæ ex his tribus, potestate scilicet populi, primorum, ac regis, delecta et consociata laudari facilius, quam evenire potest; vel si evenerit, haud diuturna esse potest. Evenit tandem, ac in Anglia constitutam videmus. Utrum ad felicitatem ac diuturnitatem Anglici imperii, judicent Angli.

2 *Neque—Romana.* Converso statu, et re Romana sub uno Principe constituta. V. not. et em. ad An. iv, 33.

futura, ita minimum oblectationis adferunt: nam situs gentium, varietates præliorum, clari ducum exitus, retinent ac redintegrant legentium animum: nos sæva jussa, continuas accusationes, fallaces amicitias, perniciem innocentium, et easdem exitu causas conjungimus; obvia rerum similitudine, et satietate. Tum quod antiquis scriptoribus rarus obtrectator; neque refert cujusquam, Punicas Romanasve acies lætius extuleris: at multorum, qui, Tiberio regente, pœnam vel infamiam subiere, posteri manent: utque familiæ ipsæ jam extinctæ sint; reperies qui ob similitudinem morum, aliena malefacta sibi objectari putent: etiam gloria ac virtus infensos habet, ut nimis ex propinquo[3] diversa arguens. Sed ad incœpta redeo.

A.U.C. 778. J.C. 25.

34. Cornelio Cosso, Asinio Agrippa Consulibus,[1] Cremutius Cordus postulatur, novo ac tunc primum audito crimine, quod, editis annalibus, laudatoque M. Bruto, C. Cassium *Romanorum ultimum*[2] dixisset. Accusabant Satrius Secundus, et Pinarius Natta, Sejani clientes:[3] id perniciabile reo, et Cæsar truci vultu defensionem accipiens: quam Cremutius, relinquendæ vitæ certus, in hunc modum exorsus est: "Verba mea, patres conscripti, arguuntur: adeo factorum innocens sum. Sed neque hæc in Principem, aut Principis parentem, quos lex majestatis amplectitur: Brutum et Cassium laudavisse dicor; quorum res gestas cum plurimi composuerint, nemo sine honore memoravit. Titus Livius, eloquentiæ ac fidei præclarus in primis, Cn. Pompeium tantis laudibus tulit, ut *Pompeianum* eum Augustus appellaret: neque id amicitiæ eorum offecit. Scipionem, Afranium, hunc ipsum

3 *Ut—propinquo.* In nostris etiam scriptis gloria ac virtus offensos habet lectores, quia nimis ex propinquo diversa arguit. Priscarum virtutum laudes libenter legimus: nihil habent odii, nihil invidiæ. Eas ipsi laudamus, ut nobis communes fieri videantur. At propinquas ac vicinas virtutes vix ullus laudat. Si enim vitiis diversus, tunc spernit. Si vero virtutis æmulus, tunc invidet: quantumque ceteris tribuitur, tantum sibi detrahi existimat. V. not. et em. ad An. iv, 33.

1 *Agrippa Coss.* M. Asinius Agrippa et Cossus Cornelius Lentulus coss. fuere A. U. C. 778. J. C. 25. In Fastis, Agrippa Lentulo præponitur.

2 *Romanorum ultimum.* Sic quoque et verius, Romani appellarunt Philopœmenen 'ultimum Græcorum, quasi nullum postea illustrem virum, ipsave dignum genuerit Græcia.' Ἔσχατον αὐτὸν Ἑλλήνων προσεῖπεν, ὡς οὐδένα μέγαν μετὰ τοῦτον ἔτι τῆς Ἑλλάδος ἄνδρα γειναμένης, οὐδὲ αὐτῆς ἄξιον. Plut. in Philopœm. p. 356.

3 *Sejani clientes.* V. Sen. cons. ad Marc., Cremutii Cordi filiam, XXII. Dicta in Sejanum liberius prolata, potius quam Bruti ac Cassii laudes, mortem Cremutio arces-

Cassium, hunc Brutum, nusquam *latrones et parricidas*,[4] quæ nunc vocabula imponuntur, sæpe ut insignes viros nominat. Asinii Pollionis scripta, egregiam eorumdem memoriam tradunt. Messala Corvinus *imperatorem suum Cassium* prædicabat: et uterque opibusque[5] atque honoribus perviguere. Marci Ciceronis libro, quo Catonem cœlo æquavit, quid aliud dictator Cæsar, quam rescripta oratione, velut apud judices respondit? Antonii epistolæ, Bruti conciones, falsa quidem in Augustum probra, sed multa cum acerbitate habent: carmina Bibaculi et Catulli, referta contumeliis Cæsarum leguntur. Sed ipse divus Julius, ipse divus Augustus, et tulere ista, et reliquere; haud facile dixerim, moderatione magis, an sapientia: namque spreta exolescunt: si irascare, agnita videntur.

35. "Non attingo Græcos, quorum non modo libertas, etiam libido impunita: aut si quis advertit, dictis dicta ultus est. Sed maxime solutum, et sine obtrectatore fuit, prodere de iis quos mors odio aut gratiæ exemisset. Num cum armatis Cassio et Bruto, ac Philippenses campos obtinentibus, belli civilis causa populum per conciones incendo? An illi[1] quidem sexagesimum ante annum[2] peremti, quo modo imaginibus suis noscuntur, quas ne victor quidem abolevit, sic partem memoriæ apud scriptores retinent? Suum cuique decus posteritas rependit: nec deerunt, si damnatio ingruit, qui non modo Cassii et Bruti, sed etiam mei meminerint." Egressus dein senatu, vitam abstinentia finivit:[3] libros per ædiles cre-

sivere. Ejus scripta, audiente Augusto, olim recitata fuisse et probata docet Suet. Tib. 61.

4 *Parricidas.* Extabat quidem apud Romanos lex Valeria, qua sacratum cum bonis caput ejus, 'qui regni occupandi consilia inisset,' Liv. ii, 8. Interfectori impunitas data, si indicia sceleris demonstrasset, κτείναντα δὲ φόνου καθαρὸν ἐποίησεν, εἰ παράσχοιτο τοῦ ἀδικήματος τοὺς ἐλέγχους. Plut. Public. p. 103. Cæsaris tamen, dictaturam perpetuam obtinentis, interfectores parricidas esse nemo sanioris mentis diffitebitur. Quanto majore cum scelere sancta, sacra, semperque verenda regum majestas violaretur docet ratio, clamat religio.

5 *Uterque opibusque.* Hæc quidem dura multis videbuntur, 'et uterque opibusque atque honoribus perviguere.' Nihil tamen mutaverim. Duriora habet Tullius. Id genus etiam plurima reperias in Platone, quo quis umquam elegantior ac suavior! Peregrinarum linguarum ne austeriores simus judices.

1 *An illi.* *An* pro *Annon*, ut sæpe a Tullio, Horatio, aliisque usurpatur. Male tentat Pichena, *at illi.*

2 *Sexagesimum ante a.* Pessime in libris editis *septuagesimum ante annum.* Sibi enim mortem intulere Cassius et Brutus A. U. C. 712. Ergo ab eorum morte ad hunc annum 778. numerandi tantum anni 66. Nec dicendum hæc rotunde accipi. Id non patitur præpositio *ante.*

3 *Abstinentia finivit.* Quarto die se inedia languidum absolvit. Mortem ejus fuse et luculenter describit Sen. cons. ad Marc. XXII.

mandos censuere patres, sed manserunt occultati, et editi.[4] Quo magis socordiam eorum inridere libet, qui præsenti potentia, credunt extingui posse etiam sequentis ævi memoriam. Nam contra, punitis ingeniis,[5] gliscit auctoritas: neque aliud externi reges, aut qui eadem sævitia usi sunt, nisi dedecus sibi, atque illis gloriam peperere.

36. Ceterum postulandis reis, tam continuus annus fuit, ut feriarum Latinarum[1] diebus, Præfectum Urbis Drusum, auspicandi gratia tribunal ingressum, adierit Calpurnius Salvianus in Sex. Marium: quod a Cæsare palam increpitum, causa exilii Salviano fuit. Objecta publice Cyzicenis[2] "incuria cærimoniarum divi Augusti," additis "violentiæ criminibus adversum cives Romanos:" et amisere libertatem, quam bello Mithridatis meruerant[3] circumsessi, nec minus sua constantia, quam præsidio Luculli, pulso rege. At Fonteius Capito, qui proconsul Asiam curaverat, absolvitur, comperto ficta in eum crimina, per Vibium Serenum:[4] neque tamen id Sereno noxæ fuit, quem odium publicum tutiorem faciebat: nam ut quis districtior accusator, velut sacrosanctus erat: leves, ignobiles,[5] pœnis adficiebantur.

4 *Occultati, et editi.* Librorum damnatorum more, apud curiosos, sed clam, manserunt. Eos postea, probante Caio Caligula, juris publici fecit filia ejus Marcia, quam laudat Seneca, cons. ad Marc. I. 'Ingenium patris tui, de quo sumtum erat supplicium, in usum hominum reduxisti, et a vera illum vindicasti morte, ac restituisti in publica monumenta libros, quos vir ille fortissimus sanguine suo scripserat. Optime meruisti de Romanis studiis: magna illorum pars arserat. Optime de posteris: ad quos veniet incorrupta rerum fides, auctori suo magno imputata. Optime de ipso: cujus viget vigebitque memoria quamdiu fuerit in pretio Romana cognosci; quamdiu quisquam erit, qui reverti velit ad acta majorum; quamdiu quisquam, qui velit scire, quid sit vir Romanus; quid subactis jam cervicibus omnium, et ad Sejanianum jugum adactis, indomitus sit homo, ingenio, animo, manu liber.' Extant Cremutii fragmenta apud Sen. Suas. VII.

5 *Punitis ingeniis.* Punitis ingeniis ob veritatem, apud omnes; ob libertatem, apud plurimos; ob scelera, apud paucos, et pessimos tantum, gliscit auctoritas. V. not. et em. ad An. iv, 35.

1 *Feriarum Latinarum.* Feriæ Latinæ a Tarquinio Superbo institutæ, et Jovi Latiali sacræ, in monte Albano celebrabantur, Livius, xlv, 11. Dion. Halic. Antiq. Rom. iv, 49. Cum huc consules ac magistratus proficiscerentur, in tempus deligebatur e prima nobilitate aliquis, qui consulare munus usurparet, jus redderet, ac subitis mederetur, v. inf. vi, 2. Drusus, Germanici filius, tunc Urbis præfectus, primo magistratus die aliquid muneris sui, more Romano, auspicii causa delibabat. Sed a levibus, lætisque, non vero a gravibus et sævis ordiendum: quod merito increpuit Cæsar.

2 *Cyzicenis.* Cyzicus, urbs Mysiæ minoris celeberrima. Omnino intercidit. De illa urbe plurima habet Strabo xii, p. 575 et 576.

3 *Bello—meruerant.* Quam bene meriti sint de Romanis Cyziceni in bello Mithridatico fuse prosequuntur Plut. Lucul. p. 497. Strabo l. c. Deinde cum Romanos aliquot flagris cæsos necassent, libertatem amiserant A. U. C. 739. Dio liv, p. 525 et 537. Iterum amisere, Principe Tiberio.

4 *Vibium Serenum.* Vibium Serenum filium, de quo sup. c. 28.

5 *Leves, ignobiles.* Leves et ignobiles accusatores pœnis adficiebantur.

37. Per idem tempus Hispania ulterior,[1] missis ad senatum legatis, oravit, "ut exemplo Asiæ[2] delubrum Tiberio matrique ejus exstrueret:" qua occasione Cæsar, validus alioqui spernendis honoribus, et respondendum ratus iis, quorum rumore arguebatur "in ambitionem flexisse," hujuscemodi orationem cœpit. "Scio, patres conscripti, constantiam meam a plerisque desideratam, quod Asiæ civitatibus nuper idem istud petentibus, non sim adversatus: ergo et prioris silentii defensionem, et quid in futurum statuerim, simul aperiam. Cum divus Augustus, sibi atque Urbi Romæ templum apud Pergamum[3] sisti non prohibuisset; qui omnia facta dictaque ejus vice legis observem, placitum jam exemplum promtius secutus sum, quia cultui meo veneratio senatus[4] adjungebatur. Ceterum ut semel recepisse, veniam habuerit; ita per omnes provincias effigie numinum sacrari, ambitiosum, superbum: et vanescet Augusti honor, si promiscuis adulationibus vulgatur."

38. "Ego me, patres conscripti, mortalem esse, et hominum officia fungi, satisque habere, si locum principem impleam, et vos testor, et meminisse posteros volo: qui satis superque memoriæ meæ tribuent, ut majoribus meis dignum, rerum vestrarum providum, constantem in periculis, offensionum pro utilitate publica non pavidum credant. Hæc mihi in animis vestris templa, hæ pulcherrimæ effigies, et mansuræ: nam quæ saxo struuntur, si judicium posterorum in odium vertit, pro sepulcris spernuntur.[1] Proinde socios, cives, et Deos ipsos precor: hos, ut mihi ad finem usque vitæ, quietam et intelligentem humani divinique juris mentem duint;[2] illos, ut quandoque concessero, cum laude et bonis recordationibus, facta atque famam nominis mei prosequantur." Perstititque posthac, secretis etiam sermonibus, aspernari talem sui cultum: quod alii "modestiam," multi, "quia diffideret,"[3] qui-

1 *Hispania ulterior.* I. e. Lusitania et Bætica, *Portugal, Andalusia, and Grenada.*

2 *Exemplo Asiæ.* Sup. c. 15.

3 *Apud Pergamum.* Pergamus, urbs Mysiæ majoris, olim Attalorum regum sedes, et Asiæ longe clarissima, teste Plin. v, 30. Nunc *Bergamo.*

4 *Veneratio senatus.* 'Decrevere Asiæ urbes templum Tiberio, matrique ejus ac senatui,' sup. c. 15.

1 *Spernuntur.* Æque ac sepulcra spernuntur. Hæc enim contemtorum Principium delubra, verius sepulcra erant, quam templa.

2 *Duint.* Dent. Sic Ter. et Plaut. passim.

3 *Quia diffideret.* Se cultum illum mereri posse.

dam, "ut degeneris animi," interpretabantur. "Optumos quippe mortalium, altissima cupere. Sic Herculem et Liberum[4] apud Græcos, Quirinum[5] apud nos, Deum numero additos. Melius Augustum,[6] qui speraverit. Cetera Principibus statim adesse: unum insatiabiliter parandum, prosperam sui memoriam: nam contemtu famæ, contemni virtutes."

39. At Sejanus nimia fortuna socors, et muliebri insuper cupidine incensus, promissum matrimonium flagitante Livia,[1] componit ad Cæsarem codicillos: moris quippe tum erat,[2] quamquam præsentem, scripto adire: ejus talis forma fuit. "Benevolentia patris Augusti, et mox pluribus Tiberii judiciis, ita insuevisse, ut spes votaque sua non prius ad Deos, quam ad Principum aures conferret. Neque fulgorem honorum umquam precatum: excubias ac labores, ut unum e militibus, pro incolumitate Imperatoris malle. Attamen, quod pulcherrimum, adeptum, ut conjunctione Cæsaris[3] dignus crederetur: hinc initium spei. Et quoniam audiverit Augustum, in conlocanda filia,[4] nonnihil etiam de equitibus Romanis consultavisse:[5] ita si maritus Liviæ quæreretur, haberet in animo amicum, sola necessitudinis gloria usurum. Non enim exuere imposita munia: satis æstimare, firmari domum adversum iniquas Agrippinæ offensiones; idque liberorum causa.[6] Nam sibi multum superque vitæ fore, quod tali cum Principe explevisset."

40. Ad ea Tiberius, laudata pietate Sejani, suisque in eum beneficiis modice percursis, cum tempus tamquam ad integram consultationem petivisset, adjunxit: "Ceteris mortalibus in

4 *Liberum.* Bacchum.

5 *Quirinum.* Romulum.

6 *Melius Augustum.* Longe melius sensisse Augustum, qui divinos honores speraverit, seque divis annumerandum confiderit. Cetera quidem omnia Principibus statim, ac pro ipsorum voluntate, adesse. Iis ergo in id unum esse incumbendum, idque unum insatiabiliter parandum, ut prosperam sui memoriam faciant. Contemtu famæ contemni virtutes.

1 *Flagitante Livia.* Germanici sorore, olim Drusi uxore, sup. c. 3.

2 *Moris—erat.* Id moris reperit Julius Cæsar, ut in tanta rerum multitudine facilior ad eum foret aditus, Plut. Jul. Cæs. p. 716. Augustus cum singulis ipsaque Livia usurpavit, ne quid in tanta rerum gravitate peccaret, si plus minusve loqueretur ex tempore, Suet. Aug. 84. Tiberius retinuit, ut in politica sua arte obscurior esset, imperiosius regnaret, certiusque falleret.

3 *Conjunctione Cæsaris.* Druso, Claudii filio, olim desponsa Sejani filia, ut dictum est sup. iii, 29. iv, 7.

4 *Conlocanda filia.* Julia, Augusti et Scriboniæ filia.

5 *Consultavisse.* Agrippa defuncto, 'multis, ac diu, ex equestri ordine, circumspectis conditionibus, Tiberium privignum suum elegit,' Suet. Aug. lxiii.

6 *Liberorum causa.* Idque petere non sibi, sed liberis suis; ut ipsis consulat adversus iniquas Agrippinæ offensiones. Sibi multum superque vitæ fore id, quod cum Tiberio Principe explevisset.

eo stare consilia, quid sibi conducere putent: Principum diversam esse sortem, quibus præcipua rerum ad famam dirigenda: ideo se non illuc decurrere, quod promtum rescriptu:[1] posse ipsam Liviam statuere, nubendum post Drusum, an in penatibus iisdem tolerandum haberet: esse illi matrem et aviam, propiora consilia: simplicius acturum: de inimicitiis primum Agrippinæ: quas longe acrius arsuras, si matrimonium Liviæ, velut in partes, domum Cæsarum distraxisset: sic quoque erumpere æmulationem fœminarum, eaque discordia nepotes suos convelli: quid si intendatur certamen, tali conjugio? Falleris enim, Sejane, si te mansurum in eodem ordine putas, et Liviam, quæ C. Cæsari, mox Druso nupta fuerit, ea mente acturam, ut cum equite Romano senescat. Ego ut sinam, credisne passuros, qui fratrem ejus, qui patrem majoresque nostros, in summis imperiis videre? Vis tu quidem istum intra locum sistere: sed illi magistratus et primores qui, te invito, perrumpunt, omnibusque de rebus consulunt, excessisse jam pridem equestre fastigium, longeque anteisse patris mei amicitias, non occulti ferunt, perque invidiam tui me quo-

1 *Promtum rescriptu.* Ideo se non illuc decurrere, ut promta et obvia respondeat. Liviam ipsam statuere posse utrum nubere post amissum Drusum, an in iisdem penatibus tolerare debeat. Illi esse matrem Antoniam, aviamque Liviam, propiora consilia, quibusque libentius pareat. At se simplicius consultiusque cum Sejano aucturum. Ac primo quidem de inimicitiis Agrippinæ; eas longe acrius arsuras, si matrimonium Liviæ cum Sejano, velut in partes, domum Cæsarum distraxisset. Sic quoque erumpere æmulationem fœminarum Agrippinam inter et Liviam, eaque discordia nepotes suos, tum Agrippinæ, tum Liviæ filios, convelli. Quid si adhuc tali conjugio intendatur certamen, et ut nuptiis, sic quoque tota vitæ conditione major esse volueris. Falleris enim, Sejane, si putas in eodem equitis, et præfecti cohortium prætoriarum ordine te mansurum; et Liviam quæ Caio Cæsari, stem. Cæs. n. 48. mox Druso, stem. Cæs. n. 70. nupta fuerit, ea mente acturam, ut cum equite Romano senescat. Ego ut sinam, credisne id passuros, qui fratrem ejus Germanicum, qui patrem Tiberium Neronem, majoresque nostros in summis imperiis viderunt? Vis tu quidem istum intra locum sistere, nec altius ascendere? Esto. At illi magistratus, et primores, qui, foribus tuis assidui, undique perrumpunt, teque, etiam invitum, tamquam Urbis Principem interpellant, atque de rebus omnibus consulunt, illi ipsi non occulti ferunt te jampridem excessisse equestre fastigium, longeque anteisse patris mei Augusti amicitias, quantæ fuerint in Vipsanium Agrippam et in Mæcenatem. Me quoque per tui invidiam incusant. Quanto vehementius quererentur, meque incusarent, si Liviam uxorem haberes? At, inquis, Augustus filiam suam equiti Romano tradere meditatus est. An ergo mirum si Augustus, cum in omnes curas distraheretur, ac provideret attolli immensum, quem conjugio tali super alios extulisset, C. Proculeium et quosdam alios viros insigni tranquillitate vitæ, nullis reipublicæ negotiis permixtos, ac proinde neque nimiæ spei suspectos, neque invidiæ obnoxios, quasi futuros generos, in sermonibus aliquando habuit? Sed si illa ipsa Augusti deliberatione movemur; quanto validius est, quod M. Agrippæ, triumphali viro, mox mihi, privigno suo, filiam suam collocavit? Cetera explicatione haud indigent. Hæc vero omnia quam Tiberio, quam Tacito digna!

que incusant. At enim Augustus filiam suam equiti Romano tradere meditatus est. Mirum hercule, si, cum in omnes curas distraheretur, immensumque attolli provideret, quem conjunctione tali super alios extulisset, C. Proculeium, et quosdam in sermonibus habuit, insigni tranquillitate vitæ, nullis reipublicæ negotiis permixtos. Sed si dubitatione Augusti movemur; quanto validius est quod M. Agrippæ, mox mihi conlocavit? Atque ego hæc, pro amicitia, non occultavi: ceterum neque tuis, neque Liviæ destinatis, adversabor. Ipse quid intra animum volutaverim, quibus adhuc necessitudinibus immiscere te mihi parem, omittam ad præsens referre: id tantum aperiam, nihil esse tam excelsum, quod non virtutes istæ, tuusque in me animus mereantur; datoque tempore, vel in senatu, vel in concione non reticebo."

41. Rursum Sejanus, non jam de matrimonio, sed altius metuens, "tacita suspicionum,[1] vulgi rumorem, ingruentem invidiam" deprecatur. Ac ne adsiduos in domum cœtus arcendo, infringeret potentiam, aut receptando, facultatem criminantibus præberet; huc flexit, ut Tiberium ad vitam procul Roma, amœnis locis degendam, impelleret. Multa quippe providebat: sua in manu aditus: literarumque magna ex parte se arbitrum fore, cum per milites commearent: mox Cæsarem, vergente jam senecta, secretoque loci mollitum, munia imperii facilius tramissurum: et minui sibi invidiam, ademta salutantum turba; sublatisque inanibus, vera potentia augere.[2] Igitur paulatim negotia urbis, populi adcursus, multitudinem adfluentium increpat, extollens laudibus "quietem et solitudinem: queis abesse tædia et offensiones, ac præcipua rerum[3] maxime agitari."

42. Ac forte habita per illos dies de Votieno Montano,[1] ce-

1 *Tacita suspicionum.* Tacita suspicionum in intricatis Tiberii verbis de affectato principatu, 'magistratus et primores perrumpunt, omnibusque de rebus consulunt:' vulgi rumorem, Sejanum 'excessisse jam pridem equestre fastigium:' ingruentem invidiam, per quam 'ipsum Tiberium incusant:' hæc deprecatur, compositis ad Cæsarem novis codicillis. Attamen ne, assiduos in domum cœtus arcendo, infringeret potentiam; aut receptando, facultatem criminantibus præberet, huc flexit atque vertit, ut Tiberium, ad vitam procul Roma amœnis locis degendam, impelleret.

2 *Potentia augere.* Seque vera potentia gliscere, crescere. V. not. et em. ad An. iv, 41.

3 *Præcipua rerum.* Ibique res præcipuas melius, quam in Urbis tumultu, tractari ac peragi.

1 *Votieno Montano.* De illo Sen. iv. Controv. 28. 'Montanus Votienus, homo rarissimi, etiamsi non emendatissimi ingenii.' Illum a Vinitio accusatum memorat iii. Controv. 20.

lebris ingenii viro, cognitio, cunctantem jam Tiberium perpulit, ut vitandos crederet patrum cœtus vocesque, quæ plerumque veræ et graves coram ingerebantur: nam, postulato Votieno, "ob contumelias in Cæsarem dictas," testis Æmilius, e militaribus viris, dum studio probandi cuncta refert, et quamquam inter obstrepentes magna adseveratione nititur, audivit Tiberius probra, queis per occultum lacerabatur: adeoque perculsus est, ut "se vel statim, vel in cognitione[2] purgaturum" clamitaret; precibusque proximorum, adulatione omnium, ægre componeret animum. Et Votienus quidem majestatis pœnis adfectus est.[3] Cæsar objectam sibi adversus reos inclementiam eo pervicacius amplexus, Aquiliam, adulterii delatam, cum Vario Ligure,[4] quamquam Lentulus Gætulicus, consul designatus, lege Julia[5] damnasset, exilio punivit: Apidiumque Merulam, "quod in acta divi Augusti[6] non juraverat," albo senatorio[7] erasit.

43. Auditæ dehinc Lacedæmoniorum et Messeniorum[1] legationes; de jure templi Dianæ Limnatidis,[2] "quod suis a majoribus, suaque in terra dicatum," Lacedæmonii firmabant annalium memoria, vatumque carminibus: "sed Macedonis Philippi, cum quo bellassent, armis ademtum, ac post C. Cæsaris[3] et M. Antonii sententia redditum." Contra Messenii, "veterem inter Herculis posteros divisionem Peloponnesi" protulere, "suoque regi Dentheliatem agrum,[4] in quo id delu-

2 *Vel—cognitione.* Vel statim se purgaturum, vel si mallent, in peculiari cognitione et auditis testibus. Frustra quidam emendant, *in concione*.

3 *Pœnis adfectus est.* Euseb. in Chronic. ad an. iii. Olymp. 201. Tib. 14. 'Votienus Montanus, Narbonensis orator, in Balearibus insulis moritur, illuc a Tiberio relegatus.'

4 *Vario Ligure.* Varius Ligur dictus videtur ob Ligures a majoribus suis devictos, ut Lentulus, Gætulicus, ob triumphatos Gætulos.

5 *Lege Julia.* Adulterium gladio punitum diximus An. ii, 50. ex Instit. iv, Tit. 18. Idem probat Ovid. v Trist. xi, 15. et i Pont. vii, 41. Sæpe tamen relegatione multatum. Tiberius inclementiam amplexus, Aquiliam exilio punivit. Relegati enim civitatem non amittebant: amittebant exules.

6 *In—Augusti.* De hoc usu dictum est sup. An. i, 7.

7 *Albo senatorio.* In quo conscripta senatorum nomina publice quotannis edebantur, ut instituerat Augustus, A. U. C. 745. V. Dion. lv, p. 550.

1 *Lacedæmoniorum et Messeniorum.* Peloponnesi populorum. Lacedæmoniorum urbs princeps Sparta: manent tantum rudera, nunc *Paleochori.* Messeniorum, Messene, nunc *Maura-Matra.*

2 *Dianæ Limnatidis.* Templum illud erat in Laconicæ et Messeniæ finibus: ita dictum a lacubus. Ἀπὸ δὲ τῶν λιμνῶν λιμναῖον εἴρηται τῆς Ἀρτέμιδος ἱερόν. Strabo viii. p. 362. V. not. et em. ad An. iv, 43.

3 *C. Cæsaris.* C. Julii Cæsaris dictatoris et M. Antonii triumviri.

4 *Dentheliatem agrum.* Nomen, *Dentheliatem*, varie solicitant interpretes; sed frustra. Apud Stephanum de Urb. memoratur urbs Messenios inter et Lacedæmonios multis contentionibus obnoxia, nomine Δελθάνιοι. Sed ex ipso literarum ordine, cum post Δελφίνιον, *Delphinium*, re-

brum, cessisse: monimentaque ejus rei sculpta saxis, et ære prisco manere. Quod si vatum, annalium[5] ad testimonia vocentur, plures sibi ac locupletiores esse; neque Philippum potentia,[6] sed ex vero statuisse: idem regis Antigoni,[7] idem imperatoris Mummii[8] judicium: sic Milesios,[9] permisso publice arbitrio, postremo Atidium Geminum, prætorem Achaiæ, decrevisse." Ita secundum Messenios datum.[10] Et Segestani,[11] " ædem Veneris, montem apud Erycem,[12] vetustate dilapsam, restaurari" postulavere: nota memorantes de origine ejus,[13] et læta Tiberio: suscepit curam libens, ut consanguineus. Tunc tractatæ Massiliensium preces, probatumque P. Rutilii[14] exemplum: namque eum legibus pulsum, civem sibi Smyrnæi addiderant: quo jure Vulcatius Moschus, exul, in Massilienses[15] receptus, bona sua reipublicæ eorum, ut patriæ reliquerat.

44. Obiere eo anno viri nobiles, Cn. Lentulus, et L. Domi-

censeatur, manifestum est hic errorem esse, et emendandum in Stephano Δενθάλιοι, qui forte etiam dicti sunt Δενθήλιοι. Itaque ex Tacito Stephanus, non ex Stephano Tacitus est corrigendus, ut recte monuit eruditus Holsten. in not. ac castig. ad Steph.

5 *Vatum, annalium.* V. not. et em. ad An. iv, 43.

6 *Philippum potentia.* Neque Philippum, Alexandri patrem, id auctoritate ac potentia, sed ex comperta veritate statuisse.

7 *Regis Antigoni.* Antigonus, Macedonum rex, dictus *Doson*, seu *Daturus*, mortuus est an. IV. Olymp. 139. U. C. 533. cum regnasset annos duodecim. Istius Antigoni, qui de Peloponneso triumphavit, non vero Antigoni Gonatæ judicium fuisse videtur.

8 *Imperatoris Mummii.* L. Mummius, cognomine Achaicus, Corinthum evertit A. U. C. 608. Devicta Achaia, Urbem, Italiam, ac etiam provinciam signis tabulisque replevit. 'Ex tantis' vero 'manubiis adeo nihil in suum convertit, ut filiam ejus inopem senatus ex publico dotaverit,' Frontin. Strat. iv, 3. Plin. xxxiv, 7.

9 *Sic Milesios.* Sic Milesios, cum Lacedæmonii et Messenii arbitrium iis publice permisissent, decrevisse: sic quoque postremo statuisse Atidium Geminum, prætorem Achaiæ. Græcia a Romanis subacta, in provinciæ formam redacta est, et appellata Achaia.

10 *Messenios datum.* Ita quoque Romæ secundum Messenios pronuntiatum, iisque templum Dianæ Limnatidis datum.

11 *Segestani.* Populi Siciliæ, quorum caput Segesta, nunc *a Town near Mazzara.*

12 *Erycem.* Eryx, mons Siciliæ ad occidentem Segestæ, nunc *Monte san Giuliano.*

13 *Origine ejus.* Mela l. c. 'Montium Eryx maxime memoratur ob delubrum Veneris ab Ænea conditum.' Id sane memoraverunt, quod lætissimum fuit Tiberio, qui se ob familiam Juliam, Æneæ et Deæ Veneris consanguineum esse gloriabatur. Iis adversari videtur Suet. in Claud. XXV. 'Templum quoque in Sicilia Veneris Erycinæ vetustate collapsum, ut ex ærario populi Romani reficeretur, auctor fuit.' Forte nulla inter scriptores pugna; sed cœpit Tiberius, perfecit Claudius.

14 *P. Rutilii.* Vellei. ii, 13. 'Publium Rutilium, virum non seculi sui, sed omnis ævi optimum, interrogatum lege repetundarum, maximo cum gemitu civitatis damnaverant.' Ejus quoque innocentiam ac virtutem, accepta injuria, splendidiorem commendat Sen. Ep. LXXIX.

15 *In Massilienses.* Inter Massilienses cives receptus. Massilia, *Marseilles, in Provence,* literarum studiis tunc clarissima, olim a Græcis Phocæensibus condita, Plin. iii, 4.

tius. Lentulo[1] super consulatum et triumphalia de Gætulis,[2] gloriæ fuerat bene tolerata paupertas, dein magnæ opes innocenter paratæ et modeste habitæ. Domitium[3] decoravit pater, civili bello maris potens, donec Antonii partibus, mox Cæsaris misceretur. Avus, Pharsalica acie, pro optimatibus[4] ceciderat: ipse electus, cui minor Antonia,[5] Octavia genita, in matrimonium daretur. Post, exercitu flumen Albim transcendit;[6] longius penetrata Germania, quam quisquam priorum: easque ob res insignia triumphi adeptus est. Obiit et L. Antonius,[7] multa claritudine generis, sed improspera: nam patre ejus, Julo Antonio,[8] ob adulterium Juliæ morte punito, hunc admodum adolescentulum, sororis nepotem, seposuit Augustus in civitatem Massiliensem, ubi specie studiorum nomen exilii tegeretur. Habitus tamen supremis honor: ossaque tumulo Octaviorum inlata, per decretum senatus.

45. Iisdem consulibus, facinus atrox, in citeriore Hispania,[1] admissum a quodam agreste, nationis Termestinæ:[2] is prætorem provinciæ, L. Pisonem, pace incuriosum, ex improviso in itinere adortus, uno vulnere in mortem adfecit: ac pernicitate equi profugus, postquam saltuosos locos attigerat, dimisso equo, per dirupta et avia sequentes frustratus est: neque diu fefellit: nam prehenso ductoque per proximos pagos equo, cujus foret cognitum: et repertus, cum tormentis edere conscios adigeretur, voce magna, sermone patrio, "frustra se interrogari" clamitavit: "adsisterent socii ac spectarent: nullam vim tantam doloris fore, ut veritatem eli-

1 *Lentulo.* Cn. Lentulus, olim Druso comes additus in Germania, Annal. i, 27. Cos. A. U. C. 740. pater Lentuli Gætulici, de quo sup. c. 42. et mox c. 46. De ejus victoria et triumphalibus ornamentis, Vellei. ii, 116. Minime confundendus cum Cn. Lentulo augure et sordido homine, de quo in dissert. de luxu Romanorum diximus.

2 *De Gætulis.* Gætuli, natio frequens ac multiplex quæ infra Mauritaniam longe lateque exspatiabatur. Nunc *the most western part of Biledulgerid.*

3 *Domitium.* L. Domitium Ahenobarbum, Neronis imperatoris avum. V. stem. Cæs. n. 33. et Suet. Ner. 1 sq.

4 *Pro optimatibus.* I. e. in partibus Pompeianis, quæ optimatum erant.

5 *Minor Antonia.* Suetonio in Ner. v. 'major' dicitur, et fuisse videtur. V. stem. Cæs. n. 32.

6 *Albim transcendit.* Haud satis accurate gestis et scriptis auctor celeberrimus, *Mémoires de la Maison de Brandebourg*, p. 5. *On remarque cependant qu'ils* (les Romains) *n'ont jamais passé l'Elbe.*

7 *L. Antonius.* Nepos Octaviæ, sororis Augusti. V. stem. Cæs. n. 30.

8 *Julo Antonio.* De illo dictum sup. An. iii, 18. V. et stem. Cæs. n. 29.

1 *Citeriore Hispania.* Eadem ac Tarraconensi, quæ si Lusitaniam et Bæticam exceperis, reliquam Hispaniam ad Pyrenæos montes complectitur.

2 *Nationis Termestinæ.* Nationis illius urbs princeps Termes, nunc *Lerma, in Old Castile.*

ceret." Idemque cum postero ad quæsitionem retraheretur, eo nisu proripuit se custodibus, saxoque caput adflixit, ut statim exanimaretur. Sed Piso Termestinorum dolo cæsus habetur: qui pecunias e publico interceptas,[3] acrius, quam ut tolerarent barbari, cogebat.

A.U.C. 779. J.C. 26.

46. Lentulo Gætulico, C. Calvisio consulibus,[1] decreta triumphi insignia Poppæo Sabino, contusis Thracum gentibus, qui montium editis,[2] inculti, atque eo ferocius agitabant. Causa motus, super hominum ingenium, quod pati delectus,[3] et validissimum quemque militiæ nostræ dare aspernabantur; ne regibus quidem parere nisi ex libidine soliti; aut, si mitterent auxilia, suos ductores præficere, nec nisi adversum accolas[4] belligerare. Ac tum rumor incesserat fore, ut disjecti, aliisque nationibus permixti, diversas in terras traherentur. Sed antequam arma inciperent, misere legatos, "amicitiam, obsequiumque" memoraturos; "et mansura hæc, si nullo novo onere tentarentur. Sin ut victis servitium indiceretur; esse sibi ferrum et juventutem, et promtum libertati, aut ad mortem animum." Simul castella rupibus indita, conlatosque illuc parentes et conjuges ostentabant, "bellumque impeditum, arduum, cruentum," minitabantur.

47. At Sabinus (donec exercitus[1] in unum conduceret, datis mitibus responsis) postquam Pomponius Labeo e Mœsia cum legione, rex Rhœmetalces[2] cum auxiliis popularium, qui fidem non mutaverant, venere, addita præsenti copia,[3] ad hostem pergit, compositum jam per angustias saltuum: quidam audentius apertis in collibus visebantur: quos dux Romanus acie suggressus, haud ægre pepulit, sanguine barbarorum modico, ob propinqua suffugia. Mox castris in loco communitis,

3 *E publico interceptas.* Pecunias e publicis vectigalibus a Termestinis interceptas L. Piso cogebat acrius, quam ut tolerarent barbari.

1 *C. Calvisio coss.* Cn. Cornelius Lentulus Gætulicus, C. Calvisius Sabinus coss. fuere A. U. C. 779. J. C. 26.

2 *Montium editis.* Montem Hæmum habitabant ac vallabant. Plin. iv, 1.

3 *Delectus. Angl. the levies.*

4 *Adversum accolas.* Adversum vicinos populos.

1 *Donec exercitus.* V. not. et em. ad An. iv, 47.

2 *Rex Rhœmetalces.* Rex Thraciæ, de quo sæpe sup. An. ii, 67. iii, 38.

3 *Præsenti copia.* Licet nulla esset legio in Thracia, præsentem tamen aliquot cohortium copiam habebat Sabinus, dux Romanus, quas legioni e Mœsia adductæ, et Thracum auxiliis addidit.

valida manu montem occupat, angustum, et æquali dorso continuum usque ad proximum castellum, quod magna vis armata, aut incondita,[4] tuebatur: simul in ferocissimos, qui ante vallum more gentis cum carminibus et tripudiis persultabant, mittit delectos sagittariorum. Ii dum eminus grassabantur, crebra et inulta vulnera fecere; propius incedentes, eruptione subita turbati sunt, receptique subsidio Sugambræ cohortis,[5] quam Romanus promtam ad pericula, nec minus cantuum et armorum tumultu trucem, haud procul instruxerat.

48. Translata dehinc castra hostem propter,[1] relictis apud priora munimenta Thracibus, quos nobis adfuisse memoravi: iisque permissum "vastare, urere, trahere prædas, dum populatio lucem intra sisteretur, noctemque in castris tutam et vigilem capesserent:" id primo servatum: mox versi in luxum, et raptis opulenti, omittere stationes, lascivia epularum, aut somno et vino procumbere. Igitur hostes, incuria eorum comperta, duo agmina parant: quorum altero, populatores invaderentur; alii castra Romana adpugnarent, non spe capiendi, sed ut clamore, telis, suo quisque periculo intentus, sonorem alterius prælii non acciperet: tenebræ insuper delectæ, augendam ad formidinem. Sed qui vallum legionum tentabant, facile pelluntur. Thracum auxilia, repentino incursu territa, cum pars munitionibus adjacerent, plures extra palarentur, tanto infensius cæsi, quanto "perfugæ et proditores, ferre arma ad suum patriæque servitium," incusabantur.

49. Postera die Sabinus exercitum æquo loco ostendit, si barbari, successu noctis alacres, prælium auderent: et postquam castello, aut conjunctis tumulis non degrediebantur, obsidium cœpit per præsidia, quæ opportune jam muniebat: dein fossam loricamque[1] contexens, quatuor millia passuum ambitu amplexus est. Tum paulatim, ut aquam pabulumque eriperet, contrahere claustra, arctaque circumdare: et struc-

4 *Aut incondita.* Imbelles, c. 49.

5 *Sugambræ cohortis.* Sicambri, vel Sugambri, Germaniæ populi, se jampridem Romanis dediderant, et in Gallias fuerant trajecti, An. ii, 26. xii, 39.

1 *Hostem propter.* Translata dehinc castra, et hosti propius admota.

1 *Loricamque.* Munimentum illud ita dictum a similitudine loricæ, qua pectus tegitur. Loricarum varia species pro munimentorum diversitate. Hic significat, *a line of circumvallation.* Veget. iv, 28. 'Obsidentes ultra jactum teli fossam faciunt, eamque non solum vallo, et sudibus, sed etiam turriculis instruunt, ut erumpentibus ex civitate possint obsistere, quod opus loriculam vocant.'

batur agger, unde saxa, hastæ, ignes propinquum jam in hostem jacerentur. Sed nihil æque, quam sitis, fatigabat, cum ingens multitudo bellatorum, imbellium, uno reliquo fonte uterentur. Simul equi, armenta, ut mos barbaris, juxta clausa, egestate pabuli exanimari: adjacere corpora hominum, quos vulnera, quos sitis peremerat: pollui cuncta sanie, odore, contactu. Rebusque turbatis, malum extremum discordia accessit; his deditionem, aliis mortem, et mutuos inter se ictus parantibus: et erant, qui "non inultum exitium, sed eruptionem" suaderent: neque ignobiles,[2] quamvis diversi sententiis.

50. Verum e ducibus, Dinis, provectus senecta, et longo usu vim atque clementiam Romanam edoctus, "ponenda arma, unum adflictis id remedium," disserebat. Primusque se cum conjuge et liberis victori permisit: secuti ætate aut sexu imbecilli, et quibus major vitæ, quam gloriæ, cupido. At juventus Tarsam inter et Turesim distrahebatur: utrique destinatum cum libertate occidere: sed Tarsa "properum finem, abrumpendas pariter spes ac metus" clamitans, dedit exemplum, demisso in pectus ferro: nec defuere qui eodem modo oppeterent. Turesis sua cum manu noctem opperitur, haud nescio duce nostro. Igitur firmatæ stationes densioribus globis: et ingruebat nox nimbo atrox, hostisque clamore turbido, modo per vastum silentium, incertos obsessores effecerat: cum Sabinus circumire, hortari, "ne ad ambigua sonitus, aut simulationem quietis, casum insidiantibus aperirent, sed sua quisque munia servarent immoti, telisque non in falsum jactis."

51. Interea barbari catervis decurrentes, nunc in vallum manualia saxa,[1] præustas sudes, decisa robora jacere: nunc virgultis, et cratibus, et corporibus exanimis, complere fossas: quidam, pontes et scalas ante fabricati, inferre propugnaculis, eaque prensare, detrahere, et adversus resistentes cominus niti. Miles contra deturbare telis, pellere umbonibus, muralia pila,[2] congestas lapidum moles provolvere. His partæ victoriæ spes, et, si cedant, insignitius flagitium; illis extrema jam

2 *Neque ignobiles.* Neque ii erant ignobiles, quamvis diversa sentirent. Vulgus sententiis diversissimum: nobiles viri, perspicaciores et constantiores.

1 *Manualia saxa.* 'Minima saxa—manibus jacienda.' Veget. iv, 8.

2 *Muralia pila.* Pila graviora, quæ ex muris in oppugnatores jaciebantur. Cæs. B. Gall. vii, 82.

salus, et adsistentes plerisque matres et conjuges, earumque lamenta addunt animos. Nox aliis in audaciam, aliis ad formidinem opportuna; incerti ictus, vulnera improvisa; suorum atque hostium ignoratio; et montis anfractu repercussæ, velut a tergo, voces, adeo cuncta miscuerant, ut quædam munimenta Romani, quasi perrupta, omiserint. Neque tamen pervasere hostes, nisi admodum pauci: ceteros, deleto promtissimo quoque aut saucio, adpetente jam luce, trusere in summa castelli: ubi tandem coacta deditio, et proxima sponte vicorum[3] recepta: reliquis, quo minus vi aut obsidio subigerentur, præmatura montis Hæmi et sæva hiems subvenit.

52. At Romæ, commota Principis domo,[1] ut series futuri in Agrippinam exitii inciperet, Claudia Pulchra[2] sobrina ejus postulatur, accusante Domitio Afro.[3] Is recens prætura, modicus dignationis; et quoquo facinore properus clarescere, "crimen impudicitiæ, adulterum Furnium, veneficia in Principem et devotiones" objectabat. Agrippina semper atrox,[4] tum et periculo propinquæ accensa, pergit ad Tiberium, ac forte sacrificantem patri[5] reperit: quo initio invidiæ, "Non ejusdem" ait "mactare divo Augusto victimas, et posteros ejus insectari: non in effigies mutas divinum spiritum transfusum; sed imaginem[6] veram, cœlesti sanguine ortam, intelligere discrimen, suscipere sordes. Frustra Pulchram præscribi,[7] cui sola exitii causa sit, quod Agrippinam stulte pror-

3 *Sponte vicorum.* In Cod. Flor. *sponte incorum.* Emendandum *vicorum* recte conjecit Jac. Gronovius. Perperam in veteribus editionibus *sponte inimicorum.* Melius Minutianus, et recentiores *incolarum.* [Quod nobis placet præ Bipontanorum conjectura istorum. B. C. ii, vi, 63. P.] Proxima recepta sunt sponte vicorum, qui hinc et inde in Hæmo monte habitabantur. Remotiora vero non subacta sunt propter præmaturam et sævam montis Hæmi, nunc *monte Argentaro,* hiemem.

1 *Commota Pr. domo.* Tiberii domum commotam Drusi morte vidimus sup. c. 8.

2 *Claudia Pulchra.* Quomodo Claudia Pulchra Agrippinæ sobrina sit non liquet. Nec mirum in hac veterum scriptorum paucitate. Filium ejus Varum Quinctilium a Domitio accusatum videbimus inf. c. 66.

3 *Domitio Afro.* Cn. Domitius Afer, patria Nemausensis, eloquentiæ præceptor optimus, illa usus pessime. Qui plura de hoc oratore desiderat, adeat Cl. Menard, *Histoire civile et ecclés. de la ville de Nismes.* Vol. i, p. 39 sq.

4 *Semper atrox.* Cedere et flecti nescia. Sic Horat. ii, Od. i, 23. 'Et cuncta terrarum subacta, Præter atrocem animum Catonis.'

5 *Sacrificantem patri*] Tiberium Augusto sacrificantem reperit: illumque iis allocuta est verbis, quæ fuerunt invidiæ initium. Non ejusdem esse mactare divo Augusto victimas, et posteros ejus insectari.

6 *Sed imaginem.* Sed se veram Augusti imaginem, cœlesti sanguine ortam, intelligere discrimen, suscipere sordes. Nonnulli pro *sed* tentant *se.* At nihil mutandum duco. *Se* nonnumquam omittit Tacitus. V. inf. c. 59.

7 *Frustra P. præscribi.* Frustra Pulchram obtendi, ipsam, ipsam Agrippinam peti.

sus ad cultum delegerit, oblita Sosiæ[8] ob eadem adflictæ." Audita hæc[9] raram occulti pectoris vocem elicuere, correptamque Græco versu admonuit: *ideo lædi, quia non regnaret.* Pulchra et Furnius damnantur. Afer, primoribus oratorum additus, divulgato ingenio, et secuta adseveratione Cæsaris, qua, "suo jure[10] disertum" eum appellavit: mox capessendis accusationibus, aut reos tutando, prosperiore eloquentiæ quam morum fama fuit: nisi quod ætas extrema multum etiam eloquentiæ demsit, dum fessa mente retinet silentii impatientiam.[11]

53. At Agrippina, pervicax iræ, et morbo corporis implicata, cum viseret eam Cæsar, profusis diu ac per silentium lacrymis, mox invidiam et preces orditur: "subveniret solitudini, daret maritum: habilem adhuc juventam sibi; neque aliud probis, quam ex matrimonio solatium: esse in civitate, qui Germanici[1] conjugem, ac liberos ejus recipere dignarentur." Sed Cæsar, non ignarus quantum ex republica peteretur;[2] ne tamen offensionis aut metus manifestus foret, sine responso, quamquam instantem, reliquit. Id ego a scriptoribus annalium non traditum, reperi in commentariis Agrippinæ, filiæ:[3] quæ Neronis, Principis, mater, vitam suam et casus suorum posteris memoravit.

54. Ceterum Sejanus mœrentem et improvidam altius perculit: immissis, qui per speciem amicitiæ monerent, "paratum ei venenum, vitandas soceri[1] epulas." Atque illa, simulationum nescia, cum propter discumberet,[2] non vultu aut ser mone flecti, nullos attingere cibos; donec advertit Tiberius, forte, an quia audiverat, idque quo acrius experiretur, poma

8 *Oblita Sosiæ.* Sosiæ Gallæ, Silii uxoris, de qua sup. c. 19 et 20.

9 *Audita hæc.* Hæc a Tiberio audita raram occulti istius pectoris vocem elicuere; correptamque Agrippinam Græco versu admonuit, *Πεινεῖν, ὅτε μὴ τυραννοῖ.* 'Lædi, quia non regnaret.' V. Suet. Tib. liii, Aristot. Politic. iii, 3.

10 *Suo jure.* Jure ac merito.

11 *Silentii impatientiam.* Omnes literarum et artium alumnos spectat dictum Horatii, i, Ep. 1. 8. 'Solve senescentem mature sanus equum, ne Peccet ad extremum ridendus, et ilia ducat.' Quantum ex sua auctoritate ob hanc silentii impatientiam perdiderit senex Domitius testatur Quinctilianus, xii, 11. Irridentes dicebant 'malle eum deficere, quam desinere.'

1 *Qui Germanici.* In Ms. Flor. et libris omnibus editis *esse in civitate—Germanici conjugem.* Supplevi voculam, *qui.* Illam postulat ipsa rerum series. Sicque vertunt optimi quique interpretes. Vertranius et Muretus addunt *Agrippinam;* quod redundat: restitui *dignarentur,* Ms. Flor. codicem secutus. Beroaldus et veteres *dignaretur.* V. not. et em. ad An. iv, 53.

2 *Quantum—peteretur.* Summa enim fuisset Agrippinæ ejusque mariti potentia.

3 *Agrippinæ, filiæ.* Filiæ Germanici et Agrippinæ. V. stem. Cæs. n. 93. Ejus commentarios laudat quoque Plin. vii, 8.

1 *Soceri.* Tiberii.

2 *Propter discumberet.* Propter Tiberium.

ut erant adposita laudans, nurui sua manu tradidit. Aucta ex eo suspicio Agrippinæ, et intacta ore,[3] servis tramisit: nec tamen Tiberii vox coram secuta, sed obversus ad matrem,[4] "non mirum," ait, "si quid severius in eam statuisset, a qua veneficii insimularetur." Inde rumor, "parari exitium: neque id Imperatorem palam audere, secretum ad perpetrandum quæri."

55. Sed Cæsar, quo famam averteret, adesse frequens senatui, legatosque Asiæ, ambigentes "quanam in civitate templum statueretur,"[1] plures per dies audivit. Undecim urbes certabant, pari ambitione, viribus diversæ: neque multum inter se distantia memorabant, "de vetustate generis, studio in populum Romanum, per bella Persi[2] et Aristonici[3] aliorumque regum." Verum Hypæpeni,[4] Trallianique,[5] Laodicenis et Magnetibus simul,[6] tramissi, ut parum validi. Ne Ilienses quidem,[7] cum "parentem Urbis Romæ Trojam" referrent, nisi antiquitatis gloria pollebant. Paulum addubitatum, quod Halicarnassii[8] "mille et ducentos per annos nullo motu terræ nutavisse sedes suas, vivoque in saxo[9] fundamenta templi" adseveraverant. Pergamenos[10] (eo ipso nitebantur) æde Augusto ibi sita, satis adeptos creditum. Ephesii, Milesiique, hi Apollinis, illi Dianæ cærimonia occupavisse civitates visi. Ita Sardianos inter, Smyrnæosque deliberatum. Sardiani decretum Etruriæ recitavere, ut consanguinei: nam "Tyrrhe-

3 *Intacta ore.* Eadem narrat Suet. in Tib. 53. Sed minus accurate.

4 *Ad matrem.* Ad matrem suam Liviam.

1 *Templum statueretur.* De illo templo, Tiberio, Liviæ ac senatui ab urbibus Asiæ decreto, dictum sup. c. 15 et 27.

2 *Bella Persi.* Bellum cum Perseo, rege Macedonum, cœpit A. U. C. 583. Desiit cum Macedonum imperio anno 586. Vulgo quidem dicitur *Persei.* Sic Plinius, xvii, 25. 'Bello Persei:' et Lib. ii, 12. 'Pridie quam Perseus rex superatus a Paulo est.' Sallust. tamen Frag. Hist. i, p. 934. memoratur 'bellum Persi Macedonicum.' Nec illa genitivi forma apud veteres Grammaticos insolens.

3 *Et Aristonici.* Aristonicus, spurius Eumenis filius, Asiam invasit A. U. C. 623. Eo devicto, 'Asia, Romanorum facta, cum opibus suis vitia quoque Romam transmisit,' Justin. xxxvi, 4. V. et Florum ii, 20.

4 *Hypæpeni.* Hypæpa, urbs parva Lydiæ ad Hermum fluvium posita; nunc periit. In nummis ΥΠΑΙΠΗΝΩΝ.

5 *Trallianique.* Trallis, urbs Cariæ, aliis Lydiæ, nunc *Sultan-Hisar.* In nummis ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ.

6 *Laodicenis—simul.* Laodicea, urbs Phrygiæ majoris, nunc *Ladik.* Magnesia ad Sipylum, urbs Lydiæ, nunc *Guzel-Hisar.* Dativo utitur Tacitus Græcorum more, qui ἅμα, *simul,* cum hoc casu conjungunt.

7 *Ilienses quidem.* In Troade Ilienses veteris Trojæ ruinas habitabant. V. Strabon. xiii, p. 393 sq. Novum illud Ilium adhuc dicitur *Troy.* In nummis ΙΛΙΕΩΝ.

8 *Halicarnassii.* Halicarnassus, urbs Doridis, ad sinum Ceramicum, *the gulf of Stanco.* Nunc castellum est, quod appellatur *Bodrun.*

9 *Vivo—saxo.* Seque fundamenta templi vivo in saxo locaturos adseveraverant. Stante Troja, vel statim ea eversa, extitit Halicarnassus, ut patet ex annorum numero.

num Lydumque Atye rege genitos,"[11] ob multitudinem divisisse gentem: Lydum patriis in terris resedisse; Tyrrheno datum, novas ut conderet sedes. Et ducum e nominibus indita vocabula, illis per Asiam, his in Italia: auctamque adhuc Lydorum opulentiam, missis in Græciam populis, cui mox a Pelope nomen:"[12] simul "literas imperatorum, et icta nobiscum fœdera bello Macedonum, ubertatemque fluminum suorum, temperiem cœli, ac dites circum terras" memorabant.

56. At Smyrnæi,[1] repetita vetustate, "seu Tantalus Jove ortus illos, sive Theseus divina et ipse stirpe, sive una Amazonum condidisset," transcendere ad ea, queis maxime fidebant in populum Romanum officiis, missa navali copia, non modo externa ad bella, sed quæ in Italia tolerabantur: "seque primos templum urbis Romæ statuisse, M. Porcio consule;[2] magnis quidem jam Romani populi rebus; nondum tamen ad summum elatis, stante adhuc Punica urbe, et validis per Asiam regibus." Simul "L. Sullam testem" adferebant, "gravissimo in discrimine exercitus ob asperitatem hiemis, et penuriam vestis, cum id Smyrnam in concionem nuntiatum foret, omnes, qui adstabant, detraxisse corpori tegmina, nostrisque legionibus misisse." Ita rogati sententiam patres, Smyrnæos prætulere:[3] censuitque Vibius Marsus, "ut M. Lepido, cui ea provincia obvenerat, super numerum[4] legaretur, qui templi curam susciperet:" et quia Lepidus ipse deligere per modestiam abnuebat, Valerius Naso, e prætoriis, sorte missus est.

10 *Pergamenos*. De Pergamenis, Sardianis, Milesiis, et Ephesiis dictum sup. An. ii, 47. iii, 61, 63 et 67.

11 *Atye—genitos*. Ergo Tyrrhenorum, seu Etruscorum, Lydorum et Peloponnesiorum una et eadem origo. Communis eorum parens Atys Herculis et Omphales filius. Herodot. i, 94. Dionys. Halicarn. Antiq. Rom. i, 27 et 28. Justin. xx, 1. Strabo, v, p. 219. Lydorum opulentiam satis probant immensæ Crœsi divitiæ.

12 *A Pelope nomen*. A Pelope tota regio dicta Peloponnesus, nunc *Morea*. Hanc quoque Λυδοῦ Πέλοπος originem celebrat Pindarus, Ol. Od. 1.

1 *Smyrnæi*. De Smyrnæis dictum sup. An. iii, 63. In Ms. Flor. *Zmyrnæi*, *Zmyrnam*.

2 *M. Porcio cos*. A. U. C. 559. quo M. Porcius Cato et L. Valerius Flaccus consulatum gessere. Urbs vero Punica, Carthago, a Scipione eversa est A. U. C. 608.

3 *Smyrnæos prætulere*. Templum illud Tiberio, Liviæ, ac senatui sacrum exhibet æreus Musei nostri nummus: ΣΕΒΑΣΤΗ ΣΥΝΚΛΗΤΟΣ ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΙΕΡΩΝΥΜΟΥ. *Augusta* Livia, *senatus* Romanus, nummus *Smyrnæorum*, sub magistratu *Hieronymi*. Capita Liviæ et senatus Romani. In postica parte ΣΕΒΑΣΤΩ ΤΙΒΕΡΙΩ ΕΠΙ ΠΕΤΡΩΝΙΟΥ. 'Augusto Tiberio sub Petronio proconsule, Templum. In medio stat Tiberius togatus cum sceptro.

4 *Super numerum*. Censuit Vibius, ut præter certum legatorum numerum, qui proconsulibus adsignabatur, alius super numerum M. Lepido adderetur, qui templi curam susciperet.

57. Inter quæ, diu meditato, prolatoque sæpius consilio, tandem Cæsar iit Campaniam,[1] specie dedicandi templa apud Capuam[2] Jovi, apud Nolam[3] Augusto, sed certus procul Urbe degere. Causam abscessus, quamquam secutus plurimos auctorum ad Sejani artes retuli,[4] quia tamen, cæde ejus patrata, sex postea annos[5] pari secreto conjunxit, plerumque permoveor, num ad ipsum referri verius sit, sævitiam ac libidinem, cum factis promeret, locis occultantem. Erant qui crederent, in senectute corporis quoque habitum pudori fuisse: quippe illi prægracilis et incurva[6] proceritas, nudus capillo vertex, ulcerosa facies,[7] ac plerumque medicaminibus interstincta:[8] et Rhodi secreto, vitare cœtus, recondere voluptates insuerat. Traditur etiam matris impotentia extrusum, quam dominationis sociam aspernabatur, neque depellere poterat, cum dominationem ipsam donum ejus accepisset. Nam dubitaverat Augustus Germanicum sororis nepotem, et cunctis laudatum, rei Romanæ imponere: sed precibus uxoris evictus, Tiberio Germanicum,[9] sibi Tiberium adscivit. Idque Augusta exprobrabat, reposcebat.

58. Profectio arcto comitatu fuit: unus senator consulatu functus, Cocceius Nerva,[1] cui legum peritia; eques Romanus, præter Sejanum, ex inlustribus Curtius Atticus:[2] ceteri liberalibus studiis præditi, ferme Græci,[3] quorum sermonibus

1 *Iit Campaniam.* Libri omnes editi *Cæsar in Campaniam.* Verbum *iit* librariorum errore omissum, vel quod verius videtur ex *iit* natum *in.* Illas enim præpositiones sæpe negligit Tacitus.

2 *Templa apud C.* Ita editio Princeps et recentiores. In ceteris *templum.* Capuam non in dextra, sed in sinistra Vulturni fluminis, *Voltorno*, olim fuisse, ubi nunc *S. Maria Maggiore*, docet Camillus Pellegrino, *Dell' Antico sito di Capua*, p. 23.

3 *Nolam.* Hac in urbe extinctus Augustus, sup. An. i, 5.

4 *Retuli.* Sup. c. 41.

5 *Sex postea a.* Secessit Tiberius A. U. C. 779. Cædes Sejani contigit A. 784. Tiberius adhuc sex annos pari secreto conjunxit, et mortuus est anno 790.

6 *Prægracilis et incurva.* Alium corporis habitum describit Suet. in Tib. 68. Fuit pro ætatis diversitate diversus.

7 *Ulcerosa facies.* Ex his Taciti verbis Hadrianus Valois contendit luem Veneream morbum esse antiquissimum, eaque inveterata infectum fuisse Tiberium. Valesiana, p. 14 sq. Dissensit olim Menagius; et merito quidem. V. not. et em. ad An. iv, 57.

8 *Medicaminibus interstincta.* V. not. et em. ad An. iv, 57.

9 *Tiberio Germanicum.* De his adoptionibus sup. An. i, 3.

1 *Cocceius Nerva.* Cum C. Vibio Ruffino consul suffectus Agrippæ et Galbæ A. U. C. 775. ut accipimus ex inscriptione apud Grut. p. 187. n. 13. Cocceium laudat Tac. An. vi, 26. Nervæ imperatoris pater fuisse creditur. De illustrium equitum nomine dictum sup. An. ii, 59.

2 *Curtius Atticus.* Quem oppressit Sejanus, An. vi, 10. ab Ovid. commendatus, ii. ex P. 4 et 7.

3 *Ferme Græci.* Hos 'convictores Græculos,' et Tiberii in eos inclementiam memorat Suet. in Tib. 56. Aderat quoque Chaldæus astrologorum, seu mathematicorum, grex, teste Juv. Sat. x, 94.

levaretur. Ferebant periti cœlestium, "iis motibus siderum excessisse Roma Tiberium, ut reditus illi negaretur:" unde exitii causa multis fuit, properum finem vitæ conjectantibus, vulgantibusque: neque enim tam incredibilem casum[4] providebant, ut undecim per annos libens patria careret. Mox patuit breve confinium artis, et falsi; veraque quam obscuris tegerentur: nam in Urbem non regressurum, haud forte dictum: ceterorum nescii egere, cum propinquo rure, aut littore, et sæpe mœnia Urbis adsidens, extremam senectam compleverit.

59. Ac forte illis diebus oblatum Cæsari anceps periculum, auxit vana rumoris: præbuitque ipsi materiem, cur amicitiæ constantiæque Sejani magis fideret. Vescebantur in villa, cui vocabulum *Speluncæ*,[1] mare Amuclanum[2] inter Fundanosque montes,[3] nativo in specu: ejus os, lapsis repente saxis, obruit quosdam ministros: hinc metus in omnes, et fuga eorum, qui convivium celebrabant. Sejanus genu, vultuque,[4] et manibus super Cæsarem suspensus, opposuit sese incidentibus: atque habitu tali repertus est a militibus, qui subsidio venerant. Major ex eo; et quamquam exitiosa suaderet, ut non sui anxius, cum fide audiebatur. Adsimulabatque judicis[5] partes adversus Germanici stirpem, subditis qui accusatorum nomina sustinerent, maximeque insectarentur Neronem, proximum successioni, et quamquam modesta juventa, plerumque tamen quid in præsentiarum conduceret oblitum; dum a libertis et clientibus apiscendæ potentiæ properis, exstimulatur, "ut erectum et fidentem animi ostenderet: velle

4 *Incredibilem casum.* Ita Ms. Flor. editiones veteres et recentiores. Male in ceteris *causam.* Neque enim providebant fore ut Tiberius undecim per annos libens patria careret. Mox patuit quam breve sit divinationis ac falsitatis confinium, quamque obscuris vera tegerentur. Nam haud forte, nec falso dixerant Tiberium in Urbem non regressurum. At ceterorum nescios se præstitere, cum propinquo rure, aut littore, sæpe etiam mœnia Urbis adsidens, extremam senectam compleverit.

1 *Vocabulum Speluncæ.* Hæc villa in Campania juxta Terracinam posita, et mari vicina, nunc *Sperlonga.* A Suet. in Tib. 39. appellatur 'prætorium.'

2 *Mare Amuclanum.* Ita dictum a vicina urbe Amyclis, nunc *the Gulf of Gaeta.* Forte scripserat Tacitus *Amyclanum.*

3 *Fundanosque montes.* Nunc *the Mountains of Fundi.*

4 *Genu, vultuque.* Tiberius, vescentium more, in lecto discumbebat. Inde facile intelligas, quomodo Sejanus genu, vultu, et manibus super Cæsarem suspensus, incidentibus saxis sese opposuerit.

5 *Adsimulabatque judicis.* Subditis, qui accusatorum nomina sustinerent, maximeque Neronem, Germanici filium, insectarentur, ut accusationes probabiliores faceret, alias firmabat, infirmabat alias; sicque Tiberium inter et Germanici stirpem judicis partes adsimulabat. Quidam emendant *indicis partes.* Sed minus acute.

id populum Romanum: cupere exercitus: neque ausurum contra Sejanum, qui nunc patientiam senis,[6] et segnitiam juvenis juxta insultet."

60. Hæc atque talia audienti, nihil quidem pravæ cogitationis, sed interdum voces procedebant contumaces, et inconsultæ; quas adpositi custodes exceptas auctasque cum deferrent, neque Neroni defendere daretur, diversæ insuper[1] solicitudinum formæ oriebantur. Nam alius occursum ejus vitare: quidam, salutatione reddita, statim averti: plerique inceptum sermonem abrumpere; insistentibus contra inridentibusque, qui Sejano fautores aderant. Enimvero Tiberius torvus, aut falsum renidens vultu; seu loqueretur, seu taceret juvenis, crimen ex silentio, ex voce: ne nox quidem secura, cum uxor[2] vigilias, somnos, suspiria matri Liviæ, atque illa Sejano patefaceret: qui fratrem quoque Neronis Drusum traxit in partes, spe objecta principis loci, si priorem ætate et jam labefactum demovisset. Atrox Drusi ingenium, super cupidinem potentiæ, et solita fratribus odia, accendebatur invidia: quod mater Agrippina promtior Neroni erat: neque tamen Sejanus ita Drusum fovebat, ut non in eum quoque semina futuri exitii meditaretur; gnarus præferocem, et insidiis magis opportunum.

61. Fine anni excessere insignes viri, Asinius Agrippa,[1] claris majoribus quam vetustis, vitaque non degener; et Q. Haterius[2] familia senatoria, eloquentiæ, quoad vixit, cele-

6 *Patientiam senis.* Patientiam senis Tiberii, et segnitiam juvenis Neronis.

1 *Diversæ insuper.* Nihil hic mutilum, ut quibusdam placuit; sed sana omnia et integra. Enimvero Neroni jam erant plurimæ formidinis causæ propter voces suas contumaces et inconsultas, quæ exceptæ auctæque ad Tiberium deferebantur, quasque defendere minime dabatur. Insuper diversæ solicitudinum formæ oriebantur, cum videret Nero alium, qui ipsius occursum vitaret; quosdam, qui, salutatione reddita, statim averterentur, pluresque qui sermonem statim abrumperent, insistentibus contra, ipsumque inridentibus, qui Sejano fautores aderant. Insistebant et inridebant, ut Neronem magis ad contumaciam provocarent, novasve solicitudines crearent.

2 *Cum uxor.* Julia, Drusi Cæsaris filia. V. stem. Cæs. n. 74.

1 *Asinius Agrippa.* Quem consulem vidimus sup. c. 34. Auctor claritudinis Pollio, eloquentia, et Augusti amicitia, quam majoribus insignior. V. stemma Pollionum An. iii, 75. inter not. et em.

2 *Q. Haterius.* Mortuus est nonagenarius, teste Eusebio in Chronic. Eum celeberrimum suis temporibus oratorem appellat Seneca Ep. xl. Sed ejus præcipitem dicendo cursum ab homine sano abesse vult. 'Numquam dubitavit, numquam intermisit: semel incipiebat, semel desinebat.' De illo D. Hieronymus, Ep. lxi. ad Pammach. c. 4. 'Quintus Haterius, ingenium in numerato habebat, ut sine monitore tacere non posset. De quo egregie Cæsar Augustus: Quintus,' inquit, 'noster sufflaminandus est:' ducta a curribus comparatione.

bratæ: monimenta ingenii ejus haud perinde retinentur. Scilicet impetu magis, quam cura vigebat: utque aliorum meditatio et labor in posterum valescit: sic Haterii canorum illud et profluens, cum ipso simul extinctum est.

A.U.C. 780. J.C. 27.

62. M. Licinio, L. Calpurnio consulibus,[1] ingentium bellorum cladem æquavit malum improvisum: ejus initium simul et finis extitit. Nam cœpto apud Fidenas[2] amphitheatro, Atilius quidam[3] libertini generis, quo spectaculum gladiatorum celebraret, neque fundamenta per solidum subdidit, neque firmis nexibus ligneam compagem superstruxit: ut qui non abundantia pecuniæ, nec municipali ambitione, sed in sordida mercede id negotium quæsivisset. Adfluxere[4] avidi talium, imperitante Tiberio procul voluptatibus habiti, virile ac muliebre secus,[5] omnis ætas, ob propinquitatem loci effusius: unde gravior pestis fuit, conferta mole, dein convulsa, dum ruit intus, aut in exteriora effunditur: immensamque vim mortalium, spectaculo intentos, aut qui circum adstabant, præceps trahit, atque operit. Et illi quidem quos principium stragis in mortem adflixerat, ut tali sorte, cruciatum effugere.[6] Miserandi magis, quos, abrupta parte corporis, nondum vita deseruerat; qui per diem visu, per noctem ululatibus et gemitu, conjuges aut liberos noscebant. Jam ceteri fama exciti, hic fratrem, propinquum ille, alius parentes lamentari: etiam quorum diversa de causa amici aut necessarii aberant, pavere

1 *Calpurnio coss.* M. Licinius Crassus et L. Calpurnius Piso consules fuere A. U. C. 780. J. C. 27.

2 *Apud Fidenas.* Pagum Sabinorum Roma VI M. pass. distantem, nunc *Castello Giubileo.* Perperam in libris editis *apud Fidenam.* Scriptores omnes *Fidenas* appellant; ipseque Tac. Hist iii, 79. Straboni quoque, v, p. 230. Φιδῆναι.

3 *Atilius quidam.* Librariorum incuria hæc luxata videntur. Quæ restitueris, si, ut Cl. Ernesto placet, legeris: 'Nam Atilius quidam, libertini generis, cœpto apud Fidenas amphitheatro, quo spectaculum gladiatorum celebraret, neque fundamenta per solidum subdidit, neque firmis nexibus ligneam compagem superstruxit:' ut qui non divitiarum suarum abundantia et ostentatione, neque ambitione ut municipalium suorum gratiam ac magistratus obtineret, sed ut sordida mercede quæstum faceret, id negotium quæsivisset.

4 *Adfluxere.* Toto Latio ac maxime Roma adfluxere, quod non satis attendit veteris Geographiæ peritissimus Brietius, Parallel. de Antiq. Ital. p. 612. Romani eo avidiores spectaculorum, quod, imperitante Tiberio, procul voluptatibus habiti. Notum de populo Romano dictum Juven. Sat. x, 80. 'Duas tantum res anxius optat, Panem et Circenses.'

5 *Secus.* I. e. virilis ac muliebris sexus. V. not. et em. ad An. iv, 62.

6 *Cruciatum effugere.* Quantum tali sorte licet, cruciatum effugerunt.

tamen; neque dum comperto,[7] quos illa vis perculisset, latior ex incerto metus.

63. Ut cœpere dimoveri obruta; concursus ad exanimos, complectentium, osculantium: et sæpe certamen, si confusior facies, et par forma, aut ætas, errorem agnoscentibus fecerat. Quinquaginta hominum millia,[1] eo casu debilitata, vel obtrita sunt. Cautumque in posterum senatusconsulto, "ne quis gladiatorium munus ederet, cui minor quadringentorum millium res:[2] neve amphitheatrum imponeretur, nisi solo firmitatis spectatæ." Atilius in exilium actus est. Ceterum sub recentem cladem patuere procerum domus; fomenta, et medici passim præbiti: fuitque Urbs per illos dies, quamquam mœsta facie, veterum institutis similis, qui magna post prælia saucios largitione, et cura sustentabant.

64. Nondum ea clades exoleverat, cum ignis violentia Urbem ultra solitum adfecit, deusto monte Cælio:[1] "feralemque annum" ferebant, "et ominibus adversis susceptum Principi consilium absentiæ;" qui mos vulgo, fortuita ad culpam trahentes, ni Cæsar obviam isset, tribuendo pecunias ex modo detrimenti. Actæque ei grates, apud senatum ab inlustribus, famaque apud populum, quia sine ambitione, aut proximorum precibus, ignotos etiam, et ultro accitos, munificentia juverat. Adduntur sententiæ, ut mons Cælius in posterum *Augustus* appellaretur:[2] quando cunctis circum flagrantibus, sola Tiberii effigies sita in domo Junii senatoris inviolata mansisset. "Evenisse id olim Claudiæ Quinctæ, ejusque statuam vim ignium bis elapsam,[3] majores apud ædem Matris Deum consecravisse: sanctos acceptosque numinibus Claudios: et augendam cærimoniam loco, in quo tantum in principem honorem Dii ostenderint."

65 Haud fuerit absurdum tradere, montem eum antiquitus

7 *Neque dum comperto.* Cumque compertum nondum esset, quos vis illa perculisset, latior erat ex incerto metus.

1 *Quinquaginta—millia.* Suet. in Tib. 40. 'Apud Fidenas supra viginti hominum millia, gladiatorio munere, amphitheatri ruina periisse.' De obtritis Suet., de debilitatis et obtritis Tac.

2 *Quadringentorum millium res.* Quadringentorum millium sestertiorum, *Angl.* 3333*l.* 6*s.* 8*d.* Exigua pecuniæ summa, ac proinde de annuo reditu intelligenda.

1 *Monte Cælio.* Cælius, unus e septem montibus, et secunda urbis regio.

2 *Augustus appellaretur.* Idem testatur Suet. in Tib. 48. Sed pro more suo Tiberio injurius id in reprehensionem vertit.

3 *Bis elapsam.* Eadem narrat Val. Max. i, 8. n. 11. Idque contigisse ait, A. U. C. 643, Nasica et Bestia coss. et 756, Servilio et Lamia coss. De Paganorum miraculis dicetur infra Hist. iv, 81. in peculiari dissertatione.

Querquetulanum[1] cognomento fuisse, quod talis sylvæ frequens, fœcundusque erat: mox *Cælium* appellitatum a Cæle Vibenna,[2] qui dux gentis Etruscæ, cum auxilium ad bella ductavisset, sedem eam acceperat a Tarquinio Prisco, seu quis alius regum dedit: nam scriptores in eo dissentiunt: cetera non ambigua sunt, magnas eas copias per plana etiam ac foro propinqua[3] habitavisse, unde *Tuscum vicum* e vocabulo advenarum dictum.

66. Sed ut studia procerum, et largitio principis, adversum casum solatium tulerant; ita accusatorum major in dies et infestior vis sine levamento grassabatur: corripueratque Varum Quinctilium,[1] divitem, et Cæsari propinquum, Domitius Afer, Claudiæ Pulchræ, matris ejus, condemnator; nullo mirante, quod diu egens, et parto nuper præmio male usus, plura ad flagitia accingeretur. Publium Dolabellam socium delationis extitisse, miraculo erat, quia claris majoribus, et Varo connexus, suam ipse nobilitatem, suum sanguinem perditum ibat. Restitit tamen senatus, et "opperiendum Imperatorem" censuit: quod unum, urgentium malorum suffugium in tempus erat.

67. At Cæsar dedicatis per Campaniam templis,[1] quamquam edicto monuisset, "ne quis quietem ejus inrumperet," concursusque oppidanorum disposito milite prohiberentur; perosus tamen municipia, et colonias, omniaque in continenti sita, Capreas[2] se in insulam abdidit, trium millium freto ab extre-

1 *Querquetulanum.* Ita dictum a quernea sylva.

2 *A Cæle Vibenna.* Haud absurdum fuerit hæc tradere; certe minime fuit necessarium: nec ob rem levissimam ab egregia in Annalibus brevitate deflectendum. Clarius etiam Varro de L. L. iv, p. 14. '*Cælius* mons a Cælio Vibenna Tusco, duce nobili, qui cum sua manu dicitur Romulo venisse auxilio contra Sabinum regem. Hi, post *Cælii* obitum, quod nimis munita loca tenerent, neque sine suspicione essent, deducti dicuntur in planum. Ab eis dictus vicus Tuscus; et ideo ibi Vortumnum stare, quod is Deus Etruriæ. Principes de Cælianeis, qui a suspicione liberi erant, traductos volunt in eum locum, qui dicitur Cæliolus.' Varroni consentit Dion. Halic. Antiq. Rom. ii, 36. De hoc Tusco duce plura habet Tabula Lugdunensis, quam edemus inf. An. xi, 24. V. et Cl. Gorl, Mus. Etrus. Vol. ii, p. 68.

3 *Foro propinqua.* Forum inter et montem Cælium. Aliam Tusci vici originem affert Liv. ii, 14. Utrumque scriptorem conciliare haud foret difficile. At hæc antiquiora sunt, et leviora.

1 *Varum Quinctilium.* Quinctilii Vari a Germanis superati filium, Germanici generum ut docet Sen. Controv. i, 3. Vol. iii, p. 82. V. et stem. Cæs. n. 98. Claudiam Pulchram, Agrippinæ sobrinam, a Domitio accusatam vidimus sup. c. 52.

1 *Templis.* De quibus sup. c. 57.

2 *Capreas.* Plin. iii, 6. 'A Surrento, [nunc *Sorrento*,] octo millibus passuum distantes, Tiberii Principis arce nobiles Capreæ, [nunc *Capri*,] circuitu quadraginta millia passuum.' Surrentinum promontorium, nunc *Capo della Minerva*.

mis Surrentini promontorii disjunctam. Solitudinem ejus placuisse maxime crediderim; quoniam importuosum circa mare, et vix modicis navigiis pauca subsidia; neque adpulerit[3] quisquam, nisi gnaro custode: cœli temperies[4] hieme mitis, objectu montis, quo sæva ventorum arcentur: æstas in Favonium obversa, et aperto circum pelago peramœna; prospectabatque pulcherrimum sinum,[5] antequam Vesuvius mons ardescens faciem loci verteret.[6] Græcos ea tenuisse, Capreasque Telebois habitatas,[7] fama tradit. Sed tum Tiberius duodecim villarum nominibus, et molibus insederat;[8] quanto intentus olim publicas ad curas, tanto occultos in luxus,[9] et malum otium resolutus. Manebat quippe suspicionum et credendi temeritas, quam Sejanus augere etiam in Urbe suetus, acrius turbabat, non jam occultis adversum Agrippinam et Neronem insidiis. Queis additus miles,[10] nuntios, introitus, aperta, secreta, velut in annales referebat: ultroque struebantur, qui monerent "perfugere[11] ad Germaniæ exercitus, vel celeberrimo fori[12] effigiem divi Augusti amplecti, populumque ac senatum auxilio vocare." Eaque spreta ab illis, velut pararent, objiciebantur.

3 *Neque adpulerit.* Quam inclemens fuerit Tiberius iis, qui injussi appellerent, docet Suet. Tib. 60. 'In paucis diebus quam Capreas attigit, piscatori, qui sibi secretum agenti grandem mullum inopinanter obtulerat, perfricari eodem pisce faciem jussit [Tiberius]: territus, quod is a tergo insulæ per aspera et devia erepsisset ad se. Gratulanti autem inter pœnam, quod non et locustam, quam prægrandem ceperat, obtulisset, locusta quoque lacerari os imperavit.'

4 *Cœli temperies.* Hieme objectu montis arcebantur boreales venti. Æstate calor temperabatur Favonii, seu occidentalium ventorum, flatibus.

5 *Pulcherrimum sinum.* Sinus ille, quo nullus forte pulchrior, vulgo dicitur, *the Bay of Naples.*

6 *Faciem loci verteret.* Hæc clades contigit A. U. C. 832. J. C. 79. Eam Plinius junior describit in epistolis, quas ad Tacitum scripsit de Plinii avunculi sui exitu. Plin. Ep. vi, 16 et 20. V. Testimonia vett.

7 *Telebois habitatas.* Teleboæ olim Acarnaniam, Echinadas aliasque Ionii maris insulas habitavere. Inde profecti Capreas tenuere: quas cum occupassent Neapolitani, eas, redditis Pithecusis, nunc *Ischia*, obtinuit Augustus, et ædificiis ornavit, Strabo v, p. 248. Suet. Aug. 92. Ænariam ab Augusto datam ait. Sed Pithecusæ dictæ sunt quoque Ænaria. Scribendum *Telebois*, non *Thelebois;* Græce enim Τηλεβόαι.

8 *Molibus insederat.* Sed tum Tiberius Capreas insederat, conditis in hac insula villis duodecim, quarum ob substructiones ac moles illustria erant nomina. Duodecim hæ villæ a duodecim magnis Diis nomen accepisse videntur. Etenim a Suet. Tib. 65. memoratur 'villa, quæ vocatur Jovis.'

9 *In luxus.* V. not. et em. ad An. iv, 67.

10 *Additus miles.* Agrippinæ et Neroni ad custodiam additus miles. Apertæ enim tunc insidiæ.

11 *Monerent perfugere.* Ut si parerent, vel etiam probare viderentur, eos rerum novarum cupidos, majestatisque reos facerent.

12 *Celeberrimo fori.* Celeberrimo ac frequentissimo foro.

A.U.C. 781. J.C. 28.

68. Junio Silano et Silio Nerva consulibus,[1] fœdum anni principium incessit, tracto in carcerem inlustri equite Romano, Titio Sabino,[2] ob amicitiam Germanici: neque enim omiserat conjugem, liberosque ejus percolere, sectator domi, comes in publico, post tot clientes unus; eoque apud bonos laudatus, et gravis iniquis. Hunc Latinius Latiaris, Porcius Cato, Petitius Rufus, M. Opsius, prætura functi, adgrediuntur, cupidine consulatus; ad quem non nisi per Sejanum aditus: neque Sejani voluntas, nisi scelere quærebatur. Compositum inter ipsos, ut Latiaris, qui modico usu Sabinum contingebat, strueret dolum, ceteri testes adessent: deinde accusationem inciperent. Igitur Latiaris jacere fortuitos primum sermones: mox laudare constantiam, "quod non, ut ceteri, florentis domus amicus, adflictam deseruisset:" simul honora de Germanico, Agrippinam miserans, disserebat. Et postquam Sabinus, ut sunt molles in calamitate mortalium animi, effudit lacrymas, junxit questus; audentius jam onerat Sejanum, sævitiam, superbiam, spes ejus: ne in Tiberium quidem convicio abstinet. Iique sermones, tamquam vetita[3] miscuissent, speciem arctæ amicitiæ facere. Ac jam ultro Sabinus quærere Latiarem, ventitare domum, dolores suos, quasi ad fidissimum, deferre.

69. Consultant quos memoravi, quonam modo ea plurium auditu acciperentur: nam loco, in quem coibatur, servanda solitudinis facies; et si pone fores adsisterent, metus visus,[1] sonitus, aut forte ortæ suspicionis erat. Tectum inter et laquearia, tres senatores, haud minus turpi latebra, quam detestanda fraude, sese abstrudunt; foraminibus et rimis aurem admovent. Interea Latiaris repertum in publico Sabinum, velut recens cognita narraturus, domum et in cubiculum trahit: præteritaque et instantia, quorum affatim copia, ac novos terrores cumulat. Eadem ille, et diutius;[2] quanto mœsta, ubi

1 *Nerva coss.* Ap. Junius Silanus et P. Silius Nerva coss. fuere A. U. C. 781. J. C. 28.

2 *Titio Sabino.* Quem Sejano Tiberioque invisum jam vidimus sup. c. 18. De hoc deplorando Sabini exitu legendus quoque Dio lviii, p. 621. Illustris equitis nomen explicatum sup. An. ii, 59.

3 *Tamquam vetita.* Species est et argumentum arctæ amicitiæ, vetita colloqui; Muretus emendat *fecere.* Eleganter, sed non necessario.

1 *Metus visus.* Metus erat ne ex visu, ex sonitu, aut alia quavis causa, suspicio insidiarum in Sabino oriretur.

2 *Eadem—diutius.* Sabinus eadem ite-

semel prorupere, difficilius reticentur. Properata inde accusatio, missisque ad Cæsarem literis, ordinem fraudis, suumque ipsi dedecus narravere. Non alias magis anxia et pavens civitas, egens adversum proximos;[3] congressus, colloquia, notæ ignotæque aures vitari: etiam muta atque inanima, tectum et parietes circumspectabantur.

70. Sed Cæsar solemnia incipientis anni, Kalendis Januariis, epistola precatus; vertit in Sabinum, "corruptos quosdam libertorum, et petitum se" arguens, ultionemque haud obscure poscebat: nec mora, quin decerneretur: et trahebatur damnatus, quantum, obducta veste,[1] et adstrictis faucibus, niti poterat, clamitans: "Sic inchoari annum, has Sejano victimas cadere:" quo intendisset oculos, quo verba acciderent, fuga, vastitas: deseri itinera, fora: et quidam regrediebantur, ostentabantque se rursum, id ipsum paventes, quod timuissent. "Quem enim diem vacuum pœna, ubi inter sacra et vota, quo tempore verbis etiam profanis abstineri mos esset, vincla et laqueus inducantur? Non imprudentem[2] Tiberium tantam invidiam adiisse: quæsitum meditatumque, ne quid impedire credatur, quominus novi magistratus, quomodo delubra et altaria, sic carcerem recludant." Secutæ insuper literæ, grates agentis, "quod hominem infensum reipublicæ punivissent:" adjecto, "trepidam sibi vitam, suspectas inimicorum insidias," nullo nominatim compellato: neque tamen dubitabatur in Neronem et Agrippinam intendi.

71. Ni mihi destinatum foret, suum quæque in annum re-

rat, quibus Sejanum ipsumque Tiberium jam oneraverat, tantoque diutius, quanto difficilius reticentur mœsta, ubi semel prorupere.

3 *Egens adversum proximos.* Eleganter dictum. Non alias magis anxia, magis pavens civitas, magis egens cautionis adversum ipsos proximos. Itaque colloquia, congressus, notæ ignotæque aures pariter vitari. Mallet Lipsius, *tegens adversum proximos.* Alii tentant, *satagens,* vel *etiam.* [Bipontini tuentur *egens* contra interpretum correctiones. Nobis quoque retinendum videtur. Tacitus Græcam dictionem secutus est, qua ἀπορεῖν πρός τινα, est anxium esse quomodo te erga aliquem geras. B. C. II. VI. 63. P.]

1 *Obducta veste.* Veste ori obducta.

2 *Non imprudentem.* Scitum ac prudentem Tiberium tantam invidiam adiisse: id quæsitum meditatumque, ut palam innotesceret novos magistratus posse non modo delubra et altaria ad Deum honores, sed carcerem etiam ad hominum pœnas recludere. Dum ceteris oculatiores videri volunt Ryckius et Amelot de la Houssaie, tenebras offundunt, et Taciti verba pervertunt. Contendunt enim Sabinum non ductum fuisse in carcerem, sed ad supplicium, in eoque positam esse Tiberii prudentiam, cum illo ipso die novi magistratus carceres recluderent, et in iis detentos liberarent. At Sabinum tractum fuisse in carcerem docet ipse Tac. c. 68. Ibique interfectum tum narrationis series, tum incipientis anni solemnium ratio, suadet. V. et Plin. in not. et em. ad An. IV, 70. laudatum.

ferre, avebat animus anteire, statimque memorare exitus, quos Latinius atque Opsius, ceterique flagitii ejus repertores habuere, non modo postquam C. Cæsar[1] rerum potitus est, sed incolumi Tiberio: qui scelerum ministros, ut perverti[2] ab aliis nolebat, ita plerumque satiatus, et oblatis in eamdem operam recentibus, veteres et prægraves adflixit: verum has atque alias sontium pœnas, in tempore trademus. Tum censuit Asinius Gallus, cujus liberorum Agrippina matertera[3] erat, "petendum a Principe, ut metus suos senatui fateretur, amoverique sineret." Nullam æque Tiberius, ut rebatur, ex virtutibus suis, quam dissimulationem diligebat: eo ægrius accepit, recludi quæ premeret: sed mitigavit Sejanus, non Galli amore, verum ut cunctationes Principis aperirentur:[4] gnarus lentum in meditando; ubi prorupisset, tristibus dictis atrocia facta conjungere. Per idem tempus Julia mortem obiit, quam neptem Augustus, convictam adulterii,[5] damnaverat, projeceratque in insulam Trimetum,[6] haud procul Apulis littoribus. Illic viginti annis exilium toleravit, Augustæ ope sustentata: quæ florentes privignos[7] cum per occultum subvertisset, misericordiam erga adflictos palam ostentabat.

72. Eodem anno Frisii,[1] transrhenanus populus, pacem exuere, nostra magis avaritia, quam obsequii impatientes. Tributum iis Drusus[2] jusserat modicum, pro angustia rerum, "ut in usus militares, coria boum[3] penderent:" non intenta cujusquam cura, quæ firmitudo, quæ mensura; donec Olen-

1 *C. Cæsar.* Dictus *Caligula.*

2 *Perverti.* Scelerum suorum ministros ab aliis perverti, et de fortunis suis deturbari nolebat. Aliter, sed minus probabiliter Illustr. Huetius, 'nolebat quemquam iis uti adversum se, quibus adversum alios usus fuerat.'

3 *Agrippina matertera.* Asinius Gallus uxorem duxerat Vipsaniam Agrippinam, Tiberio primum nuptam, M. Agrippæ et Pomponiæ filiam, sororem, ex patre, Agrippinæ, Germanici uxoris, quæ ex M. Agrippa et Julia, Augusti filia, erat genita. Inde Agrippina filiorum Asinii Galli matertera. V. stem. Cæs. n. 69 et 51. et stem. Pollionum, An. iii, 75. inter not. et em.

4 *Aperirentur.* Numquam tectior Tiberius, quam cum divinationis timidus. Itaque ægerrime accepit recludi ea, quæ premeret. Sed illum mitigavit Sejanus, non quod Gallum amaret, verum ut cunctationes Tiberii aperirentur. Quidam emendant *opperirentur*, alii, et quidem felicius, *opperiretur*. Nihil tamen mutaverim, quod non absurdum, immo elegans sit *aperirentur*. V. not. et em. ad An. iv, 71.

5 *Convictam adulterii.* Cum D. Silano, ut dictum est sup. An. iii, 24.

6 *Trimetum.* Unam e Diomedeis insulis, nunc *the isle of Tremitti, in the Adriatic.* Scribendum *Trimetum*, non vero *Trimerum*, ut recte observat Illustr. Pellicerius, veteris Geographiæ scientia celeberrimus.

7 *Florentes privignos.* Augusti nepotes, Caium, Lucium, Postumum Agrippam, ipsumque Germanicum.

1 *Frisii.* Frisii, maris accolæ, Rhenum inter et Amisiam habitabant.

2 *Drusus.* Germanici pater. V. stem. Cæs. n. 79.

3 *Coria boum.* Quibus abundat regio, teste Bucherio Belg. Rom. iv, 3.

nius, e primipilaribus,[4] regendis Frisiis impositus, "terga urorum"[5] delegit, quorum ad formam acciperentur. Id aliis quoque nationibus arduum, apud Germanos difficilius tolerabatur, queis ingentium belluarum feraces saltus, modica domi armenta sunt. Ac primo boves ipsos,[6] mox agros, postremo corpora conjugum aut liberorum, servitio tradebant. Hinc ira et questus; et postquam non subveniebat, remedium ex bello: rapti, qui tributo aderant milites, et patibulo adfixi. Olennius infensos fuga prævenit, receptus castello, cui nomen *Flevum*:[7] et haud spernenda illic civium sociorumque manus littora Oceani præsidebat.

73. Quod ubi L. Apronio, inferioris Germaniæ proprætori,[1] cognitum, vexilla legionum[2] e superiore provincia,[3] peditumque et equitum auxiliarium delectos accivit: ac simul utrumque exercitum Rheno devectum, Frisiis intulit; soluto jam castelli obsidio, et ad sua tutanda digressis rebellibus. Igitur proxima æstuaria aggeribus et pontibus, traducendo graviori agmini, firmat: atque interim, repertis vadis, alam Canninefatem,[4] et quod peditum Germanorum inter nostros merebat, circumgredi terga hostium jubet: qui jam acie compositi pellunt turmas sociales, equitesque legionum subsidio missos. Tum tres leves cohortes; ac rursum duæ; dein tempore interjecto, alarius eques immissus: satis validi, si simul incubuissent: per intervallum adventantes, neque constantiam addi-

4 *E primipilaribus.* E centurionibus primarum cohortium, seu primus legionis centurio. V. quæ dicta sunt sup. An. ii, 11.

5 *Terga urorum.* Uri, quos Germani *Urochsen* appellant, teste Aldovrando, Quadruped. Bisulc. l. i, c. 2. p. 346. boves sunt agrestes, de quibus Plin. viii, 15. 'Contermina [Scythiæ] Germania insignia [gignit] boum ferorum genera, jubatos bisontes, excellentique et vi et velocitate uros, quibus imperitum vulgus bubalorum nomen imponit,' Plura et accuratiora Cæsar B. G. vi, 28. Uri 'sunt magnitudine paulo infra elephantos; specie et colore et figura tauri. Magna vis est eorum, et magna velocitas; neque homini, neque feræ, quam conspexerint, parcunt.'

6 *Ac—ipsos.* Cum tam magna boum coria pendere non possent, primo boves ipsos, mox agros, postremo corpora conjugum, aut liberorum, servitio tradebant. Ex hac egestate erupit ira et questus. Tandem, cum questus ipse non subveniret, quæsitum est ex bello remedium. Rapti sunt, qui cogendo tributo aderant, milites, et patibulo adfixi. V. not. et em. ad An. iv, 72.

7 *Flevum.* Castellum illud Flevo fluvio erat adpositum. Verum cum ejus ostia mare occupaverit, periit castellum, sicut tres illæ provinciæ, aquis obrutæ, ubi nunc *Zuyder-zee.* Videtur fuisse inter insulas *Vlieland and Schelling*; ac forte in ipsa *Vlieland.*

1 *Proprætori.* L. Apronius, prætura functus, inferiorem Germaniam, de qua sup. An. i, 31. administrabat.

2 *Vexilla legionum.* De vexillariis fuse dictum An. i, 38. inter not. et em.

3 *Superiore provincia.* E Germania superiore.

4 *Canninefatem.* Alam Canninefatum, populorum, qui occidentalem insulæ Batavorum partem habitabant. V. not. et em. ad An. iv, 73.

derant turbatis, et pavore fugientium auferebantur. Cethego Labeoni, legato quintæ legionis,[5] quod reliquum auxiliorum tradit: atque ille, dubia suorum re, in anceps tractus, missis nuntiis, vim legionum implorabat. Prorumpunt quintani ante alios, et acri pugna[6] hoste pulso, recipiunt cohortes alasque fessas vulneribus. Neque dux Romanus ultum iit, aut corpora humavit; quamquam multi tribunorum præfectorumque, et insignes centuriones[7] cecidissent. Mox compertum a transfugis, nongentos Romanorum apud lucum, quem *Baduhennæ*[8] vocant, pugna in posterum[9] extracta, confectos: et aliam quadringentorum manum, occupata Cruptoricis, quondam stipendiarii,[10] villa, postquam proditio metuebatur, mutuis ictibus procubuisse.

74. Clarum inde inter Germanos Frisium nomen: dissimulante Tiberio damna, ne cui bellum permitteret. Neque senatus in eo cura, an imperii extrema dehonestarentur: pavor internus occupaverat animos, cui remedium adulatione quærebatur. Ita, quamquam diversis super rebus consulerentur, "aram Clementiæ, aram Amicitiæ, effigiesque circum[1] Cæsaris ac Sejani" censuere: crebrisque precibus efflagitabant: "visendi sui copiam facerent." Non illi tamen in Urbem, aut propinqua Urbi degressi sunt: satis visum, omittere insulam, et in proximo Campaniæ aspici: eo venire patres, eques, magna pars plebis, anxii erga Sejanum,[2] cujus durior con-

5 *Quintæ legionis.* Quæ ad Vetera, nunc *Santen*, tendere solebat.

6 *Acri pugna.* Acris illa pugna inter *Sneeck and Leewaerden* commissa est. De ea plurima et accuratissima habet Alting, Germ. Inf. Antiq. p. 14 et 15

7 *Insignes centuriones.* Ordine et donis militaribus insignes. V. sup. An. i, 44.

8 *Baduhennæ.* Nunc *Seven Wolden*, sylva Frisiæ maxima.

9 *In posterum.* Pugna in posterum diem extracta; acerrime enim utrimque dimicatum.

10 *Cruptoricis,—stipendiarii.* Qui quondam stipendia in exercitu Romano meruerat. Ejus villa in Frisia haud procul ab urbe *Sneeck* fuisse videtur.

1 *Effigiesque circum.* Aram Clementiæ, aram Amicitiæ, effigiesque Cæsaris ac Sejani circum aras illas ponendas censuere. Quasi vero Tiberius ac Sejanus se hostibus clementes, Romanis amicos hac damnorum dissimulatione probassent. Hac quoque ara mutua Tiberii ac Sejani amicitia consecrabatur.

2 *Anxii erga Sejanum.* Eo venire patres, equites, magna pars plebis, omnes de Sejani, quam Tiberii Principis, congressu magis anxii. Difficilior enim erat aditus ac durior: ideoque vel per ambitum, pecunias elargiendo, servos captando, dignitate et nobilitate cedendo, vel per scelus, cruentorum nefariorumque consiliorum societate parabatur. Spectantibus fœdum illud in propatulo servitium, satis constabat auctam esse Sejano arrogantiam. Erant enim Romæ sueti discursus, et propter Urbis magnitudinem incertum, quod quisque ad negotium pergeret. Ibi vero jacentes campo, aut littore, nullo conditionis ac dignitatis discrimine, noctem ac diem, juxta gratiam, aut fastus janitorum perpetiebantur. Donec id quoque vetitum est. Et revenere in Urbem trepidi, quos non sermone, non visu dignatus erat Sejanus. Quidam vero male alacres: illis enim in-

gressus, atque eo per ambitum, et societate consiliorum parabatur. Satis constabat auctam ei adrogantiam, fœdum illud in propatulo servitium spectanti: quippe Romæ, sueti discursus; et magnitudine Urbis incertum, quod quisque ad negotium pergat. Ibi campo, aut littore jacentes, nullo discrimine, noctem ac diem, juxta gratiam, aut fastus janitorum perpetiebantur: donec idque vetitum, et revenere in Urbem trepidi, quos non sermone, non visu dignatus erat: quidam male alacres, quibus infaustæ amicitiæ gravis exitus imminebat.

75. Ceterum Tiberius neptem Agrippinam,[1] Germanico ortam, cum coram Cn. Domitio tradidisset, in Urbe celebrari nuptias jussit. In Domitio,[2] super vetustatem generis, propinquum Cæsaribus sanguinem delegerat: nam is aviam Octaviam, et per eam Augustum avunculum[3] præferebat.

faustæ amicitiæ gravis exitus imminebat. Amicitiæ, sceleribus nixæ, propera est pœna.

1 *Neptem Agrippinam.* Neptem, non re, sed adoptionis jure. V. stem. Cæs. n. 93. Agrippinam Tiberius ipse ac præsens Cn. Domitio uxorem tradidit; sed in Urbe celebrari nuptias jussit. In editionibus veteribus aliisque optimæ notæ *celebrari nuptias.* Perperam in quibusdam recentioribus *celebrare.*

2 *In Domitio.* De hoc pessimo homine, pessimi Neronis patre, v. stem. Cæs. n. 34.

3 *Augustum avunculum.* Avunculum magnum, ut patet ex stemmate, et ex ipso nomine 'Aviæ Octaviæ.' *Magnum* sæpe omittit Tacitus.

BREVIARIUM

LIBRI QUINTI.

---

1. *Julia Augusta moritur.* 2. *Ex eo gravior Tiberii dominatio; audacior Sejani ambitio. Agrippina et Nero accusantur.* (Ingenti literarum damno periere fere omnia triennii acta, quæ Supplemento explevimus.) 7. *Everso tandem Sejano, in amicos ejus et liberos advertitur.* 10. *Pseudo-Drusus apud Cycladas visus.* 11. *Consulum discordia.*

Hæc triennio gesta

A.U.C.	J.C.		
DCCLXXXII.	29.	Coss.	L. Rubellio Gemino, C. Fufio Gemino.
DCCLXXXIII.	30.	Coss.	M. Vinicio, L. Cassio Longino.
DCCLXXXIV.	31.	Coss.	Tiberio Augusto V. L. Ælio Sejano.

C. CORNELII TACITI

ANNALES.

LIBER QUINTUS.

A.U.C. 782. J.C. 29.

1. Rubellio et Fufio consulibus,[1] quorum utrique Geminus cognomentum erat, Julia Augusta[2] mortem obiit, ætate extrema,[3] nobilitatis per Claudiam familiam,[4] et adoptione Liviorum Juliorumque clarissimæ. Primum ei matrimonium et liberi fuere cum Tiberio Nerone,[5] qui bello Perusino[6] profugus, pace inter Sex. Pompeium ac triumviros pacta, in Urbem rediit. Exin Cæsar, cupidine formæ, aufert marito,[7] incertum an invitam, adeo properus, ut ne spatio quidem ad enitendum dato, penatibus suis gravidam induxerit. Nullam posthac subolem edidit:[8] sed sanguini Augusti[9] per conjunc-

1 *Fufio coss.* L. Rubellius Geminus et C. Fufius Geminus consulatum gessere A. U. C. 782. J. C. 29. V. not. et em. ad Ann. v, 1.

2 *Julia Augusta.* Livia, Augusti uxor, appellata est Julia et Augusta, cum in familiam Juliam nomenque Augustæ ab Augusto fuit adsumta, ut dictum est sup. An. i, 8.

3 *Ætate extrema.* Nata annos duos et octoginta juxta Plin. xiv, 6. At verisimilius juxta Dionem annos sex et octoginta, ἓξ καὶ ὀγδοήκοντα ἔτη ζήσασα, Dio lviii, p 621. V. stem. Cæs. n. 66.

4 *Claudiam familiam.* Livia erat gente Claudia, pater ejus in familiam Liviam adoptatus, ipsa in Juliam adsumta. Ideo adoptione Liviorum Juliorumque clarissima dicitur. De illa Vellei. ii, 75. ‘Livia nobilissimi et fortissimi viri Drusi Claudiani filia, genere, probitate, forma, Romanorum eminentissima.’ V. etiam Dion. xlviii, p. 383.

5 *Tiberio Nerone.* Quem laudat Vell. Paterc. ii, 75. ‘Tiberius Claudius Nero, prætorius et pontifex, Tiberii Cæsaris pater, magni vir animi, doctissimique ingenii.’

6 *Bello Perusino.* A. U. C. 714. L. Antonium Perusiæ, nunc *Perugia*, obsessum in deditionem accepit Octavius. Tiberius Nero, Antonii partes secutus, profugit in Siciliam: dein, pace inter Sex. Pompeium et triumviros pacta, in Urbem rediit. Fugam Liviæ cum conjuge suo eleganter describit Vellei. l. c. ‘Tum fugiens mox futuri sui Cæsaris arma, cujus bimum hunc Tiberium Cæsarem, vindicem Romani imperii, futurumque ejusdem Cæsaris filium, gestans sinu, per avia itinerum, vitatis militum gladiis, uno comitante, quo facilius occultaretur fuga, pervenit ad mare, et cum viro Nerone pervecta in Siciliam est.’

7 *Aufert marito.* A. U. C. 716. V. Dion. l. c.

8 *Subolem edidit.* Suet. Aug. 63. ‘Ex Livia nihil liberorum tulit [Augustus], cum maxime cuperet. Infans, qui conceptus erat [antequam uxorem duceret], immaturus est editus.’

9 *Sanguini Augusti.* Agrippina uxor

tionem Agrippinæ et Germanici adnexa, communes pronepotes habuit: sanctitate domus[10] priscum ad morem, comis ultra quam antiquis fœminis probatum, mater impotens, uxor facilis, et cum artibus mariti, simulatione filii, bene composita. Funus ejus modicum,[11] testamentum diu inritum fuit: laudata est pro rostris a C. Cæsare[12] pronepote, qui mox rerum potitus est.

2. At Tiberius, quod supremis in matrem officiis defuisset, nihil mutata amœnitate vitæ, "magnitudinem negotiorum" per literas excusavit: honoresque memoriæ ejus ab senatu large decretos, quasi per modestiam imminuit, paucis admodum receptis, et addito, "ne cœlestis religio[1] decerneretur; sic ipsam maluisse." Quin et parte ejusdem epistolæ increpuit "amicitias muliebres," Fufium consulem oblique perstringens: is gratia Augustæ floruerat, aptus alliciendis fœminarum animis; dicax idem, et Tiberium acerbis facetiis inridere solitus: quarum apud præpotentes in longum memoria est.

3. Ceterum ex eo prærupta jam et urgens dominatio: nam incolumi Augusta, erat adhuc perfugium; quia Tiberio inveteratum erga matrem obsequium, neque Sejanus audebat auctoritati parentis anteire. Tunc velut frenis exsoluti proruperunt: missæque in Agrippinam ac Neronem literæ, quas pridem adlatas, et cohibitas ab Augusta, credidit vulgus: haud enim multum post mortem ejus recitatæ sunt. Verba inerant quæsita asperitate: sed non arma, non rerum novarum studium; "amores juvenum, et impudicitiam" nepoti objectabat: in nurum[1] ne id quidem confingere ausus, "adrogantiam oris et contumacem animum" incusavit, magno sena-

Germanici, neptis erat Augusti; Germanicus, nepos Liviæ. Per conjunctionem Agrippinæ et Germanici adnexa est Livia sanguini Augusti, et communes pronepotes habuit.

10 *Sanctitate domus.* Hæc breviter, sed elegantissime et accuratissime dicta. Quibusdam interpretibus obscura videntur, suo, non scriptoris vitio. Etenim Livia fuit sanctitate morum priscum ad morem, comis ultra quam antiquis etiam fœminis probatum, mater impotens, uxor facilis, atque eo bene composita cum artibus mariti et cum dissimulatione filii. Facilitas uxoris ad varias multiplicesque artes, quibus maritus Augustus imperium obtinuit ac retinuit, voluptariasque suas libidines obtexit, solerter se flectebat. Impotentia matris, quæ dominationis societatem affectabat, egregie concordabat cum dissimulatione filii, qui minus imperiosam matrem aut amovisset, aut perdidisset: ita impotentem, et dominationem filii donum suum semper exprobrantem, semperque reposcentem, invitus licet, tolerabat. De artibus Augusti v. not. et em. ad An. v, 1.

11 *Funus modicum.* V. not. et em. ad An. v, 1.

12 *C. Cæsare.* Dicto Caligula.

1 *Cœlestis religio.* V. not. et em. ad An. v, 2.

1 *In nurum.* In Agrippinam.

tus pavore ac silentio: donec pauci, queis nulla ex honesto spes,[2] et publica mala singulis in occasionem gratiæ trahuntur, "ut referretur" postulavere, promtissimo Cotta Messalino [3] cum atroci sententia: sed aliis a primoribus, maximeque a magistratibus, trepidabatur: quippe Tiberius, etsi infense invectus, cetera ambigua reliquerat.

4. Fuit in senatu Junius Rusticus, componendis patrum actis[1] delectus a Cæsare, eoque meditationes ejus introspicere creditus: is fatali quodam motu (neque enim ante specimen constantiæ dederat) seu prava solertia, dum, imminentium oblitus, incerta pavet, inserere se dubitantibus, ac monere consules "ne relationem inciperent:" disserebatque, brevibus momentis summa verti posse; quandoque Germanici[2] stirpem, ubi spatium pœnitentiæ senis, resurgere." Simul populus effigies Agrippinæ ac Neronis gerens, circumsistit curiam, festisque in Cæsarem ominibus, "falsas literas, et Principe invito exitium domui ejus intendi," clamitat: ita nihil triste illo die patratum. Ferebantur etiam sub nominibus consularium fictæ in Sejanum sententiæ, exercentibus plerisque per occultum, atque eo procacius, libidinem ingeniorum: unde illi ira violentior, et materies criminandi, "spretum dolorem Principis ab senatu; descivisse populum; audiri jam et legi novas conciones, nova patrum consulta: quid reliquum, nisi ut caperent ferrum? et quorum imagines pro vexillis secuti forent, duces imperatoresque deligerent?"

5. Igitur Cæsar, repetitis adversum nepotem et nurum probris, increpitaque per edictum plebe, questus apud patres, "quod fraude unius senatoris imperatoria majestas elusa publice foret, integra tamen sibi cuncta" postulavit: nec ultra deliberatum,[1] quominus, non quidem extrema decernerent, id enim vetitum, sed "paratos ad ultionem vi principis impediri" testarentur[2]—

2 *Nulla—spes.* Ac proinde ex publicis malis occasionem gratiæ captabant.

3 *Cotta Messalino.* Inf. An. vi, 5. ut 'sævissimæ cujusque sententiæ auctor' arguitur.

1 *Componendis—actis.* V. not. et em. ad An. v, 4. Ibi de Romanorum actis dicetur.

2 *Quandoque Germanici.* V. not. et em. ad An. v, 4.

1 *Nec ultra delib.* Nec ultra deliberatum quominus decernerent, non quidem extrema; id enim vetitum: sed testarentur se paratos esse ad ultionem, at vi Principis impediri.

2 *Impediri testarentur.* Hic cum summo literarum ac historiæ detrimento perierunt cetera acta anni 782. acta omnia 783. et pleraque anni 784. Ne tot tantarumque rerum memoria aboleretur, pro viribus hanc partem supplevimus. V. libri v supplementum.

A.U.C. 784. J.C. 31.

6. Quatuor et quadraginta orationes super ea re habitæ, ex queis ob metum paucæ, plures adsuetudine—"mihi pudorem, aut Sejano invidiam allaturum censui--versa est fortuna, et ille quidem, qui collegam et generum[1] adsciverat, sibi ignoscit: ceteri, quem per dedecora fovere, cum scelere insectantur—miserius sit ob amicitiam accusari, an amicum accusare, haud discreverim—non crudelitatem, non clementiam cujusquam experiar, sed liber et mihi ipsi probatus anteibo periculum. Vos obtestor, ne memoriam nostri per mœrorem quam læti[2] retineatis, adjiciendo me quoque iis, qui fine egregio publica mala effugerunt."

7. Tunc singulos, ut cuique adsistere, adloqui, animus erat, retinens, aut dimittens, partem diei absumsit; multoque adhuc cœtu, et cunctis intrepidum vultum ejus spectantibus, cum superesse tempus novissimis[1] crederent, gladio, quem sinu abdiderat, incubuit. Neque Cæsar ullis criminibus, aut probris, defunctum insectatus est, cum in Blæsum[2] multa fœdaque incusavisset.

8. Relatum inde de P. Vitellio, et Pomponio Secundo: illum indices arguebant, "claustra ærarii, cui præfectus erat, et militarem pecuniam rebus novis obtulisse:" huic a Considio, prætura functo, objectabatur "Ælii Galli amicitia, qui, punito Sejano, in hortos Pomponii, quasi fidissimum ad subsidium, perfugisset:" neque aliud periclitantibus auxilii, quam in fratrum constantia fuit, qui vades extitere:[1] mox, crebris prolationibus, spem ac metum juxta gravatus Vitellius,[2] pe-

1 *Et generum.* Sejanum, olim cum Livia matrimonii spe dejectum, ne ad grandiora adspiraret; quam tamen postea illi despondit Tiberius, ut consul, collega, gener, imperio proximus, ferme imperator certius corrueret. Nec emendandum, ut quibusdam placet, *progenerum*, quasi ei desponsata Germanici filia. V. inf. An. vi, 8.

2 *Quam læti.* Magis, quam læti. I. e., vos obtestor ne memoriam nostri per mœrorem retineatis. At potius læti, me quoque adjicite iis, qui fine egregio publica mala effugerunt. Quis sit ille fortissimus Sejani amicus ignoratur. V. not. et em. ad An. v, 6.

1 *Tempus novissimis.* Cum crederent superesse tempus novissimis, nec mortem ita imminere.

2 *In Blæsum.* In Junium Blæsum, Sejani avunculum, de quo sæpe libris superioribus.

1 *Vades extitere.* Illustres rei non in carcere, sed 'domibus magistratuum,' An. vi, 3. custodiebantur; vel vadibus, seu fidejussoribus, tradebantur. De custodiis Romanorum diximus sup. An. iii, 22.

2 *Gravatus Vitellius.* Hæc illustrat Suet. Vitell. 2. 'Publius [Vitellius] Germanici comes Cn. Pisonem inimicum et interfectorem ejus accusavit, condemnavitque: ac post præturæ honorem inter Sejani conscios arreptus, et in custodiam fratri datus, scalpro librario venas sibi incidit: nec tam mortis pœnitentia, quam suorum obtestatione, obligari curarique se passus in eadem custodia morbo periit.' De eo sæpe

tito per speciem studiorum[3] scalpro, levem ictum venis intulit, vitamque ægritudine animi finivit. At Pomponius, multa morum elegantia, et ingenio inlustri, dum adversam fortunam æquus tolerat, Tiberio superstes fuit.

9. Placitum posthac, "ut in reliquos Sejani liberos adverteretur;" vanescente quamquam plebis ira, ac plerisque per priora supplicia lenitis. Igitur portantur in carcerem, filius[1] imminentium intelligens, puella adeo nescia, ut crebro interrogaret, "quod ob delictum, et quo traheretur? neque facturam ultra," et, "posse se puerili verbere moneri." Tradunt temporis ejus auctores, "quia triumvirali supplicio[2] affici virginem inauditum habebatur, a carnifice, laqueum juxta, compressam: exin oblisis faucibus, id ætatis corpora in Gemonias abjecta."

10. Per idem tempus Asia atque Achaia[1] exterritæ sunt, acri magis, quam diuturno rumore, "Drusum,[2] Germanici filium, apud Cycladas insulas, mox in continenti visum:" et erat juvenis haud dispari ætate, quibusdam Cæsaris libertis, velut agnitus, per dolumque comitantibus. Alliciebantur ignari fama nominis, et promtis Græcorum animis ad nova et mira: quippe "elapsum custodiam,[3] pergere ad paternos exercitus,[4] Ægyptum aut Syriam invasurum" fingebant simul, credebantque. Jam juventutis concursu, jam publicis studiis frequentabatur, lætus præsentibus et inanium spe; cum auditum id Poppæo Sabino.[5] Is Macedoniæ tum intentus, Achaiam quoque curabat. Igitur, quo vera seu falsa anteiret,

sup., ac maxime An. iii, 10 et 13. Stem. Vitellior. dabitur inf. Hist. i, 9.

3 *Speciem studiorum.* Historias scripsisse videtur. Ejus commentarii citantur a Tertulliano, de anima, xlvi.

1 *Filius.* Natu minor. Major statim post patris supplicium quasi paternæ conspirationis socius necatus videtur.

2 *Triumvirali supplicio.* Pomponio teste, Digest. i, Tit. ii, 30. 'Triumviri capitales, qui carceris custodiam haberent, ut cum animadverti oporteret, eorum interventu fieret.' At cum inauditum haberetur virginem strangulari, filiam Sejani prius vitiavit carnifex. Hæc nova et infanda jura queritur Suet. Tib. 61. 'Immaturæ puellæ, quia more tradito nefas esset virgines strangulari, vitiatæ prius a carnifice, dein strangulatæ.' Sic olim contra leges puerum in ephebos fuisse relatum, ut necari posset, memorat Dio xlvii, p. 330. De compressa Sejani filia eumdem vide lviii, p. 628.

1 *Achaia.* Græcia, ut diximus in not. An. iv, 43.

2 *Drusum.* Pseudo-Drusum: Cl. Peyssonel, *Observations Historiques et Géographiques sur les Barbares, qui ont habité les bords du Danube et du Pont Euxin.* De vero Druso v. stem. Cæs. n. 83.

3 *Elapsum custodiam.* Qua clausus fuerat Drusus, Germanici filius, anno superiore. V. Dion. lviii, p. 623. et inf. An. vi, 23. Nos quoque diximus in suppl. An. v, 13 et 14.

4 *Paternos exercitus.* Sup. An. ii, 53 et 59.

5 *Poppæo Sabino.* De illo Mœsiæ, Achaiæ, et Macedoniæ præside dictum sup. An. i, 80.

Toronæum Thermæumque sinum[6] præfestinans, mox Eubœam,[7] Ægæi maris insulam, et Piræeum[8] Atticæ oræ, dein Corinthiense littus,[9] angustiasque Isthmi evadit: marique alio Nicopolim, Romanam coloniam, ingressus, ibi demum cognoscit, solertius interrogatum,[10] "quisnam foret," dixisse, "M. Silano[11] genitum," et multis sectatorum dilapsis, ascendisse navem, tamquam Italiam peteret: scripsitque hæc Tiberio: neque nos originem finemve[12] ejus rei ultra comperimus.

11. Exitu anni, diu aucta discordia consulum[1] erupit: nam Trio,[2] facilis capessendis inimicitiis, et foro exercitus, "ut segnem Regulum ad opprimendos Sejani ministros" oblique perstrinxerat: ille, nisi lacesseretur, modestiæ retinens, non modo retudit collegam, sed "ut noxium conjurationis" ad disquisitionem trahebat. Multisque patrum orantibus, "ponerent odia in perniciem itura," mansere infensi ac minitantes, donec magistratu abirent.

6 *Toronæum Thermæumque s.* Toronæus sinus ita dictus ab urbe Torone, nunc *Toron*, a Plin. iv, 10. appellatus quoque *Mecybernæus*, nunc *the gulf of Cassandra*. Sinus vero Thermæus, aut Thermaicus, juxta Plin. l. c. ab urbe Therme, quæ in Thessalonicam, nunc *Salonichi*, transiit, cognominatus, nunc *the gulf of Salonichi*.

7 *Eubœam.* Nunc *Negropont*, olim avulsam Bœotiæ, 'tam modico interfluente Euripo, ut ponte jungatur;' at tam immodice septies die ac nocte reciprocanti, 'ut ventos etiam ac plena ventis navigia frustretur.' V. Plin. iv, 12. §. 21. et ii, 97. Melam ii, 7.

8 *Piræeum.* Celeberrimum Athenarum portum, nunc *Porto di Leone;* Appellatione sumta a grandi leonis marmorei effigie, quæ in ipso portus aditu adhuc visitur.

9 *Corinthiense littus.* Littus illud nunc dicitur *the gulf of Engia.* Nec Peloponnesum legit Sabinus, sed Cenchreas, nunc *Kenkri* appulsus, angustias isthmi evasit, et mari alio, nunc *the gulf of Corinth*, ingressus est Nicopolim, coloniam Romanam, nunc *Preveza vecchia.* De hac colonia Romana dictum sup. An. ii, 53.

10 *Solertius interrogatum.* Non a judicibus, sed a sectatoribus.

11 *M. Silano.* Cos. A. U. C. 772. An. ii, 59. Postea socero Caii Cæs. An. vi, 20.

12 *Neque—finemve.* Hæc Tacito incomperta. Dio et Zonaras quasi sibi comperta recensent, et plurima mentiuntur. V. not. et em. ad An. v, 10.

1 *Discordia consulum.* Trionis et Reguli, consulum suffectorum.

2 *Trio.* L. Fulcinius Trio, de quo sup. An. ii, 28. 'Celebre inter accusatores Trionis ingenium erat, avidumque famæ malæ.' Verum ad illustranda hæc tempora, et quæ in Tacito desiderantur supplenda, nihil utilius est, quam fragmentum fastorum municipalium e vico S. Pauli prope Nolam, quod a doctissimo Sirmondo se accepisse testatur Gruterus p. 1087. Inde enim intelligimus Sejani memoriam penitus fuisse obliteratam, et e fastis erasam, unumque Tiberium Cæsarem dictum fuisse anni hujus consulem: idem patet ex fastis Vindobonensibus, in quibus notatum: 'Tiberio Cæsare V. Solo.' Die nona Maii suffecti erant coss. Faustus Cornelius Sulla et Sexteidius Catullinus. Iis adhuc suffecti, Kalendis Julii, L. Fulcinius Trio, accusator acerrimus, Kalendis Octobris, P. Memmius Regulus, haud ita violentus, non tamen segnis. Periit Sejanus quinto decimo Kalendas Novembris, seu 18. Octobris, ut dicetur inf. An. vi, 25. Nunc vero fragmentum fastorum municipalium exhibemus, Gruteriano accuratius; qualeque extat in Bibliotheca nostra manu ipsius Sirmondi descriptum:

SVF. A. PLAVTIVS. L. NONIVS.
T. SALVIVS. PARIANVS. A. TERENTIVS IIVIR.
SEX. APONIVS, PROCVLVS. Q. NOLLENIVS AED
L. CASSIVS LONGINVS. M. VINICIVS COS.
SVF. C. CASSIVS LONGINVS.
L. NAEVIVS SVRDINVS.
M. SENTIVS RVFVS. Q. VIBIDIVS SEDATVS IIVIR.
P. SVBIDIVS POLLIO. SEX. PARIANVS. SERENVS. AED.
TI. CÆSAR. AVG. V COS.
SVF. VII. ID. MAI. FAVSTVS CORNELIVS SVLLA
SEXTEIDIVS CATVLL. COS.
SVF. K. IVL. L. FVLCINIVS TRIO. COS.
L. OPPIVS PROCVLVS M. STAIVS FLACCVS IIVIR. ITER.
M. ATINIVS FLORENS. A. CLVVIVS CELER AED.
SVF. K. OCTOB. P. MEMMIVS REGVLVS. COS.
CN. DOMITIVS AHENOBARBVS COS.
SVF. K. IVL. A. VITELLIVS. COS.
M. VALERIVS POSTVMVS. Q. LVCEIVS CLEMENS. IIVIR.
C. SENTIVS. SEVERVS. L. IPPELLIVS ATTICVS AED
SER. SVLPICIVS GALBA. L. SVLLA FELIX. COS.

BREVIARIUM

LIBRI SEXTI.

---

1. TIBERII arcanæ et fœdæ libidines. 2. Multorum accusationes. 8. M. Terentii libera et egregia defensio. 10. L. Pisonis, præfecti Urbis, mors et funus. 11. Præfecturæ Urbis origo et progressus. 12. De libro Sibyllæ recipiendo consultatio. 13. Seditio Romæ ob gravitatem annonæ. 14. Quidam equites Romani cadunt conjurationis crimine. 15. Germanici duæ filiæ nuptum datæ L. Cassio et M. Vinicio. 16. Fœneratores accusati; repressa usura. Liberalitate Cæsaris fides multorum refecta. 18. Renovantur majestatis accusationes. 19. Accusati societatis cum Sejano, omnes uno edicto necantur. 20. C. Cæsar Claudiam uxorem accipit. Ejus mores. Tiberius, præceptore Thrasyllo, Chaldæorum artis studiosus, Galbæ imperium prænuntiat. 23. Drusi, Germanici filii, miseranda mors. Æque luctuosus Agrippinæ obitus. 26. Nerva, Jureconsultus, inedia voluntaria obiit. Aliquot aliorum inlustrium mortes. 28. Phœnix avis in Ægypto visa. 29. Accusationes variæ et mortes. 31. Parthorum legati in Urbem venere, ad novum regem petendum. Tiberius unum, deinde alterum misit. L. Vitellius Orienti præfectus. 33. Prælia inter Armenios et Parthos. Artabanus regno exutus, et in Scythiam profugus, cui Tiridates sufficitur Vitellii consilio et armis. 38. Recrudescit delatorum sævitia. Accusati plurimi occumbunt: nec civium supplicia effugit rex Tigranes. Vitæ finem sibi ponit Æmilia Lepida. 41. Clitæ regi suo rebelles et repressi. Tiridates, Parthorum rex, dissidio procerum pellitur; et Artabanus in regnum iterum accitur. 45. Romæ incendium atrox. 46. Tiberii deliberatio de successore. 50. Ejus morbus, mors et mores.

Hæc gesta annis circiter sex.

A.U.C.	J.C.		
DCCLXXXV.	32.	Coss.	Cn. Domitio Ahenobarbo, M. Furio Camillo Scriboniano.

A. U. C.	J. C.		
DCCLXXXVI.	33.	Coss.	Ser. Sulpicio Galba, L. Cornelio Sulla.
DCCLXXXVII.	34.	Coss.	Paullo Fabio Persico, L. Vitellio.
DCCLXXXVIII.	35.	Coss.	C. Cestio Gallo, M. Servilio Noniano.
DCCLXXXIX.	36.	Coss.	Sex. Papinio Allenio, Q. Plautio.
DCCXC.	37.	Css.	Cn. Acerronio Proculo, C. Pontio Nigrino.

C. CORNELII TACITI

ANNALES.

LIBER SEXTUS.

A. U. C. 785. J. C. 32.

1. Cn. Domitius et Camillus Scribonianus consulatum inierant;[1] cum Cæsar, tramisso quod Capreas et Surrentum[2] interluit freto, Campaniam prælegebat, ambiguus an Urbem intraret; seu, quia contra destinaverat, speciem venturi simulans: et sæpe in propinqua degressus, aditis juxta Tiberim hortis,[3] saxa rursum[4] et solitudinem maris repetiit, pudore scelerum et libidinum: quibus adeo indomitis exarserat, ut more regio[5] pubem ingenuam stupris pollueret: nec formam tantum et decora corpora, sed in his modestam pueritiam, in aliis imagines majorum, incitamentum cupidinis habebat. Tuncque primum ignota ante vocabula reperta sunt, *sellariorum* et *spintriarum*,[6] ex fœditate loci ac multiplici patientia:[7] præpositique servi qui quærerent, pertraherent: dona in promtos, minas adversum abnuentes; et si retinerent propinquus aut parens, vim, raptus, suaque ipsi libita,[8] velut in captos, exercebant.

1 *Consulatum inierant.* Cn. Domitius Ahenobarbus et M. Furius Camillus Scribonianus consulatum iniere A. U. C. 785. J. C. 32. V. not. et em. ad An. vi, 1.

2 *Capreas et Surrentum.* Nunc *Capri* et *Surrento.* Plura An. iv, 67.

3 *Juxta Tib. hortis.* Horti illi, quos Cæsar dictator populo Romano legaverat, erant in xiv Urbis regione, ut dictum sup. An. ii, 41.

4 *Saxa rursum.* Saxa insulæ Caprearum, et solitudinem maris repetiit.

5 *More regio.* More regum exterorum. Quam effrena fuerit hac in re Orientalium et Græcorum regum libido nimis compertum.

6 *Sellariorum et spintriarum.* Hæc Principis et naturæ dehonestamenta, quæ etiam appellare pudet, fusius recenset Suet. Tib. 43.

7 *Multiplici patientia.* Multiplici, si quidem etiam muliebri, ut explicat illustr. Huetius.

8 *Suaque ipsi libita.* Suasque ipsi libidines. Sic inf. An. xii, 6. 'Arripi conjuges ad libita conjugum.'

2. At Romæ principio anni, quasi recens cognitis Liviæ flagitiis,[1] ac non pridem etiam punitis, atroces sententiæ dicebantur, in effigies quoque ac memoriam ejus: et "bona Sejani ablata ærario,[2] ut in fiscum cogerentur," tamquam referret. Scipiones hæc, et Silani, et Cassii, iisdem ferme, aut paulum immutatis verbis adseveratione multa censebant; cum repente Togonius Gallus, dum ignobilitatem suam magnis nominibus inserit, per deridiculum auditur. Nam Principem orabat, "deligere senatores, ex queis viginti sorte ducti, et ferro accincti, quotiens curiam inisset, salutem ejus defenderent:" crediderat nimirum epistolæ,[3] "subsidio sibi alterum ex consulibus" poscentis, "ut tutus a Capreis Urbem peteret." Tiberius tamen ludibria seriis permiscere solitus, egit grates benevolentiæ patrum: "sed quos omitti posse? quos deligi? semperne eosdem? an subinde alios? et honoribus perfunctos,[4] an juvenes? privatos, an e magistratibus? Quam deinde speciem fore, sumentium in limine curiæ gladios? neque sibi vitam tanti, si armis tegenda foret." Hæc adversus Togonium, verbis moderans: neque ultra abolitionem sententiæ suadere.

3. At Junium Gallionem,[1] qui censuerat, "ut prætoriani, actis stipendiis, jus apiscerentur in quatuordecim ordinibus[2] sedendi," violenter increpuit; velut coram rogitans, "quid illi cum militibus,[3] quos neque dicta Imperatoris, neque præ-

1 *Liviæ flagitiis.* Drusi uxoris, sororis Germanici, in Sejano adulteræ, ejus scelerum et pœnarum sociæ. V. Suppl. Lib. v, 44.

2 *Ablata ærario.* Ærarium populi, fiscus Principis erat, ut patet ex Plin. Paneg. xxxvi. Itaque cum Sejanus non tam oppressi populi, quam læsæ majestatis reus haberetur, totamque domum imperatoriam perditam voluisset, bona ejus ex ærario ablata, ut in fiscum cogerentur. Hæcque gravissimi senatores Scipiones, Silani, Cassii, adseveratione multa censuere: parvi tamen referebat; nam sub Tiberii principatu ærarium, fiscus, ceteraque omnia erant Principis.

3 *Crediderat epistolæ.* Epistolæ Tiberii, poscentis sibi subsidio alterum e coss. ut a Capreis discederet, et tutus Urbem peteret. De hac epist. v. Suppl. Lib. v, 37.

4 *Honoribus perfunctos.* De iis honoribus dicetur An. xiii, 25.

1 *Junium Gallionem.* Senecæ fratrem, An. xv, 73.

2 *In* XIV. *ordinibus.* Ut, actis per annos sexdecim stipendiis, inter equites Romanos in spectaculis sederent. Olim immixtos plebi equites Romanos distinxerat L. Roscius Otho, tribunus plebis, et quatuordecim gradus proxime post patricios adsignaverat, unde spectarent, qui censum haberent quadringenta sestertia, *Angl.* 3333*l.* 6*s.* 8*d.* Lex illa infelici paupertati durissima, suadente Cicerone, invaluit, et ab imperatoribus Romanis sæpe confirmata. De his sup. An. i, 17. Plin. vii, 30. xxxiii, 7. Juvenal. iii, 152 sq.

3 *Quid—militibus.* Quid Gallioni cum militibus, quos neque dicta imperatoris, neque præmia nisi ab imperatore accipi par esset? Homunculum reperisse prorsus, quod divus Augustus non providerit! An non potius ab illo Sejani satellite quæsitam discordiam et seditionem, qua, nomine ho-

mia nisi ab Imperatore accipere par esset? reperisse prorsus, quod divus Augustus non providerit? an potius discordiam et seditionem a satellite Sejani quæsitam, qua rudes animos, nomine honoris, ad corrumpendum militiæ morem propelleret?" Hoc pretium Gallio meditatæ adulationis tulit, statim curia, deinde Italia exactus: et quia incusabatur facile toleraturus exilium, delecta Lesbo,[4] insula nobili et amœna, retrahitur in Urbem, custoditurque domibus magistratuum.[5] Iisdem literis Cæsar Sextium Paconianum prætorium perculit, magno patrum gaudio, audacem, maleficum, omnium secreta rimantem, delectumque a Sejano, cujus ope dolus C. Cæsari[6] pararetur: quod postquam patefactum, prorupere concepta pridem odia, et summum supplicium decernebatur, ni professus indicium foret.

4. Ut vero Latinium Latiarem ingressus est,[1] accusator ac reus juxta invisi, gratissimum spectaculum præbebatur. Latiaris, ut retuli,[2] præcipuus olim circumveniendi Titii Sabini, et tunc luendæ pœnæ primus fuit. Inter quæ Haterius Agrippa consules anni prioris[3] invasit, "cur mutua accusatione intenta, nunc silerent? metum prorsus et noxiam conscientiæ[4] pro fœdere haberi: at non patribus reticenda, quæ audivissent." Regulus "manere tempus ultionis, seque coram Principe exsecuturum:" Trio "æmulationem inter collegas, et si qua discordes jecissent melius obliterari," respondit. Urgente Agrippa, Sanquinius Maximus,[5] e consularibus, oravit senatum, "ne curas Imperatoris, conquisitis

noris, rudes animos ad corrumpendum militiæ morem propelleret? Singulis prætorianis, quod Sejano se non accommodassent, millia denariorum, *Angl.* 33*l.* 6*s.* 8*d.* largitus erat Tiberius, teste Suet. Tib. 48. Hæc quidem digna Principe. Indigna vero et perniciosa, quæ censebat Gallio. Illis enim irritabantur legiones, prætorianis jam infensæ; mosque militiæ corrumpebatur. Ipse Augustus militem a populo in spectaculis secreverat, Suet. Aug. 44.

4 *Delecta Lesbo.* Lesbos, nunc *Mitylene*, Ægæi maris insula. Indicto exilii loco, Lesbum pro jure suo delegerat Gallio.

5 *Domibus magistratuum.* De hoc usu dictum sup. An. v, 8.

6 *C. Cæsari.* Caligulæ.

1 *Ingressus est.* Ut vero Paconianus Latinium Latiarem aggressus est, accusator ac reus juxta invisi, gratissimum spectaculum præbebant. *Ingressus* vero pro *aggressus* non omnino novum. Sic enim Sallust. Jug. xxviii. 'Calpurnius—acriter Numidiam ingressus est.'

2 *Ut retuli.* Sup. An. iv, 68 et 70.

3 *Coss. anni prioris.* Consules suffectos Trionem et Regulum, de quibus dictum est An. v, 11. Haterius Agrippa 'propinquus Germanici' appellatur An. ii, 15.

4 *Noxiam conscientiæ.* Et ipsam noxiam, seu culpam, conscientiæ, quæ se olim, victa crimine, prodiderat, nunc vero silebat, pro fœdere haberi. *Noxia* pro *noxa* Terentio ceterisque scriptoribus sæpe usurpatum.

5 *Sanquinius Maximus.* Præfectus Urbis, et cos. suffectus A. U. C. 792. Dio lix, p. p. 649.

insuper acerbitatibus augerent: sufficere ipsum statuendis remediis:" sic Regulo salus, et Trioni dilatio exitii quæsita. Haterius invisior fuit, quia somno aut libidinosis vigiliis marcidus, et ob segnitiam,[6] quamvis crudelem Principem non metuens, inlustribus viris perniciem, inter ganeam ac stupra, meditabatur.

5. Exin Cotta Messalinus, sævissimæ cujusque sententiæ auctor, eoque inveterata invidia, ubi primum facultas data, arguitur pleraque: "C. Cæsarem quasi incestæ virilitatis,"[1] et cum die natali Augustæ inter sacerdotes epularetur, *Novemdialem*[2] eam cœnam dixisse: querensque de potentia M. Lepidi, ac L. Arruntii, cum quibus ob rem pecuniariam disceptabat, addidisse, "illos quidem senatus, me autem tuebitur Tiberiolus meus:" neque cuncta[3] a primoribus civitatis revincebatur; iisque instantibus, ad Imperatorem provocavit. Nec multo post literæ adferuntur, quibus in modum defensionis, repetito "inter se atque Cottam amicitiæ principio, crebrisque ejus officiis" commemoratis, "ne verba prave detorta, neu convivalium fabularum simplicitas in crimen duceretur," postulavit.

6. Insigne visum est earum Cæsaris literarum initium; nam his verbis exorsus est. "Quid scribam[1] vobis, patres conscripti, aut quomodo scribam, aut quid omnino non scribam hoc tempore, Dii me Deæque pejus perdant, quam perire me quotidie sentio, si scio." Adeo facinora atque flagitia sua ipsi quoque in supplicium verterant. Neque frustra præstantissimus sapientiæ[2] firmare solitus est, si recludantur tyran-

6 *Et ob segnitiam.* Segnes aspernabatur Tiberius. Inde nullus Haterio metus.

1 *Incestæ virilitatis.* V. not. et em. ad An. vi, 5.

2 *Novemdialem.* Die nona mortuis parentabant Romani. Inde Cotta 'novemdialem' cœnam appellaverat epulas ilias, quæ die natali Augustæ celebrabantur. Existimo enim cum illust. Huetio hæc dicta fuisse, cum adhuc viveret Livia, sed ob senectutem morti proxima, et fere jam mortua haberetur. Notum enim hoc Syri: 'Anus cum ridet, morti delicias facit.' Diem natalem Liviæ celebratum post mortem fuisse nusquam reperitur. Nec emendandum, ut placuit Lipsio, *die natali Augusti.*

3 *Neque cuncta.* V. not. et em. ad An. vi, 5.

1 *Quid scribam.* Idem literarum initium recitat Suet. Tib. 66. Illustr. Huetius opinatur hæc scripsisse Tiberium propter senectutem, mortis adventantis nuntiam: ea vero perperam interpretatum esse Tacitum. Libentius crediderim illa conscientiæ flagella ex reliqua epistola innotuisse. Nec credibile tam gravem scriptorem hæc temere effutiisse.

2 *Præstantissimus sapientiæ.* Socrates, qui hæc marmore et cedro digna pronuntiat apud Plat. Lib. ix de Rep. p. 579. Ὁ τῷ ὄντι τύραννος, τῷ ὄντι δοῦλος—ἐάν τις ὅλην ψυχὴν ἐπίστηται θεάσασθαι, καὶ φόβου γέμων διὰ παντὸς τοῦ βίου, σφαδασμῶν τε καὶ ὀδυνῶν πλήρης. 'Vere tyrannus, est vere servus—siquis mentem ejus introspicere

norum mentes, posse aspici laniatus et ictus; quando ut corpora verberibus, ita sævitia, libidine, malis consultis, animus dilaceretur. Quippe Tiberium non fortuna, non solitudines protegebant, quin tormenta pectoris suasque ipse pœnas fateretur.

7. Tum facta patribus potestate statuendi "de Cæciliano senatore, qui plurima adversum Cottam promserat," placitum "eamdem pœnam inrogari, quam in Aruseium et Sanquinium, accusatores L. Arruntii:"[1] quo non aliud honorificentius Cottæ evenit; qui nobilis quidem, sed egens ob luxum, per flagitia infamis, sanctissimis Arruntii artibus dignitate ultionis æquabatur. Quintus Servæus posthac, et Minutius Thermus inducti:[2] Servæus, prætura functus, et quondam Germanici comes; Minutius equestri loco, modeste habita Sejani amicitia: unde illis major miseratio: contra Tiberius "præcipuos ad scelera" increpans[3] admonuit C. Cestium patrem "dicere senatui, quæ sibi scripsisset;" suscepitque Cestius accusationem: quod maxime exitiabile tulere illa tempora, cum primores senatus infimas etiam delationes exercerent, alii propalam, multi per occultum: neque discerneres alienos a conjunctis, amicos ab ignotis, quid repens,[4] aut vetustate obscurum: perinde in foro, in convivio, quaqua de re[5] locuti incusabantur, ut quis prævenire et reum destinare properat; pars ad subsidium sui,[6] plures infecti quasi valetudine et contactu. Sed Minutius et Servæus damnati, indicibus accessere.[7] Tractique sunt in casum eumdem Julius Africanus, e Santonis,[8] Gallica civitate, Sejus Quadratus: originem non reperi. Neque sum ignarus a plerisque scriptoribus, omissa multorum

noverit, videbit hominem toto vitæ cursu timore anxium, solicitudinum et dolorum plenum.'

1 *L. Arruntii.* De L. Arruntio dictum sup. An. i, 13. eum 'non indignum' esse imperio, 'et si casus daretur, ausurum.' Ejus accusatio, sicut alia plurima libri v Annalium, periit.

2 *Inducti.* I. e. accusati, seu inducti in senatum ad causam dicendam.

3 *Præcipuos—increpans.* Contra Tiberius increpans eos fuisse præcipuos ad scelera, admonuit C. Cestium patrem dicere senatui, quæ sibi scripsisset. Suscepitque Cestius accusationem Quinti Servæi et Minutii Thermi.

4 *Quid repens.* *Repens* pro *recens* a Tacito sæpe usurpatum.

5 *Quaqua de re.* V. not. et em. ad An. vi, 7.

6 *Pars—sui.* Pars accusare properabat ad sui subsidium; plures accusabant, quasi tetra accusandi valetudine ac lue infecti.

7 *Indicibus accessere.* Accessere indicibus fortasse, ut summo supplicio se eriperent. Nam ut dictum sup. c. 3. de Paconiano, 'summum supplicium decernebatur, ni professus indicium foret.'

8 *Santonis.* Santones, dicti quoque *Santoni*, nunc *Saintonge, between the Loire and Garonne.* Lucan. Pharsal. i, 422. 'Gaudetque amoto Santonus hoste.'

pericula et pœnas, dum copia fatiscunt; aut, quæ ipsis nimia et mœsta fuerant, ne pari tædio lecturos adficerent, verentur. Nobis pleraque digna cognitu obvenere, quamquam ab aliis incelebrata.

8. Nam ea tempestate, qua Sejani amicitiam ceteri falso exuerant, ausus est eques Romanus, M. Terentius,[1] ob id reus, amplecti, ad hunc modum apud senatum ordiendo: "Fortunæ quidem meæ fortasse minus expediat agnoscere crimen, quam abnuere: sed utcumque casura res est, fatebor et fuisse me Sejano amicum, et ut essem expetisse, et postquam adeptus eram, lætatum. Videram collegam patris, regendis prætoriis cohortibus; mox Urbis et militiæ munia simul obeuntem: illius propinqui et adfines honoribus augebantur: ut quisque Sejano intimus, ita ad Cæsaris amicitiam validus: contra quibus infensus esset, metu ac sordibus conflictabantur: nec quemquam exemplo adsumo: cunctos, qui novissimi consilii[2] expertes fuimus, meo unius discrimine defendam. Non enim Sejanum Vulsiniensem, sed Claudiæ et Juliæ domus[3] partem, quas adfinitate occupaverat, tuum, Cæsar, generum, tui consulatus socium, tua officia in republica capessentem colebamus. Non est nostrum æstimare, quem supra ceteros, et quibus de causis extollas. Tibi summum rerum judicium Dii dedere: nobis obsequii gloria relicta est. Spectamus porro, quæ coram habentur, cui ex te opes, honores, queis plurima juvandi nocendive potentia: quæ Sejano fuisse, nemo negaverit: abditos Principis sensus, et si quod occultius parat, exquirere, inlicitum, anceps: nec ideo adsequare. Ne, patres conscripti, ultimum Sejani diem, sed sexdecim annos cogitaveritis; etiam Satrium atque Pomponium[4] venerabamur: libertis quoque ac janitoribus ejus notescere, pro magnifico accipiebatur. Quid ergo? indistincta hæc

1 *M. Terentius.* Eadem habet Dio lviii, p. 633.

2 *Novissimi consilii.* Qui novissimi consilii, quod contra patriam, contra Principem meditatus est Sejanus, expertes fuimus.

3 *Claudiæ—domus.* Sejanus pars erat Claudiæ familiæ propter filiam suam, Claudii filio desponsatam, An. iii, 29. pars quoque Juliæ, propter sibi destinatam Liviam, Germanici sororem. Scio equidem apud Zonaram, V. i, p. 550. memorari Juliam, Drusi filiam, Sejano desponsatam. Sed sublestæ fidei Zonaras. Nec ex eo emendandus, aut explicandus Tac. qui hic et sup. An. v, 6. Sejanum, Tiberii generum, non vero progenerum appellat. Et inf. c. 27. satis innuit Juliam numquam fuisse Sejano desponsatam.

4 *Satrium,—Pomponium.* Nefarios Sejani clientes. De Satrio, Cremutii Cordi accusatore, dictum sup. An. iv, 34. Inf. c. 47. Sejanianæ conjurationis index fuisse dicitur. V. et Suppl. Lib. v, 32

defensio et promiscua dabitur? immo justis terminis dividatur. Insidiæ in rempublicam, consilia cædis adversum Imperatorem, puniantur: de amicitia et officiis, idem finis et te, Cæsar, et nos absolverit."

9. Constantia orationis, et quia repertus erat, qui efferret, quæ omnes animo agitabant, eo usque potuere, ut accusatores ejus, additis quæ ante deliquerant, exilio, aut morte multarentur. Secutæ dehinc Tiberii literæ in Sex. Vestilium prætorium, quem, Druso fratri percarum, in cohortem suam[1] transtulerat. Causa offensionis Vestilio fuit, seu composuerat quædam in C. Cæsarem, ut impudicum, sive ficto habita fides: atque ob id convictu Principis[2] prohibitus, cum senili manu ferrum tentavisset,[3] obligavit venas: precatusque per codicillos, immiti rescripto, venas resolvit. Acervatim ex eo Annius Pollio, Appius Silanus, Scauro Mamerco simul, ac Sabino Calvisio, majestatis postulantur, et Vinicianus Pollioni patri adjiciebatur, clari genus, et quidam summis honoribus: contremuerantque patres: nam quotusquisque adfinitatis, aut amicitiæ tot inlustrium virorum, expers erat? ni Celsus, Urbanæ cohortis tribunus, tum inter indices, Appium et Calvisium discrimini exemisset. Cæsar Pollionis, ac Viniciani, Scaurique causam, ut ipse cum senatu nosceret, distulit; datis quibusdam in Scaurum tristibus notis.

10. Ne fœminæ quidem exsortes periculi: qua occupandæ reipublicæ argui non poterant, ob lacrymas incusabantur: necataque est anus Vitia, Fufii Gemini[1] mater, quod filii necem flevisset. Hæc apud senatum: nec secus apud Principem, Vescularius Atticus, ac Julius Marinus ad mortem aguntur, e vetustissimis familiarium Rhodum secuti, et apud Capreas individui. Vescularius, insidiarum in Libonem in-

1 *Cohortem suam.* In aulicorum, amicorumque suorum cohortem transtulerat. De hac *cohorte*, v. Suet. in Tib. 46. in Caio 19.

2 *Convictu Principis.* Suet. Tib. 46. Tiberius, 'pecuniæ parcus ac tenax, comites peregrinationum expeditionumque numquam salario, cibariis tantum sustentavit.'

3 *Ferrum tentavisset.* Cum ferrum senili manu tentavisset, sectas obligavit venas, vitamque ac veniam per codicillos precatus est. At immiti Tiberii rescripto victus, venas resolvit et occubuit. Post illum acervatim postulantur læsæ majestatis Annius Pollio, Appius Silanus, Scaurus Mamercus, Sabinus Calvisius; ipse Vinicianus Pollioni patri adjiciebatur, omnes clari genere, et quidam summis honoribus. Hæc quidem brevissima, sed forte breviora: 'precatusque per codicillos, immiti rescripto, venas resolvit.'

1 *Fufii Gemini.* Quem cos. et dicacem vidimus An. v, 1 et 2. Interfectus videtur, cum Liviæ familiaritates adflixit Tiberius, ut dictum in Suppl. Lib. v, 7.

ternuntius:[2] Marino participe, Sejanus Curtium Atticum[3] oppresserat: quo lætius acceptum, sua exempla in consultores recidisse. Per idem tempus L. Piso, pontifex,[4] rarum in tanta claritudine, fato obiit: nullius servilis sententiæ sponte auctor, et quotiens necessitas ingrueret, sapienter moderans. Patrem ei censorium fuisse memoravi:[5] ætas ad octogesimum annum processit: decus triumphale in Thracia meruerat: sed præcipua ex eo gloria, quod præfectus Urbi recens,[6] continuam potestatem, et insolentia parendi graviorem, mire temperavit.

11. Namque antea, profectis domo regibus, ac mox magistratibus, ne Urbs sine imperio foret, in tempus deligebatur, qui jus redderet, ac subitis mederetur: feruntque ab Romulo Dentrem Romulium, post ab Tullo Hostilio Numam Marcium,[1] et ab Tarquinio Superbo Spurium Lucretium[2] impositos; dein consules mandabant: duratque simulacrum, quotiens ob ferias Latinas præficitur,[3] qui consulare munus usurpet. Ceterum Augustus bellis civilibus Cilnium Mæcenatem,[4] equestris ordinis, cunctis apud Romam atque Italiam præpo-

2 *Internuntius.* Internuntius fuerat. De illis in Libonem insidiis, et Vesculario, cui tunc propior cum Tiberio usus erat, dictum sup. An. ii, 28.

3 *Curtium Atticum.* De quo sup. An. iv, 58.

4 *L. Piso, pontifex.* Thracicam ejus expeditionem fuse prosequitur Vellei. ii, 98. et subdit: 'De quo viro, quem hodieque diligentissimum, atque eumdem lenissimum securitatis urbanæ custodem habemus, hoc omnibus sentiendum ac prædicandum est, esse mores ejus vigore ac lenitate mixtissimos, et vix quemquam reperiri posse, qui aut otium validius diligat, aut facilius sufficiat negotio, et magis, quæ agenda sunt, curet sine ulla ostentatione agendi.' Hæc quidem eo magis miranda, quod in ebriosum hominem cadant, de quo Sen. Ep. LXXXIII. 'L. Piso, Urbis custos, ebrius, ex quo semel factus est, fuit. Majorem partem noctis in convivio exigebat: usque in horam sextam fere dormiebat: hoc erat ejus matutinum. Officium tamen suum, quo tutela Urbis continebatur, diligentissime administravit. Huic et divus Augustus dedit secreta mandata, cum illum præponeret Thraciæ, quam perdomuit: et Tiberius proficiscens in Campaniam, cum multa in Urbe et suspecta relinqueret et invisa. Puto quia illi bene cesserat Pisonis ebrietas, postea Cossum fecit Urbis præfectum, virum gravem, moderatum, sed mersum vino et madentem.' Quæ quidem retulisse haud erit inutile, ut quos secretorum suorum participes fecerint Augustus et Tiberius dignoscatur; et singularis quædam virtutis ac vitii societas habeatur.

5 *Fuisse memoravi.* In libro quinto Annalium, cujus pars maxima periit. Hic L. Piso, pater, consul fuit A. U. C. 696. censor anno 704. Filiam suam Cæsari collocaverat anno 695. Dio xxxviii, p. 63 et 66. xl, p. 150. V. Suppl. An. v, 25.

6 *Præfectus Urbi recens.* Demum Urbi præfectus. Fuit enim senator, triumphalis, pontifex, ac demum Urbis præfectus. Nec pro *recens* emendandum *creatus*, ut suspicatur Cl. Ernestus.

1 *Numam Marcium.* Regis Anci Marcii patrem, de quo Livius, i, 20. Prorsus vana Merceri emendatio *Numæ N. Marcium*, i. e. regem Ancum Marcium 'Numæ nepotem.'

2 *Spurium Lucretium.* Quem præfectum Urbis memorat Liv. i, 59.

3 *Ob—præficitur.* Ita præfectum vidimus Drusum sup. An. iv, 36.

4 *Cilnium Mæcenatem.* Quem Augustus amicum habuit, et *Cilniorum smaragdum* appellabat, teste Macrob. Satur. ii, 4. Civilium bellorum tempore illum Ro-

suit. Mox rerum potitus, ob magnitudinem populi, ac tarda legum auxilia, sumsit e consularibus, qui coerceret servitia,[5] et quod civium[6] audacia turbidum, nisi vim metuat:[7] primusque Messala Corvinus eam potestatem, et paucos intra dies finem accepit,[8] quasi nescius exercendi. Tum Taurus Statilius, quamquam provecta ætate, egregie toleravit. Dein Piso,[9] viginti per annos[10] pariter probatus, publico funere, ex decreto senatus, celebratus est.

12. Relatum inde ad patres a Quintiliano, tribuno plebei, "de libro Sibyllæ,"[1] quem Caninius Gallus, quindecimvir,[2] "recipi inter ceteros ejusdem vatis, et ea de re senatusconsultum" postulaverat: quo per discessionem[3] facto, misit literas Cæsar modice tribunum increpans, "ignarum antiqui moris ob juventam:" Gallo exprobrabat, "quod scientiæ cærimoniarumque vetus,[4] incerto auctore, ante sententiam collegii, non, ut assolet, lecto per magistros,[5] æstimatoque car-

mæ et Italiæ præposuit, ne Urbs et Italia sine imperio foret.

5 *Coerceret servitia.* Urbis præfecti primo jus fuit in servitia, postea concessu Principum in omnes cives, ipsosque senatores. Unde cum Sidonius Apollinaris suam hanc præfecturam in sapphico describeret, ix, Ep. 16. ait: 'Accepi capiens honorem Qui patrum ac plebis simul unus olim Jura gubernat.'

6 *Quod civium.* Et cives audacia turbidos.

7 *Nisi vim metuat.* Tunc enim id curabant urbanarum prætoriarumque cohortium præfecti.

8 *Paucos—accepit.* Paucos quidem intra dies; nam 'sexto die magistratu se abdicavit,' teste Euseb. in Chron. ad Olymp. 188. '*Finem* redundat,' ait Jos. Scaliger in not. ad Chron. p. 154. 'errore manifesto.' Nihil mutaverim; nec errorem agnosco.

9 *Dein Piso.* De quo Plin. xiv, 22. 'Ea [vini] commendatione credidere L. Pisonem urbis Romæ curæ ab eo, [Tiberio,] delectum, quod biduo duabusque noctibus perpotationem continuasset apud ipsum jam Principem.' Eadem Suet. Tib. 42. Et plura jam diximus capite superiore.

10 *Viginti—annos.* Rotunde dictum. Tiberius enim principatum adeptus est A. U. C. 767. mense Augusto; et mortuus est Piso A. U. C. 785. V. not. et em. ad An. vi, 11.

1 *Libro Sibyllæ.* Plin. xiii, 13. 'Inter omnes convenit Sibyllam ad Tarquinium Superbum tres libros attulisse: ex quibus duo cremati ab ipsa, tertius cum Capitolio Syllanis temporibus.' Contra vero Dionys. Halic. iv, 62. et Gell. i, 19. tradunt Sibyllam novem libros attulisse; sex ab illa crematos, et tres fuisse servatos. Sive unus, sive tres fuerint servati, hæc oracula absorpsit incendium Capitolinum A. U. C. 671. L. Scipione et Cn. Norbano coss. Tunc quidem flagrabat civile bellum, quod socialis belli appendix dici potest. Hac de causa hic 'exustum sociali bello Capitolium,' et Hist. iii, 72. 'civili bello incensum' memoratur.

2 *Quindecimvir.* Apud Romanos quatuor præcipua erant sacerdotum collegia: pontificum, augurum, quindecimvirum et aruspicum. Quindecimviri, Sibyllini quoque dicebantur, iisque solis Cumææ Sibyllæ carmina inspicere fas habebatur, teste Lactantio divin. Instit. i, 6. Præter res sacras, ludos etiam curabant, ut dictum sup. An. iii, 64.

3 *Per discessionem.* Gell. xiv, 7. 'Senatusconsultum fieri duobus modis: aut per discessionem, si consentitur: aut, si res dubia esset, per singulorum sententias exquisitas: singulos autem debere consuli gradatim, incipique a consulari gradu.'

4 *Cærimoniarumque vetus.* Ita Silius iv, 534. 'Gnaros belli, veteresque laborum.'

5 *Per magistros.* Plin. xxviii, 2. 'Sacri precationem, qua solet præire quindecimvirum collegii magister, si quis legat, profecto vim carminum fateatur.' Hæc

mine, apud infrequentem senatum egisset." Simul commonefecit; "quia multa vana sub nomine celebri vulgabantur, sanxisse Augustum,[6] quem intra diem ad prætorem Urbanum deferrentur, neque habere privatim liceret:" quod a majoribus quoque decretum erat, post exustum sociali bello Capitolium, quæsitis Samo, Ilio,[7] Erythris, per Africam etiam, ac Siciliam, et Italicas colonias carminibus Sibyllæ, una seu plures fuere, datoque sacerdotibus negotio, quantum humana ope potuissent, vera discernere. Igitur tunc quoque notioni quindecimvirum is liber[8] subjicitur.

13. Iisdem consulibus, gravitate annonæ juxta seditionem[1] ventum: multaque, et plures per dies, in theatro licentius efflagitata,[2] quam solitum adversum Imperatorem: queis commotus, incusavit magistratus patresque, "quod non publica auctoritate populum coercuissent:" addiditque "quibus e provinciis, et quanto majorem, quam Augustus, rei frumentariæ copiam advectaret." Ita castigandæ plebi compositum senatusconsultum, prisca severitate: neque segnius consules edixere: silentium ipsius[3] non civile, ut crediderat, sed in superbiam accipiebatur.

14. Fine anni Geminius, Celsus, Pompeius, equites Romani, cecidere conjurationis crimine. Ex queis Geminius prodigentia opum, ac mollitia vitæ amicus Sejano, nihil ad serium.[1] Et Julius Celsus, tribunus, in vinclis laxatam catenam, et circumdatam, in diversum tendens, suam ipse cervicem perfregit. At Rubrio Fabato, tamquam, desperatis rebus

Plin. impius simul et superstitiosus: quod quidem turpe, minime tamen insolens.

6 *Sanxisse Augustum.* V. not. et em. ad An. vi, 12.

7 *Quæsitis Samo, &c.* Sibyllæ Cumanæ libris igne consumtis, cautum est ne vana sub nomine celebri vulgarentur: missique Samum, Ilium, Erythras, per Africam, Siciliam, et Italicas colonias, qui non modo Cumanæ, sed omnium Sibyllarum reliquias colligerent. De Samo An. iv, 14. De Ilio An. ii, 54. iv, 55. dictum est. Erythræ, urbs maritima Ioniæ, nunc *Erythri*, prope Chium insulam. Lactantius divin. Instit. i, 6. docet 'missos esse [Erythras] P. Gabinium, M. Otacilium, L. Valerium, qui descriptos a privatis versus circa mille Romam deportarunt.' Quid valuerint libri Sibyllini, olim penes lectores fuit judicium. Quæ sub Sibyllarum nomine nunc circumferuntur, male feriatorum hominum mendacia esse nemo diffitebitur.

8 *Is liber.* De quo ad Patres retulerat Quintilianus.

1 *Juxta seditionem.* Ferme usque ad seditionem ventum est.

2 *Licentius efflagitata.* Summa Romanorum in theatro licentia. In simili annonæ gravitate fuit postea in circo adclamatum: 'pone pretium carni humanæ.'

3 *Silentium ipsius.* Siluit Tiberius, nec edicto seditionem repressit. At ipsius silentium non in humanitatem, ut crediderat, sed in superbiam fuit acceptum.

1 *Ad serium.* Geminius amicus fuerat Sejani, qui tamen nihil serium illi commiserat propter mollitiem et prodigentiam, certissima levissimi ingenii indicia. Eo usus erat Sejanus ad libidinem et luxum; non vero ad seria et facinora.

Romanis, Parthorum ad misericordiam fugeret, custodes additi: sane is repertus apud fretum Siciliæ,[2] retractusque per centurionem, nullas probabiles causas longinquæ peregrinationis adferebat. Mansit tamen incolumis, oblivione magis quam clementia.

A.U.C. 786. J.C. 33.

15. Ser. Galba, L. Sulla consulibus,[1] diu quæsito, quos neptibus suis maritos destinaret Cæsar, postquam instabat virginum ætas,[2] L. Cassium, M. Vinicium[3] legit. Vinicio oppidanum genus; Calibus ortus,[4] patre atque avo consularibus, cetera equestri familia erat, mitis ingenio, et comtæ facundiæ. Cassius plebei[5] Romæ generis, verum antiqui honoratique, et severa patris disciplina eductus, facilitate sæpius quam industria commendabatur. Huic Drusillam, Vinicio Juliam, Germanico genitas, conjungit: superque ea re senatui scripsit, levi cum honore[6] juvenum: dein redditis absentiæ causis admodum vagis, flexit ad graviora, et offensiones ob rempublicam cœptas:[7] "utque Macro præfectus, tribunorumque et centurionum pauci, secum introirent, quotiens curiam ingrederetur," petivit. Factoque large,[8] et sine præscriptione generis, aut numeri, senatusconsulto, ne tecta quidem Urbis, adeo publicum consilium numquam adiit, deviis plerumque itineribus ambigens patriam et declinans.

2 *Fretum Siciliæ.* Nunc *the Strait of Messina.*

1 *L. Sulla coss.* Servius Sulpicius Galba et L. Cornelius Sulla coss. fuere A. U. C. 786. J. C. 33. Videtur Galbæ prænomen in consulatu fuisse *Lucium*, teste Suet. Galb. 3. 'Lucium mox pro Servio usque ad tempus imperii usurpavit.' Et in tessera gladiatoria apud Muratori, Thes. Inscr. Vol. i, p. 303. L. SVLL. L. SVLP. *Servii* prænomen occurrit tamen in fastis municipalibus, quos edidimus sup. An. v, 11. not. inf.

2 *Virginum ætas.* Agrippina jam nupta Cn. Domitio, Dio, lviii, p. 633. ac sup. An. iv, 75. Drusilla et Julia, quarum ætas instabat, natæ erant, hæc annos quindecim, illa sexdecim. Tacit. Ann. ii, 54. V. stem. Cæs. n. 95 et 97.

3 *M. Vinicium.* Vide Ruhnken. ad Vell. Paterc. Lib. i, c. 8. p. 28.

4 *Calibus ortus.* Cales, urbs mediterranea Campaniæ, nunc *Calvi.*

5 *Plebei.* Mallem *Plebeii.*

6 *Levi—honore.* Tunc Urbem prælegebat Tiberius, nec tamen intravit. Ideo Romæ sine ullo festo apparatu nuptiæ peractæ sunt, et eo ipso die senatus ac judicia habita, Dio, lviii, p. 634.

7 *Ob r. cœptas.* Alii, *captas*, alii *susceptas* emendant. Nihil mutandum. Opiniosissimus ac suspicacissimus Princeps vel fingebat offensiones, vel cœptas existimabat. Hasque omnes ob nimium suum in rempublicam studium parari contendebat.

8 *Factoque large.* Patres senatusconsultum fecerunt largissime, et sine ulla præscriptione generis, aut numeri, ita ut, quos vellet Tiberius, milites etiam, et quotquot liberet, comites ac custodes adhiberet. At ne Urbis quidem tecta, adeo senatum numquam adiit. Sed deviis plerumque itineribus, quasi ambiguus, ad Urbem accedebat, et statim declinabat. Vide Dion. l. c. 'Ambigens patriam,' singulariter dictum, sed eleganter. Quis damnare audeat?

16. Interea magna vis accusatorum in eos inrupit, qui pecunias fœnore auctitabant, adversum legem dictatoris Cæsaris, qua "de modo credendi, possidendique[1] intra Italiam" cavetur; omissam olim,[2] quia privato usui bonum publicum postponitur. Sane vetus Urbi fœnebre malum,[3] et seditionum discordiarumque creberrima causa: eoque cohibebatur antiquis quoque et minus corruptis moribus. Nam primo duodecim tabulis[4] sanctum, "ne quis unciario fœnore amplius exerceret," cum antea ex libidine locupletium[5] agitaretur: dein rogatione tribunicia, ad semuncias redacta: postremo vetita versura:[6] multisque plebis scitis obviam itum fraudibus, quæ totiens repressæ, miras per artes rursum oriebantur. Sed tum Gracchus Prætor, cui ea quæstio evenerat, multitudine periclitantium subactus, retulit ad senatum: trepidique patres (neque enim quisquam tali culpa vacuus[7] veniam a Principe petivere: et concedente, annus in posterum, sexque menses dati, queis secundum jussa legis,[8] rationes familiares quisque componerent.

17. Hinc inopia[1] rei nummariæ, commoto simul omnium

1 *Credendi, possidendique.* Cum æs alienum immensum crevisset civilibus bellis, et fides tota Italia esset angustior, neque creditæ pecuniæ solverentur, Julius Cæsar, A. U. C. 706. 'constituit, ut arbitri darentur: per eos fierent æstimationes possessionum et rerum, quanti quæque earum ante bellum fuissent, atque eæ creditoribus transderentur.' Cæsar B. C. iii, 1. Ita tamen creditoribus traditæ, ut prius deductum fuerit 'summæ æris alieni si quid usuræ nomine numeratum aut perscriptum fuisset: qua conditione quarta pars fere crediti deperibat,' Suet. Jul. xlii. Hæc quidem de modo credendi; nunc vero quod ad possessionem spectat: cum plurimi magnam pecuniæ vim asservarent, ac occultarent, edixit ne quis argento vel auro plusquam sexaginta sestertia, *Angl.* 500*l.* possideret: Ἐπειδή τε συχνοὶ πολλὰ χρήματά τε ἔχειν καὶ πάντα αὐτὰ ἀποκρύπτειν ἐλέγοντο, ἀπηγόρευσε μηδένα πλεῖον πεντακισχιλίων καὶ μυρίων δραχμῶν ἐν ἀργυρίῳ ἢ χρυσίῳ κεκτῆσθαι, Dio xli, p. 171. Meursius, de luxu Romanorum, c. 1. apud Græv. Thes. Antiq. Vol. viii, col. 1223. pro πεντακισχιλίων emendat πεντακοσιακισχιλίων, quod tum linguæ Græcæ, tum Juliæ legi repugnat. Summa enim πεντακοσιακισχιλίων, efficeret ducenta sestertia, *Angl.* 1666*l.* 13*s.* 4*d.*

2 *Omissam olim.* Novam legem non tulerat Cæsar, sed antiquatam revocaverat. V. Dion. l. c.

3 *Vetus—malum.* V. not. et em. ad An. vi, 17. Ibi plurima de fœnore.

4 *Duodecim tabulis.* Cl. de Montesquieu, *Esprit des Loix*, xxii, 22. Tacitum errare, et legem de fœnore primum latam esse A. U. C. 397. pronuntiat. Mihi Taciti ac jurisconsultorum potior videtur auctoritas. Nec credibile xii tabulas de fœnore nihil sanxisse.

5 *Libidine locupletium.* Tunc multiplex sors exsolvebatur, 'mergentibus semper sortem usuris,' Liv. vi, 14.

6 *Vetita versura.* *Versuram* pro *usura* accepit Tacitus, quemadmodum et Tullius ad Attic. v Ep. 21. 'Salaminii cum Romæ versuram facere vellent, non poterant; quod lex Gabinia vetabat.'

7 *Culpa vacuus.* Divites Romani non modo Romæ, sed etiam in provinciis fœnerabantur. Inde ingentes ac stupendæ eorum divitiæ. Inde quoque provinciarum rebelliones, cum magnitudine æris alieni essent obrutæ, sup. An. iii, 40.

8 *Jussa legis.* Jussa legis Juliæ, a Tiberio renovatæ.

1 *Hinc inopia.* Rebus ita constitutis,

ære alieno; et quia tot damnatis, bonisque eorum divenditis, signatum argentum fisco, vel ærario attinebatur: ad hoc senatus præscripserat, "duas quisque fœnoris partes in agris per Italiam collocaret." Sed creditores in solidum appellabant: nec decorum appellatis, minuere fidem. Ita primo concursatio, et preces; dein strepere prætoris tribunal: eaque, quæ remedio quæsita, venditio, et emtio, in contrarium mutari; quia fœneratores omnem pecuniam mercandis agris condiderant. Copiam vendendi secuta vilitate, quanto quis obæratior, ægrius distrahebant; multique fortunis provolvebantur: eversio rei familiaris dignitatem ac famam præceps dabat: donec tulit opem Cæsar, disposito per mensas millies sestertio, factaque mutuandi copia sine usuris per triennium, si debitor populo in duplum prædiis cavisset. Sic refecta fides; et paulatim privati quoque creditores reperti: neque emtio agrorum exercita ad formam senatusconsulti, acribus, ut ferme talia, initiis, incurioso fine.

18. Dein redeunt priores metus, postulato majestatis Considio Proculo: qui nullo pavore diem natalem celebrans, raptus in curiam, pariterque[1] damnatus interfectusque: et sorori ejus Sanciæ aqua atque igni interdictum, accusante Q. Pomponio. Is moribus inquies, "hæc et hujuscemodi a se factitari" prætendebat, "ut, parta apud Principem gratia, peri-

summa fuit rei nummariæ inopia, cum commoveretur simul omnium æs alienum, et maxima argenti signati, *Angl. coin*, vis fisco Principis, vel ærario populi, tot civibus damnatis, bonisque eorum divenditis, attineretur. Quam ob rem senatus præscripserat, ut quisque fœnerator duas fœnoris partes, *Angl. two thirds of his capital*, in agris per Italiam collocaret, et 'debitores totidem æris alieni [partes] statim solverent,' Suet. Tib. 48. At nec ita subventum. Nam non in duas tantum partes, sed juxta ipsa legis jussa in solidum appellabant creditores. Neque decorum erat appellatis, fidem minuere. Itaque primo debitores concursare, precari; deinde strepere Gracchi, prætoris, tribunal. Quin immo ea ipsa, quæ remedio fuerant quæsita, venditio scilicet et emtio, in contrarium mutabantur. Fœneratores enim omnem pecuniam, ut agros vilius mercarentur, condiderant. Præterea vendendi copiam secuta erat vilitas; et quanto quis obæratior, tanto ægrius distrahebat, ac tandem necessitate victus agros suos minimo pretio collocare tenebatur. Multi igitur fortunis provolvebantur. Eversio rei familiaris dignitatem ac famam præceps dabat. Donec tot malis opem tulit Tiberius, dispositis per mensas millies sestertiis, *Angl.* 833,333*l.* 6*s.* 8*d.* et facta mutuandi copia sine usuris per triennium. Id unum cautum est, ut debitor assignaret populo prædia in duplum summæ, quam mutuabatur. Sic refecta est fides: et paulatim privati quoque creditores reperti sunt. Neque emtio agrorum exercita est ad perniciosam senatusconsulti formam. Tiberianæ legis acria, ut ferme in talibus, fuere initia, incuriosus vero finis. Revera numquam graviores usuræ, quam postea extitere. In hac inclementia, 'civilis ac modica' habebatur usura ex semisse, *Angl. six per cent.* Plin. xiv, 4. Legitima vero centesima, *Angl. twelve per cent.* V. eruditum Brisson. Select. Antiq. ex jure civil. iii, 1.

1 *Pariterque.* Et simul.

culis Pomponii Secundi[2] fratris mederetur."[3] Etiam in Pompeiam Macrinam exilium statuitur, cujus maritum, Argolicum,[4] socerum, Laconem, e primoribus Achæorum, Cæsar adflixerat. Pater quoque inlustris eques Romanus, ac frater prætorius, cum damnatio instaret, se ipsi interfecere: datum erat crimini, "quod Theophanem Mitylenæum[5] proavum eorum, Cn. Magnus inter intimos habuisset: quodque defuncto Theophani, cœlestes honores Græca adulatio tribuerat."

19. Post quos Sex. Marius,[1] Hispaniarum ditissimus, defertur "incestasse filiam," et saxo Tarpeio dejicitur: ac ne dubium haberetur, magnitudinem pecuniæ malo vertisse, aurariasque ejus,[2] quamquam publicarentur, sibimet Tiberius seposuit. Inritatusque suppliciis,[3] cunctos, qui carcere attinebantur, accusati societatis cum Sejano, necari jubet. Jacuit immensa strages: omnis sexus, omnis ætas: inlustres, ignobiles: dispersi, aut aggerati: neque propinquis, aut amicis adsistere, inlacrymare, ne visere quidem diutius dabatur; sed circumjecti custodes, et in mœrorem cujusque intenti, corpora putrefacta adsectabantur,[4] dum in Tiberim traherentur: ubi fluitantia, aut ripis adpulsa, non cremare quisquam,

2 *Pomponii Secundi.* Cui objectabatur Ælii Galli amicitia, ut dictum sup. An. v, 8.

3 *Mederetur.* Homo nequissimus, qui sceleribus se pium probat.

4 *Argolicum.* Argolicum, Laconem, ut nomina propria, non vero patria, vertunt optimi interpretes.

5 *Theophanem Mitylenæum.* Locum hunc egregie illustrat Strabo xiii, p. 617 et 618. ὁ συγγραφεὺς Θεοφανής. οὗτος δὲ καὶ πολιτικὸς ἀνὴρ ὑπῆρξε, καὶ Πομπηΐῳ τῷ Μάγνῳ κατέστη φίλος, μάλιστα διὰ τὴν ἀρετὴν αὐτὴν, καὶ πάσας συγκατώρθωσεν αὐτῷ τὰς πράξεις· ἀφ' ὧν τήν τε πατρίδα ἐκόσμησε, τὰ μὲν δι' ἐκείνου, τὰ δὲ δι' ἑαυτοῦ· καὶ ἑαυτὸν πάντων Ἑλλήνων ἐπιφανέστατον ἀνέδειξεν· υἱόν τε ἀπέλιπε Μάρκον Πομπήϊον, ὃν τῆς Ἀσίας ἐπίτροπον κατέστησέ ποτε Καῖσαρ ὁ Σέβαστος· καὶ νῦν ἐξετάζεται τῶν Τιβερίου φίλων. Ex urbe Mitylene prodiit 'scriptor Theophanes, vir rei politici peritus, cum Pompeio Magno propter suam virtutem conjunctissimus, omniumque ejus præclarorum facinorum socius. Sicque partim Pompeii, partim sua ipsius opera patriam ornavit, seque omnium Græcorum illustrissimum præstitit. Filium reliquit Marcum Pompeium, quem Cæsar Augustus Asiæ procuratorem constituit, nunc inter primos Tiberii amicos censetur.' V. et Vellei. ii, 18. Hic itaque Theophanes proavus, filius ejus M. Pompeius avus. Mitylene, urbs Lesbus insulæ.

1 *Sextus Marius.* Sextus Marius, Tiberii amicus, filiam suam, eximia oris venustate commendabilem, ablegaverat ne a Principe pollueretur. Ipse illam incestasse defertur, et e rupe Tarpeia præceps dejicitur, Dio lviii, p. 635. Tarpeia illa rupes, pars Capitolini montis, et Tiberim spectans, adhuc alta palmos Romanos 80 visitur. Ficoroni, *Roma Antica*, i, 10.

2 *Aurariasque ejus.* Quam ferax auri fuerit Hispania docet Plin. xxxiii, 4. §. 21. 'Vicena millia pondo, [*Angl.* 900,000*l.*] ad hunc modum annis singulis Asturiam atque Gallæciam, et Lusitaniam præstare quidam prodiderunt, ita ut plurimum Asturia gignat. Neque in alia parte terrarum tot seculis hæc fertilitas.'

3 *Inritatusque suppliciis.* Tot hominum suppliciis irritabatur immitior Tiberius. Animos magis ac magis efferat crudelitatis assuetudo.

4 *Adsectabantur.* Putrefacta illa corpora comitabantur, dum e carcere unco detracta in Tiberim projicerentur.

non contingere. Interciderat sortis humanæ commercium vi metus: quantumque sævitia glisceret, miseratio arcebatur.

20. Sub idem tempus C. Cæsar,[1] discedenti Capreas avo comes, Claudiam,[2] M. Silani filiam, conjugio accepit; immanem animum subdola modestia tegens, non damnatione matris, non exilio fratrum rupta voce; qualem in diem[3] Tiberius induisset, pari habitu, haud multum distantibus verbis. Unde mox scitum Passieni oratoris dictum percrebuit, "Neque meliorem umquam servum, neque deteriorem dominum fuisse." Non omiserim præsagium Tiberii, de Ser. Galba, tum consule: quem accitum, et diversis sermonibus pertentatum, postremo Græcis verbis[4] in hanc sententiam adlocutus; "Et tu, Galba, quandoque degustabis imperium:" seram ac brevem potentiam significans, scientia Chaldæorum artis, cujus apiscendæ, otium apud Rhodum, magistrum Thrasyllum,[5] habuit, peritiam ejus hoc modo expertus.

21. Quotiens super tali negotio consultaret, edita domus parte, ac liberti unius conscientia utebatur: is literarum ignarus, corpore valido, per avia ac derupta (nam saxis domus imminet) præibat eum, cujus artem experiri Tiberius statuisset; et regredientem, si vanitatis aut fraudum suspicio incesserat, in subjectum mare præcipitabat, ne index arcani existeret. Igitur Thrasyllus iisdem rupibus inductus, postquam percunctantem commoverat, imperium ipsi, et futura solerter patefaciens: interrogatur, "an suam quoque genitalem horam comperisset, quem tum annum, qualem diem haberet?" Ille positus siderum, ac spatia dimensus, hærere primo, dein pavescere, et, quantum introspiceret, magis ac magis trepidus admirationis et metus, postremo exclamat, "ambiguum sibi ac prope ultimum discrimen instare." Tum complexus eum

1 *C. Cæsar.* Dictus Caligula.

2 *Claudiam.* Quam Suet. in Caio 12. 'Juniam Claudillam' appellat. V. stem. Cæs. n. 87.

3 *Qualem in diem.* Perperam in libris editis, *qualem diem.* Librariorum errore *in* excidisse optime vidit Illustr. Huetius. Caius, ad adulationem compositus, pari erat habitu, qualem Tiberius in diem induisset, neque multum distantibus verbis, ita ut avum suum referre videretur. Qua arte ad devinciendos senes nulla melior ac certior potest excogitari.

4 *Græcis verbis.* Quæ ita effert Dio lvii, p. 616. καὶ σύ ποτε τῆς ἡγεμονείας γεύσῃ. Paulo aliter Suet. Galb. 4. Sed errat, dum ea ab Augusto dicta contendit. Tacito enim consentiunt Josephus Antiq. Jud. xviii, 6. n. 9. et Dio l. c.

5 *Magistrum Thrasyllum.* Magistrum illum, artis Chaldæorum peritissimum, laudant Suet. Aug. 98. Dio lv, p. 555. lvii, p. 612. et lviii, p. 638.

Tiberius, "præscium periculorum, et incolumem fore" gratatur; quæque dixerat, oraculi vice accipiens, inter intimos amicorum tenet.

22. Sed mihi hæc, ac talia audienti, in incerto judicium est, fatone res mortalium et necessitate immutabili, an forte volvantur: quippe sapientissimos veterum,[1] quique sectam eorum æmulantur, diversos reperies, ac multis insitam opinionem, "non initia nostri, non finem, non denique homines Diis curæ. Ideo creberrime tristia in bonos, læta apud deteriores esse." Contra alii, "fatum quidem congruere rebus" putant, "sed non e vagis stellis, verum apud principia, et nexus naturalium causarum:" ac tamen "electionem vitæ" nobis relinquunt; "quam ubi elegeris, certum imminentium ordinem: neque mala, vel bona, quæ vulgus putet: multos, qui conflictari adversis videantur, beatos; ac plerosque, quamquam magnas per opes, miserrimos: si illi gravem fortunam constanter tolerent, hi prospera inconsulte utantur." Ceterum plurimis mortalium non eximitur,[2] quin "primo cujusque ortu ventura destinentur: sed quædam secus quam dicta sint cadere, fallaciis ignara dicentium: ita corrumpi fidem artis,[3] cujus clara documenta, et antiqua ætas et nostra tulerit." Quippe a filio ejusdem Thrasylli, prædictum Neronis imperium, in tempore memorabitur,[4] ne nunc incepto longius abierim.

23. Iisdem consulibus, Asinii Galli[1] mors vulgatur, quem egestate cibi peremtum haud dubium; sponte, vel necessitate, incertum habebatur. Consultusque Cæsar, "an sepeliri sineret," non erubuit permittere,[2] ultroque incusare "casus, qui

1 *Sapientissimos veterum.* Proh sapientes homines! Cæca Epicureæ sortis, Stoicive fati, aut necessitatis immutabilis nocte volvuntur, dum splendidam Dei, rerum hominumque conditoris sapientissimi, assidui rectoris, oppressarum virtutum superborumque scelerum, ut æternum decet vindicem, patientis, lucem aversantur. Inexplicabilia principia, nexus naturalium causarum, certos imminentium ordines, aliaque inaudita confingunt, sibique inconditis verbis illudunt, ut errori et voluptatibus patrocinentur. Quodque luctuosissimum est anilia hæc deliria, superstitionis et libidinis plena, acerrimos animos perverterunt. Utinam neminem adhuc perverterent!

2 *Non eximitur.* Non eximitur hæc opinio.

3 *Fidem artis.* Verius de hujus artis professoribus, inf. Hist. i, 22. 'Genus hominum potentibus infidum, sperantibus fallax, quod in civitate nostra et vetabitur semper et retinebitur.'

4 *Memorabitur.* Hoc periit.

1 *Asinii Galli.* De hoc illustrissimo viro, tot consularium parente, dictum sup. An. iii, 75. Ejus casus ac mortem fuse narrat Dio lviii, p. 622 et 636. Nos quoque in Suppl. An. v, 20.

2 *Permittere.* Pudet Principem ea permittere, quæ natura jusque gentium permittunt. Hæc enim orari pudet.

reum abstulissent antequam coram convinceretur:" scilicet medio triennio[3] defuerat tempus subeundi judicium consulari seni, tot consularium parenti. Drusus[4] deinde extinguitur, cum se miserandis alimentis, mandendo e cubili tomento,[5] nonum ad diem detinuisset. Tradidere quidam, præscriptum fuisse Macroni, si arma ab Sejano tentarentur, extractum custodia juvenem (nam in palatio[6] attinebatur) ducem populo imponere:[7] mox quia rumor incedebat, "fore, ut nurui ac nepoti[8] conciliaretur Cæsar," sævitiam, quam pœnitentiam maluit.

24. Quin et invectus in defunctum, "probra corporis, exitiabilem in suos,[1] infensum reipublicæ animum" objecit: "recitarique factorum dictorumque ejus descripta per dies" jussit: quo non aliud atrocius visum: adstitisse tot per annos, qui vultum, gemitus, occultum etiam murmur exciperent, et potuisse avum audire, legere, in publicum promere, vix fides; nisi quod Actii centurionis, et Didymi liberti epistolæ, servorum nomina præferebant, ut quis egredientem cubiculo Drusum pulsaverat, exterruerat. Etiam sua verba centurio, sævitiæ plena, tamquam egregium, vocesque deficientis adjecerat, queis primo alienationem mentis simulans, quasi per dementiam, funesta Tiberio, mox ubi exspes vitæ fuit, meditatas, compositasque diras imprecabatur: "ut quemadmodum nurum, filiumque fratris,[2] et nepotes, domumque omnem cædibus complevisset; ita pœnas nomini generique majorum, et posteris exsolveret." Obturbabant quidem patres, specie detestandi: sed penetrabat pavor, et admiratio, callidum olim[3] et

3 *Medio triennio.* A. U. C. 783. uno et eodem ipso die Tiberii conviva, et a senatu damnatus fuit Asinius Gallus, Dio lviii, p. 622. Nos in Suppl. l. c.

4 *Drusus.* Germanici filius. V. stem. Cæs. n. 83. Quomodo Drusus in palatio clausus fuerit, narravimus in Suppl. An. v, 13 et 14.

5 *Tomento.* Tomentum illud non lana, plumave, fuit, sed gnaphalion, quo infarciuntur culcitæ. Plin. xxvii, 10. §. 61. 'Gnaphalion, alii Chamæzelon vocant, cujus foliis albis mollibusque pro tomento utuntur. Sane et similia sunt.'

6 *In palatio.* Romæ, 'in ima parte Palatii,' attinebatur. Suet. Tib. 54.

7 *Populo imponere.* V. Suppl. An. v, 34.

8 *Nurui ac nepoti.* Mox quia rumor incedebat, fore ut nurui suæ Agrippinæ ac nepoti suo Druso conciliaretur, sævitiam, quam pœnitentiam maluit. Crudelior factus, ne mitior haberetur.

1 *In suos.* Objicit probra corporis, id est, impudicitiam, et animum in suos exitiabilem. Drusus enim Sejani ac Liviæ partes adversus fratrem suum Neronem erat ingressus, ut vidimus sup. An. iv, 60.

2 *Nurum, filiumque fratris. Nurum* Agrippinam, *filium fratris* Germanicum, *nepotes* Neronem et Drusum. V. stem. Cæs. n. 51. 81. 82 et 83.

3 *Callidum olim.* Tiberium. Scelerum assuetudine gliscit audacia.

tegendis sceleribus obscurum, huc confidentiæ venisse, ut, tamquam demotis parietibus, ostenderet nepotem sub verbere centurionis, inter servorum ictus, extrema vitæ alimenta frustra orantem.

25. Nondum is dolor exoleverat, cum de Agrippina[1] auditum, quam, interfecto Sejano, spe sustentatam provixisse reor, et, postquam nihil de sævitia remittebatur, voluntate extinctam; nisi si, negatis alimentis, adsimulatus est finis, qui videretur sponte sumtus. Enimvero Tiberius fœdissimis criminationibus exarsit, "impudicitiam" arguens, "et Asinium Gallum adulterum, ejusque morte[2] ad tædium vitæ compulsam." Sed Agrippina, æqui impatiens,[3] dominandi avida, virilibus curis, fœminarum vitia exuerat. "Eodem die defunctam, quo biennio ante Sejanus pœnas luisset, memoriæque id prodendum" addidit Cæsar: jactavitque "quod non laqueo strangulata, neque in Gemonias projecta foret." Actæ ob id grates,[4] decretumque "ut quintodecimo Kalendas Novembris, utriusque necis die, per omnes annos, donum Jovi sacraretur."

26. Haud multo post Cocceius Nerva,[1] continuus Principis, omnis divini humanique juris sciens, integro statu, corpore inlæso, moriendi consilium cepit. Quod ut Tiberio cognitum, adsidere, causas requirere, addere preces, fateri postremo "grave conscientiæ, grave famæ suæ, si proximus amicorum, nullis moriendi rationibus, vitam fugeret:" aversatus sermonem Nerva, abstinentiam cibi conjunxit. Ferebant gnari cogitationum ejus, quanto propius mala reipublicæ viseret, ira, et metu, dum integer, dum intentatus, honestum

1 *De Agrippina.* Extrema Agrippinæ, Germanici uxoris, tempora illustrat Suet. Tib. 53. 'Novissime calumniatus, modo ad statuam Augusti, modo ad exercitus confugere velle, Pandatariam relegavit: convitiantique oculum per centurionem verberibus excussit. Rursus mori inedia destinanti, per vim ore diducto, infulciri cibum jussit. Sed et perseverantem, atque ita absumtam, criminosissime insectatus est, cum diem quoque natalem ejus inter nefastos referendum suasisset. Imputavit etiam, quod non laqueo strangulatam in Gemonias abjecerit, proque tali clementia interponi decretum passus est, quo sibi gratiæ agerentur, et Capitolino Jovi donum ex auro sacraretur.'

2 *Ejusque morte.* Morte Asinii Galli.

3 *Æqui impatiens.* Agrippina, superatis fœminarum vitiis maxima; sortis suæ impatientia et dominandi aviditate infelix.

4 *Actæ—grates.* Ob clementiam, actæ Tiberio grates: ob Deum vigilantiam, qui eodem die duos Principis et imperii hostes peremissent, donum ex auro Jovi Capitolino sacratum. Illius doni extat memoria in vetere Kalendario, XV. Kal. Nov. JOVI LIBERATORI.

1 *Cocceius Nerva.* De quo jam sup. An. iv, 58. Mortis ejus causam minime pro-

finem voluisse. Ceterum Agrippinæ pernicies, quod vix credibile, Plancinam[2] traxit. Nupta olim Cn. Pisoni, et palam læta morte Germanici, cum Piso caderet, precibus Augustæ, nec minus inimicitiis Agrippinæ defensa erat. Ut odium et gratia desiere, jus valuit: petitaque criminibus haud ignotis, sua manu, sera magis quam immerita supplicia persolvit.

27. Tot luctibus funesta civitate, pars mœroris fuit, quod Julia, Drusi filia,[1] quondam Neronis uxor, denupsit in domum Rubellii Blandi,[2] cujus avum, Tiburtem,[3] equitem Romanum, plerique meminerant. Extremo anni mors Ælii Lamiæ funere censorio[4] celebrata, qui administrandæ Syriæ imagine tandem exsolutus,[5] Urbi præfuerat:[6] genus illi decorum, vivida senectus; et non permissa provincia dignationem addiderat.[7] Exin Flacco Pomponio,[8] Syriæ proprætore, defuncto, recitantur Cæsaris literæ, queis incusabat "egregium quemque, et regendis exercitibus idoneum, abnuere id munus: seque ea necessitudine ad preces cogi, per quas consularium aliqui capessere provincias adigerentur:" oblitus Arruntium ne in Hispaniam pergeret, decimum jam annum attineri. Obiit eodem anno et M. Lepidus, de cujus moderatione, atque sapientia in prioribus libris satis conlocavi:[9] neque nobilitas diutius demonstranda est: quippe Æmilium genus[10] fœcun-

babilem, leges scilicet Julii Cæsaris de fœnore a Tiberio renovatas, affert Dio lviii, p. 634.

2 *Plancinam.* Sceleratam Pisonis uxorem, ac in Germanici morte suspectam; de qua plurima passim Ann. III.

1 *Drusi filia.* Tiberii neptis. V. stem. Cæs. n. 74.

2 *Rubellii Blandi.* Illi avus eques Romanus, pater consul suffectus, de quo Annal. iii, 51. Extat in Museo nostro nummus insignis ære minimo, C. RVBELLIVS BLANDVS IIIVIRAAAFF, i. e. triumvir Auro, Argento, Ære Flando Feriundo.

3 *Tiburtem.* Tibur, nunc *Tivoli*, in agro Romano.

4 *Funere censorio.* De hoc funere dictum sup. An. iv, 15.

5 *Imagine—exsolutus.* Ei quidem Syria fuerat demandata, sed numquam permissum ut provinciam illam adiret. De hoc Tiberiano usu sup. An. i, 80.

6 *Urbi præfuerat.* Et L. Pisoni successerat, teste Dione lviii, p. 633. Videtur dictus fuisse Cossus Ælius Lamia, vir gravis et moderatus, sed mersus vino et madens, ut ex Seneca observavimus sup. c. 10.

7 *Dignationem addiderat.* Eminentis enim virtutis argumentum. 'Ex optimis periculum' sibi metuebat Tiberius, An. i, 80.

8 *Flacco Pomponio.* De hoc egregio Tiberii et Pisonis compotore dictum in not. et em. c. 11.

9 *Satis conlocavi.* I. e. satis scripsi. Eodem sensu Varro, Cicero aliique scriptores optimi utuntur verbo *ponere.* De M. Lepido dictum An. i, 13. iv, 20. et alibi sæpe.

10 *Æmilium genus.* Æmilium genus, bonorum civium adeo fœcundum, ut, qui ex eadem familia corruptis moribus fuerunt, illustri tamen fortuna semper egerint. Eo genere prognati Scauri, Lepidi, inclyta Romanorum nomina.

dum bonorum civium, et qui eadem familia corruptis moribus, inlustri tamen fortuna egere.

A. U. C. 787. J. C. 34.

28. Paullo Fabio, L. Vitellio consulibus,[1] post longum seculorum ambitum, avis Phœnix in Ægyptum venit, præbuitque materiem doctissimis indigenarum, et Græcorum, multa super eo miraculo[2] disserendi: de quibus congruunt, et plura ambigua,[3] sed cognitu non absurda, promere libet. Sacrum Soli id animal, et ore ac distinctu pinnarum a ceteris avibus diversum, consentiunt, qui formam ejus[4] definiere. De numero annorum varia traduntur: maxime vulgatum, quingentorum spatium:[5] sunt qui adseverent, mille quadringentos sexaginta unum[6] interjici: prioresque alites Sesostride primum, post Amaside, dominantibus, dein Ptolemæo,[7] qui ex Macedonibus tertius regnavit, in civitatem, cui Heliopolis[8] nomen, advolavisse, multo ceterarum volucrum comitatu, novam faciem mirantium. Sed antiquitas quidem obscura: inter Ptolemæum ac Tiberium minus ducenti quinquaginta anni fuerunt: unde nonnulli falsum hunc Phœnicem, neque Arabum e terris credidere, nihilque usurpavisse ex his, quæ vetus memoria firmavit: confecto quippe annorum numero,

1 *Vitellio coss.* Paullus Fabius Persicus et L. Vitellius consulatum gessere A. U. C. 787. J. C. 34. Adventum Phœnicis in Ægyptum biennio post, Plautio et Papinio coss. memorat Plin. x, 2. cui adstipulantur Dio lviii, p. 638. et Solinus, Plinium exscribere solitus, c. 36.

2 *Super eo miraculo.* Verius fabula. Phœnicem enim fabulosam esse avem nemo, naturæ studiosus, dubitat. Fabulam illam pro more suo doctissime et longissime confutat Samuel Bochart in Hierozoico, part. 2. lib. 6. c. 6. col. 817 sq. Totum illud narrationum portentum apud Ægyptios ex hieroglyphica conversionis magni anni figura; apud Græcos ex ambigua voce, Φοίνιξ, quæ palmam ex cadente dactylo, aut surculo, quasi ex se ipsa renascentem significat, enatum esse credimus. Jam de Græcis præsenserat Plin. xiii, 4. Quæ de Phœnice ferebant Heliopolitani falsa esse pronuntiat ipse Herodot. ii, 73. Ἐμοὶ μὲν οὐ πιστὰ λέγοντες.

3 *Plura ambigua.* Etiam plura ambigua. Et in hac significatione usurpatur: nihil itaque mutandum.

4 *Formam ejus.* De illa forma plura apud Plin. x, 2. et Herodotum, cui ab Heliopolitanis effigies Phœnicis monstrata, ut testatur l. c. Occurrit etiam in nonnullis nummis.

5 *Quingentorum spatium.* Sic quoque Herodot. l. c. Mela iii, 9. Sen. Ep. xlii, Philostrat. in vita Apollonii, iii, 49. Aliter Plin. V. not. et em. ad An. vi, 28.

6 *Sexaginta unum.* V. not. et em. ad An. vi, 28.

7 *Dein Ptolemæo.* Is est Ptolemæus Evergetes, qui solium Ægypti conscendit A. U. C. 507. A. C. 246. et mortuus est A. U. C. 533. Inde si vel ab ipsa morte Ptolemæi annos mille Ptolemæum inter et Sesostridem interjectos numeraveris, manifestum est Sesostridem non eumdem esse ac Sesac, de quo III Reg. xiv, 25. ut eruditis nonnullis placuit, sed longe antiquiorem esse Sesostridem, et judicum temporibus imperasse. Qua in re consentit Herodot. ii, 13 et 102.

8 *Heliopolis.* Urbs inferioris Ægypti.

ubi mors propinquet, suis in terris struere nidum, eique vim genitalem adfundere, ex qua fœtum oriri: et primam adulto curam sepeliendi patris: neque id temere, sed sublato myrrhæ pondere, tentatoque[9] per longum iter, ubi par oneri, par meatui sit, subire patrium corpus, inque Solis aram perferre, atque adolere. Hæc incerta et fabulosis aucta. Ceterum aspici aliquando in Ægypto eam volucrem, non ambigitur.[10]

29. At Romæ cæde continua, Pomponius Labeo, quem præfuisse Mœsiæ retuli,[1] per abruptas venas sanguinem effudit; æmulataque est conjunx Paxæa: nam promtas ejusmodi mortes metus carnificis faciebat: et quia damnati, publicatis bonis, sepultura prohibebantur; eorum qui de se statuebant, humabantur corpora, manebant testamenta, pretium festinandi.[2] Sed Cæsar, missis ad senatum literis, disseruit, "morem fuisse majoribus, quotiens dirimerent amicitias, interdicere domo, eumque finem gratiæ ponere: id se repetivisse in Labeone: atque illum, quia male administratæ provinciæ, aliorumque criminum[3] urgebatur, culpam invidia velavisse,[4] frustra conterrita uxore, quam, etsi nocentem, periculi tamen expertem fuisse." Mamercus dein Scaurus rursum postulatur,[5] insignis nobilitate et orandis causis, vita probrosus: nihil hunc amicitia Sejani, sed labefecit haud minus validum ad exitia Macronis odium, qui easdem artes occultius exercebat: detuleratque argumentum tragœdiæ,[6] a Scauro scriptæ, additis versibus, qui in Tiberium flecterentur. Verum ab

Arabibus adhuc dicitur *Ain el chams*, id est, *oculus solis*. Vulgo *Matarea*.

9 *Tentatoque*. Tentatis per longum iter viribus, ubi se oneri meatuique parem sentit, patrium corpus subit, in Heliopolitanam Solis aram perfert, atque adolet.

10 *Non ambigitur*. Aldovrandus, Ornithol. xii, 28. Tacitum incusat, quasi pugnantia loqueretur; Phœnicem videlicet esse fabulosam, et tamen aliquando in Ægypto aspici. At Tacitus existimavit veram esse volucrem Phœnicem, sed de ea plurima ferri incerta, et fabulosis auctitari. Nos vero confidentius dicimus fabulosam esse, et nusquam aspici.

1 *Retuli*. Sup. An. iv, 47. De Labeonis, ejusque uxoris morte v. etiam Dion. lviii, p. 636.

2 *Pretium festinandi*. De voluntaria morte plura dicenda, quam ut hic exscribantur. V. not. et em. ad An. vi, 29.

3 *Aliorumque criminum*. Et quod acceptis pecuniis corrumpi se esset passus. Dio l. c.

4 *Invidia velavisse*. Labeonem culpam suam velavisse morte, ut Principi invidiam faceret.

5 *Rursum postulatur*. Postulatum jam vidimus sup. c. 9. V. et An. iii, 31. 66. ac Sen. in præf. Lib. v. Controvers. ubi plurima de ejus dicendi genere.

6 *Argumentum Tragœdiæ*. Tragœdiæ illius argumentum *Atreus:* in ea versum Eurip. Phœn. 396. Τὰς τῶν κρατούντων ἀμαθίας φέρειν χρεὼν, 'Dominantium peccata ferre convenit,' imitatus, de Atreo dixerat 'ferendam esse stultitiam Principis'—τὴν τοῦ κρατοῦντος ἀβουλίαν φέρῃ—Tiberius, parricidia sua argui arbitratus, ait: 'Me fecit Atrea, faciam illum Ajacem,' quia scilicet se ipse interemit Ajax. V. Dion. lviii, p. 636 et 637.

Servilio et Cornelio accusatoribus, "adulterium Liviæ,[7] magorum sacra" objectabantur. Scaurus, ut dignum veteribus Æmiliis, damnationem anteit; hortante Sexitia uxore, quæ incitamentum mortis, et particeps fuit.

30. Ac tamen accusatores, si facultas incideret, pœnis adficiebantur: ut Servilius Corneliusque, perdito Scauro famosi, quia pecuniam a Vario Ligure, omittendæ delationis, ceperant, in insulas, interdicto igni atque aqua, demoti sunt: et Abudius Ruso, functus ædilitate, dum Lentulo Gætulico, sub quo legioni præfuerat, periculum facessit, "quod is Sejani filium generum destinasset," ultro damnatur, atque Urbe exigitur. Gætulicus ea tempestate superioris Germaniæ legiones curabat, mirumque amorem adsecutus erat, effusæ clementiæ, modicus severitate, et proximo quoque exercitui,[1] per L. Apronium socerum, non ingratus. Unde fama constans, ausum mittere ad Cæsarem literas, "Adfinitatem sibi cum Sejano haud sponte, sed consilio Tiberii cœptam: perinde se, quam Tiberium falli potuisse: neque errorem eumdem illi sine fraude, aliis exitio habendum. Sibi fidem integram, et, si nullis insidiis peteretur, mansuram: successorem non aliter, quam indicium mortis, accepturum: firmarent velut fœdus, quo Princeps ceterarum rerum potiretur, ipse provinciam retineret." Hæc, mira quamquam, fidem ex eo trahebant, quod unus omnium Sejani adfinium incolumis, multaque gratia mansit: reputante Tiberio publicum sibi odium, extremam ætatem, magisque fama, quam vi, stare res suas.

A.U.C. 788. J.C. 35.

31. C. Cestio, M. Servilio consulibus,[1] nobiles Parthi in Urbem venere, ignaro rege Artabano.[2] Is metu Germanici fidus Romanis, æquabilis in suos; mox superbiam in nos, sævitiam in populares sumsit; fretus bellis, quæ secunda adversum circumjectas nationes exercuerat, et senectutem Tibe-

7 *Adulterium Liviæ.* Drusi uxoris, perditissimæ fœminæ. Ob eam quidam meritis suppliciis, plures per calumniam puniti. Dio, l. c.

1 *Proximo—exercitui.* L. Apronius inferioris Germaniæ proprætor erat, ut dictum est An. iv, 73.

1 *Servilio Coss.* C. Cestius Gallus et M. Servilius Nomanus coss. fuere A. U. C. 788. J. C. 35.

2 *Rege Artabano.* Artabano II. Parthorum rege, de quo Annal. ii, 3 et 58. V. et Canon. regum Parthor. inter not. et em. An. ii, 1.

rii, ut inermem,[3] despiciens, avidusque Armeniæ, cui, defuncto rege Artaxia,[4] Arsacen, liberorum suorum veterrimum, imposuit, addita contumelia, et missis, qui "gazam, a Vonone[5] relictam in Syria Ciliciaque," reposcerent, simul "veteres Persarum ac Macedonum terminos:[6] seque invasurum possessa Cyro, et post Alexandro," per vaniloquentiam ac minas jaciebat. Sed Parthis mittendi secretos nuntios validissimus auctor fuit Sinnaces, insigni familia, ac perinde opibus, et proximus huic Abdus,[7] ademtæ virilitatis. Non despectum id apud barbaros, ultroque potentiam habet. Ii, adscitis et aliis primoribus, quia neminem gentis Arsacidarum summæ rei imponere poterant, interfectis ab Artabano plerisque, aut nondum adultis, Phraaten,[8] regis Phraatis filium, Roma poscebant: "Nomine tantum et auctore opus, ut, sponte Cæsaris, genus Arsacis[9] ripam apud Euphratis cerneretur."

32. Cupitum id Tiberio: ornat Phraaten, accingitque paternum ad fastigium: destinata retinens, consiliis et astu res externas moliri, arma procul habere. Interea, cognitis insidiis, Artabanus tardari metu; modo cupidine vindictæ inardescere. Et barbaris[1] cunctatio, servilis: statim exsequi, regium videtur. Valuit tamen utilitas, ut Abdum, specie amicitiæ vocatum ad epulas, lento veneno inligaret; Sinnacen dissimulatione ac donis, simul per negotia, moraretur. Et Phraates apud

3 *Ut inermem.* Quia Tiberius belli incuriosus, et sine liberis, qui firma sunt imperii munimenta.

4 *Rege Artaxia.* Artaxia III. quem Armeniorum regem fecerat Germanicus, An. ii, 56 et 64. V. et Canon. regum Armenior. inter not. et emend. An. ii, 3.

5 *A Vonone.* Vononen, Armeniæ regem, primo in Syriam profugum, deinde Pompeiopolim, Ciliciæ maritimam urbem, amotum vidimus An. ii, 4 et 58.

6 *Persarum ac Macedonum terminos.* Simulque reposcerent provincias omnes, quas olim Persæ ac Macedones possederant, ita ut Romani omnibus Illyricum inter et Parthicum imperium provinciis cederent.

7 *Abdus.* Nomen a verbo עבד, *servus*, Syriace *Abdo*, ductum. Antiquitus in Oriente receptum, quod adhuc ibi viget, ut potentiam suam Eunuchis ultro committerent. Ab his enim hominibus nihil timent: et ministri dignitas in Principis gloriam tota recidit.

8 *Phraaten.* Phraaten, Phraatis IV. filium, fratrem Vononis, quem pater, ut amicitiam cum Augusto firmaret, Romam miserat, An. ii, 1 et 2.

9 *Ut—Arsacis.* Perperam in editis libris, *ut sponte Cæsaris, ut genus Arsacis.* Unum supprimendum, nec nisi ex mera repetitione ortum. Sensus est: rebus eo adactis, nomine tantum et auctore opus esse, ut sponte Cæsaris, genus Arsacis ripam apud Euphratis cerneretur. *Angl. That title, and the sanction of Rome, would be sufficient. Let a prince of the house of Arsaces, under the protection of Tiberius, show himself on the banks of the Euphrates, and nothing more was necessary: a revolution would be the certain consequence.* 'Auctor' eodem sensu accipitur, c. 36.

1 *Et barbaris. Et* dictum pro *insuper, præterea.* Cunctari prudentiæ est: statim exsequi, fortitudinis. Prudentiam ignorant barbari; inde cunctationem, ut quid timidum ac servile aspernantur. Primo et uno impetu feruntur; inde fortitudinem, ut quid nobile ac regium venantur.

Syriam, dum, omisso cultu Romano, cui per tot annos insueverat, instituta Parthorum insumit, patriis moribus impar, morbo absumtus est. Sed non Tiberius omisit incepta. Tiridaten[2] sanguinis ejusdem, æmulum Artabano, reciperandæque Armeniæ Iberum Mithridaten deligit, conciliatque fratri Pharasmani, qui gentile imperium[3] obtinebat; et cunctis, quæ apud Orientem parabantur, L. Vitellium[4] præfecit. Eo de homine haud sum ignarus sinistram in Urbe famam, pleraque fœda memorari: ceterum regendis provinciis prisca virtute egit: unde regressus, et formidine C. Cæsaris, familiaritate Claudii, turpe in servitium mutatus; exemplar apud posteros adulatorii dedecoris habetur: cesseruntque prima postremis, et bona juventæ senectus flagitiosa obliteravit.

33. At ex regulis, prior Mithridates Pharasmanen perpulit, dolo et vi conatus suos juvare: repertique corruptores, ministros Arsacis[1] multo auro ad scelus cogunt: simul Iberi magnis copiis Armeniam inrumpunt, et urbe Artaxata[2] potiuntur. Quæ postquam Artabano cognita, filium Oroden ultorem parat, datque Parthorum copias, mittit qui auxilia mercede facerent. Contra, Pharasmanes adjungere Albanos, accire Sarmatas, quorum Sceptuchi,[3] utrimque donis acceptis, more gentico diversa induere. Sed Iberi, locorum potentes, Caspia via[4] Sarmatam in Armenios raptim effundunt. At qui Parthis adventabant,[5]

2 *Tiridaten.* Phraatis IV. nepotem, et, ut videtur, Vononis filium. Inf. c. 37. Sup. An. ii, 1. in Canone regum Parthor.

3 *Qui—imperium.* Qui imperium Iberiæ obtinebat. Iberia, nunc *Georgia.* Tiberius non omisit incepta. Sed Tiridaten sanguinis Arsacidarum, Artabano æmulum deligit; et recuperationem Armeniæ Ibero Mithridati committit. Quod ut felicius cederet, Mithridaten fratri suo Pharasmani conciliat, et cunctis, quæ apud Orientem parabantur, L. Vitellium præficit.

4 *L. Vitellium.* Qui cos. fuerat anno superiore, c. 28. De ejus laude ac dedecore plurima Suet. Vit. 2. Vitelliorum stemma dabitur inf. Hist. i, 9.

1 *Ministros Arsacis.* Arsaces, Artabani filius, de quo c. 31.

2 *Urbe Artaxata.* Urbe principe Armeniæ. De illa sup. An. ii, 56.

3 *Sceptuchi.* Populi Sarmatiæ Asiaticæ, alienis stipendiis militare soliti. Pontum Euxinum inter et mare Caspium supra Iberiam et Albaniam habitabant. In quibusdam recentioribus editionibus perperam appellantur *Sceptruchi.*

4 *Caspia via.* Tacitus, veteres auctores secutus, 'Caspiam viam' appellavit, quam recentiores postea accuratius dixere 'Caucasiam viam,' seu 'Caucasias portas,' aut 'portas Iberiæ.' V. Plin. vi, 13. 'Via' illa, seu 'porta' in eo loco est ubi aperitur mons Caucasus. De ea Plin. vi, 11. 'Ingens naturæ opus montibus interruptis repente, ubi fores obditæ ferratis trabibus, subter medias amne diri odoris fluente, citraque in rupe castello (quod vocatur Cumania) communito ad arcendas transitu gentes innumeras: ibi loci, terrarum orbe portis discluso, ex adverso maxime Harmastis oppidi Iberum.' Porta illa Caucasia Procopio de Bello Gotthic. iv, 3. dicitur *Tzur.* Nobis vulgo *Teflis.*

5 *At—adventabant.* At e conductitiis Sceptuchis, qui pro Parthis stabant, ii facile arcebantur. Nam Iberii, Albani, et pars Sceptuchorum, simul fœderati, alios incessus claudebant. Unum reliquum, mare inter et extremos Albanorum montes æstas impediebat. In tanta antiquitate tantam

facile arcebantur, cum alios incessus hostis clausisset; unum reliquum,[6] mare inter et extremos Albanorum montes, æstas impediret: quia flatibus Etesiarum[7] implentur vada; hibernus Auster revolvit fluctus, pulsoque introrsus freto, brevia littorum nudantur.

34. Interim Oroden, sociorum inopem, auctus auxilio Pharasmanes vocare ad pugnam, et detrectantem incessere, adequitare castris, infensare pabula; ac sæpe, in modum obsidii, stationibus cingebat: donec Parthi, contumeliarum insolentes, circumsisterent regem, poscerent prælium: atque illis sola in equite vis; Pharasmanes et pedite valebat. Nam Iberi Albanique, saltuosos locos incolentes, duritiæ patientiæque magis insuevere. Feruntque "se Thessalis ortos,[1] qua tempestate Jason post avectam Medeam, genitosque ex ea liberos, inanem mox regiam Æetæ,[2] vacuosque Colchos repetivit." Multaque de nomine ejus,[3] et oraculum Phrixi[4] celebrant: nec quisquam ariete sacrificaverit, credito vexisse Phrixum: sive id animal, seu navis insigne[5] fuit. Ceterum, directa utrimque acie, Parthus "imperium Orientis, claritudinem Arsacidarum, contraque ignobilem Iberum mercenario milite," disserebat. Pharasmanes, "integros semet a Parthico dominatu; quanto majora

rerum Geographicarum scientiam quis non miretur ?

6 *Unum reliquum.* Unum reliquum iter per Albanas pylas, dictas quoque portas Caspias, nunc *Derbent*, in provincia *Shirvan*, *Derbent* idem sonat Persice *the pass.* Turcis dicitur *Demour Capi*, *Angl. the iron gate.* Per hanc portam, ab Alexandro Magno olim communitam, et antiquitatum, viatorum incuria nobis nondum satis compertarum, fœcundam, e Moscovia in Persidem transitur.

7 *Flatibus Etesiarum.* Flatus Etesiarum juxta Plin. ii, 47. et Columell. xi, 2. incipiunt sexto Idus Julii, et perflant diebus canicularibus. Inde verum hujusce belli tempus accipimus. Etesias *Angl.* dicimus *the North East wind:* hibernum vero austrum, *the South West wind.* Amelot de la Houssaie aliique interpretes austrum illum male appellant *the South wind.* Australi enim vento in mare Caspium fluctus revolvi non possunt. Quanto accuratior Tacitus!

1 *Thessalis ortos.* Ita quoque Plin. vi, 13. 'Per oram Albani, ut ferunt, a Jasone orti.' Minus probabiliter apud Justin. xlii, 3. 'Herculem, ex Italia ab Albano monte, cum, Geryone extincto, armenta ejus per Italiam duceret, secuti dicuntur.'

2 *Regiam Æetæ.* Æetas, rex Colchorum, pater Medeæ. Ejus regia ad Phasim posita. Colchis, nunc dicitur *Mingrelia.* Phasis, incolis dicitur *Faoz.* Æeta mortuo, inanem regiam, vacuosque Colchos repetivit Jason.

3 *De nomine ejus.* Multa celebrantur loca, de nomine Jasonis appellata. Τὰ Ἰασόνεια πολλαχοῦ καὶ τῆς Ἀρμενίας, καὶ τῆς Μηδείας, καὶ τῶν πλησιοχώρων αὐταῖς τόπων δείκνυται, Strab. i. p. 45.

4 *Oraculum Phrixi.* Ante ipsum Jasonem, Colchidis navigationem susceperat Phrixus, auri et argenti fodinis illectus. De ejus templo et oraculo v. Strab. l. c. Melam. i, 21.

5 *Navis insigne.* Navium proræ pictas aut sculptas hominum animaliumve effigies habebant, ut patet ex picturis Herculanensibus Tab. XLVI et XLVII. Inde naves nomina sortiebantur, et Centaurus, Chimæra, Tigris, Leo, Aries, Fides, Spes appellabantur, ut notum ex Virgilio, et classicis inscriptionibus.

peterent, plus decoris victores, aut, si terga darent, flagitii atque periculi laturos :" simul horridam[6] suorum aciem, picta auro Medorum agmina; hinc viros, inde prædam ostendere.

35. Enimvero apud Sarmatas non una vox ducis: se quisque stimulant, "ne pugnam per sagittas inirent; impetu et cominus præveniendum." Variæ hinc bellantium species; cum Parthus, sequi vel fugere pari arte suetus, distraheret turmas, spatium ictibus quæreret: Sarmatæ, omisso arcu, quo brevius valent,[1] contis gladiisque ruerent: modo equestris prælii more, frontis et tergi vices;[2] aliquando, ut conferta acies, corporibus et pulsu armorum pellerent, pellerentur.[3] Jamque et Albani Iberique prensare, detrudere, ancipitem pugnam hostibus facere; quos super, eques, et propioribus vulneribus pedites adflictabant. Inter quæ Pharasmanes Orodesque, dum strenuis adsunt, aut dubitantibus subveniunt, conspicui, eoque gnari, clamore, telis, equis concurrunt: instantius Pharasmanes; nam vulnus per galeam adegit; nec iterare valuit, prælatus equo,[4] et fortissimis satellitum protegentibus saucium. Fama tamen occisi falso credita exterruit Parthos; victoriamque concessere.

36. Mox Artabanus tota mole regni ultum iit; peritia locorum, ab Iberis melius pugnatum:[1] nec ideo abscedebat, ni, contractis legionibus, Vitellius, et subdito rumore, tamquam Mesopotamiam invasurus, metum Romani belli fecisset.

6 *Simul horridam.* Simul Pharasmanes horridam suorum, tum Iberum, tum Sceptuchorum, aciem, et auro picta Parthorum agmina, hinc viros, inde prædam ostendere. Parthos hic appellat Medos, quod Parthi, Medorum domitores, ab iis luxum, vel in ipsis armis, didicerant.

1 *Quo brevius valent.* Omisso arcu, quo breviter, nec nisi primo congressu valent, contis, seu hastis ferro instructis, gladiisque ruunt. Val. Flacc. vi, 163. 'Ingentis frenator Sarmata conti.'

2 *Tergi vices.* Variæ bellantium species, cum modo, equestris prælii more, frontis et tergi vices essent; aliquando, ut conferta acies, corporibus et pulsu armorum pellerent et pellerentur. Optime emendavit Cl. Ernestus *conferta.* Sic enim Liv. iii, 70. Cæs. B. G. ii, 23. Male antea *conserta.* Non ita feliciter tentaverunt Lipsius et Muretus, *tergi vice.*

3 *Pellerent, pellerentur.* Cf. Hom. Il. Δ. 450. Xenoph. Cyropæd. vii, 1. 18. Hellenic. iv, 3. 12. Markl. ad Eur. Suppl. 699. Dio Cass. xlvii, 45. T. i, p. 522. Toup. Emend. in Suid. T. ii, P. 3, p. 105. V. B. C. ii, vi, 65.

4 *Prælatus equo.* Ob equi sui pernicitatem prælatus fuit, antequam iterare valeret; et fortissimi satellitum protegebant saucium Oroden.

1 *Melius pugnatum.* Nusquam brevior Tacitus. Nulla tamen obscuritas, nisi quorumdam interpretum vitio: at plana sunt omnia. Audita Orodis clade, mox Artabanus tota mole regni ultum iit. Peritia locorum, ab Iberis melius pugnatum est, victusque Artabanus. Nec tamen abscessisset, nisi contractis legionibus Vitellius, et subdito rumore, tamquam Mesopotamiam invasurus, metum Romani belli fecisset. Cave tamen ne existimes hæc A. U. C. 788. gesta esse. Expeditio Artabani ad annum 789. pertinet, ut ipse Tac. docet inf. c. 38.

Tum omissa Armenia, versæque Artabani res; inliciente Vitellio, "desererent regem, sævum in pace, et adversis præliorum exitiosum." Igitur Sinnaces, quem antea infensum memoravi,[2] patrem Abdagesen, aliosque occultos consilii,[3] et tunc continuis cladibus promtiores, ad defectionem trahit: adfluentibus paulatim, qui, metu magis quam benevolentia subjecti, repertis auctoribus sustulerant animum. Nec jam aliud Artabano reliquum, quam, si qui externorum, corpori custodes aderant, suis quisque sedibus extorres, queis neque boni intellectus, neque mali cura, sed mercede aluntur, ministri sceleribus. His adsumtis, in longinqua et contermina Scythiæ[4] fugam maturavit, spe auxilii, quia Hyrcanis Carmaniisque[5] per adfinitatem innexus erat; atque interim posse Parthos absentium æquos,[6] præsentibus mobiles, ad pœnitentiam mutari.

37. At Vitellius, profugo Artabano, et flexis ad novum regem popularium animis, hortatus Tiridaten "parata capessere," robur legionum, sociorumque, ripam ad Euphratis ducit. Sacrificantibus, cum hic more Romano Suovetaurilia[1] daret, ille equum placando amni[2] adornasset; nuntiavere accolæ, "Euphraten, nulla imbrium vi, sponte et immensum attolli; simul albentibus spumis in modum diadematis[3] sinuare orbes; auspicium prosperi transgressus:" quidam callidius interpretabantur, "initia conatus secunda, neque diuturna: quia eorum, quæ terra cœlove portenderentur, certior fides; fluminum instabilis natura simul ostenderet omnia, raperetque." Sed ponte navibus effecto, tramissoque exercitu, primus Ornospades multis equitum millibus in castra venit: exul quondam, et Tiberio, cum Dalmaticum bel-

2 *Memoravi.* Sup. c. 31.

3 *Occultos consilii.* Ita Freinshemius, Petavius, Ernestus. Et quidem optime. V. not. et em. ad An. vi, 37.

4 *Contermina Scythiæ.* Ad orientem maris Caspii.

5 *Hyrcanis Carmaniisque.* Hyrcani, ad austrum maris Caspii, nunc *Mazanderan and Corcan.* Carmanii mari Persico vicini, nunc *Kerman.*

6 *Absentium æquos.* Absentibus Principibus æquos. Genitivis et variis casibus gaudet Tacitus.

1 *Suovetaurilia.* Ita dicta a sue, ove, et tauro, in his sacrificiis immolari solitis, Varro de R. R. ii, 1. Cato cxli.

2 *Placando amni.* Nec tentandum *numini*, ut placuit erudito Petavio. Quanta esset apud Persas fluviorum religio docet Herodot. i, 138. Eos equo placabant Parthi: Romani, tauro, Plut. in Lucull. p. 507. Ipseque Lucullus propter transitum sacrificavit, Ἔθυσε δὲ καὶ τῷ Εὐφράτῃ ταῦρον διαβατήρια.

3 *Diadematis.* Diadematis Parthici in orbem sinuati, ut recte ex nummo observat eruditus Masson apud Haym, *Tesoro Britannico,* Vol. i, p. 148.

lum[4] conficeret, haud inglorius auxiliator, eoque civitate Romana donatus: mox repetita amicitia regis, multo apud eum honore, præfectus campis, qui Euphrate et Tigre, inclytis amnibus, circumflui, *Mesopotamiæ* nomen[5] acceperunt. Neque multo post Sinnaces auget copias; et columen partium Abdageses, gazam et paratus regios[6] adjicit. Vitellius ostentasse Romana arma satis ratus, monet Tiridaten primoresque: hunc, "Phraatis avi[7] et ultoris Cæsaris, quæ utrobique pulchra, meminerit:" illios, "obsequium in regem, reverentiam in nos, decus quisque suum et fidem retinerent." Exin cum legionibus in Syriam remeavit.

38. Quæ duabus æstatibus[1] gesta conjunxi, quo requiesceret animus a domesticis malis. Non enim Tiberium, quamquam triennio post cædem Sejani, quæ ceteros mollire solent, tempus, preces, satias, mitigabant, quin incerta, vel abolita, pro gravissimis et recentibus puniret. Eo metu Fulcinius Trio[2] ingruentes accusatores haud perpessus, supremis tabulis multa et atrocia in Macronem, ac præcipuos libertorum Cæsaris composuit; ipsi "fluxam senio mentem et continuum abscessum,[3] velut exilium," objectando. Quæ ab heredibus occultata, recitari Tiberius jussit: patientiam libertatis alienæ ostentans, et contemtor suæ infamiæ, an scelerum Sejani[4] diu nescius, mox quoquo modo dicta vulgari malebat, veritatisque, cui adulatio officit, per probra saltem gnarus fieri. Iisdem diebus Granius Martianus, senator, a C. Gracccho majestatis postulatus, vim vitæ suæ attulit: Tatiusque Gratianus, prætura functus, lege eadem extremum ad supplicium damnatus.

4 *Dalmaticum bellum.* A. U. C. 763. bellum Dalmaticum confecit Tiberius, Dio lvi, p. 579.

5 *Mesopotamiæ nomen.* Ita dicta, quia μέση ποταμῶν, inter fluvios Euphraten et Tigrim media. Nunc *Al Gezirah.*

6 *Gazam—regios.* Gazam imperii, et regios Parthorum Principum paratus. V. inf. c. 43.

7 *Phraatis avi.* Phraatis IV. V. Canon. regum Parthor. inter not. et em. An. ii, 1.

1 *Duabus æstatibus.* A. U. C. 788 et 789. ut observatum sup. c. 36.

2 *Fulcinius Trio.* Accusator pervicax, et malæ famæ avidus, de quo dictum An. ii, 28. v, 11. vi, 4.

3 *Et continuum abscessum.* In editis libris *continuo abscessu.* At ipsa Latinitas postulat *continuum abscessum,* ut vult Faernus, vel *continuos abscessus,* ut Illustr. Huetio placuit. At probabilior Faerniana emendatio. Natus enim error videtur ex antiqua scriptura *continuũ abscessũ,* id est, *continuum abscessum* ab Urbe.

4 *An—Sejani.* An scelerum Sejani diu nescius, mox malebat quoquo modo dicta divulgari, et saltem per probra gnarus fieri veritatis, cui adulatio officit. V. Suet. Tib. 96.

39. Nec dispares Trebellieni Rufi,[1] et Sextii Paconiani[2] exitus. Nam Trebellienus sua manu cecidit; Paconianus in carcere, ob carmina illic in principem factitata, strangulatus est. Hæc Tiberius non mari, ut olim, divisus, neque per longinquos nuntios accipiebat, sed Urbem juxta; eodem ut die, vel noctis interjectu, literis consulum rescriberet: quasi aspiciens undantem per domos sanguinem, aut manus carnificum. Fine anni Poppæus Sabinus[3] concessit vita, modicus originis, principum amicitia consulatum ac triumphale decus adeptus: maximisque provinciis per quatuor et viginti annos impositus, nullam ob eximiam artem, sed quod par negotiis, neque supra erat.[4]

A. U. C. 789. J. C. 36.

40. Q. Plautius, Sex. Papinius, consules,[1] sequuntur. Eo anno, neque quod L. Aruseius[2]—morte adfecti forent, adsuetudine malorum, ut atrox, advertebatur; sed exterruit, quod Vibulenus Agrippa, eques Romanus, cum perorassent accusatores, in ipsa curia depromtum sinu venenum hausit; prolapsusque ac moribundus, festinatis lictorum manibus in carcerem raptus est, faucesque jam exanimis[3] laqueo vexatæ. Ne Tigranes[4] quidem, Armenia quondam potitus, ac tunc reus, nomine regio supplicia civium effugit. At C. Galba[5]

1 *Trebellieni Rufi.* Illi olim commissa liberorum Cotyis, Thracum regis, tutela. An. ii, 67. iii, 38.

2 *Sextii Paconiani.* Audacis ac malefici hominis. Sup. c. 3 et 4.

3 *Poppæus Sabinus.* Consulatum gessit A. U. C. 762. Mœsiæ, Achaiæ, Macedoniæ præfuit; triumphi insignia anno 779. adeptus est, An. i, 80. iv, 46. v, 10. Dio lvi, p. 572. lviii, p. 637.

4 *Neque supra erat.* Neque supra negotia ob ingenii mediocritatem. Ideo rerum novarum minime suspectus.

1 *Papinius, Coss.* Q. Plautius et Sex. Papinius Allenius coss. fuere A. U. C. 789. J. C. 36.

2 *L. Aruseius.* Hic periit nomen viri alicujus, celebris, qui cum L. Aruseio morte adfectus est. Minime probabilis Gronovii conjectura, olim fuisse scriptum *L. Arusei,* ut pater et filius eodem supplicio adfecti indigitarentur.

3 *Faucesque jam exanimis.* Vibuleni jam exanimis fauces laqueo vexatæ, ut, tamquam damnatus, publicatis bonis, sepultura prohiberetur, sup. c. 29. Id maxime exterruit.

4 *Tigranes.* Tigranes, rex minoris Armeniæ, quem Joseph. Antiq. Jud. xviii, 5. ait nepotem fuisse Herodis, filium Alexandri et Glaphyræ, Archelai Cappadocum regis filiæ. Subdit: Τιγράνης μὲν βασιλεύων Ἀρμενίας, κατηγοριῶν αὐτοῦ ἐπὶ Ῥώμης γενομένων, ἄπαις τελευτᾷ. ‘Tigranes, Armeniæ rex, dum Rcmæ accusationem subiret, sine liberis obiit.’ Recens Josephi interpres Gallicus, R. P. Gillet, errat, cum Tigranem hunc, imperitante Nerone, occisum scribit. Alter fuit Tigranes, Archelai quoque nepos, qui sæpe memorabitur inf. An. xiv, 26. xv, 1 sq.

5 *C. Galba.* Galbæ, postea Principis, frater, cos. A. U. C. 775. De illo Suet. Galb. 3. ‘Caius, attritis facultatibus, Urbe cessit: prohibitusque a Tiberio sortiri anno suo proconsulatum, voluntaria morte obiit.’

consularis, et duo Blæsi[6] voluntario exitu cecidere. Galba, tristibus Cæsaris literis provinciam sortiri prohibitus; Blæsis sacerdotia, integra eorum domo destinata, convulsa, distulerat: tunc, ut vacua, contulit in alios: quod signum mortis intellexere, et exsecuti sunt. Et Æmilia Lepida, quam juveni Druso nuptam retuli,[7] crebris criminibus maritum insecuta, quamquam intestabilis,[8] tamen impunita agebat, dum superfuit pater Lepidus;[9] post a delatoribus corripitur, ob servum adulterum: nec dubitabatur de flagitio. Ergo omissa defensione, finem vitæ sibi posuit.

41. Per idem tempus Clitarum natio,[1] Cappadoci Archelao[2] subjecta, quia nostrum in modum deferre census, pati tributa adigebatur, in juga Tauri montis abscessit: locorumque ingenio sese contra imbelles regis copias tutabatur; donec M. Trebellius, legatus, a Vitellio, præside Syriæ, cum quatuor millibus legionariorum, et delectis auxiliis missus, duos colles, quos barbari insederant (minori *Cadra*,[3] alteri *Davara* nomen est) operibus circumdedit: et erumpere ausos ferro, ceteros siti, ad deditionem coegit. At Tiridates, volentibus Parthis, Nicephorium et Anthemusiada,[4] ceterasque urbes, quæ Macedonibus sitæ, Græca vocabula usurpant, Halumque et Artemitam,[5] Parthica oppida, recepit; certantibus gaudio, qui Artabanum, Scythas inter eductum, ob sævitiam exsecrati, come Tiridatis ingenium Romanas per artes sperabant.

42. Plurimum adulationis Seleucenses[1] induere, civitas po-

6 *Duo Blæsi.* Forte filii Junii Blæsi, qui avunculus fuit Sejani, An. iii, 35.

7 *Retuli.* Id periit cum parte maxima lib v. Annal. Nos diximus in Suppl. An. v, 6. Drusus ille fuit Germanici filius. V. stem. Cæs. n. 83 et 84.

8 *Intestabilis.* I. e. detestabilis, quæ maritum suum ita erat insecuta. Sallust. Jug. 190. 'improbus intestabilisque videtur.'

9 *Pater Lepidus.* De quo sup. c. 27.

1 *Clitarum natio.* Clitæ, populi Ciliciæ asperæ et Tauri montis accolæ. De his adhuc dicetur inf. An. xii, 55.

2 *Archelao.* Archelai senioris, ut videtur, filio. Patrem ejus Romam evocatum, et regnum ejus in provinciam redactum vidimus sup. An. ii, 42 et 56. Verum ex hoc Taciti loco aliquot nationes ejus posteris relictas accipimus.

3 *Minori Cadra.* Cadra et Davara colles Ciliciæ campestris, quæ nunc dicitur *Caramania.*

4 *Nicephorium et Anthemusiada.* Urbes Mesopotamiæ. Nicephorium ad Euphraten, Anthemusias ad Niphaten montem, Euphraten inter et Tigrim posita. Utramque urbem memorat Plin. v, 24. Eorum nomina ab Alexandro M. ceterisque Macedonibus indita. V. Amm. Marcell. iv, 3.

5 *Halumque et Artemitam.* Halus uni Tacito memorata. Artemita quingentis stadiis Orientem versus Seleucia distabat, teste Strat. xvi, p. 744. Urbs erat Assyriæ, non vero Mesopotamiæ, ut perperam dixit Plin. vi, 26. quod non advertit eruditus Harduin.

1 *Seleucenses.* De urbe Seleucia Plin. vi, 26. 'Ad solitudinem rediit [Babylon] exhausta vicinitate Seleuciæ, ob id conditæ a [Seleuco] Nicatore intra nonagesimum

tens, septa muris, neque in barbarum corrupta, sed conditoris Seleuci retinens. Trecenti opibus, aut sapientia delecti, ut senatus: sua populo vis, et quotiens concordes agunt, spernitur Parthus: ubi dissensere, dum sibi quisque contra æmulos subsidium vocant, accitus in partem, adversum omnes valescit. Id nuper acciderat, Artabano regnante, qui plebem primoribus tradidit ex suo usu:[2] nam populi imperium, juxta libertatem; paucorum dominatio, regiæ libidini propior est. Tum adventantem Tiridaten extollunt, veterum regum honoribus, et quos recens ætas largius invenit: simul probra in Artabanum fundebant, "materna origine[3] Arsaciden, cetera degenerem." Tiridates rem Seleucensem populo permittit: mox consultans, "quonam die solemnia regni capesseret;" literas Phraatis et Hieronis, qui validissimas præfecturas obtinebant, accipit, "brevem moram" precantium, placitumque "opperiri viros præpollentes." Atque interim Ctesiphon,[4] sedes imperii, petita: sed ubi diem ex die prolatabant, multis coram et adprobantibus, Surena[5] patrio more Tiridaten insigni regio evinxit.

43. Ac si statim interiora, ceterasque nationes petivisset, oppressa cunctantium dubitatio, et omnes in unum cedebant: adsidendo castellum, in quod pecuniam et pellices Artabanus contulerat, dedit spatium exuendi pacta. Nam Phraates, et Hiero, et si qui alii delectum capiendo diademati diem haud concelebraverant, pars metu, quidam invidia in Abdagesen, qui tum aula, et novo rege potiebatur, ad Artabanum vertere. Isque in Hyrcanis repertus est, inluvie obsitus, et alimenta

lapidem, in confluente Euphratis fossa perducti atque Tigris; quæ tamen Babylonia cognominatur, libera hodie ac sui juris, Macedonumque moris. Ferunt ei plebis urbanæ DCM esse: situm vero mœnium aquilæ pandentis alas: agrum totius orientis fertilissimum.' Seleucia, nunc vicus est, dictus *Al Modaïn*. Ex Seleuciæ et Ctesiphontis ruderibus urbem *Bagdad* condidit Abdalla Almansores anno Hegiræ, 140. J. C. 757.

2 *Suo usu.* Ex suo usu suaque utilitate. Imperium enim populi ad libertatem nimis accedit. At paucorum dominatio est regiæ libidini propior. Inde Δημοκρατίαν aversantur Principes, Ὀλιγαρχίαν fovent.

3 *Materna origine.* Quidam emendant *paterna.* Sed immerito. Alii ita accipiunt, quasi 'materna,' non vero 'paterna origine' fuisset Arsacides. Forte nec satis acute; et Artabanum 'materna origine Arsaciden' dixere, ut spurium indigitarent.

4 *Ctesiphon.* Ctesiphon, fluvio Tigri interfluente, a Seleucia dividebatur. Seleucia in dextra, Ctesiphon in sinistra ripa. Nunc *Al Moduïn*, ut dictum sup.

5 *Surena.* Surena, non hominis, sed dignitatis, nomen. Ita appellabatur supremus rei bellicæ præfectus, et a rege secundus. Amm. Marcell. xxiv, 2. 'Surena post regem apud Persas promeritæ dignitatis.' Ita quoque Zosim. iii. Σουρήνας, ἀρχῆς δὲ τοῦτο παρὰ Πέρσαις ὄνομα. V. et Appian. Parthic. p. 150 sq.

arcu expediens:[1] ac primo, tamquam dolus pararetur, territus; ubi data fides "reddendæ dominationi venisse," adlevatur animum, et "quæ repentina mutatio" exquirit. Tum Hiero "pueritiam Tiridatis" increpat; "neque penes Arsaciden imperium, sed inane nomen apud imbellum externa mollitia, vim in Abdagesis domo."

44. Sensit vetus regnandi, falsos in amore,[1] odia non fingere: nec ultra moratus, quam dum Scytharum[2] auxilia conciret, pergit properus, et præveniens inimicorum astus, amicorum pœnitentiam: neque exuerat pædorem,[3] ut vulgum miseratione adverteret: non fraus, non preces, nihil omissum, quo ambiguos inliceret, promti firmarentur. Jamque multa manu propinqua Seleuciæ adventabat; cum Tiridates, simul fama atque ipso Artabano perculsus, distrahi consiliis, iret contra, an bellum cunctatione tractaret. Quibus prælium et festinati casus placebant, "disjectos et longinquitate itineris fessos, ne animo quidem satis ad obsequium coaluisse" disserunt, "proditores nuper hostesque ejus, quem rursum foveant." Verum Abdageses "regrediendum in Mesopotamiam" censebat, "ut amne objecto, Armeniis interim, Elymæisque,[4] et ceteris a tergo excitis, aucti copiis socialibus, et quas dux Romanus misisset, fortunam tentarent." Ea sententia valuit, quia plurima auctoritas penes Abdagesen, et Tiridates ignavus ad pericula erat: sed fugæ specie discessum; ac, principio a gente Arabum facto, ceteri domos abeunt, vel in castra Artabani: donec Tiridates cum paucis in Syriam revectus, pudore proditionis[5] omnes exsolvit.

45. Idem annus gravi igne Urbem adficit, deusta parte Circi,[1] quæ Aventino contigua, ipsoque Aventino: quod damnum Cæsar ad gloriam vertit, exsolutis domuum et insu-

1 *Arcu expediens.* Arcu ac venatu. De Hyrcanis sup. c. 36.

1 *Falsos in amore.* Antea proditores et hostes, nunc amorem falso profitebantur. At in amore falsos, odia adversus Tiridatem non fingere recte sensit Artabanus.

2 *Dum Scytharum.* Apud quos olim adultus, sup. An. ii, 3.

3 *Pædorem.* Prudenter quidem squallidas lacerasque vestes non exuerat Artabanus. Hoc enim Principis pædore movetur vulgi miseratio.

4 *Elymæisque.* Elymæi sinus Persici accolæ Elymaiden, nunc *the Southern part of Chusistan*, habitabant.

5 *Pudore proditionis.* Eleganter dictum. Parthos pudore proditionis exsolvit Tiridates, in Syriam revectus. Tum etiam sine ulla proditionis infamia ad Artabanum poterant accedere.

1 *Parte Circi.* Parte Circi maximi, quæ contigua Aventino monti, in XIII Urbis regione. Hoc quoque incendium memorat Dio lviii, p. 638.

larum[2] pretiis. Millies sestertium[3] ea munificentia conlocatum; tanto acceptius in vulgum, quanto modicus privatis ædificationibus. Ne publice quidem nisi duo opera struxit, templum Augusto, et scenam Pompeiani theatri; eaque perfecta[4] contemtu ambitionis, an per senectutem, haud dedicavit. Sed æstimando cujusque detrimento quatuor progeneri[5] Cæsaris, Cn. Domitius, Cassius Longinus, M. Vinicius, Rubellius Blandus delecti, additusque, nominatione consulum, P. Petronius. Et, pro ingenio cujusque, quæsiti decretique in Principem honores: quos omiserit receperitve in incerto fuit, ob propinquum vitæ finem. Neque enim multo post supremi Tiberio consules, Cn. Acerronius,[6] C. Pontius magistratum occepere, nimia jam potentia Macronis, qui gratiam C. Cæsaris,[7] numquam sibi neglectam, acrius in dies fovebat, impuleratque post mortem Claudiæ, quam nuptam ei retuli,[8] uxorem suam Enniam immittendo,[9] amore juvenem inlicere, pactoque matrimonii vincire, nihil abnuentem, dum dominationis apisceretur. Nam etsi commotus ingenio, simulationum tamen falsa,[10] in sinu avi perdidicerat.

46. Gnarum hoc Principi, eoque dubitavit de tradenda republica: primum inter nepotes; quorum Druso genitus,[1] sanguine et caritate propior, sed nondum pubertatem ingressus: Germanici filio[2] robur juventæ, vulgi studia, eaque apud avum odii causa. Etiam de Claudio[3] agitanti, quod is composita ætate, bonarum artium cupiens erat, imminuta mens ejus obstitit. Sin extra domum successor quæreretur, ne me-

2 *Et insularum.* Domus et insulæ distinguebantur: domus, *palaces;* insulæ, *houses.* Dicebantur insulæ, quod communibus parietibus cum vicinis non jungerentur.

3 *Millies sestertium.* *Angl.* 833,333*l.* 6*s.* 8*d.*

4 *Eaque perfecta.* Aliter Suet. Tib. 47. Cai. 21. Claud. quoque 21. At nec satis accusatus, et Tiberio infensior. V. Dion. lx, 669.

5 *Quatuor progeneri.* Rubellius Blandus, Juliæ Drusi filiæ, Tiberii neptis, conjux, solus fuit natura progener: ceteri adoptionis jure. Cn. Domitius Agrippinam, Cassius Longinus Drusillam, M. Vinicius Juliam, dictam quoque Livillam, Germanici filias, uxores duxerant. V. stem. Cæs. n. 74 et 75. 93 et 94. 96 et 95. 99 et 97.

6 *Cn. Acerronius.* Cn. Acerronius et C. Pontius Nigrinus coss. fuere A. U. C. 790. J. C. 37.

7 *C. Cæsaris.* Caligulæ.

8 *Retuli.* Sup. c. 20. Eam ex partu amisit, teste Suet. Cai. 12.

9 *Enniam immittendo.* Paulo aliter Suet. l. c. Caius 'Enniam Næviam Macronis uxorem, qui tum prætorianis cohortibus præerat, solicitavit ad stuprum, pollicitus et matrimonium suum, si potitus imperio fuisset: deque ea re et jurejurando et chirographo cavit.'

10 *Simulationum falsa.* De hac simulandi arte jam plura c. 20.

1 *Druso genitus.* Dictus quoque Tiberius; Suet. Tib. 54. Natus tantum annos xvii, sup. An. ii, 84. V. stem. Cæs. n. 72.

2 *Germanici filio.* Caio Caligulæ.

3 *De Claudio.* Germanici fratre.

moria Augusti, ne nomen Cæsarum in ludibria et contumelias verterent, metuebat: quippe illi non perinde curæ gratia præsentium, quam in posteros ambitio. Mox incertus animi, fesso corpore, consilium, cui impar erat, fato permisit: jactis tamen vocibus, per quas intelligeretur providus futurorum. Namque Macroni, non abdita ambage, "Occidentem ab eo deseri, Orientem spectari"[4] exprobravit. Et C. Cæsari, forte orto sermone, L. Sullam inridenti, "omnia Sullæ vitia, et nullam ejusdem virtutem habiturum" prædixit: simul crebris cum lacrymis minorem[5] ex nepotibus complexus, truci alterius vultu: "occides hunc[6] tu," inquit, "et te alius." Sed gravescente valetudine, nihil e libidinibus omittebat, in patientia firmitudinem[7] simulans; solitusque eludere medicorum artes, atque eos, qui post tricesimum ætatis annum,[8] ad internoscenda corpori suo utilia, vel noxia, alieni consilii indigerent.

47. Interim Romæ futuris etiam post Tiberium cædibus semina jaciebantur. Lælius Balbus Acutiam, P. Vitellii[1] quondam uxorem, majestatis postulaverat: qua damnata, cum præmium accusatori decerneretur, Junius Otho, tribunus plebei, intercessit: unde illis odia, mox Othoni exilium. Dein multorum amoribus famosa Albucilla, cui matrimonium cum Satrio Secundo,[2] conjurationis indice, fuerat, defertur impietatis in Principem: connectebantur ut conscii, et adulteri ejus, Cn. Domitius, Vibius Marsus, L. Arruntius. De claritudine Domitii supra memoravi:[3] Marsus quoque vetustis honoribus, et inlustris studiis erat. Sed "testium interrogationi, tormentis servorum Macronem præsedisse," commentarii ad senatum missi ferebant; nullæque in eos Im-

4 *Orientem spectari.* Caius oriens a Macrone spectabatur, occidens Tiberius deserebatur. Similitudine a sole ducta. In posteriorum imperatorum nummis sæpe occurrit inscriptio SOLI INVICTO AVG.

5 *Minorem.* Tiberium, Drusi filium, de quo mox dictum.

6 *Occides hunc.* Revera Caius eum occidit, Suet. Cai. 23. Ipse percussorum gladio occubuit, Suet. 58. Hæc quoque nos diximus in Suppl. An. vii, 21. viii, 79.

7 *Firmitudinem.* Ingravescentis valetudinis patientia, et libidinum suarum retinens, firmitudinem simulabat Tiberius. V. not. et em. ad An. vi, 46.

8 *Tricesimum ætatis an.* Aliter Plut. de Sanitate tuenda, Vol. ii. p. 136. Ἤκουσα τοίνυν Τιβέριόν ποτε Καίσαρα εἰπεῖν ὡς ἀνὴρ ὑπὲρ ἑξήκοντα γεγονὼς ἔτη, καὶ προτείνων ἰατρῷ χεῖρα, καταγέλαστός ἐστιν. 'Audivi Tiberium solitum dicere virum illum esse ridiculum, qui, annos natus sexaginta, manum medico porrigeret.' Tacito suffragatur Suet. Tib. 68.

1 *P. Vitellii.* De quo sup. An. v, 8.

2 *Satrio Secundo.* Olim Sejani cliente, postea eversore et conjurationis indice. An. iv, 34. vi, 8. V. et Suppl. Lib. v, 32.

3 *Memoravi.* An. iv, 75.

peratoris literæ, suspicionem dabant, invalido ac fortasse ignaro, ficta pleraque, ob inimicitias Macronis notas in Arruntium.

48. Igitur Domitius defensionem meditans, Marsus tamquam inediam destinavisset, produxere vitam. Arruntius,[1] cunctationem et moras suadentibus amici, "Non eadem omnibus decora," respondit: "sibi satis ætatis: neque aliud pœnitendum, quam quod, inter ludibria et pericula, anxiam senectam toleravisset, diu Sejano, nunc Macroni, semper alicui potentium invisus; non culpa, sed ut flagitiorum impatiens. Sane paucos et supremos Principis dies posse vitari; quemadmodum evasurum imminentis[2] juventam? An cum Tiberius, post tantam rerum experientiam, vi dominationis convulsus et mutatus sit, C. Cæsarem, vix finita pueritia, ignarum omnium, aut pessimis innutritum, meliora capessiturum, Macrone duce? qui, ut deterior, ad opprimendum Sejanum delectus, plura per scelera rempublicam conflictavisset. Prospectare jam se acrius servitium, eoque fugere simul acta et instantia."[3] Hæc vatis in modum dictitans, venas resolvit.[4] Documento sequentia erunt, bene Arruntium morte usum. Albucilla inrito ictu a semet vulnerata, jussu senatus in carcerem fertur. Stuprorum ejus ministri, "Carsidius Sacerdos,[5] prætorius, ut in insulam deportaretur; Pontius Fregellanus amitteret ordinem Senatorium: et eædem pœnæ in Lælium Balbum" decernuntur: id quidem a lætantibus, quia Balbus truci eloquentia habebatur, promtus adversum insontes.

49. Iisdem diebus Sex. Papinius[1] consulari familia, repentinum et informem exitum delegit, jacto in præceps corpore: causa ad matrem referebatur, quæ pridem repudiata,[2] adsentationibus atque luxu perpulisset juvenem ad ea, quorum effugium non nisi morte inveniret. Igitur accusata in senatu, quamquam genua patrum advolveretur, "luctumque communem,[3] et magis imbecillum tali super casu fœminarum ani-

1 *Arruntius.* L. Arruntius ab Augusto laudatus An. i, 13.

2 *Imminentis.* Caii Caligulæ.

3 *Acta et instantia.* Acta, quæ odit; instantia, quæ metuit.

4 *Venas resolvit.* Extat adhuc ejus monumentum cum inscriptione, in via Prænestina. Ficoroni, *Roma Antica*, i, 17.

5 *Sacerdos.* Nomen proprium, non vero dignitas.

1 *Sex. Papinius.* De ejus consulatu sup. c. 40.

2 *Pridem repudiata.* Repudiata a filio, cum thalamum ejus nefarie invaderet.

3 *Luctumque communem.* Luctumque in filii morte parentibus omnibus communem,

mum," aliaque in eumdem dolorem mœsta, et miseranda diu ferret, Urbe tamen in decem annos prohibita est, donec minor filius lubricum juventæ exiret.

50. Jam Tiberium corpus, jam vires, nondum dissimulatio[1] deserebat. Idem animi rigor: sermone ac vultu intentus, quæsita interdum comitate, quamvis manifestam defectionem[2] tegebat: mutatisque sæpius locis, tandem apud promontorium Miseni[3] consedit, in villa, cui L. Lucullus[4] quondam dominus: illic eum adpropinquare supremis, tali modo compertum. Erat medicus arte insignis, nomine Charicles, non quidem regere valetudines Principis solitus, consilii tamen copiam præbere. Is velut propria ad negotia digrediens, et per speciem officii manum complexus, pulsum venarum attigit; neque fefellit:[5] nam Tiberius incertum an offensus, tantoque magis iram premens, "instaurari epulas" jubet, discumbitque ultra solitum; quasi honori abeuntis amici tribueret. Charicles tamen "labi spiritum, nec ultra biduum duraturum" Macroni firmavit: inde cuncta colloquiis inter præsentes, nuntiis apud legatos et exercitus festinabantur. XVII. Kal. Aprilis,[6] interclusa anima, creditus est mortalitatem explevisse. Et multo gratantum concursu, ad capienda imperii primordia C. Cæsar egrediebatur: cum repente adfertur, "redire Tiberio vocem ac visus, vocarique qui recreandæ defectioni cibum adferrent." Pavor hinc in omnes; et ceteri passim dispergi, se quisque mœstum aut nescium fingere. Cæsar in silentium[7] fixus, a summa spe, novissima expectabat. Macro intrepidus, "opprimi senem injectu multæ vestis" jubet, "discedique ab limine." Sic Tiberius finivit,[8] octavo et septuagesimo[9] ætatis anno.

et graviorem adhuc in fœminis propter minorem animi firmitudinem.

1 *Nondum dissimulatio.* Tac. An. iv, 71. 'Nullam æque Tiberius ex virtutibus suis, quam dissimulationem' dilexit; nullam diutius retinuit.

2 *Manifestam defectionem.* Defectionem virium corporis, quamvis manifestam, tegebat.

3 *Promontorium Miseni.* Nunc *capo Miseno*, in Campania ac sinu Puteolano.

4 *L. Lucullus.* Olim C. Marii villa, quam L. Lucullus emit quingentis millibus ac ducentis denariis, *Angl.* 16,673*l.* 6*s.* 8*d.* Plutarch. in Mario. p. 425. Extant adhuc ejus rudera prope Miseni promontorium.

5 *Neque fefellit.* Tiberium.

6 17. *Kal. Aprilis.* Die 16. Martii.

7 *In silentium.* Caius, in silentium fixus, a summa spe, qua imperii primordia præceperat, novissima, id est, mortem citissimam, expectabat.

8 *Tiberius finivit.* Alii, ut mos est, de Tiberii morte vulgati rumores, quos memorat Suet. Tib. 73. rumusculorum, quam veritatis studiosior.

9 *Octavo et septuagesimo.* V. not. et em. ad An. vi, 50.

51. Pater ei Nero,[1] et utrimque origo gentis Claudiæ, quamquam mater in Liviam, et mox Juliam familiam, adoptionibus transierit. Casus prima ab infantia ancipites: nam proscriptum patrem exul secutus,[2] ubi domum Augusti privignus introiit, multis æmulis conflictatus est, dum Marcellus et Agrippa,[3] mox Caius Luciusque Cæsares, viguere: etiam frater ejus Drusus[4] prosperiore civium amore erat. Sed maxime in lubrico egit, accepta in matrimonium Julia: impudicitiam uxoris tolerans, aut declinans. Dein Rhodo regressus, vacuos Principis[5] penates duodecim annis, mox rei Romanæ arbitrium[6] tribus ferme et viginti obtinuit. Morum quoque tempora illi diversa: egregium vita famaque quoad privatus,[7] vel in imperiis sub Augusto fuit: occultum ac subdolum fingendis virtutibus, donec Germanicus ac Drusus[8] superfuere. Idem inter bona malaque mixtus, incolumi matre:[9] intestabilis[10] sævitia, sed obtectis libidinibus, dum Sejanum dilexit, timuitve: postremo in scelera[11] simul ac dedecora prorupit, postquam, remoto pudore et metu, suo tantum ingenio utebatur.

1 *Pater ei Nero.* Tiberius Claudius Nero, V. stem. Cæs. n. 67. Mater Livia, stem. Cæs. n. 66. De ea multa An. v, 1.

2 *Exul secutus.* In Siciliam. Vell. Paterc. ii, 75.

3 *Marcellus et Agrippa.* De Marcello, Agrippa, Caio et Lucio dictum sup. An. i, 3. et in stem. Cæs. n. 17. 47. 48 et 49.

4 *Frater—Drusus.* Germanici pater. V. stem. Cæs. n. 79.

5 *Vacuos—Principis.* Vacuos Augusti penates, Caio et Lucio Cæsaribus defunctis, exule Postumo Agrippa.

6 *Rei Romanæ Arbitrium.* Vere et eleganter dictum. Libertatem Romanam armis labefecerat Cæsar; luxu corruperat Augustus; dissimulatione oppressit Tiberius, Romani imperii et artis politicæ conditor: quo melior Princeps haberi facile, potest, callidior vix potest excogitari. Cæsarem animo, Augustum ingenio expressurus, nisi certiorem dominationis viam reperisset: virtutes ac vitia ita attemperans, ut in eo nec virtutes vitiis, nec vitia virtutibus imminuerentur. Τιβέριος μὲν δὴ πλείστας μὲν ἀρετὰς, πλείστας δὲ κακίας ἔχων, καὶ ἑκατέραις αὐταῖς, ὡς καὶ μόναις, κεχρημένος, Dio. lviii, p. 639.

7 *Quoad privatus.* Hæc vere et elegantissime laudavit Vellei. ii, 103. 106. 114. In principatu gesta, sæpe mendax, sæpius adulator exaggerat, ii, 126 et 127.

8 *Ac Drusus.* Tiberii filius. V. stem. Cæs. n. 70.

9 *Incolumi matre.* Livia.

10 *Intestabilis.* Sævitia detestabilis. De hoc verbo jam sup. c. 40.

11 *In scelera.* In scelera cædibus, in dedecora impudicitiis prorupit.

BREVIARIUM

LIBRI UNDECIMI.

---

1. Valerius Asiaticus, Vitellii; Poppæa, Messalinæ artibus evertuntur. 4. Equitibus Romanis perniciem adfert insomnium. 5. In advocatorum perfidiam lex Cincia flagitatur: pecuniis, quas caperent, positus modus. 8. Parthi discordant; Bardanes cæditur: regnat Gotarzes. 11. Ludi seculares. 12. Insana Messalinæ et Silii libido. 13. Claudius, matrimonii sui ignarus, munia censoria usurpat: tres novas literas addit. 15. Senatusconsultum de haruspicum disciplina. 16. Cheruscorum gens regem Roma petit. 18. Corbulo Chaucos reprimit: alia moliturus, cæso Gannasco, ni Claudius, ducis virtutem veritus, novam in Germanias vim prohibuisset. 21. Curtii Rufi obscuritas et incrementa. 22. Cn. Novius cum ferro in Principem deprehensus. Quæsturæ origo ac vices. 23. De supplendo senatu agitatur. Galli, civitate Romana pridem donati, jus adipiscendorum in Urbe honorum, causam eorum orante Principe, adsequuntur. 25. Lustrum conditum. 26. Messalina Silio palam nubit. Claudius trepidat: libertorum tamen impulsu in uxorem et libidinum ministros animadvertit. 38. Decreta Narcisso quæstoria insignia.

Hæc gesta annis fere duobus.

A.U.C.	J.C.	
DCCC.	47.	Coss. { Ti. Claudio Cæsare IV, L. Vitellio III.
DCCCI.	48.	Coss. { Aulo Vitellio, L. Vipsanio Poblicola.

C. CORNELII TACITI

ANNALES.

LIBER UNDECIMUS.

A.U.C. 800. J.C. 47.

1. NAM Valerium Asiaticum,[1] bis consulem, fuisse quondam adulterum ejus[2] credidit: pariterque hortis inhians, quos ille a Lucullo cœptos[3] insigni magnificentia extollebat, Suilium[4] accusandis utrisque immittit. Adjungitur Sosibius, Britannici educator, qui per speciem benevolentiæ moneret Claudium, "cavere vim atque opes principibus infensas: præcipuum auctorem Asiaticum interficiendi Cæsaris, non extimuisse in concione populi Romani fateri, gloriamque facinoris ultro petere:[5] clarum ex eo in Urbe, didita per provincias fama, parare iter ad Germanicos exercitus; quando genitus Viennæ, multisque et validis propinquitatibus subnixus, turbare gentiles nationes promtum haberet." At Claudius, nihil ultra scrutatus, citis cum militibus, tamquam opprimendo

1 *Valerium Asiaticum.* Initio hujus libri desunt nonnulla, quæ supplevimus. V. Suppl. An. XI. P. Valerius Asiaticus bis Cos. fuerat. Primum suffectus tantum A. U. C. 799. De hoc consulatu plura diximus in Suppl. An. x, 26 sq.

2 *Adulterum ejus.* Adulterum Sabinæ Poppææ, 'ætatis suæ fœminas pulchritudine supergressæ,' inf. An. xiii, 45.

3 *A Lucullo cœptos.* L. Lucullus, militari laude, dein luxu clarissimus, ingentes opes bellis feliciter gestis partas impendit in deambulationum, balneorum substructiones, in tabulas, statuas ac maxime hortos, qui ipsa Plutarchi ætate, adultoque luxu, inter Principum sumtuosissimos annumerabantur, ὅπου καὶ νῦν, ἐπίδοσιν τοιαύτην τῆς τρυφῆς ἐχούσης, οἱ Λουκουλλιανοὶ κῆποι τῶν βασιλικῶν ἐν τοῖς πολυτελεστάτοις ἀριθμοῦνται, Plut. Lucull. p. 518. Horti illi erant in clivo collis hortulorum, nunc *Trinità di Monti*. V. Donatum de urbe Roma iii, 23.

4 *Suilium.* De hoc terribili et venali homine plura inf. An. xiii, 42.

5 *Ultro petere.* De his jam dictum in Suppl. An. ix, 4. Asiaticum Valerium, Caii Caligulæ amicum, fuisse 'ferocem virum, et vix æquo animo alienas contumelias laturum,' docet Sen. de constant. sapient. XVIII. Quam injuriam Caligula ei intulerit ibidem narrat.

bello, Crispinum prætorii præfectum misit: a quo repertus est apud Baias,[6] vinclisque inditis, in Urbem raptus.

2. Neque data senatus copia: intra cubiculum auditur, Messalina coram, et Suilio "corruptionem militum, quos pecunia et stupro in omni flagitio obstrictos" arguebat, exin "adulterium Poppææ," ac postremum "mollitiam corporis" objectante. Ad quod victo silentio, prorupit reus, et "Interroga," inquit, "Suili, filios tuos,[1] virum me esse fatebuntur:" ingressusque defensionem, commoto majorem in modum Claudio, Messalinæ quoque lacrymas excivit: quibus abluendis cubiculo egrediens, monet Vitellium, ne elabi reum sineret. Ipsa ad perniciem Poppææ festinat, subditis, qui terrore carceris ad voluntariam mortem propellerent: adeo ignaro Cæsare, ut, paucos post dies, epulantem apud se maritum ejus Scipionem percunctaretur, "cur sine uxore discubuisset?"[2] atque ille "functam fato" responderet.

3. Sed consultanti super absolutione Asiatici,[1] flens Vitellius commemorata "vetustate amicitiæ, utque Antoniam,[2] Principis matrem, pariter observassent," dein percursis "Asiatici in rempublicam officiis recentique adversus Britanniam militia, quæque alia conciliandæ misericordiæ videbantur; liberum ei mortis arbitrium" permisit: et secuta sunt Claudii verba, in eamdem clementiam. Hortantibus dehinc quibusdam inediam[3] et lenem exitum, "remittere beneficium" Asiaticus ait: et usurpatis quibus insueverat exercitationibus,

6 *Apud Baias.* In Campania.

1 *Filios tuos.* Interroga filios tuos, mollitie libidineque infames; me virum esse fatebuntur. Forte filiorum Suilii vitia quondam arguerat Asiaticus, vir consularis.

2 *Discubuisset.* Ex more Romano; de quo Corn. Nepos, præf. vit. imperat. 'Quem enim Romanorum pudet uxorem ducere in convivium?' V. et Cic. Ep. ad Att. v, 1.

1 *Absolutione Asiatici.* Locum hunc varie solicitant, ac immutant interpretes. Plana tamen omnia, et eleganter dicta, si ad mentem Taciti et historiæ seriem attendatur. Scilicet Valerii Asiatici defensione commotus Claudius, super absolutione consultat. Tum subdolus Vitellius, quem Messalina monuerat ne elabi reum sineret, flens commemorat suam cum Asiatico amicitiam, utque Antoniam, Claudii matrem, pariter observassent. Deinde percurrit varia Asiatici in rempublicam officia, recentemque in Britannia militiam, et alia, quæ conciliandæ misericordiæ videbantur. At veterator vitam Asiatici non rogat; sed, quasi magnæ esset clementiæ, permittit Claudio mortis arbitrium, modo libera sit. Et, quod Claudianæ in rebus gerendis imbecillitatis argumentum est, secuta sunt ejus verba in eamdem clementiam. Unde merito dixit Asiaticus se honestius calliditate Tiberii, vel impetu Caii Cæsaris periturum, quam quod fraude muliebri, et impudico Vitellii ore caderet.

2 *Antoniam.* V. stem. Cæs. num. 42.

3 *Quibusdam inediam.* Forte *quibusdam ad inediam.* Dixit tamen Tullius Catilin. i, 12. 'quod te jam dudum hortor.'

lauto corpore, hilare epulatus, cum se "honestius calliditate Tiberii, vel impetu C. Cæsaris periturum" dixisset, "quam quod fraude muliebri et impudico Vitellii ore caderet," venas exsolvit: viso tamen ante rogo, jussoque "transferri partem in aliam, ne opacitas arborum vapore ignis minueretur." Tantum illi securitatis novissimæ fuit.

4. Vocantur post hæc patres, pergitque Suilius addere reos equites Romanos inlustres, quibus *Petra* cognomentum;[1] ac causa necis, quod domum suam Valerii et Poppææ congressibus præbuissent. Verum "nocturnæ quietis species" alteri objecta, "tamquam vidisset Claudium spicea corona evinctum, spicis retro conversis: eaque imagine gravitatem annonæ dixisset." Quidam "pampineam coronam albentibus foliis visam," atque "ita interpretatum" tradidere, "vergente autumno mortem Principis ostendi." Illud haud ambigitur, qualicumque insomnio, ipsi fratrique perniciem allatam. Sestertium quindecies,[2] et insignia præturæ Crispino decreta. Adjecit Vitellius sestertium decies[3] Sosibio: "quod Britannicum præceptis, Claudium consiliis juvaret." Rogatus sententiam et Scipio:[4] "cum idem," inquit, "de admissis Poppææ, sentiam, quod omnes, putate me idem dicere, quod omnes." Eleganti temperamento inter conjugalem amorem, et senatoriam necessitatem.

5. Continuus inde et sævus accusandis reis Suilius, multique audaciæ ejus æmuli. Nam cuncta legum et magistratuum munia in se trahens Princeps, materiam prædandi patefecerat: nec quidquam publicæ mercis tam venale fuit, quam advocatorum perfidia: adeo ut Samius insignis eques Romanus, quadringentis nummorum millibus[1] Suilio datis, et cognita prævaricatione, ferro in domo ejus incubuerit. Igitur incipiente C. Silio, consule designato, cujus de potentia et exitio in tempore memorabo,[2] consurgunt patres, legemque Cinciam[3]

1 *Petra cognomentum.* V. not. et em. ad An. xi, 4. De equitibus illustribus dictum sup. An. ii, 59.
2 *Sestertium quindecies.* *Angl.* 12,500*l.*
3 *Sestertium decies.* *Angl.* 8333*l.* 6*s.* 8*d.*
4 *Scipio.* Maritus Poppææ Sabinæ. Eleganti quidem temperamento, tum senatoriæ necessitati paruit, tum conjugalem amorem servavit.

1 *Quadringentis—millibus.* *Angl.* 3333*l.* 6*s.* 8*d.*
2 *Memorabo.* Inf. c. 12 et 35.
3 *Legemque Cinciam.* Legem illam de donis et muneribus tulit M. Cincius Alimentus, tribunus plebis, A. U. C. 550. Sempronio et Cethego coss. V. Anton. Augustin. de legibus p. 47. Eam antiquatam non modo restituit Augustus A. U. C. 732. sed, qui aliquid mercedis accepis-

flagitant; qua cavetur antiquitus, "ne quis ob causam orandam pecuniam donumve accipiat."

6. Deinde obstrepentibus his, quibus ea contumelia parabatur, discors Suilio Silius acriter incubuit, "veterum oratorum exempla" referens, "qui famam in posteros, præmia eloquentiæ cogitavissent pulcherrima. Alioquin et bonarum artium principem sordidis ministeriis fœdari: ne fidem quidem integram manere, ubi magnitudo quæstuum spectetur. Quod si in nullius mercedem negotia sint, pauciora fore: nunc inimicitias, accusationes, odia, et injurias foveri; ut, quomodo vis morborum pretia medentibus, sic fori tabes pecuniam advocatis ferat. Meminissent C. Asinii, et Messalæ, ac recentiorum Arruntii et Eserninis:[1] ad summa provectos incorrupta vita et facundia:" Talia dicente consule designato, consentientibus aliis, parabatur sententia, qua lege "repetundarum tenerentur:" cum Suilius, et Cossutianus,[2] et ceteri, qui non judicium (quippe in manifestos) sed pœnam statui videbant, circumsistunt Cæsarem, ante acta deprecantes. Et postquam annuit, agere incipiunt.

7. "Quem illum[1] tanta superbia esse, ut æternitatem famæ spe præsumat? usui et rebus subsidium præparari, ne quis inopia advocatorum potentioribus obnoxius sit. Neque tamen eloquentiam gratuito contingere: omitti curas familiares, ut quis se alienis negotiis intendat: multos militia, quosdam

sent, quadruplum pendere jussit, teste Dione liv, p. 533. τοὺς ῥήτορας ἀμισθεὶ συναγορεύειν, ἢ τετραπλάσιον, ὅσον ἂν λάβωσιν, ἐκτίνειν ἐκέλευσε. Claudius tamquam legis austeritatem moderatus, *capiendis pecuniis* posuit modum usque ad dena sestertia, quem egressi repetundarum tenerentur, ut dicetur c. 7.

1 *Arruntii et Eserninis.* Jam memorati sup. An. iii, 11.

2 *Cossutianus.* De quo plura inf. An. xiii, 33.

1 *Quem illum.* Quem oratorem adeo superbum esse, ut spe præsumat æternitatem famæ? Hominum usui, rebusque publicis subsidium in arte oratoria præparari, ne quis, oratorum auxilio destitutus, potentiorum injuriis pateat obnoxius. At utilissimam illam eloquentiam gratuito non contingere: ipsas familiares curas omitti, ut orator se alienis negotiis intendat. Ceteros homines vel militia, vel exercendo agros, vel aliis artibus vitam tolerare; nihilque muneris a quoquam mortalium suscipi, nisi cujus fructus aliquos ante præviderit. Potuisse, et quidem facile, tum Asinium et Messalam, refertos præmiis bellorum, quæ Antonium inter et Augustum exarsere, tum Eserninos et Arruntios, ditium familiarum heredes, magnum animum induere. At sibi quoque promta esse exempla quantis mercedibus P. Clodius, aut C. Curio, causas agere soliti sint. Se, modicos senatores, nulla, in hac reipublicæ tranquillitate, nisi pacis emolumenta petere. Demum Princeps cogitaret plebem, quæ toga enitesceret. Sublatis studiorum præmiis, etiam studia, ac maxime apud plebem, peritura. Porro hac ætate eo magis consulendum erat plebi, quod nobiles ac divites, luxui voluptatibusque dediti, oratoriæ artis labores dedignabantur.

exercendo agros tolerare vitam: nihil a quoquam expeti, nisi cujus fructus ante providerit. Facile Asinium, et Messalam, inter Antonium et Augustum bellorum præmiis refertos, aut ditium familiarum heredes Eserninos et Arruntios, magnum animum induisse. Promta sibi exempla, quantis mercedibus P. Clodius, aut C. Curio, concionari soliti sint: se, modicos senatores, quieta republica, nulla, nisi pacis, emolumenta petere: cogitaret plebem, quæ toga enitesceret: sublatis studiorum pretiis, etiam studia peritura." Ut minus decora hæc, ita haud frustra dicta Princeps ratus, capiendis pecuniis posuit modum,[2] usque ad dena sestertia,[3] quem egressi repetundarum tenerentur.

8. Sub idem tempus Mithridates, quem imperitasse Armeniis, et ad præsentiam Cæsaris[1] vectum memoravi,[2] monente Claudio, in regnum remeavit, fisus Pharasmanis opibus. Is rex Iberis,[3] idemque Mithridatis frater, nuntiabat "discordare Parthos: summaque imperii ambigua, minora sine cura haberi." Nam inter Gotarzis pleraque sæva (qui necem fratri[4] Artabano, conjugique ac filio ejus properaverat, unde metus ejus in ceteros) accivere Bardanen. Ille, ut erat magnis ausis promtus, biduo tria millia stadiorum[5] invadit, ignarumque et exterritum Gotarzen proturbat: neque cunctatur, quin proximas præfecturas[6] corripiat, solis Seleucensibus dominationem ejus abnuentibus: in quos, ut patris sui quoque defectores, ira magis, quam ex usu præsenti[7] accensus, implicatur obsidione urbis validæ, et munimentis objecti amnis,[8] muroque et commeatibus firmatæ. Interim Gotarzes, Daharum

2 *Posuit modum.* Senatusconsulto, de quo v. not. et em. ad An. xi, 7.

3 *Dena sestertia.* *Angl.* 83*l.* 6*s.* 8*d.* Hæc quidem non in omnibus causis accipiebant; sed modum illum ne in gravioribus quidem egredi poterant. Unde in Digest. lib. L. Tit. 13. de extraordinariis cognitionibus. Leg. 1. ex Ulpiano: 'Licita autem quantitas intelligitur pro singulis causis usque ad centum aureos.'

1 *Cæsaris.* Caii Caligulæ.

2 *Memoravi.* Hæc Annalium pars periit. Nos diximus in Suppl. An. viii, 34.

3 *Rex Iberis.* V. sup. An. vi, 32.

4 *Necem fratri.* Alia narrat Joseph. Antiq. Jud. xx, 3. sed errat. V. Canon. reg. Parthor. inter not. et em. ad An. ii, 1.

5 *Tria m. stadiorum.* Totidem eodem tempore emensus est Annibal, a Scipione victus, teste Appiano p. 26. Bell. Pun. Major adhuc admiratio et laus, 'si quis cogitet nocte ac die longissimum iter vehiculis tribus Tiberium Neronem emensum, festinantem ad Drusum fratrem, ægrotantem in Germania: in eo fuerunt cc. M. passuum,' *Angl.* 200 *miles.* Plin. vii, 20. Tria autem millia stadiorum sunt tantum, *Angl.* 375 *miles.*

6 *Proximas præfecturas.* Præfecturas illas alii satrapias, alii provincias appellant.

7 *Usu præsenti.* Nec enim vindicandæ injuriæ, cum paranda benevolentia.

8 *Objecti amnis.* Amnis ille Tigris est.

Hyrcanorumque [9] opibus auctus, bellum renovat: coactusque Bardanes omittere Seleuciam,[10] Bactrianos[11] apud campos castra contulit.

9. Tunc, distractis Orientis viribus, et quonam inclinarent incertis, casus Mithridati datus est occupandi Armeniam, vi militis Romani ad excidenda castellorum ardua, simulque Ibero exercitu campos persultante. Nec enim restitere Armenii, fuso, qui prælium ausus erat, Demonacte præfecto. Paululum cunctationis attulit rex minoris Armeniæ Cotys,[1] versis illuc quibusdam procerum; dein literis Cæsaris coercitus: et cuncta in Mithridaten fluxere, atrociorem, quam novo regno conduceret. At Parthi imperatores, cum pugnam pararent, fœdus repente faciunt, cognitis popularium insidiis, quas Gotarzes fratris F. patefecit:[2] congressique, primo cunctantur; deinde complexi dextras, apud altaria Deum pepigere, "fraudem inimicorum ulcisci, atque ipsi inter se concedere." Potior Bardanes visus retinendo regno. At Gotarzes, ne quid æmulationis exsisteret, penitus in Hyrcaniam abiit: regressoque Bardani deditur Seleucia, septimo post defectionem anno; non sine dedecore Parthorum, quos una civitas tamdiu eluserat.

10. Exin validissimas præfecturas invasit: et reciperare Armeniam[1] parabat, ni a Vibio Marso, Syriæ legato, bellum minitante, cohibitus foret. Atque interim Gotarzes pœnitentia concessi regni, et revocante nobilitate, cui in pace durius servitium est, contrahit copias: et huic contra itum ad amnem Erinden:[2] in cujus transgressu multum certato, pervicit Bardanes, prosperisque præliis medias nationes subegit ad flumen Sinden,[3] quod Dahas Ariosque disterminat. Ibi modus rebus secundis positus: nam Parthi, quamquam victores, lon-

9 *Daharum Hyrcanorumque.* Dahæ, *Dahistan;* Hyrcani, *Mazanderan*, et *Corcan.*

10 *Seleuciam.* De hac urbe sat dictum An. vi, 42.

11 *Bactrianos.* Bactriana, Oxo flumini vicina, nunc *Khorasan.*

1 *Cotys.* Armeniam minorem a Caio Caligula acceperat, ut dictum in Suppl. An. vii, 36.

2 *Fratris F. patefecit.* Gotarzes insidias patefecit Bardani, fratris sui (Artabani) filio. V. not. et em. ad An. xi, 9.

1 *Reciperare Armeniam.* A Mithridate occupatam, c. sup.

2 *Erinden.* Amnis ille, Hyrcaniæ, soli Tacito memoratus, forte est *The Ester;* qui in mare Caspium influit. Certe ab illo fluvio non dissitus.

3 *Sinden.* Flumen illud videtur esse, quod nunc dicimus *Herirud* vel *Herat.* De Dahis jam dictum sup. Finitimi Arii, Ortum versus.

ginquam militiam aspernabantur. Igitur, exstructis monimentis, quibus opes suas testabatur, nec cuiquam ante Arsacidarum tributa illis de gentibus parta, regreditur: ingens gloria, atque eo ferocior, et subjectis intolerantior: qui dolo ante composito, incautum venationique intentum[4] interfecere, primam intra juventam, sed claritudine paucos inter senum regum, si perinde amorem inter populares, quam metum apud hostes, quæsivisset. Nece Bardanis turbatæ Parthorum res, inter ambiguos, quis in regnum acciperetur. Multi ad Gotarzen inclinabant; quidam ad Meherdaten, prolem Phraatis,[5] obsidio nobis datum. Deinde prævaluit Gotarzes: potitusque regiam, per sævitiam ac luxum adegit Parthos mittere ad Principem Romanum occultas preces, queis "permitti Meherdaten patrium ad fastigium" orabant.

11. Iisdem consulibus ludi seculares[1] octingentesimo post Romam conditam, quarto et sexagesimo[2] quam Augustus ediderat, spectati sunt. Utriusque Principis rationes[3] prætermitto, satis narratas libris, quibus res imperatoris Domitiani composui: nam is quoque edidit ludos seculares, iisque intentius adfui, sacerdotio quindecimvirali præditus, ac tum prætor: quod non jactantia refero, sed quia collegio quindecimvirum[4] antiquitus ea cura, et magistratus potissimum exsequebantur officia cærimoniarum. Sedente Claudio Circensibus ludis, cum pueri nobiles equis ludicrum Trojæ[5] inirent,

4 *Incautum venationique intentum.* Quod Izati bellum inferret, at adversus Romanos meditaretur, interfectum Bardanen tradit Joseph. Antiq. Jud. xx, 3. Haud satis diligens, ut videtur, hac in re scriptor.

5 *Prolem Phraatis.* Nepotem Phraatis IV. de quo inf. xii, 10. V. et Canon. regum Parthor. inter not. et em. ad An. ii, 1.

1 *Ludi seculares.* De his ludis nummum protulit Harduin. Opp. Select. p. 719. TI. CLAVDIVS CÆSAR AVG. P. M. TR. P. VII. IMP. IIII. In adversa parte, SÆCVLARIA SACRA. At cum nummum illum argenteum apud D. Fountaine, Equitem Anglum, vidisset, adulterinum esse deprehendit, ut constat ex schedis ejus Mss. Plura de secularibus ludis dicemus in not. et emend. ad An. xi, 11.

2 *Quarto et sexagesimo.* Ludos illos, Horatiano hymno percelebres, ediderat Augustus A. U. C. 737. C. Furnio et C. Silano coss. Dio liv, p. 538.

3 *Utriusque—rationes.* Quas temporum rationes, quæ intervalla sint secuti Augustus et Claudius, prætermitto. Id satis narratum libris, quibus res imperatoris Domitiani composui. Libri illi periere. At de his rationibus dicetur satis in not. et em. ad An. xi, 11. V. et Supp. ad A. U. C. 841. quo ludos seculares fecit Domitianus.

4 *Collegio quindecimvirum.* Inde in nummis Augusti, qui ad seculares ludos pertinent, memorantur XVSF. I. e. quindecimviri sacris faciundis. V. Thes. Morel. Vol. i, p. 325. Huc quoque spectat Horat. in Carm. sec. vs. 69. 'Quæque Aventinum tenet Algidumque, Quindecim Diana preces virorum Curat.'

5 *Ludicrum Trojæ.* Ludicrum illud, bellique Trojani imitamen, ab Ænea inventum, egregie describit Virg. Æn. v, 545 sq. Edidit quoque Julius Cæsar, teste Suet. Jul. 39. 'Trojam lusit turma duplex, majorumque puerorum.' Inde intelligas favorem plebis, cum Britannicus et Domitius, quisque turmæ suæ præessent.

interque eos Britannicus, imperatore genitus, et L. Domitius[6] adoptione mox in imperium et cognomentum Neronis adscitus, favor plebis acrior in Domitium, loco præsagii acceptus est: vulgabaturque "adfuisse infantiæ ejus dracones in modum custodum;" fabulosa[7] et externis miraculis adsimulata: nam ipse, haudquaquam sui detractor, "unam omnino anguem in cubiculo visam" narrare solitus est.

12. Verum inclinatio populi supererat ex memoria Germanici, cujus illa reliqua suboles virilis: et matri Agrippinæ miseratio augebatur, ob sævitiam Messalinæ: quæ semper infesta, et tunc commotior, quominus strueret crimina et accusatores, novo et furori proximo amore detinebatur. Nam in C. Silium,[1] juventutis Romanæ pulcherrimum, ita exarserat, ut Juniam Silanam[2] nobilem fœminam, matrimonio ejus exturbaret, vacuoque adultero potiretur. Neque Silius flagitii, aut periculi, nescius erat; sed certo, si abnueret, exitio, et nonnulla fallendi spe, simul magnis præmiis, opperiri futura, et præsentibus frui, pro solatio habebat. Illa non furtim, sed multo comitatu ventitare domum: egressibus adhærescere; largiri opes, honores: postremo, velut translata jam fortuna, servi, liberti, paratus Principis apud adulterum visebantur.

13. At Claudius matrimonii sui ignarus,[1] et munia censoria usurpans, "theatralem populi lasciviam" severis edictis increpuit, "quod in P. Pomponium consularem"[2] (is carmina scenæ dabat) "inque fœminas inlustres probra jecerat." Et lege lata, sævitiam creditorum coercuit, "ne in mortem parentum[3] pecunias filiis familiarum fœnori darent;" fontesque aquarum, ab Simbruinis collibus[4] deductos, Urbi intulit. Ac novas

6 *L. Domitius.* Cn. Domitio et Agrippina Germanici filia genitus, postea Princeps. V. stem. Cæs. n. 35.

7 *Fabulosa.* Originem fabulæ docet Suet. Ner. 6. 'Quæ fabula exorta est, deprehensis in lecto ejus circum cervicalia serpentis exuviis.'

1 *C. Silium.* De eo sup. c. 5. Juvenal. quoque, x, 331. 'Optimus hic et formosissimus idem, Gentis patriciæ rapitur miser extinguendus Messalinæ oculis.'

2 *Juniam Silanam.* De illa inf. An. xiii, 19.

1 *Ignarus.* Claudius rerum suarum domesticarum, et uxoriæ libidinis ignarus.

2 *P. Pomponium consularem.* V. not. et em. ad An. xi, 13.

3 *In mortem parentum.* Solvendas, mortuis parentibus. V. not. et em. ad An. xi, 13.

4 *Simbruinis collibus.* Colles illi, inter sacrum specum, nunc *il monastero del sacro speco*, et Sublaqueum, nunc *Subjaco*, conspicui, agrum Romanum Orientem versus terminant. Hæc Romanis notissima brevissime scripsit Tacitus; nunc vero haud satis nota explicare et illustrare juvat ex Plin. xxxvi, 15. n. 10. 'Vicit antecedentes aquarum ductus novissimum impendium operis inchoati a Caio Cæsare, et peracti a Claudio. Quippe a lapide quadragesimo ad eam excelsitatem, ut in omnes

literarum formas addidit, vulgavitque: comperto Græcam quoque literaturam non simul cœptam, absolutamque.

14. Primi per figuras animalium[1] Ægyptii sensus mentis effingebant, (ea antiquissima monumenta memoriæ humanæ impressa saxis cernuntur) et "literarum semet inventores" perhibent. "Inde Phœnicas,[2] quia mari præpollebant, intulisse Græciæ,[3] gloriamque adeptos, tamquam repererint, quæ acceperant." Quippe fama est "Cadmum, classe Phœnicum vectum,[4] rudibus adhuc Græcorum populis artis ejus auctorem fuisse." Quidam "Cecropem[5] Atheniensem, vel Linum Thebanum,[6] et temporibus Trojanis Palamedem Argivum"[7] memorant, "sexdecim literarum[8] formas; mox alios, ac præcipuum Simonidem,[9] ceteras reperisse." At in Italia Etrusci ab Corinthio Demarato,[10] Aborigines Arcade ab Evan-

Urbis montes levarentur influxere Curtius atque Cæruleus fontes. Erogatum in id opus sestertium LVD. Quod siquis diligentius æstimaverit aquarum abundantiam in publico, balineis, piscinis, domibus, euripis, hortis, suburbanis, villis, spatioque advenientis extructos arcus, montes perfossos, convalles æquatas, fatebitur nihil magis mirandum fuisse in toto orbe terrarum.' LVD. i. e. quinquagies quinquies et quingenties centena millia sestertium, efficiunt *Angl.* 462,500*l.* De hoc admirando opere plurimæ extant Inscriptiones, quas v. in not. et em. ad An. xi, 13.

1 *Figuras animalium.* V. not. et em. ad An. xi, 14.

2 *Inde Phœnicas.* Quisquis Phœnicias literas umquam vidit, non ex Ægyptiis animalium figuris, sed ex Samaritanis lineis adumbratas fatebitur. Hujusque rei locupletissimi testes sunt Phœnicum inscriptiones nummique satis obvii.

3 *Intulisse Græciæ.* Vere quidem; idque probat vetustissimus Lapis Sigeus, quem in lucem protulit et commentariis illustravit eruditus Chishull, Antiq. Asiat. p. 4 sq. Apud eumdem auctorem p. 24. v. Naturæ atque orbis alphabetum.

4 *Vectum.* Circiter sexcentos annos ante Romam conditam. Bene apud Plin. vii, 56. quidam volunt 'in Græciam intulisse e Phœnice Cadmum [literas] sedecim numero.'

5 *Quidam Cecropem.* Forte rudia quædam signa, ut reperta sunt apud Mexicanos; certe literas Græcas non invenit Cecrops, Atheniensium regni fundator plusquam octingentis annis ante Romam conditam.

6 *Linum Thebanum.* Non literarum, sed rhythmorum et melodiæ primus apud Græcos inventor fuit Linus, ut testatur Dionysius apud Diod. Sic. iii, p. 140. Φησὶ τοίνυν παρ' Ἕλλησι πρῶτον εὑρετὴν γενέσθαι Λῖνον ῥυθμῶν καὶ μέλους. Vixit Linus ferme quingentis annis ante Romam conditam.

7 *Palamedem Argivum.* Literas non reperit. Sed, sedecim inventis, fertur 'Trojano bello Palamedem adjecisse quatuor hac figura ΘΞΦΧ,' Plin. vii, 56. Troja capta quadringentis triginta annis ante Romam conditam. Ante Trojana tempora literas apud Græcos fuisse, quicumque Homerum legerit, haud inficiabitur. Nec temere eruditus Galeotti ad unum ex literarum inventoribus gemmam retulit, quæ extat Tab. IV. Francisci Ficoronii, Gemmæ Antiq. liter. p. 81.

8 *Sexdecim Literarum.* Primigeniæ illæ sexdecim literæ fuerunt ΑΒΓΔΕΙΚΛΜ ΝΟΠΡΣΤΥ.

9 *Alios—Simonidem.* Quatuor quoque literas post Palamedem adjecisse 'Simonidem Melicum,' ΖΗΨΩ, tradit Plinius, l. c. Aristoteles apud eumdem Plinium 'duas ab Epicharmo additas ΘΧ, quam a Palamede mavult.' Antequam inventa fuisset litera Η, utebantur Ε. Unde in veteribus nummis ΑΘΕ. ΘΕΒ. pro ΑΘΗΝΑΙΩΝ. ΘΗΒΑΙΩΝ.

10 *Etrusci—Demarato.* Hic Demaratus longe antiquior est Corinthio Demarato, Tarquinii prisci patre, quem memorat Plin. xxxv, 3 et 12. Paulo ante Trojana tempora Etruscos literas a Demarato accepisse ar-

dro[11] didicerunt: et formæ literis Latinis, quæ veterrimis Græcorum.[12] Sed nobis quoque paucæ primum[13] fuere: deinde additæ sunt.[14] Quo exemplo Claudius tres literas adjecit,[15] quæ usui, imperitante eo, post obliteratæ, aspiciuntur etiam nunc in ære[16] publicandis plebiscitis per fora ac templa fixo.

15. Retulit deinde ad senatum, super collegio haruspicum,[1] ne "vetustissima Italiæ disciplina per desidiam exolesceret: sæpe adversis reipublicæ temporibus accitos, quorum monitu redintegratas cærimonias, et in posterum rectius habitas: primoresque Etruriæ sponte, aut Patrum Romanorum impulsu,[2] retinuisse scientiam, et in familias propagasse: quod nunc segnius fieri, publica circa bonas artes socordia, et quia externæ superstitiones valescant. Et læta quidem in præsens

bitror. Idque suadet tabula Eugubina, quam vulgavit et explicavit V. Cl. Gori, Museum Etrusc. p. 54 sq. probat quoque Plin. xvi, 44. 'Vetustior autem Urbe in Vaticano ilex, in qua titulus æreis literis Etruscis, religione arborem jam tum dignam fuisse significat.'

11 *Aborigines—Evandro.* Sexaginta annis ante Trojanum excidium Evander ex Arcadia in Italiam venerat. Eo quoque longe ante ex Arcadia appulerant Aborigines, qui ab Evandro literas didicere. Ergo ante Aboriginum discessum literæ in Arcadia nondum innotuerant.

12 *Veterrimis Græcorum.* Ita quoque Plin. vii, 57 et 58. 'Gentium consensus tacitus primus omnium conspiravit, ut Ionum literis uterentur. Veteres Græcas fuisse easdem pæne, quæ nunc sunt Latinæ, indicio erit Delphica tabula, quæ est hodie in Palatio.' Ergo Plinius dicit literas Latinas veteribus Græcis, seu Ionicis similes esse. At Herodotus Ionicas veteresque Græcas easdem esse cum Cadmæis Phœniciisque literis docet, oculatus et ipse testis, v, 58 et 59. Phœnicias vero, quæ adhuc extant in nummis aliisque monumentis, a Samaritanis profluxisse manifestum erit omnibus, qui utrasque, vel Eduardi Bernardi tabulam, a Cl. Morton editam, inspexerint.

13 *Paucæ primum.* Paucæ quidem et rudes, rudioribus adhuc verbis. Unde apud Liv. vii, 3. memoratur 'lex vetusta priscis literis, verbisque scripta,' A. U. C. 391. A. C. 362. Quamque 'raræ per ea tempora literæ' forent testatur. Egregium obsoletæ illius vetustatis monumentum extat in inscriptione L. Scipionis Barbati, exarata circa annum U. C. 657. quam multa cum laude explicavit eruditus Sirmondus.

14 *Additæ sunt.* Quæ et quando additæ sint prolixe et inutiliter disputant Grammatici. V. si vis Cl. Bouhier, dissert. de priscis Græcorum et Latin. literis, ad calcem Palæographiæ Græcæ eruditi De Montfaucon.

15 *Tres literas.* De literis a Claudio adjectis longius foret hic disputare. Itaque v. not. et em. ad An. xi, 14.

16 *In ære.* Id est, ut opinor, in titulo æris, per fora ac templa fixi, quo publicantur plebiscita. Sub ipsis imperatoribus fuisse plebiscita innuit Tac. An. xii, 41. docetque lex Regia. V. not. et em. ad An. xi, 14.

1 *Haruspicum.* Exta, fulgura, portenta interpretabantur haruspices. V. Tullium de Divin. i, 18. ii, 22. Eorum disciplina apud Etruscos vetustissima et celeberrima. Ut Roma ipsa conderetur, a Romulo acciti sunt, teste Plut. Romul. p. 23. ᾤκισε τὴν πόλιν, ἐκ Τυῤῥηνίας μεταπεμψάμενος ἄνδρας ἱεροῖς τισι θεσμοῖς καὶ γράμμασιν ὑφηγουμένους ἕκαστα καὶ διδάσκοντας, ὥσπερ ἐν τελετῇ. 'Urbem condidit, accitis ex Etruria viris, qui, velut in mysteriis, quid faciendum esset cærimoniis quibusdam et scriptis præscriberent et docerent.'

2 *Patrum R. impulsu.* Hæc illustrat Tullius de Divin. i, 41. 'Etruria autem de cœlo tacta scientissime animadvertit; eademque interpretatur quid quibusque ostendatur monstris atque portentis. Quocirca bene apud majores nostros senatus tum, cum florebat imperium, decrevit, ut de principum filiis sex [potius *bis sex*] singulis Etruriæ populis in disciplinam tra-

omnia; sed benignitati Deum gratiam referendam,[3] ne ritus sacrorum inter ambigua culti, per prospera obliterarentur." Factum ex eo senatusconsultum: "viderent pontifices, quæ retinenda firmandaque haruspicum."

16. Eodem anno Cheruscorum gens regem Roma petivit;[1] amissis per interna bella nobilibus, et uno reliquo stirpis regiæ, qui apud Urbem habebatur, nomine *Italicus*. Paternum huic genus e Flavio,[2] fratre Arminii; mater ex Catumero, principe Cattorum erat. Ipse forma decorus, et armis equisque in patrium nostrumque morem exercitus. Igitur Cæsar, auctum pecunia, additis stipatoribus, hortatur "gentile decus magno animo capessere. Illum primum Romæ ortum, nec obsidem, sed civem, ire externum ad imperium." Ac primo lætus Germanis adventus, atque eo magis, quod nullis discordiis imbutus, pari in omnes studio ageret; celebrari, coli, modo comitatem et temperantiam nulli invisam,[3] sæpius vinolentiam ac libidines, grata barbaris, usurpans. Jamque ad proximos, jam longius clarescere; cum potentiam ejus suspectantes, qui factionibus floruerant, discedunt ad conterminos populos, ac testificantur, "Adimi veterem Germaniæ libertatem, et Romanas opes insurgere: adeo neminem iisdem in terris ortum, qui Principis locum impleat: nisi exploratoris Flavii progenies supra cunctos attollatur? Frustra Arminium[4] præscribi: cujus si filius hostili in solo adultus, in

derentur, ne ars tanta propter tenuitatem hominum a religionis auctoritate abduceretur ad mercedem atque quæstum.' V. quoque Val. Max. i, 1. num. 1. 'Haruspices Fulguriatores' memorat Cl. Gori, Museum Etrusc. vol. ii, p. 78. et apud Fabrettum, Inscr. Dom. c. x, n. 57. haruspex extispicus.

3 *Gratiam referendam.* Benignitati Deum referendam esse gratiam non obliterando per prospera ritus sacrorum, inter ambigua excultos. Recte enim inter Atheismi causas a Cl. Bacono, Sermones Fideles, serm. xvi. recensentur 'secula erudita, præsertim cum pace et rebus prosperis conjuncta. Etenim calamitates, et adversa, animos hominum ad religionem fortius flectunt.'

1 *Regem—petivit.* Haud temere ad hanc legationem pertinere existimat Cl. Eccardus, de orig. German. p. 320. quod memorat Suet. Claud. 25. 'Germanorum legatis in orchestra sedere permisit [Claudius], simplicitate eorum et fiducia motus, quod in popularia deducti, cum animadvertissent Parthos et Armenios sedentes in senatu, ad eadem loca sponte transierant, nihilo deteriorem virtutem, aut conditionem suam, prædicantes.'

2 *E Flavio.* V. Flavii Arminiique Stemma in not. et em. ad An. i, 55.

3 *Nulli invisam.* Hæc summa virtutis laus: nulli est invisa. Vitia vero, sapientibus odiosa, barbaris tantum grata.

4 *Frustra Arminium.* Frustra jactitari Arminium esse patruum Italici. Ipsum, Arminii filium, Ravennæ, hostili in solo, adultum, si in regnum venisset, posse extimesci, utpote infectum alimonio, servitio, cultu, ceterisque omnibus externis. Ac, si paterna Italico mens esset, non alium infensius arma contra patriam ac Deos penates, quam parentem ejus Flavium, exercuisse.

regnum venisset, posse extimesci, infectum alimonio, servitio, cultu, omnibus externis. Ac, si paterna Italico mens esset, non alium infensius arma contra patriam ac Deos penates, quam parentem ejus, exercuisse."

17. His atque talibus, magnas copias coegere: nec pauciores Italicum sequebantur. "Non enim inrupisse ad invitos, sed accitum" memorabant: "quando nobilitate ceteros anteiret, virtutem experirentur, an dignum se patruo Arminio, avo Catumero, præberet. Nec patrem rubori,[1] quod fidem adversus Romanos, volentibus Germanis, sumtam, numquam omisisset: falso libertatis vocabulum obtendi ab iis, qui privatim degeneres, in publicum exitiosi, nihil spei nisi per discordias habeant." Adstrepebat huic alacre vulgus; et magno inter Barbaros prælio victor rex; dein secunda fortuna ad superbiam prolapsus, pulsusque, ac rursus Langobardorum[2] opibus refectus, per læta, per adversa, res Cheruscas adflictabat.

18. Per idem tempus Chauci,[1] nulla dissensione domi, et morte Sanquinii[2] alacres, dum Corbulo adventat, inferiorem Germaniam incursavere, duce Gannasco: qui natione Canninefas[3] auxiliaris, et diu meritus, post transfuga, levibus navigiis prædabundus, Gallorum maxime oram[4] vastabat, non ignarus dites et imbelles esse. At Corbulo provinciam ingressus,[5] magna cum cura, et mox gloria, cui principium illa militia fuit, triremes alveo Rheni, ceteras navium, ut quæque habiles, per æstuaria et fossas[6] adegit: lintribusque hostium depressis, et exturbato Gannasco, ubi præsentia satis composita sunt, legiones operum et laboris ignavas,[7] populationibus lætantes, veterem ad morem reduxit: ne quis agmine decederet, nec pugnam, nisi jussus, iniret: stationes, vigiliæ, diurna nocturnaque munia, in armis agitabantur. Feruntque

1 *Nec patrem rubori.* Nec Italico patrem suum Flavium rubori esse, quod Romanis, in quorum castris, consentientibus Germanis, stipendia meruerat, fidelem semper se præstitisset. V. quæ dicta sunt sup. An. ii, 9 et 10.

2 *Langobardorum.* Nunc *Brandeburg.*

1 *Chauci.* Maritima inter Amisiam, *the Ems*, et Albim, *the Elbe*, habitabant.

2 *Morte Sanquinii.* Inferioris Germaniæ præfecti.

3 *Canninefas.* Occidentalem insulæ Batavorum, *Utrecht*, partem occupabant Canninefates.

4 *Gallorum—oram.* Illos maxime tractus, quos nunc dicimus *Zealand, Brabant, Flanders.*

5 *Provinciam ingressus.* Germaniam inferiorem ingressus Corbulo, maximis reipublicæ imperatoribus haud impar, sæpe postea memorandus.

6 *Per—fossas.* Æstuaria et fossæ plurimæ inter Scaldis, *the Scheldt*, Mosæ, *the Meuse*, et Rheni ostia.

7 *Laboris ignavas.* Vulgo *ignaras.* V. not. et em. ad An. xi, 18.

"militem, quia vallum non accinctus,[8] atque alium, quia pugione tantum accinctus foderet, morte punitos." Quæ nimia, et incertum an falso jacta, originem tamen e severitate ducis traxere: intentumque et magnis delictis inexorabilem scias, cui tantum asperitatis etiam adversus levia credebatur.

19. Ceterum is terror milites hostesque in diversum adfecit: nos virtutem auximus;[1] Barbari ferociam infregere. Et natio Frisiorum,[2] post rebellionem, clade L. Apronii[3] cœptam, infensa, aut male fida, datis obsidibus, consedit apud agros a Corbulone descriptos. Idem senatum, magistratus, leges imposuit. Ac ne jussa exuerent, præsidium immunivit;[4] missis, qui majores Chaucos[5] ad deditionem pellicerent, simul Gannascum dolo adgrederentur. Nec inritæ, aut degeneres insidiæ[6] fuere adversus transfugam, et violatorem fidei. Sed cæde ejus motæ Chaucorum mentes, et Corbulo semina rebellionis præbebat; ut læta apud plerosque, ita apud quosdam sinistra fama: "Cur hostem conciret? adversa in rempublicam casura: cum prospere egisset, formidolosum paci virum insignem, et ignavo principi prægravem." Igitur Claudius adeo novam in Germanias vim prohibuit, ut referri præsidia cis Rhenum juberet.

20. Jam castra in hostili solo molienti Corbuloni, hæ literæ redduntur. Ille re subita, quamquam multa simul offunderentur, metus ex Imperatore, contemtio ex barbaris, ludibrium apud socios, nihil aliud prolocutus, quam "Beatos quondam[1] duces Romanos!" signum receptui dedit. Ut tamen miles otium exueret, inter Mosam Rhenumque, trium et viginti millium[2] spatio, fossam perduxit, qua incerta Oceani veta-

8 *Non accinctus.* I. e. non cinctus gladio. Sic enim Veget. iii, 8. 'Scutis ac sarcinis suis in orbem circa propria signa dispositis, cincti gladio, fossam aperiunt, latam aut novem, aut undecim, aut tredecim pedibus.'

1 *Virtutem auximus.* Mallem *virtute.* Ita quoque Lipsio placitum. Sup. An. iv, 41. 'vera potentia augere.'

2 *Natio Frisiorum.* Frisii maritimam oram, inter Rheni et Amisiæ ostia, incolebant.

3 *Clade L. Apronii.* De qua dictum sup. An. iv, 73 et 74.

4 *Præsidium immunivit.* Immunitum fuisse illud præsidium, ubi nunc urbs *Groningen* docet Cl. Alting, Notit. German. Infer. p. 48.

5 *Majores Chaucos.* Hos Tacitus dicere videtur, qui inter Amisiam, *the Ems*, et Visurgim, *the Weser*, habitabant; quos Ptolemæus, ii, 11. minores appellavit. Tacitum sequitur Cl. Spener, Notit. German. Antiq. p. 302. sq.

6 *Inritæ—insidiæ.* Haud tamen ita nobiles, licet probatæ Cl. Grotio, de Jure belli et pacis, iii, 4. n. 18.

1 *Beatos quondam.* Ita quoque Dio lx, p. 685. Ὦ μακάριοι οἱ πάλαι ποτὲ στρατηγήσαντες.

2 *Trium et viginti m.* Dio lx, p. 686. ait fossam illam fuisse ad summum stadiis

rentur: insignia tamen triumphi indulsit Cæsar, quamvis bellum negavisset. Nec multo post Curtius Rufus[3] eumdem honorem adipiscitur, qui in agro Mattiaco[4] recluserat specus, quærendis venis argenti: unde tenuis fructus, nec in longum fuit. At legionibus cum damno labor, effodere rivos, quæque in aperto gravia, humum infra moliri: queis subactus miles, et quia plures per provincias similia tolerabantur, componit occultas literas nomine exercituum, precantium Imperatorem, "ut, quibus permissurus esset exercitus, triumphalia ante tribueret."[5]

21. De origine Curtii Rufi, quem gladiatore genitum quidam prodidere, neque falsa promserim, et vera exsequi pudet.[1] Postquam adolevit, sectator quæstoris,[2] cui Africa obtigerat, dum in oppido Adrumeto[3] vacuis per medium diei porticibus secretus agitat, oblata ei species muliebris ultra modum humanum, et audita est vox: "Tu es, Rufe, qui in hanc provinciam pro consule venies." Tali omine in spem sublatus, digressusque in Urbem, et largitione amicorum, simul acri ingenio, quæsturam, et mox nobiles inter candidatos præturam

clxx, σταδίους ἑβδομήκοντα καὶ ἑκατὸν μάλιστα; et eo fine perductam ne fluvii, æstuante Oceano, refluentes superstagnarent. Fossa Corbulonis non est *Leck*, ut quibusdam placuit; neque etiam *Leck* usque ad *Lexmund*, ut vult Cl. Ryckius. Sed perducta fossa, ab urbe Lugdunensi, *Leyden*, ad Mosam juxta *Geerfliet*. Recentior est fossa, quæ a *Leyden* per *Delft*, ad *Maesland-sluys*, ducit. V. Alting, Notit. Germ. Inf. p. 47. Fossam Corbulonis olim Germanice dictam fuisse *Vliet* haud temere existimat.

3 *Curtius Rufus*. Curtium illum eumdem esse ac Quintum Curtium, rerum ab Alexandro Magno gestarum scriptorem, adseverant plurimi, nulli probant; idque minime siluisset Tacitus. Notat Alciatus se Angleriæ apud Verbanum aram marmoream pluribus signis illustrem vidisse, cum titulo Q. CURTII VIVIRI, *sexviri*, a quo fuisset dedicata.

4 *Agro Mattiaco*. Nunc *Marpurg and the neighbourhood*. Ibi adhuc extant fodinæ argenti prope *Gladenbach*, teste Hubnero, *Géographie Universelle*, vol. v. p. 465.

5 *Triumphalia ante tribueret*. Ne gloriam triumphi damnosis laboribus quærerent.

1 *Exsequi pudet*. Tacitum pudet vera, miris ac phantasmatis intermixta, scribere.

2 *Sectator quæstoris*. I. e. comes quæstoris. Rem fusius narrat Plin. vii, Ep. 27. 'Et mihi discendi, et tibi docendi facultatem otium præbet. Igitur perquam velim scire, esse phantasmata, et habere propriam figuram, numenque aliquod putes, an inania et vana ex metu nostro imaginem accipere. Ego ut esse credam in primis eo ducor, quod audio accidisse Curtio Rufo. Tenuis adhuc et obscurus obtinenti Africam comes hæserat: inclinato die spatiabatur in porticu: offertur ei mulieris figura, humana grandior pulchriorque: perterrito Africam se futurorum prænuntiam dixit: iturum enim Romam, honoresque gesturum, atque etiam cum summo imperio in eamdem provinciam reversurum, ibique moriturum. Facta sunt omnia. Præterea accedenti Carthaginem, egredientique navem, eadem figura in littore occurrisse narratur. Ipse certe implicitus morbo, futura præteritis, adversa secundis auguratus, spem salutis, nullo suorum desperante, projecit.'

3 *Adrumeto*. Adrumetum, liberum Africæ oppidum, nunc *Herkla*. V. eruditum Shaw, *Voyages*, Vol. i, p. 237.

principis suffragio adsequitur: cum hisce verbis Tiberius dedecus natalium ejus velavisset, "Curtius Rufus videtur mihi ex se natus."[4] Longa post hæc senecta, et adversus superiores tristi adulatione, arrogans minoribus, inter pares difficilis, consulare imperium,[5] triumphi insignia, ac postremo Africam obtinuit: atque ibi defunctus, fatale præsagium implevit.

22. Interea Romæ, nullis palam, neque cognitis mox causis, Cn. Novius, insignis eques Romanus, ferro accinctus reperitur in cœtu salutantium Principem: nam postquam tormentis dilaniabatur, de se Novius:[1] conscios non edidit, incertum an occultans. Iisdem consulibus P. Dolabella censuit "spectaculum gladiatorum[2] per omnes annos celebrandum, pecunia eorum, qui quæsturam adipiscerentur." Apud majores virtutis id præmium fuerat, cunctisque civium, si bonis artibus fiderent, licitum petere magistratus: ac ne ætas[3] quidem distinguebatur, quin prima juventa consulatum ac dictaturas inirent. Sed quæstores, regibus etiam tum imperantibus, instituti sunt: quod lex curiata[4] ostendit, ab L. Bruto repetita. Mansitque consulibus potestas deligendi, donec eum quoque honorem populus mandaret: creatique primum Valerius Potitus, Æmilius Mamercus, LXIII. anno post Tarquinios exactos, ut rem militarem comitarentur.[5] Dein gliscentibus negotiis, duo additi, qui Romæ curarent.[6] Mox duplicatus numerus,[7] stipendiaria jam Italia, et acce-

4 *Ex se natus.* Sive *ex se ortus*, ut eleganter Cicero se ipsum et similes non uno loco vocat. Pro Planc. 27. 'Ego huc a me ortus et per me nixus adscendi.' Quintil. Decl. iii, 19. 'apud quem maximum est, ex se cœpisse.' Similiter a Cicerone dicitur, 'homo per se cognitus.' V. Ruhnken. ad Vell. Paterc. ii, 34.

5 *Consulare imperium.* Dignitatem et insignia consularia, ut An. xii, 21.

1 *De se Novius.* Se reum, conscios non edidit Novius. V. not. et em. ad An. xi, 22.

2 *Spectaculum gladiatorum.* Inde Suet. Claud. 24. 'Collegio quæstorum pro stratura virarum gladiatorum munus injunxit.' Necessitas illa a Nerone postea ablata, Tac. An. xiii, 5. a Domitiano iterum inducta, Suet. Domit. 4.

3 *Ætas.* A. U. C. 625. Q. Fulvio Flacco et L. Manlio Acidino coss. 'rogatio primum lata est ab L. Villio tribuno plebis, quot annos nati quemque magistratum peterent caperentque.' Liv. xl, 43.

4 *Lex curiata.* I. e. lex a regibus lata. Pompon. de Orig. Jur. Digest. i, Tit. ii, 1. 'Romulum traditur populum in triginta partes divisisse, quas partes curias appellavit: propterea quod tunc reipublicæ curam per sententias partium earum expediebat. Et ita leges quasdam et ipse Curiatas ad populum tulit. Tulerunt et sequentes reges;' ut rogarent, si placerent, leges. 'Provocationem ad populum etiam a regibus fuisse' docet Cicero de Rep. apud Senec. Ep. 108.

5 *Comitarentur.* Et ærarium militare curarent.

6 *Romæ curarent.* Qui res urbanas curarent, et in crimina adverterent. Exempla v. ap. Liv. iii, 24 et 25.

7 *Duplicatus numerus.* Livii epit. xv,

dentibus provinciarum vectigalibus. Post lege Sullæ[8] viginti creati supplendo senatui, cui judicia tradiderat: et quamquam equites judicia reciperavissent, quæstura tamen ex dignitate candidatorum, aut facilitate tribuentium, gratuito concedebatur, donec sententia Dolabellæ velut venum daretur.[9]

A.U.C. 801. J.C. 48.

23. A. Vitellio, L. Vipsanio consulibus,[1] cum de supplendo senatu agitaretur, primoresque Galliæ, quæ *Comata* appellatur,[2] fœdera et civitatem[3] Romanam pridem adsecuti, jus adipiscendorum in Urbe honorum expeterent: multus ea super re variusque rumor, et studiis diversis apud Principem certabatur, adseverantium, "Non adeo ægram Italiam, ut senatum suppeditare Urbi suæ nequiret: suffecisse olim[4] indigenas consanguineis populis, nec pœnitere veteris reipublicæ. Quin adhuc memorari exempla, quæ priscis moribus ad virtutem et gloriam Romana indoles prodiderit. An parum, quod Veneti et Insubres[5] curiam inruperint,[6] nisi cœtus alienigenarum, velut captivitas, inferatur? quem ultra[7] honorem residuis nobilium? aut si quis pauper e Latio senator foret? Oppleturos omnia divites illos, quorum avi proavique,[8] hostilium

'Tunc primum populus Romanus argento uti cœpit. Umbri et Sallentini victi in deditionem accepti sunt. Quæstorum numerus ampliatus est, ut essent octo.' Porro 'argentum signatum est anno Urbis 485. quinque annis ante primum bellum Punicum,' teste Plin. xxxiii, 3.

8 *Lege Sullæ.* Circa A. U. C. 674. Postea Julius Cæsar quadraginta quæstores creavit A. U. C. 709. Dio xliii, p. 237.

9 *Venum daretur.* Ex regnorum conditione venales esse debere magistratus, ingeniosius, quam verius, pronuntiat Cl. De Montesquieu, *Esprit des Loix*, v, 19.

1 *L. Vipsanio coss.* A. Vitellius, qui postea Imperator fuit, et L. Vipsanius Poplicola, consulatum gessere A. U. C. 801. J. C. 48.

2 *Comata appellatur.* Ita dicta, quod intonsa gens. Plin. xi, 37 et 47. 'Atque etiam nomina ex eo Capillatis Alpium incolis, Galliæ Comatæ.' Præter Narbonensem, 'Gallia omnis Comata uno nomine appellata,' teste eod. Plin. iv, 17.

3 *Fœdera et civitatem.* Fœdus Æduorum cum Romanis memoratur inf. c. 25. Multis datam civitatem docet Dio xli, p. 170. et liv, p. 538. innuit Suet. Aug. 47. Gallos eam dignitatem adsecutos, 'Cum id rarum, nec nisi virtuti pretium esset,' testatur Tac. An. iii, 40. V. not. et em. ubi plura de jure civitatis Romanæ.

4 *Suffecisse olim.* Hæc omnia interpretum vitio depravata, juvat paucis explicare. Non adeo ægram Italiam, ut senatum suppeditare urbi suæ nequiret. Indigenas olim, exiguisque circumscriptos finibus, consanguineis etiam populis suffecisse, seu magistratus iis dedisse. Seque nondum virtutis ita expertes, ut pœniteat veteris reipublicæ. Immo adhuc extare, adhuc celebrari exempla, quæ priscis moribus dignissima ad virtutem et gloriam Romana indoles prodiderit.

5 *Veneti et Insubres.* Veneti, Galliæ togatæ incolæ, Mela, ii, 4. Nunc *Treviso, and a great part of the Republic of Venice.* Insubres, *the Milanese.* V. Strab. v.

6 *Curiam inruperint.* Et corruperint. Quid enim Romani reliquum?

7 *Quem ultra.* Nullum jam futurum honorem residuis nobilium; et pauperes e Latio senatores maximum in contemtum venturos.

8 *Avi proavique.* Bello Gallico, quod gessit scripsitque Julius Cæsar.

nationum duces, exercitus nostros ferro vique ceciderint; divum Julium apud Alesiam[9] obsederint. Recentia hæc: quid si memoria eorum[10] inoriretur, qui Capitolio et arce Romana manibus eorumdem prostratis. Fruerentur sane vocabulo civitatis: insignia patrum, decora magistratuum, ne vulgarent."

24. His atque talibus haud permotus Princeps, et statim contra disseruit; et vocato senatu, ita exorsus est.[1] "Majores mei (quorum antiquissimus Clausus, origine Sabina,[2] simul in civitatem Romanam, et in familias patriciorum adscitus est,) hortantur, uti paribus consiliis rempublicam capessam, transferendo huc, quod usquam egregium fuerit. Neque enim ignoro Julios Alba,[3] Coruncanios Camerio,[4] Porcios Tusculo;[5] et, ne vetera scrutemur, Etruria Lucaniaque,[6] et omni Italia, in senatum accitos. Postremo ipsam ad Alpes

9 *Apud Alesiam.* Hæc pluribus Cæsar B. G. vii, 68 sq. Alesia, urbs Æduorum nobilissima, olim vertici montis *Auxois* imposita, nunc omnino periit. At ex ejus ruderibus ad radicem montis extructus pagus *Alise* in Burgundia. V. not. et em. ad An. xi, 23. Ibi Inscriptionem veterem, hactenus mancam, integram dabimus.

10 *Memoria eorum.* Hæc omnia misere luxata, et penitus desperata. Dum meliora occurrant, si quid audere liceret, supplerem: 'Quid si memoria eorum renovaretur, qui, Capitolio et arce Romana manibus eorumdem fere superatis, pretium populi Romani mille pondo auri fecerint?' A. U. C. 364. Galli, Brenno duce, Urbem cepere, igne, ferroque vastavere. Tum iis placuit in arcem capitoliumque conscendere. Diu frustra eluctati, animadverso tandem ad Carmentis saxum ascensu æquo, tentavere viam, alterni innixi, sublevantesque invicem et trahentes alii alios, prout postularet locus: saxa, quibus adhærebant, manibus amplexi, in summum evasere; jamque unus in summo constiterat, cum eum Manlius umbone ictum deturbat, cujus casus prolapsi proximos stravit. Proturbati Galli nondum ab obsidione destitere. Fame in Capitolio invalescente, cum Gallis transactum est; et mille pondo auri pretium populi, gentibus mox imperaturi, factum. Hæc constant ex Liv. v, 39 et 48. Flor. i, 13. Plin. xxxiii, 1. §. 5. Mille pondo auri sunt *Angl.* 45,000*l.* V. not. et em. ad An. xi, 23.

1 *Exorsus est.* Claudii oratio adhuc extat Lugduni, ære incisa, erudita magis, quam eloquens: proponetur explanabiturque in not. et em. ad An. xi, 24. Quantum Tacitus ingenio suo indulserit, ut eam historia dignam faceret, lector perspiciet.

2 *Origine Sabina.* Suet. Tib. 1. 'Patricia gens Claudia. . . orta est ex Regillis, oppido Sabinorum. Inde Romam recens conditam cum magna clientum manu commigravit, auctore Tito Tatio, consorte Romuli: vel, quod magis constat, Atta Clauso gentis principe, post reges exactos sexto fere anno, a patribus in patricios cooptata.' V. et Liv. ii, 16. Sic quoque Virg. Æn. vii, 706. 'Ecce Sabinorum prisco de sanguine magnum Agmen agens Clausus, magnique ipse agminis instar: Claudia nunc a quo diffunditur et tribus, et gens Per Latium, postquam in partem data Roma Sabinis.' Sabini, nunc *part of Abruzzo.* De Claudiorum origine plura adhuc et accuratiora habet Plut. Publ. p. 108.

3 *Alba.* Albæ, urbis Latinorum, adhuc visuntur rudera in monte Albano. Haud procul urbs *Albano.*

4 *Camerio.* Camerium, urbs Sabinorum, Albæ vicina, omnino periit. Stephano de Urbb. dicitur ΚΑΜΑΡΙΑ, Albæ colonia. Coruncanios, Tusculanos facit Tull. pro Planc. viii. quod, Camerio a fundamentis everso, Tusculum secessere.

5 *Tusculo.* Tusculum, urbs Latinorum. Manent rudera prope *Frascati.*

6 *Lucaniaque.* Nunc *part of Basilicata and Calabria.*

promotam, ut non modo singuli viritim, sed terræ gentesque in nomen nostrum coalescerent. Tunc solida domi quies, et adversus externa floruimus, cum Transpadani[7] in civitatem recepti, cum specie deductarum per orbem[8] terræ legionum, additis provincialium validissimis, fesso imperio subventum est. Num pœnitet Balbos ex Hispania, nec minus insignes viros e Gallia Narbonensi transivisse? Manent posteri eorum, nec amore in hanc patriam nobis concedunt. Quid aliud exitio Lacedæmoniis et Atheniensibus fuit, quamquam armis pollerent, nisi quod victos pro alienigenis arcebant? At conditor noster Romulus tantum sapientia valuit, ut plerosque populos eodem die hostes, dein cives habuerit. Advenæ in nos regnaverunt. Libertinorum filiis[9] magistratus mandari, non, ut plerique falluntur, repens,[10] sed priori populo factitatum est. At cum Senonibus[11] pugnavimus: scilicet Volsci et Æqui,[12] numquam adversam nobis aciem struxere? Capti a Gallis[13] sumus. Sed et Tuscis obsides dedimus,[14] et Samnitium jugum[15] subivimus. Attamen si cuncta bella recenseas, nullum breviore spatio,[16] quam adversus Gallos, confectum. Continua inde ac fida pax. Jam moribus, artibus, adfinitatibus nostris mixti, aurum et opes suas inferant potius, quam separati habeant. Omnia, patres conscripti, quæ nunc vetustissima creduntur, nova fuere: plebei magistratus post patricios; Latini post plebeios; ceterarum Italiæ gentium post

7 *Transpadani.* Qui ultra Padum, *the Po,* habitabant. Nunc *the Duchy of Milan, and the State of Venice.*

8 *Per orbem.* Quanta arte legiones per orbem terræ essent deductæ vidimus sup. An. iv, 5.

9 *Libertinorum filiis.* Suet. Claud. 24. Claudium ignorantiæ arguit his verbis: 'Reprehensionem verens, etiam Appium Cæcum, generis sui proauctorem, censorem, libertinorum filios in senatum allegisse docuit: ignarus, temporibus Appii, et deinceps aliquamdiu libertinos dictos, non ipsos qui manumitterentur, sed ingenuos ex his procreatos.'

10 *Repens.* Sic veteres, ac Tacitus, dixere pro *recens.*

11 *Cum Senonibus.* Populis Lugdunensis Galliæ potentissimis, nunc *Sens and Auxerre.* De illis Florus i, 13. 'Galli Senones, gens natura ferox, moribus incondita, ad hoc ipsa corporum mole, perinde armis ingentibus, adeo omni genere terribilis fuit, ut plane nata ad hominum interitum, urbium stragem videretur.'

12 *Volsci et Æqui.* Volsci nunc *The southern parts of the Province of Rome, and the northern parts of Terra di Lavoro.* Æqui, *the western parts of the Province of Rome.*

13 *Capti a Gallis.* A Gallis Senonibus, ut dictum in notis c. sup.

14 *Obsides dedimus.* Capto Janiculo, obsides Porsenæ, regi Etruriæ, dedere Romani A. U. C. 246. Liv. ii, 13. Plin. xxxvi, 13.

15 *Samnitium jugum.* Romani Caudinas ad furcas turpiter a Samnitibus victi; turpius sub jugum missi cum utroque consule seminudo, A. U. C. 433. Quod flebiliter describit Liv. ix, 5 et 6.

16 *Breviore spatio.* Decennio a Julio Cæsare domita Gallia.

Latinos. Inveterascet hoc quoque: et quod hodie exemplis tuemur, inter exempla erit."[17]

25. Orationem Principis secuto patrum consulto, primi Ædui[1] senatorum in Urbe jus adepti sunt: datum id fœderi antiquo,[2] et quia soli Gallorum[3] fraternitatis nomen cum populo Romano usurpant. Iisdem diebus in numerum patriciorum adscivit Cæsar vetustissimum[4] quemque e senatu, aut quibus clari parentes fuerant: paucis jam reliquis familiarum, quas Romulus *majorum*, et L. Brutus *minorum gentium*[5] appellaverant; exhaustis etiam, quas dictator Cæsar[6] lege Cassia, et Princeps Augustus lege Sænia[7] sublegere. Lætaque hæc in rempublicam munia, multo gaudio censoris[8] inibantur. Famosos probris quonam modo senatu depelleret anxius, mitem et recens repertam, quam ex severitate[9] prisca, ratio-

17 *Inter exempla erit.* Et quidem pessima. Sic enim eviluit Romana dignitas: sic periit virtus. Crevit quidem alienigenarum opibus Roma, sed majoribus aucta vitiis. Sana fuisset Claudii mens, si, ut olim imperitante Augusto, alienigenarum virtutes potius, quam opes, in Urbem et Urbis magistratus inductæ. Claudium 'omnes Græcos, Gallos, Hispanos, Britannos togatos videre' meditantem irridet Seneca in Ἀποκολοκυντώσει. Eumd. v. de Benef. vi, 19.

1 *Primi Ædui.* Ædui, nunc *Autun, Nevers, Macons and Chalon.* Caput gentis Augustodunum, *Autun.* Apud Gruter. p. 371. n. 8. CIVITATIS ÆDUORUM.

2 *Fœderi antiquo.* Unde Plin. iv, 18. appellantur 'Hedui fœderati.' Et, teste Strab. iv, 192. οἱ δὲ Ἑδοῦοι καὶ συγγενεῖς Ῥωμαίων ὠνομάζοντο, καὶ πρῶτοι τῶν ταύτῃ προσῆλθον πρὸς τὴν φιλίαν καὶ συμμαχίαν. 'Hedui Romanorum cognati sunt appellati, primique Gallorum ad eorum amicitiam et societatem accessere.' Plura v. ap. Cæs. B. G. i, 11 et 43.

3 *Soli Gallorum.* Idem quoque innuit Diod. Sic. v. p. 210. Ὧν (Γαλατῶν) ἐστιν ἓν πρὸς Ῥωμαίους ἔχον συγγένειαν παλαιὰν καὶ φιλίαν, τὴν μεχρὶ τῶν καθ' ἡμᾶς χρόνων διαμένουσαν. 'Gallorum gens una veterem cum Romanis cognationem amicitiamque, ad hæc usque tempora perseverantem, habet.' Illud tamen fraternitatis nomen usurpare ausi sunt Arverni, de quibus Lucan. Pharsal. i, 427. 'Averni que ausi Latio se fingere fratres Sanguine ab Iliaco populi.' Illud postea meriti sunt Batavi, ut accipimus ex vetere lapide ap. Gruter. p. 72. num. 9.

CIV. BATAVI.
FRATRES. ET. AMICI. P. R.

4 *Vetustissimum.* Senatoriæ dignitatis tempore, non vero ætate vetustissimum.

5 *Minorum gentium.* Romulus creaverat ducentos senatores, seu patres. Hæ sunt familiæ 'majorum gentium.' Tarquinius Priscus centum quoque in patres legit; 'qui deinde minorum gentium sunt appellati,' Liv. i, 35. 'Cædibus regis [Tarquinii] deminutum patrum numerum, primoribus equestris gradus lectis, ad trecentorum summam explevit [Brutus]... Conscriptos, in novum senatum appellabant lectos,' Liv. ii, 1. Hæc haud ita accurate distinxit Tacitus ob nimium brevitatis studium; seu potius, quod patres, tum a Tarquinio, tum a Bruto lecti, essent 'minorum gentium.'

6 *Quas—Cæsar.* Ut senatus numero obscurisque natalibus evilesceret, nullo discrimine, milites, libertinos, in patres legit, Julius Cæsar; adeo, ut summa senatorum 900 fuerit, ὥστε καὶ ἐνναχοσίους τὸ κεφάλαιον αὐτῶν γενέσθαι. Dio xliii, p. 237.

7 *Lege Sænia.* Post cædem dictatoris plures adhuc creati patres. Sed 'senatorum affluentem numerum deformi et incondita turba (erant enim super mille, et quidam indignissimi, et post necem Cæsaris per gratiam et præmium allecti, quos Orcinos vulgus vocabat) ad modum pristinum et splendorem redegit [Augustus], duabus lectionibus.' Suet. Aug. 35. V. et Dion. lii, p. 494. De legibus Cassia et Sænia dicetur in not. et em. ad An. xi, 25.

8 *Censoris.* Cæsaris, tum censoris.

9 *Quam ex severitate.* I. e. *potius, quam ex severitate.*

nem adhibuit: monendo, "secum quisque de se consultaret, peteretque jus exuendi ordinis: facilem ejus rei veniam: et motos senatu, et excusatos simul propositurum: ut judicium censorum, ac pudor sponte cedentium permixti, ignominiam mollirent." Ob ea Vipsanius consul retulit, "*patrem senatus* appellandum esse Claudium: quippe promiscuum *patris patriæ* cognomentum: nova in rempublicam merita, non usitatis vocabulis honoranda." Sed ipse cohibuit consulem, ut nimium assentantem: condiditque lustrum, quo censa sunt civium LVIIII. LXXXIIII. LXXII.[10] Isque illi finis inscitiæ erga domum suam fuit: haud multo post, flagitia uxoris noscere ac punire adactus, ut deinde ardesceret in nuptias incestas.

26. Jam Messalina, facilitate adulterorum[1] in fastidium versa, ad incognitas libidines profluebat; cum "abrumpi dissimulationem" etiam Silius,[2] sive fatali vecordia, an imminentium periculorum remedium ipsa pericula ratus, urgebat. "Quippe non eo ventum, ut senectam Principis opperirentur: insontibus innoxia consilia; flagitiis manifestis, subsidium ab audacia petendum: adesse conscios paria metuentes.[3] Se cœlibem, orbum, nuptiis et adoptando Britannico[4] paratum: mansuram eamdem Messalinæ potentiam, addita securitate, si prævenirent Claudium, ut insidiis incautum, ita iræ properum." Segniter hæ voces acceptæ, non amore in maritum, sed ne Silius, summa adeptus, sperneret adulteram; scelusque inter ancipitia probatum, veris mox pretiis[5] æstimaret: nomen tamen matrimonii concupivit, ob magnitudinem infamiæ, cujus apud prodigos[6] novissima voluptas est. Nec ultra expectato, quam dum sacrificii gratia Claudius Ostiam[7] proficisceretur, cuncta nuptiarum solemnia celebrat.

27. Haud sum ignarus fabulosum visum iri, tantum ullis

10 *Civium* LVIIII. LXXXIIII. LXXII. Censa sunt civium Romanorum quinquagies novies centena, octoginta quatuor millia, septuaginta duo; ut vulgo scribimus 5,984,072. V. not. et em. ad An. xi, 25. ubi plura de hoc numero, censu lustroque Romanorum dicentur.

1 *Facilitate adulterorum.* Ita libri omnes. Mallet tamen Ill. Huetius, *adulteriorum;* quod et nobis perplacet: id quoque innuit quod mox sequitur c. 36.

2 *Silius.* C. Silii et Sosiæ Gallæ, de quibus supra An. iv, 18 et 19. filius.

3 *Paria metuentes.* Adesse flagitii conscios, qui paria, i. e. eadem pericula, metuerent: properandum igitur, ne indicium profiterentur.

4 *Britannico.* Claudii et Messalinæ filio. V. stem. Cæs. n. 108.

5 *Veris pretiis.* Vera tanti tamque ancipitis sceleris pretia, imperium et dominatio.

6 *Apud prodigos.* Profligati pudoris homines.

7 *Ostiam.* Nunc *Ostia*, ferme ad Tiberis ostium. Sacrificium illud pro prosperanda annona factum innuit Dio lx, p. 686.

mortalium securitatis fuisse, in civitate omnium gnara et nihil reticente, nedum consulem designatum,[1] cum uxore Principis, prædicta die, adhibitis, qui obsignarent, velut suscipiendorum liberorum causa, convenisse: atque illam audisse auspicum verba, subisse,[2] sacrificasse apud Deos, discubitum inter convivas,[3] oscula, complexus, noctem denique actam licentia conjugali. Sed nihil compositum miraculi causa, verum audita scriptaque senioribus tradam.

28. Igitur domus Principis inhorruerat; maximeque, quos penes potentia, et si res verterent, formido, non jam secretis colloquiis, sed aperte fremere. "Dum histrio[1] cubiculum Principis persultaverit, dedecus quidem inlatum; sed excidium procul abfuisse: nunc juvenem nobilem, dignitate formæ, vi mentis, ac propinquo consulatu, majorem ad spem accingi: nec enim occultum, quid post tale matrimonium superesset." Subibat sine dubio metus reputantes, "hebetem Claudium, et uxori devinctum, multasque mortes jussu Messalinæ patratas." Rursus ipsa facilitas Imperatoris fiduciam dabat, "si atrocitate criminis prævaluissent, posse opprimi damnatam antequam ream.[2] Sed in eo discrimen verti, si defensio audiretur, utque[3] clausæ aures etiam confitenti forent."

1 *Nedum cos. designatum.* Multo magis Silium, jam cos. designatum, id sceleris attentasse. A Messalina, post nuptias, Silium designatum esse consulem minus probabiliter ait Dio, l. c. Insanas utriusque nuptias egregie arguit Juvenal. Sat. x, 329. 'Elige quidnam Suadendum esse putes, cui nubere Cæsaris uxor Destinat. Optimus hic et formosissimus idem Gentis patriciæ rapitur miser extinguendus Messalinæ oculis. Dudum sedet illa parato Flammeolo, Tyriusque palam genialis in hortis Sternitur, et ritu decies centena dabuntur Antiquo, veniet cum signatoribus auspex. Hæc tu secreta, et paucis commissa putabas? Non nisi legitime vult nubere. Quid placeat, dic. Ni parere velis, pereundum est ante lucernas. Si scelus admittas, dabitur mora parvula, dum res Nota Urbi et populo contingat Principis aures. Dedecus ille domus sciet ultimus: interea tu Obsequere imperio, si tanti est vita dierum Paucorum: quicquid levius meliusque putaris, Præbenda est gladio pulchra hæc et candida cervix.' Decies centena millia sestertium *Angl.* 83,333*l.* 6*s.* 8*d.*

2 *Subisse.* Subisse genialem torum, de quo Juvenal. l. c. V. not. et em. ad An. xi, 27.

3 *Inter convivas.* Paucis Juvenal. ii, 119. 'Signatæ tabulæ: dictum feliciter. Ingens Cœna sedet: gremio jacuit nova nupta mariti.'

1 *Dum histrio.* Messalinæ primo res fuerat cum histrione famosissimo, Mnestere, cui ipsa statuas posuit. V. Dion. lx, p. 679. His quidem histrionicis adulteriis dedecus Claudio illatum; at procul aberat excidium: nunc vero juvenis nobilis, dignitate formæ, vi mentis, ac propinquo consulatu superbus, majorem ad spem accingitur. Locum hunc Taciti, diu inexplicabilem, feliciter extricavit eruditus Franciscus Medicis. V. not. et em. ad An. xi, 28.

2 *Antequam ream.* Posse Messalinam damnatam opprimi, antequam rea, dicta causa, pronunciaretur. Sed in eo discrimen verti, si ejus defensio audiretur, quoniam vel scelus confitenti aures Claudii forent clausæ. V. not. et em. ad An. xi, 28.

3 *Utque.* Forte legendum *utique;* i. e. *certe, omnino.* Sic sæpe Tullius.

29. Ac primo Callistus jam mihi circa necem Cæsaris narratus,[1] et Appianæ cædis[2] molitor Narcissus, flagrantissimaque, eo in tempore, gratia Pallas, agitavere, "num Messalinam secretis minis depellerent amore Silii, cuncta alia dissimulantes:" deinde metu, ne ad perniciem ultro traherentur, desistunt, Pallas per ignaviam, Callistus prioris quoque regiæ peritus, et potentiam cautis, quam acribus consiliis, tutius haberi. Perstitit Narcissus, et solum id immutans, ne quo sermone præsciam criminis et accusatoris faceret, ipse ad occasiones intentus, longa apud Ostiam Cæsaris mora, duas pellices, quarum is corpori maxime insueverat, largitione ac promissis, et uxore dejecta, plus potentiæ ostentando, perpulit delationem subire.

30. Exin Calpurnia (id pellici nomen) ubi datum secretum, Cæsaris genibus provoluta, "nupsisse Messalinam Silio" exclamat. Simul Cleopatram, quæ idem opperiens adstabat, "an comperisset?" interrogat: atque illa anuente, "cieri Narcissum" postulat. Is "veniam in præteritum petens, quod ei Titios, Vectios, Plautios[1] dissimulavisset, nec nunc Silio[2] adulteria objecturum" ait, "ne domum, servitia, et ceteros fortunæ paratus reposceret: frueretur immo. At is redderet uxorem, rumperetque tabulas nuptiales." "An discidium," inquit, "tuum nosti? nam matrimonium Silii vidit populus, et senatus, et miles: ac ni propere agis, tenet Urbem maritus."

31. Tum potissimum amicorum vocat; primumque rei frumentariæ præfectum Turranium, post Lusium Getam, prætorianis impositum, percunctatur. Quibus fatentibus, certatim ceteri circumstrepunt, "iret in castra, firmaret prætorias cohortes, securitati ante, quam vindictæ, consuleret." Satis constat eo pavore offusum Claudium, ut identidem interrogaret, "an ipse imperii potens? an Silius privatus esset?" At Mes-

1 *Cæsaris narratus.* Hæc Annalium pars periit. Nos diximus in Suppl. An. viii, 74.

2 *Appianæ cædis.* De hac cæde multa habet Suet. Claud. 37. Nos quoque in Suppl. An. ix, 33 et 34.

1 *Titios, Vectios, Plautios.* V. not. et em. ad An. xi, 30.

2 *Silio.* Hujus orationis in editionibus omnibus mutilæ, nec latinæ, vitia sustulisse, eamque ad primigeniam scripturam reduxisse existimo. Nihil certe ad mentem Taciti, et totius orationis seriem accommodatius. Narcissus veniam in præteritum petens, quod Titios, Vectios, Plautios dissimulavisset, ait nec nunc Silio adulteria se esse objecturum, ne domum, servitia, quidquid Neronibus et Drusis habitum (v. inf. c. 35.) et ceteros imperatoriæ fortunæ paratus reposceret.——Frueretur immo.——At is redderet uxorem, rumperetque tabulas nuptiales.—— Nostine, inquit, tuum discidium? nam matrimonium Silii vidit populus, et senatus, et miles: ac ni propere agis, tenet Urbem novus maritus. V. not. et em. ad An. xi, 30.

salina non alias solutior luxu, adulto autumno,[1] simulacrum vindemiæ per domum celebrabat: urgeri præla,[2] fluere lacus, et fœminæ pellibus accinctæ assultabant, ut sacrificantes, vel insanientes Bacchæ: ipsa crine fluxo, thyrsum quatiens; juxtaque Silius, hedera vinctus, gerere cothurnos,[3] jacere caput, strepente circum procaci choro. Ferunt Vectium Valentem,[4] lascivia in præaltam arborem connisum, interrogantibus "quid aspiceret?" respondisse, "tempestatem ab Ostia atrocem:" sive ceperat ea species, seu forte lapsa vox in præsagium vertit.

32. Non rumor interea, sed undique nuntii incedunt, qui "gnara Claudio cuncta, et venire promtum ultioni" afferrent. Igitur Messalina Lucullianos in hortos,[1] Silius, dissimulando metu, ad munia fori digrediuntur. Ceteris passim dilabentibus, adfuere centuriones, inditaque sunt vincula, ut quis reperiebatur in publico, aut per latebras. Messalina tamen, quamquam res adversæ consilium adimerent, ire obviam, et aspici a marito, quod sæpe subsidium habuerat, haud segniter intendit: jussitque "ut Britannicus et Octavia[2] in complexum patris pergerent." Et Vibidiam, virginum Vestalium vetustissimam, oravit, "Pontificis maximi[3] aures adire, clementiam expetere." Atque interim tribus omnino comitantibus (id repente solitudinis erat) spatium Urbis pedibus emensa, vehiculo, quo purgamenta hortorum eripiuntur, Ostiensem viam intrat: nulla cujusquam misericordia, quia flagitiorum deformitas prævalebat.

33. Trepidabatur nihilominus a Cæsare: quippe Getæ,

1 *Adulto autumno.* Sero quidem. At non ipsam vindemiam, sed simulacrum vindemiæ celebrabat Messalina. In Kalendario vetere, NON. SEPTEMBRIS. VINDEMIA. Sed diuturna vindemialis feria, ut Cod. lib. iii, Tit. 12, de feriis, leg. 2. 'A decimo Kalendarum Septembris usque in Idus Octobris vindemialis feria conceditur.'

2 *Urgeri præla.* Hæc præla fluentesque lacus v. in egregio opere, *Pitture antiche d'Ercolano.* vol. i, Tab. xxxv.

3 *Gerere cothurnos.* Cothurni, Bacchi Bacchantiumque calceamentum. Inde Virg. Ge. ii, 7. 'Huc, pater O Lenæe, veni: nudataque musto Tinge novo mecum direptis crura cothurnis.'

4 *Vectium Valentem.* De hoc medico Plin. xxix, 1. §. 5. 'Exortus deinde est Vectius Valens, adulterio Messalinæ Claudii Cæsaris nobilitatus, pariterque eloquentiæ assectator. Is eam potentiam nactus novam instituit sectam' medicinæ.

1 *Lucullianos hortos.* De quibus dictum sup. c. 1. Nec emendandum, ut quibusdam placuit *Lucullanos.* Plutarcho enim dicuntur quoque οἱ Λουκουλλιανοὶ κῆποι.

2 *Britannicus et Octavia.* Claudii et Messalinæ filii. V. Stem. Cæs. n. 108 et 36.

3 *Pontificis maximi.* Claudii qui erat pontifex maximus. Unde in nummis semper occurrit P. M. vel PONT. MAX.

prætorii præfecto, haud satis fidebat, ad honesta, seu prava, juxta levi. Ergo Narcissus, adsumtis quibus idem metus, "non aliam spem incolumitatis Cæsaris" affirmat, "quam si jus militum uno illo die in aliquem libertorum transferret: seque" offert "suscepturum." Ac ne, dum in Urbem vehitur, ad pœnitentiam a L. Vitellio et P. Largo Cæcina[1] mutaretur; in eodem gestamine sedem poscit, sumitque.

34. Crebra post hæc fama fuit, inter diversas Principis voces, cum modo incusaret flagitia uxoris, aliquando ad memoriam conjugii,[1] et infantiam liberorum revolveretur, non aliud prolocutum Vitellium, quam "o facinus! o scelus!" Instabat quidem Narcissus "aperire ambages,[2] et veri copiam facere:" sed non ideo pervicit, quin suspensa, et, quo ducerentur, inclinatura responderet; exemploque ejus Largus Cæcina uteretur. Et jam erat in aspectu Messalina, clamitabatque "audiret Octaviæ et Britannici matrem:" cum obstreperet accusator,[3] "Silium et nuptias" referens. Simul codicillos, libidinum indices, tradidit, quibus visus Cæsaris averteret. Nec multo post Urbem ingredienti offerebantur communes liberi, nisi Narcissus "amoveri eos" jussisset. Vibidiam depellere nequivit, quin multa cum invidia flagitaret, "ne indefensa conjunx exitio daretur." Igitur "auditurum Principem, et fore diluendi criminis facultatem" respondit: "iret interim virgo, et sacra capesseret."

35. Mirum inter hæc silentium Claudii: Vitellius ignaro propior: omnia liberto obediebant. "Patefieri domum adulteri, atque illuc deduci Imperatorem" jubet. Ac primum in vestibulo, effigiem patris Silii[1] consulto senatus abolitam, de-

1 *P. Largo Cæcina.* Forte, ut opinatur Lipsius, fratre C. Largi Cæcinæ, consulis cum collega Principe, A. U. C. 795. V. not. et em. ad An. xi, 33.

1 *Ad memoriam conjugii.* Inde, et ex superioribus omnibus, Suetonius, rumusculorum captator, arguendus videtur, qui scribere sustinuit 'illud omnem fidem excessisse, quod nuptiis, quas Messalina cum adultero Silio fecerat, tabellas dotis et ipse [Claudius] consignaverit: inductus, quasi de industria simularentur ad avertendum transferendumque periculum, quod imminere ipsi per quædam ostenta' portenderetur, Suet. Claud. 29. Has falsas auditiones, ignobilibus scriptoribus avide acceptas, ridiculas merito fecit Tac. An. iv, 11.

2 *Aperire ambages.* Hæc ipsis Illustr. Huetii verbis exponam. Instabat apud Vitellium Narcissus, ut Claudio aperiret, quid facto opus esset; nec pervicit quin incerta responderet Vitellius, et quæ trahi possent, quo res esset inclinatura.

3 *Accusator.* Narcissus.

1 *Patris Silii.* C. Silius, pater, Sacroviriani belli victor, partisque apud Germaniam triumphalibus nobilis, perniciosa sub Tiberio Germanici amicitia, infeliciter perierat, ut dictum sup. An. iv, 18. Senatusconsulto abolitam patris effigiem restituerat filius, et in ædium vestibulo, Romanorum more, posuerat.

monstrat: tum quidquid habitum Neronibus[2] et Drusis, in pretium probri cessisse: incensumque et ad minas erumpentem, castris infert, parata concione militum; apud quos, præmonente Narcisso, pauca verba fecit. Nam etsi justum dolorem, pudor impediebat. Cohortium clamor dehinc continuus, "nomina reorum et pœnas" flagitantium: admotusque Silius tribunali,[3] non defensionem, non moras tentavit, precatus "ut mors adceleraretur." Eadem constantia et inlustres equites Romanos cupidos maturæ necis fecit. Titium Proculum custodem[4] a Silio Messalinæ datum, et indicium offerentem Vectium Valentem, et confessum, et Pompeium Urbicum, ac Saufellum Trogum ex consciis "trahi ad supplicium," jubet. Decius quoque Calpurnianus, vigilum præfectus,[5] Sulpicius Rufus, ludi procurator,[6] Juncus Virgilianus, senator, eadem pœna adfecti.

36. Solus Mnester[1] cunctationem attulit, dilaniata veste, clamitans "aspiceret verberum notas, reminisceretur vocis, qua se obnoxium[2] jussis Messalinæ dedisset. Aliis largitione, aut spei magnitudine, sibi ex necessitate culpam: nec cuiquam ante pereundum fuisse, si Silius rerum potiretur." Commotum his, et pronum ad misericordiam Cæsarem perpulere liberti, "ne, tot inlustribus viris interfectis, histrioni consuleretur: sponte an coactus tam magna peccavisset, nihil referre." Ne Trauli quidem Montani, equitis Romani, defensio recepta est: is modesta juventa, sed corpore insigni, accitus ultro, noctemque intra unam a Messalina proturbatus erat, paribus lasciviis ad cupidinem et fastidia. Suilio Cæsonino, et Plautio Laterano mors remittitur: huic ob patrui[3] egregium

2 *Quidquid—Neronibus.* Id est domum, servitia, pretiosam supellectilem, ceterosque fortunæ paratus, olim a Neronibus et Drusis habita, nunc Silio a Messalina concessa.

3 *Silius tribunali.* Quod erat in prætorianorum castris. De tribunali dictum sup. An. i, 18 sq.

4 *Custodem.* Datos uxoribus custodes sæpe memorant Tibullus, Propertius, et Martialis. Sæpe infidos fuisse docet Juvenal. vi, 345. 'Audio quid veteres olim moneatis amici: Pone seram: cohibe. Sed quis custodiet ipsos Custodes? Cauta est, et ab illis incipit uxor.'

5 *Vigilum præfectus.* Septem erant vigilum cohortes, quæ nocturnas vigilias Romæ agebant. De his dictum An. iv, 5. not. inf.

6 *Ludi procurator.* Circensium aliorumve ludorum procurator.

1 *Mnester.* Histrio, Caio Claudioque imperitantibus, celeberrimus. V. Suet. Cai. 36 et 55.

2 *Se obnoxium.* Id retulit Dio lx, p. 679 et 680. Nos quoque diximus in Suppl. An. ix, 48.

3 *Ob patrui.* Patruus A. Plautius, bello egregius, qui Britanniam subegit. De illo inf. Vit. Agr. 14. V. et Suet. Claud. 24. Nos plurima memoravimus in Suppl. An. ix, 51 sq.

meritum; Cæsoninus vitiis protectus est, tamquam in illo fœdissimo cœtu[4] passus muliebria.

37. Interim Messalina Lucullianis in hortis prolatare vitam, componere preces, nonnulla spe, et aliquando ira: tanta inter extrema superbia agebat. Ac ni cædem ejus Narcissus properavisset, verterat pernicies in accusatorem. Nam Claudius domum regressus, et tempestivis epulis delinitus, ubi vino incaluisset, "iri" jubet "nuntiarique miseræ" (hoc enim verbo usum ferunt) "dicendam ad causam postera die adesset." Quod ubi auditum, et languescere ira, redire amor, ac si cunctarentur, propinqua nox, et uxorii cubiculi memoria timebantur; prorumpit Narcissus, denuntiatque centurionibus et tribuno qui aderant, "exsequi cædem; ita Imperatorem jubere." Custos et exactor e libertis, Evodus datus. Isque raptim in hortos prægressus, reperit fusam humi, adsidente matre Lepida:[1] quæ florenti filiæ haud concors, supremis ejus necessitatibus ad miserationem evicta erat; suadebatque "ne percussorem opperiretur: transisse vitam, neque aliud, quam morti, decus quærendum." Sed animo per libidines corrupto, nihil honestum inerat: lacrymæque et questus inriti ducebantur; cum impetu venientium pulsæ fores, adstitit tribunus per silentium, ac libertus increpans[2] multis ac servilibus probris.

38. Tunc primum fortunam suam introspexit, ferrumque accepit, quod frustra jugulo ac pectori per trepidationem admovens, ictu tribuni transfigitur: corpus matri concessum. Nuntiatumque Claudio epulanti "perisse Messalinam," non distincto, sua, an aliena, manu: nec ille quæsivit; poposcitque poculum, et solita convivio celebravit. Ne secutis quidem diebus, odii, gaudii, iræ, tristitiæ, ullius denique humani affectus signa dedit; non cum lætantes accusatores aspiceret, non cum filios mœrentes. Juvitque oblivionem ejus senatus,

4 *Fœdissimo cœtu.* Spurcitiarum et bacchanalium.

1 *Matre Lepida.* Valeria Messalina, Augusta, aut potius *meretrix Augusta,* ut eam appellat, Juvenal. vi, 118. filia erat Valerii Messalæ Barbati, et Domitiæ Lepidæ. V. Stem. Cæs. n. 24. 25 et 26. Cl. Ryckius aliam genealogiam consarcinavit; sed minime probabilem, si quis ad annum emortualem L. Domitii Ahenobarbi, Tac. An. iv, 44. attenderit. Quis enim crediderit, nulla auctoritate ductus, tantum fuisse ætatis discrimen inter Claudium et Messalinam, cum nuberent?

2 *Tribunus—increpans.* Digna utroque persona. Inter has principum calamitates silent nobiles viri, servi insolescunt. Feralem hujusmodi tribunum vidimus sup. An. i, 6.

censendo "nomen et effigies[1] privatis ac publicis locis demovendas:" decreta Narcisso "quæstoria insignia;" levissimum fastigii ejus, cum supra Pallantem et Callistum[2] ageret. Honesta quidem,[3] sed ex quibus deterrima orirentur, tristitiis multis.[4]

1 *Nomen et effigies.* Senatus adeo sæviit, ut omnes Messalinæ nummi aurei argenteique perierint, nulli etiam æerei supersint, nisi rarissimi et in Coloniis cusi. Quædam adhuc reperiuntur statuæ: una fuit ærea in Museo Collegii Ludovici Magni cum inscriptione, MES. AVG. i. e. 'Messalina Augusta.'

2 *Pallantem et Callistum.* Præcipui, Tiberio imperitante, liberti, Pallas, Callistus et Narcissus. Pallas Principi erat a rationibus. Callistus priori regiæ, et isti acceptissimus, cujus ante limen Claudium stantem vidit Seneca Ep. 47. Narcissus ab epistolis, eo potentiæ, cæsa Messalina, pervenit, ut hominum potentissimus, plus quam quater millies sestertium possideret, eumque urbes ac reges colerent, *μέγιστον τῶν ποτε ἀνθρώπων δυνηθείς. Μυριάδας τε γὰρ πλείους μυρίων εἶχε, καὶ προσεῖχον αὐτῷ καὶ πόλεις καὶ βασιλεῖς.* Quater autem millies sestertium efficiunt *Angl.* 3,229, 166*l.* 13*s.* 4*d.* Vide adhuc Plin. xxxiii, 10. Suet. Claud. 27. Sen. in ludo de morte Claudii. Paucis, sed acerrime Juvenal. xiv, 328. 'Nec Crœsi fortuna unquam, nec Persica regna Sufficient animo, nec divitiæ Narcissi, Indulsit Cæsar cui Claudius omnia, cujus Paruit imperiis uxorem occidere jussus.'

3 *Honesta quidem.* Cædes Messalinæ, adversus nomen ejus et effigies sævitia, quæstoria insignia Narcisso data, hæc quidem omnia honesta, sed ex quibus deterrima, Claudii infamia, Agrippinæ scelera, orirentur.

4 *Tristitiis multis.* Præter alia innumera luctus argumenta, hæc tristia Claudio, cujus domum evertere, ipsum peremere: tristia quoque Agrippinæ, ob scelera intestabili, propter mortis genus tamen miserandæ: tristia demum ipsi Narcisso, qui post asperam custodiam, et extremam necessitatem, ad mortem actus est, ut dicetur inf. An. xiii, 1.

BREVIARIUM

LIBRI DUODECIMI.

---

1. Claudius de matrimonio deliberat. Inter Lolliam Paullinam, Juliam Agrippinam et Æliam Petinam certatur. 3. Pallantis studio, suisque illecebris, Agrippina prævalet: justæ inter patruos et fratrum filias nuptiæ decreto senatus statuuntur. 8. Mortem sibi consciscit Silanus: Calvina, soror ejus, Italia pellitur. Annæus Seneca ab exilio revocatus. 9. Octavia, Claudii filia, Neroni desponsa. 10. Parthi regem Roma petunt Meherdaten; qui, prælio congressus, a Gotarze vincitur. Mors Gotarzis; Vonones succedit: mox Vologeses. 15. Mithridates Ponti regnum reciperare tentat: victus, Romam ducitur. 22. Lollia et Calpurnia Agrippinæ odiis pervertuntur. 23. Repetitum Salutis augurium. Pomœrium Urbis prolatum: veteres ejus fines. 25. Nero a Claudio adoptatur. 27. Colonia in oppidum Ubiorum deducta, ut Agrippinæ nomen inclaresceret. Catti, latrocinia agitantes, victi. 29. Vannius, Suevorum rex, pellitur regno. 31. P. Ostorii in Britannia res; et de Caractaco victoria. Ostorio, vita functo, suffectus A. Didius. 41. Virilis toga Neroni maturata: Britannicus posthabitus Agrippinæ artibus. 43. Romæ prodigia, et annonæ caritas. 44. Bellum inter Armenios Iberosque, Parthis ac Romanis gravissimorum inter se motuum causa. 52. Furius Scribonianus in exilium actus. Mathematici Italia pulsi. 53. Senatusconsultum de pœna fœminarum, quæ servis conjungerentur. Pallantis, quem repertorem relationis ediderat Claudius, præmia. 54. Commotæ Judææ quies reddita, damnato Cumano. 55. Clitarum turbas componit Antiochus. 56. Claudius lacum Fucinum emittit, edito prius navalis prælii spectaculo. 58. Causas Iliensium et Bononiensium orat Nero. Bononiensi coloniæ igni haustæ subventum. Reddita Rhodiis libertas. Tributum Apamensibus in quinquennium remissum. 59. Statilium Taurum Agrippina evertit. 60. Procuratorum in provinciis auctoritas stabilita. 61. Data Cois immunitas. 62. Byzantiis tributa in quinquennium remissa. 64. Crebra prodigia. Lepidæ mors indicta. 66. Claudius adversa valetudine cor-

ripitur. Agrippina, occasionis propera, infuso boletis veneno eum interimit. 69. Britannico Agrippinæ blanditiis eluso, Nero Imperator consalutatur. Claudio cœlestes honores decernuntur.

Hæc gesta annis sex.

A. U. C.	J. C.		
DCCCII.	49.	Coss.	C. Pompeio Longino Gallo, Q. Veranio.
DCCCIII.	50.	Coss.	C. Antistio Vetere, M. Suilio Nerviliano.
DCCCIV.	51.	Coss.	Ti. Claudio Cæsare V, Ser. Cornelio Orphito.
DCCCV.	52.	Coss.	P. Cornelio Sylla Fausto, L. Salvio Othone Titiano.
DCCCVI.	53.	Coss.	Decimo Junio Silano, Quinto Haterio Antonino.
DCCCVII.	54.	Coss.	M. Asinio Marcello, Manio Acilio Aviola.

C. CORNELII TACITI

ANNALES.

LIBER DUODECIMUS.

A.U.C. 801. J.C. 48.

1. CÆDE Messalinæ convulsa Principis domus, orto apud libertos certamine, quis deligeret uxorem Claudio cœlibis vitæ intoleranti,[1] et conjugum imperiis obnoxio. Nec minore ambitu fœminæ exarserant, suam quæque nobilitatem, formam, opes contendere, ac digna tanto matrimonio ostentare. Sed maxime ambigebatur inter Lolliam Paullinam,[2] M. Lollii consularis filiam, et Juliam Agrippinam,[3] Germanico genitam: huic Pallas, illi Callistus, fautores aderant: at Ælia Petina[4] e familia Tuberonum, Narcisso fovebatur. Ipse modo huc, modo illuc, ut quemque suadentium audierat, promtus, discordantes in consilium vocat, ac "promere sententiam, et adjicere rationes" jubet.

2. Narcissus "vetus matrimonium, familiam communem"

1 *Intoleranti.* Hæc illustrat Suet. Claud. 26. Post Messalinæ cædem Claudius 'confirmavit pro concione apud prætorianos, quatenus sibi matrimonia male cederent, permansurum se in cœlibatu : ac nisi permansisset, non recusaturum confodi manibus ipsorum. Nec durare valuit quin de conditionibus continuo tractaret, etiam de Petinæ, quam olim exegerat, deque Lolliæ Paullinæ, quæ Caio Cæsari nupta fuerat. Verum illecebris Agrippinæ, Germanici fratris sui filiæ, per jus osculi et blanditiarum occasiones pellectus in amorem, subornavit proximo senatu, qui censeret cogendum se ad ducendum eam uxorem, quasi reipublicæ maxime interesset: dandamque ceteris veniam talium conjugiorum, quæ ad id tempus incesta habebantur. Ac vix uno interposito die, confecit nuptias : non repertis, qui sequerentur exemplum, excepto libertino quodam, et altero primipilari, cujus officium nuptiarum et ipse cum Agrippina celebravit.' Hæc longiora; sed minime omittenda, ut Principis, hujusque ætatis mores cognoscantur.

2 *Lolliam Paullinam.* De ea immensisque ejus opibus v. Stem. Cæs. n. 89. et Suppl. An. vii, 35. viii, 28.

3 *Juliam Agrippinam.* Neronis matrem. V. Stem. Cæs. n. 93.

4 *Ælia Petina.* Olim Claudio nupta; sed ob leves offensas repudiata. V. Stem. Cæs. n. 104.

(nam Antonia[1] ex Petina erat) "nihil in penatibus ejus novum" disserebat, "si sueta conjunx rediret, haud quaquam novercalibus odiis usura in Britannic m et Octaviam,[2] proxima suis pignora." Callistus "improbatam longo discidio, ac si rursus adsumeretur, eo ipso superbam; longeque rectius Lolliam induci, quando nullos liberos genuisset, vacuam æmulatione, et privignis[3] parentis loco futuram." At Pallas id maxime in Agrippina laudare, quod "Germanici nepotem[4] secum traheret, dignum prorsus imperatoria fortuna; stirpem nobilem, et familiæ Claudiæ, quæ posteros conjungeret;[5] nec fœmina,[6] expertæ fœcunditatis, integra juventa, claritudinem Cæsarum aliam in domum ferret."

3 Prævaluere hæc, adjuta Agrippinæ inlecebris; quæ ad eum per speciem necessitudinis crebro ventitando, pellicit patruum,[1] ut prælata ceteris, et nondum uxor, potentia uxoria jam uteretur. Nam ubi sui matrimonii certa fuit, struere majora, nuptiasque Domitii,[2] quem ex Cn. Ahenobarbo genuerat, et Octaviæ, Cæsaris filiæ, moliri: quod sine scelere perpetrari non poterat, quia L. Silano desponderat Octaviam Cæsar; juvenemque et alia clarum,[3] insigni triumphalium, et gladiatorii muneris magnificentia, protulerat ad studia vulgi. Sed nihil arduum videbatur in animo principis,[4] cui non judicium, non odium erat, nisi indita et jussa.

1 *Antonia.* Claudii et Æliæ Petinæ filia. V. Stem. Cæs. n. 105.

2 *Britannicum et Octaviam.* Claudio et Messalina genitos. V. Stem. Cæs. n. 108 et 36.

3 *Et privignis.* Antoniæ, Britannico, et Octaviæ.

4 *Germanici nepotem.* Neronem. postea Principem. V. Stem. Cæs. n. 35.

5 *Posteros conjungeret.* Agrippinæ filius; Claudii liberi, Antonia, Britannicus, et Octavia, familiæ Claudiæ posteri, conjungebantur; nec in aliam domum claritudo Cæsarum ferebatur.

6 *Nec fœmina.* Agrippina.

1 *Patruum.* Claudium, fratrem Germanici, patruum Agrippinæ. V. Stem. Cæs. n. 100.

2 *Nuptiasque Domitii.* Domitii Neronis, postea Principis, Cn. Domitio Ahenobarbo et Agrippina geniti. V. Stem. Cæs. n. 35. In nummis et Inscriptionibus memoratur CN. DOMITIVS AHENOBARBVS. De causa cognominis v. Sueton. Ner. 1.

3 *Alia clarum.* De Silani claritudine plura habet Dio, LX. p. 686. ὁ Σιλανὸς ἀνὴρ ἀγαθὸς ἐνομίζετο· οὕτως ἐτιμᾶτο ὥστε καὶ ἐπινικίους τιμὰς ἐν παισὶ λαβεῖν· τήν τε θυγατέρα αὐτοῦ Ὀκταουΐαν ἐγγυήσασθαι, καὶ πολὺ πρὸ τοῦ καθήκοντος χρόνου στρατηγῆσαι· τήν τε πανήγυριν τὴν προσήκουσαν αὐτῷ τοῖς ἐκείνου τέλεσιν ποιῆσαι, καὶ ἐν αὐτῇ τὸν Κλαύδιον καὶ αἰτῆσαί τινα παρ' αὐτοῦ ὥσπερ τινὰ στασιάρχην, καὶ ἐκβοῆσαι πάνθ' ὅσα τοὺς ἄλλους βουλομένους ἑώρα. 'Silanus vir optimus habebatur, tantique eum Claudius fecerat, ut et triumphalia ornamenta nondum puberi daret, et filiam suam Octaviam desponderet; cumque multo ante legitimum tempus prætor esset creatus, munus gladiatorium, quod ab ipso præbendum erat, Claudii sumtibus fecit; atque in eo munere Claudius, tamquam aliquis factionis princeps, quædam ab ipso flagitavit, et contenta voce edidit quæcunque alios velle intelligebat.' V. et Stem. Cæs. n. 60.

4 *In animo principis.* Claudii, hebetis et uxorii Principis.

4. Igitur Vitellius, nomine censoris[1] serviles fallacias obtegens, ingruentiumque dominationum provisor, quo gratiam Agrippinæ pararet, consiliis ejus implicari, serere crimina in Silanum, cui sane decora et procax soror, Junia Calvina,[2] haud multum ante Vitellii nurus fuerat: hinc initium accusationis, fratrumque non incestum, sed incustoditum[3] amorem ad infamiam traxit: et præbebat Cæsar aures, accipiendis adversum generum suspicionibus caritate filiæ promtior.[4] At Silanus, insidiarum nescius, ac forte eo anno prætor, repente per edictum Vitellii[5] ordine senatorio movetur, quamquam lecto pridem senatu, lustroque condito:[6] simul adfinitatem Claudius diremit, adactusque Silanus ejurare magistratum, et reliquus præturæ dies[7] in Eprium Marcellum collatus est.

A.U.C. 802. J.C. 49.

5. C. Pompeio, Q. Veranio consulibus,[1] pactum inter Claudium et Agrippinam matrimonium. Jam fama, jam amore inlicito firmabatur, necdum celebrare solemnia nuptiarum audebant, nullo exemplo[2] deductæ in domum patrui

1 *Nomine censoris.* L. Vitellius factus anno superiore collega Claudii Principis in censura. Servile Vitellii ingenium, artem Taciti in vitiis retegendis, moresque Romanos hujusce temporis intelligere est ex Suet. Vitell. 2. et 3. L. Vitellius 'miri in adulando ingenii, primus Caium Cæsarem adorari ut Deum instituit—Claudium uxoribus libertisque addictum, ne qua non arte demereretur, pro maximo munere a Messalina petiit, ut sibi pedes præberet excalceandos: detractumque socculum dextrum inter togam tunicasque gestavit assidue, nonnumquam osculabundus. Narcissi quoque et Pallantis imagines aureas inter Lares coluit—Defunctum senatus publico funere honoravit: item statua pro rostris, cum hac inscriptione: Pietatis immobilis erga Principem.' De Vitellio adhuc dictum in Suppl. An. viii, 52.

2 *Junia Calvina.* L. Silani soror. V. Stem. Cæs. n. 62.

3 *Sed incustoditum.* Silanum inter et Calvinam non incestus, sed incustoditus tantum et incautus amor. Inde Seneca in ludo de morte Claudii. 'L. Silanum generum suum occidit [Claudius]. Oro propter quid! sororem suam, festivissimam omnium puellarum, quam omnes Venerem vocarent, maluit Junonem vocare. Quare, inquit, quæro enim, sororem suam stulte studere!' 'Junonis' nomen in crimen vertebatur, quasi Calvina, æque ac Dea, soror simul esset et conjux.

4 *Promtior.* Tanto promtior accipiendis adversus generum suum, Silanum, suspicionibus, quanto magis diligebat filiam suam, Octaviam, illi destinatam.

5 *Edictum Vitellii.* Censoriaque potestate, de qua diximus satis in not. et em. ad An. xi, 25.

6 *Lustroque condito.* De lustro dictum sup. An. xi, 25.

7 *Reliquus—dies.* iv. Kalendas Januarias prætura se abdicavit Silanus. Quatuor ergo dies tantum supererant. V. Suet. Claud. 29.

1 *Q. Veranio coss.* C. Pompeius Longinus Gallus et Q. Veranius coss. fuere A. U. C. 802. J. C. 49. In vetere inscr. apud Muratori, Thes. Inscr. Vol. i, p. 305. Q. VERANIO. A. POMPEIO GALLO COSS. Unde forte *Aulus*, non vero *Caius*, fuit Pompeii prænomen.

2 *Nullo exemplo.* Nuptias celebrare non audebant, primo, quod apud Romanos nullum esset exemplum fratris filiæ in domum patrui deductæ; secundo, quod talia conjugia 'ad id tempus incesta' essent habita, Suet. Claud. 26. Tertio, quod id in malum publicum morumque pestem erumperet.

fratris filiæ. Quin et incestum, ac, si sperneretur, ne in malum publicum erumperet, metuebatur. Nec ante omissa cunctatio, quam Vitellius suis artibus id perpetrandum sumsit. Percunctatusque Cæsarem, "an jussis populi, an auctoritati senatus cederet?" ubi ille "unum se civium, et consensui imparem"[3] respondit, "opperiri intra palatium" jubet: ipse curiam ingreditur, summamque rempublicam agi obtestans, veniam dicendi ante alios exposcit, orditurque: "Gravissimos Principis labores, queis orbem terræ capessat, egere adminiculis, ut, domestica cura vacuus, in commune consulat: quod porro honestius censoriæ mentis[4] levamen, quam adsumere conjugem, prosperis dubiisque sociam? cui cogitationes intimas, cui parvos liberos tradat; non luxui, aut voluptatibus adsuefactus, sed qui prima ab juventa legibus obtemperavisset."

6. Postquam hæc favorabili oratione præmisit, multaque patrum assentatio sequebatur; capto rursus initio, "Quando maritandum Principem cuncti suaderent, deligi oportere fœminam nobilitate, puerperiis, sanctimonia insignem. Nec diu anquirendum, quin Agrippina claritudine generis anteiret: datum ab ea fœcunditatis experimentum; et congruere artes honestas. Id vero egregium, quod, provisu Deum, vidua[1] jungeretur Principi, sua tantum matrimonia experto: audivisse a parentibus, vidisse ipsos, arripi conjuges ad libita Cæsarum:[2] procul id a præsenti modestia: statueretur immo documentum, quo uxorem[3] Imperator acciperet. At enim nova nobis in fratrum filias conjugia, sed aliis gentibus[4] solemnia, neque lege ulla prohibita. Et sobrinarum[5] diu ignorata,

3 *Consensui imparem.* Se unum esse dumtaxat civium, et omnium consensui obniti non posse. In Ms. Reg. et Ed. Puteolani *consensu.*

4 *Censoriæ mentis.* Censor erat Claudius, ut dictum sup.

1 *Vidua.* Agrippina tum vidua: ante nupta primum Cn. Domitio Ahenobarbo, deinde Passieno Crispo. V. Stem. Cæs. n. 34. 93 et 94.

2 *Ad libita Cæsarum.* Id peccaverat Augustus, ac maxime Caius Caligula.

3 *Quo uxorem.* Documentum, quo Agrippinam uxorem Imperator acciperet. V. not. et em. ad An. xii, 6.

4 *Aliis gentibus.* Atheniensibus, Judæis. V. Grot. de Jure Bell. et Pac. ii, 5. n. 14.

5 *Sobrinarum.* I. e. consobrinarum. Voces illæ, quæ a Jurisconsultis distinguuntur, ab optimis scriptoribus promiscue usurpantur, ut Grammaticis observatum. Jam ante A. U. C. 583. vel modici generis hominibus usitata fuisse cum consobrinis matrimonia constat ex oratione Ligustini ap. Liv. xlii, 34. 'Sp. Ligustinus, tribus Crustuminæ ex Sabinis sum oriundus, Quirites. Pater mihi jugerum agri reliquit, et parvum tugurium, in quo natus educatusque sum: hodieque ibi habito. Cum primum in ætatem veni, pater mihi uxorem fratris sui filiam dedit: quæ secum nihil attulit præter libertatem, pudicitiamque, et cum his fœcunditatem, quanta vel in diti domo satis esset.'

tempore addito percrebuisse: morem accommodari prout conducat; et fore hoc quoque in his, quæ mox usurpentur."

7. Haud defuere qui certatim, "si cunctaretur Cæsar, vi acturos" testificantes, erumperent curia. Conglobatur promiscua multitudo, "populumque Romanum eadem rogare" clamitat. Nec Claudius ultra expectato, obvium apud forum præbet se gratantibus; senatumque ingressus "decretum postulat,[1] quo justæ inter patruos fratrumque filias nuptiæ etiam in posterum statuerentur." Neque tamen repertus est, nisi unus[2] talis matrimonii cupitor, T. Alledius Severus, eques Romanus, quem plerique "Agrippinæ gratia impulsum" ferebant. Versa ex eo civitas, et cuncta fœminæ obediebant, non per lasciviam, ut Messalinæ, rebus Romanis inludenti. Adductum,[3] et quasi virile, servitium. Palam severitas, ac sæpius superbia: nihil domi impudicum, nisi dominationi[4] expediret: cupido auri immensa obtentum habebat, quasi subsidium regno pararetur.

8. Die nuptiarum[1] Silanus sibi mortem conscivit: sive eo usque spem vitæ produxerat; seu delecto die, augendam ad invidiam. Calvina, soror ejus, Italia pulsa est. Addidit Claudius, "sacra ex legibus Tulli[2] regis piaculaque apud lucum Dianæ[3] per pontifices danda:" inridentibus cunctis,[4] quod pœnæ procurationesque[5] incesti id temporis exquirerentur.

1 *Decretum postulat.* Juxta hoc decretum Domitiano Titi fratris filia in matrimonium oblata, Suet. Domit. 22. Illud abrogavit Nerva, teste Dione, lxviii, p. 770. ἐνομοθέτησε—μήτι ἀδελφιδῆν γαμεῖν. Cum tamen diversæ sint de hac lege Jurisconsultorum sententiæ, vide quæ ad hunc Dionis locum observat eruditus Reimarus.

2 *Nisi unus.* Duos fuisse tradit Suet. Claud. 26. jam laudatus sup. c. 1. not. inf. Forte libertinum, de quo Suet. haud memorandum duxit Tac.

3 *Adductum.* Grave fuit servitium, et æque durum ac si viro obtemperaretur. 'Adductum' pro 'grave,' 'austerum,' adhuc usurpatur inf. An. xiv, 4. Sicque apud Suet. in Tib. 68. Tiberius 'adducto fere vultu, plerumque tacitus' dicitur.

4 *Nisi dominationi.* Dominationi Agrippinæ. Immensam quoque suam auri cupidinem obtentu subsidiorum regno parandorum velabat.

1 *Die nuptiarum.* Suet. in Claud. 29. Silanus 'abdicare se prætura ante quartum Kalendas Januarias, morique initio anni coactus, die ipso Claudii et Agrippinæ nuptiarum.'

2 *Ex—Tulli.* Sacra illa eadem esse videntur ac piacula, quibus sororis suæ cædem expiavit Horatius apud Liv. i, 26. 'Ut cædes manifesta aliquo tamen piaculo lueretur, imperatum patri, filium expiaret pecunia publica. Is, quibusdam piacularibus sacrificiis factis, quæ deinde genti Horatiæ tradita sunt, transmisso per viam tigillo, capite adoperto, velut sub jugum misit juvenem.' De his quoque sacris v. Dion. Hal. iii, p. 159 et 160.

3 *Lucum Dianæ.* Plin. xvi, 44. 'Est in suburbano Tusculani agri, [Frascati,] colle, qui Corne appellatur, lucus antiqua religione Dianæ sacratus a Latio.'

4 *Inridentibus cunctis.* Quis non rideret Principem scelera patrantem simul et expiantem!

5 *Procurationesque.* I. e. pœnæ et piacula. Cl. Amelot de la Houssaie contendit procurationes illas de senatusconsulto,

At Agrippina, ne malis tantum facinoribus notesceret, veniam exilii pro Annæo Seneca, simul præturam impetrat, lætum in publicum rata, ob claritudinem studiorum ejus; utque Domitii[6] pueritia tali magistro adolesceret, et consiliis ejusdem ad spem dominationis uterentur: quia Seneca fidus in Agrippinam, memoria beneficii, et infensus Claudio, dolore injuriæ,[7] credebatur.

9. Placitum dehinc non ultra cunctari: sed designatum consulem, Memmium Pollionem,[1] ingentibus promissis inducit, sententiam expromere, qua oraretur Claudius, "despondere Octaviam Domitio:" quod ætati utriusque non absurdum, et majora patefacturum erat. Pollio haud disparibus verbis, ac nuper Vitellius,[2] censet: despondeturque Octavia: ac super priorem necessitudinem, sponsus jam et gener Domitius æquari Britannico, studiis matris, et arte eorum,[3] queis ob accusatam Messalinam ultio ex filio timebatur.

10. Per idem tempus legati Parthorum ad expetendum, ut retuli,[1] Meherdaten missi, senatum ingrediuntur, mandata in hunc modum incipiunt: "Non se fœderis ignaros, nec defectione a familia Arsacidarum venire: sed filium Vononis,[2] nepotem Phraatis, accedere adversus dominationem Gotarzis, nobilitati plebique juxta intolerandam. Jam fratres, jam propinquos, jam longius sitos, cædibus exhaustos: adjici conjuges gravidas, liberos parvos, dum socors domi, bellis infaustus, ignaviam sævitia tegat. Veterem sibi ac publice cœptam nobiscum amicitiam; et subveniendum sociis, virium æmulis, cedentibusque per reverentiam. Ideo regum obsides liberos dari, ut si domestici imperii tædeat, sit regressus ad Principem patresque, quorum moribus adsuefactus rex melior adscisceretur."

11. Ubi hæc atque talia dissertavere, incipit orationem

quo justæ inter patruos fratrumque filias nuptiæ statutæ sunt, esse intelligendas. At eo sensu non usurpatur 'procuratio.' Contra vero de piaculis dicitur. Sic enim Tullius de Div. i, 45. 'Ut sue plena procuratio fieret.'

6 *Domitii.* Neronis.

7 *Dolore injuriæ.* Annæus Seneca adulterii cum Julia Livilla, Caii sorore, a Messalina accusatus, in Corsicam insulam relegatus fuit A. U. C. 794. V. Suppl. An. ix, 24.

1 *Memmium Pollionem.* Hoc ipso A. U. C. 802. L. Memmius Pollio et Q. Allius Maximus coss. fuere suffecti.

2 *Vitellius.* Sup. c. 5.

3 *Et arte eorum.* Ita Ms. Reg. In vulgatis libris omissa copula. *Arte eorum,* i. e. libertorum, ac maxime Narcissi, qui ob accusatam Messalinam ultionem ex Britannico, ejus filio, si unquam imperaret, timebant.

1 *Retuli.* Sup. An. xi, 10.

2 *Filium Vononis.* Meherdaten.

Cæsar "de fastigio Romano, Parthorumque obsequiis:" seque divo Augusto adæquabat, "petitum ab eo regem"[1] referens, omissa Tiberii memoria, quamquam is quoque miserat.[2] Addiditque præcepta (etenim aderat Meherdates) "ut non dominationem et servos, sed rectorem et cives[3] cogitaret, clementiamque ac justitiam quanto ignara barbaris, tanto toleratiora capesseret." Hinc versus ad legatos, extollit laudibus "alumnum Urbis, spectatæ ad id modestiæ; ac tamen ferenda[4] regum ingenia, neque usui crebras mutationes: rem Romanam huc satietate gloriæ provectam, ut externis quoque gentibus quietem velit." Datum post hæc C. Cassio, qui Syriæ præerat, deducere juvenem ripam ad Euphratis.

12. Ea tempestate Cassius[1] ceteros præeminebat peritia legum: nam militares artes per otium ignotæ, industriosque aut ignavos pax in æquo tenet. Attamen, quantum sine bello dabatur, revocare priscum morem, exercitare legiones, cura, provisu, perinde agere, ac si hostis ingrueret. Ita dignum majoribus suis, et familia Cassia ratus, per illas quoque gentes celebrata.[2] Igitur excitis quorum de sententia petitus rex, positisque castris apud Zeugma,[3] unde maxime pervius amnis, postquam inlustres Parthi rexque Arabum Abgarus[4] advenerat; monet Meherdaten, "barbarorum impetus acres, cunctatione languescere, aut in perfidiam mutari: itaque urgeret cœpta." Quod spretum fraude Abgari, qui juvenem ignarum, et summam fortunam in luxu ratum, multos per dies attinuit apud oppidum Edessam.[5] Et vocante Carrhene,[6] "promtas-

1 *Petitum—regem.* Missumque Vononen, ut dictum sup. An. ii, 2.

2 *Is—miserat.* Immo duos miserat, Phraaten, An. vi, 31. et Tiridaten, An. vi, 32. At ille, nondum regnum potitus, obiit: hic brevi pulsus. Ideo forte eos omisit Claudius.

3 *Rectorem et cives.* Egregie dictum. Se non dominatorem, sed rectorem, populos non esse servos, sed cives, cogitaret. De his antithetis v. Grot. de Jur. Bell. ac Pac. iii, 8. n. 2.

4 *Ferenda.* Recte enim de regibus, ut de parentibus dictum: 'Ames parentem, si æquus est: si non, feras.' Hæc erudite simul et Christiane illustrat Grot. de Jur. Bell. ac Pac. i, 4. n. 4 et 5.

1 *Cassius.* De Cassio Longino v. not. et em. ad An. xii, 12.

2 *Celebrata.* C. Cassius, Cæsaris dictatoris interfector, Romanos, devicto a Parthis Crasso A. U. C. 701. superstites servavit; Osacen, Parthorum, ducem occidit; Pacorum ex Syria fugavit, Dio xl, p. 132 sq.

3 *Apud Zeugma.* Plin. v, 24. Urbs Cyrrhesticæ 'Zeugma LXXII millibus passuum a Samosatis, transitu Euphratis nobile.' Zeugma, ita dictum a Græco ζεύγνυμι, 'jungo,' nunc dicitur *Manbeg.*

4 *Abgarus.* De Abgaro Arabum, i. e. Edessenorum rege, v. not. et em. ad An. xii, 12.

5 *Edessam.* Urbem Mesopotamiæ, Abgari regiam: nunc dicitur *Orfa.* Eam ab Abgaro *Vehomo* conditam (verius instauratam et ornatam dixisset) prodit Moses Chorenensis, Histor. Armeniac. ii, 26.

6 *Carrhene.* Duce aliquo Abgari.

-que res" ostentante "si citi advenissent," non cominus Mesopotamiam, sed flexu Armeniam[7] petunt, id temporis importunam, quia hiemis occipiebat.

13. Exin nivibus et montibus fessi, postquam campos propinquabant, copiis Carrhenis adjunguntur. Transmissoque amne Tigri, permeant Adiabenos,[1] quorum rex Izates[2] societatem Meherdatis palam induerat: in Gotarzen per occulta et magis fida inclinabat. Sed capta in transitu urbs Ninos,[3] vetustissima sedes Assyriæ, et Arbela,[4] castellum insigne fama, quod postremo inter Darium atque Alexandrum prælio Persarum illic opes considerant. Interea Gotarzes apud montem, cui nomen *Sambulos*,[5] vota Diis loci[6] suscipiebat, præcipua religione Herculi: qui, tempore stato, per quietem monet sacerdotes, "ut, templum juxta, equos venatui adornatos[7] sistant." Equi, ubi pharetras telis onustas accepere, per saltus vagi, nocte demum vacuis pharetris, multo cum

7 *Flexu Armeniam.* Breviter, sed accuratissime et ad Geographiam accommodatissime dictum. Meherdates, Edessa profectus, non cominus Mesopotamiam petiit, sed flexit ad Armeniam ob montes aditu difficiles, tum etiam ob hiemem et nives omnino importunam: postquam campos propinquavit, adjunctæ sunt Carrhenis copiæ; Tigrinque videtur trajecisse, ubi nunc urbs *Diarbekir*.

1 *Adiabenos.* Plin. vi, 13. 'Adiabene Assyriorum initium.' Nunc *part of Kurdistan and Mesopotamia.*

2 *Rex Izates.* De Izate rebusque Parthicis multa habet Joseph. Antiq. Jud. xx, 2 et 3.

3 *Urbs Ninos.* Urbs Ninus, vel Ninive, qua nulla olim clarior, nunc pagus dictus *Nino*, ex adverso urbis *Mosul.* In dextra Tigris ripa *Mosul*, in læva *Nino*.

4 *Et Arbela.* Apud Plin. vi, 13. Adiabenæ 'pars est Arbelitis,' in qua Arbela, nunc *Erbil.*

5 *Sambulos.* Tabulis Geographicis Corbulonis utebatur Tacitus, quæ in hac terrarum parte, ut in multis, erant nostris pleniores et accuratiores. Minus enim ac lentius studiis et literis, quam bellis et victoriis illustratur Geographia. Frustra ergo divinaretur qui sit mons iste *Sambulos*, quod flumen *Corma*. Ne tamen locorum omnino rudes simus, videtur Meherdaten Arbela obviam Gotarzi processisse; et Gotarzen Hecatompylo, Parthorum regia, nunc *Ispahan*, Meherdati occurrisse: ac proinde Arbelam inter et Hecatompylon fuisse montem *Sambulon* et flumen *Cormam*. Nec procul vero eos intra montem *Eluend* et fluvium *Gumedti*, qui in Tigrin influit, concurrisse. Certe pugnatum in provincia, quam nunc dicimus *Irac-Ajami*.

6 *Diis loci.* Superstitiosa mortalitas, quæ Deum ubique præsentem haud agnoverat, Deos ubique fingebat. Herculanenses inter picturas, una extat, *Pitture Antiche d'Ercolano*, Vol. i, p. 207, quæ serpentem, Deum loci, exhibet cum hac insigni inscriptione: GENIVS HVIVS LOCI MONTIS. Cur vero in montibus potius, quam in vallibus, vota susciperent ignari mortales docet Tac. An. xiii, 57. 'Eos maxime locos propinquare cœlo, precesque mortalium a Deis nusquam propius audiri.' Reconditiorem vero horumce sacrorum usum nos docet Plin. xxviii, 2. 'Verrius Flaccus auctores ponit, quibus credat, in oppugnationibus ante omnia solitum a Romanis sacerdotibus evocari Deum, cujus in tutela id oppidum esset: promittique illi eundem aut ampliorem apud Romanos cultum. Et durat in Pontificum disciplina id sacrum: constatque ideo occultatum in cujus Dei tutela Roma esset.' V. et Macrob. iii, 9. ubi plurima de Diis tutelaribus.

7 *Venatui adornatos.* Miror portentosam hanc fabulam uni Tacito memoratam, ceteris indictam.

anhelitu redeunt. Rursus Deus, qua sylvas pererraverit, nocturno visu demonstrat: reperiunturque fusæ passim feræ.

14. Ceterum Gotarzes, nondum satis aucto exercitu, flumine Corma pro munimento uti; et quamquam per insectationes et nuntios ad prælium vocaretur, nectere moras, locos mutare, et, missis corruptoribus, exuendam ad fidem hostes emercari. Ex queis Izates Adiabenus, mox Abgarus Arabum, cum exercitu abscedunt; levitate gentili, et quia experimentis cognitum est, barbaros malle Roma petere reges, quam habere. At Meherdates, validis auxiliis nudatus, ceterorum proditione suspecta, quod unum reliquum, rem in casum dare, prælioque experiri statuit. Nec detrectavit pugnam Gotarzes, deminutis hostibus ferox. Concursumque magna cæde, et ambiguo eventu: donec Carrhenem, profligatis obversis,[1] longius evectum integer a tergo globus circumveniret. Tum omni spe perdita, Meherdates promissa Parrhacis, paterni clientis, secutus, dolo ejus vincitur; traditurque victori. Atque ille "non propinquum, neque Arsacis de gente, sed alienigenam et Romanum" increpans, auribus decisis[2] vivere jubet, ostentui clementiæ suæ, et in nos dehonestamento. Dein Gotarzes morbo obiit, accitusque in regnum Vonones,[3] Medis tum præsidens. Nulla huic prospera, aut adversa, queis memoraretur. Brevi et inglorio imperio perfunctus est: resque Parthorum in filium ejus Vologesen translatæ.

15. At Mithridates Bosphoranus,[1] amissis opibus vagus, posteaquam Didium[2] ducem Romanum, roburque exercitus abisse cognoverat, relictos in novo regno Cotyn[3] juventa ru-

1 *Profligatis obversis.* Profligatis Parthicis copiis, quæ ipsi erant obversæ.

2 *Auribus decisis.* Mos ille diu viguit in Oriente, ut victi, naribus auribusve decisis, effossis aut excussis oculis, deturparentur.

3 *Vonones.* Vonones II. V. Canon. regg. Parthor. inter not. et em. ad An. ii, 1.

1 *Mithridates Bosphoranus.* Mithridates, Mithridatis magni stirps, Bosphoranum regnum a Claudio acceperat A. U. C. 794. Dio lx, p. 670. nos quoque in Suppl. Ann. ix, 20. Illum rebellem regno ejecerat A. Didius, dux Romanus, regnumque Cotyi, ejus fratri, dederat. Postquam Didium roburque Romani exercitus abiisse cognovit Mithridates, regnum suum recuperare aggressus est. Bosphoranum regnum tenebat Chersonesum Tauricam, et quidquid occidentali et meridionali parti Mæotiæ paludis adjacet, nunc *the Crimea, and the eastern and southern coast of the Sea of Azoph.*

2 *Didium.* Laudatur adhuc inf. c. 40. et in vit. Agr. 14. V. et Cl. Bimardum de vita T. Didii et gente Did. p. 19.

3 *Cotyn.* Fratrem Mithridatis, et proditorem, inf. c. 18. Cl. Reimarus, optimus Dionis editor, aliquid humanitus passus est, cum scripsit in notis ad Dionem, lx, p. 681. hunc Cotyn eumdem esse ac Cottium, Alpium Cottiarum regem, de quo Dio, l. c. nosque in Suppl. Annal. x, 10.

dem, et paucas cohortium cum Julio Aquila, equite Romano; spretis utrisque, concire nationes, inlicere perfugas, postremo exercitu coacto, regem Dandaridarum[4] exturbat, imperioque ejus potitur. Quæ ubi cognita, et jam jamque Bosphorum invasurus habebatur, diffisi propriis viribus Aquila et Cotys, quia Zorsines, Siracorum rex,[5] hostilia resumserat, externas et ipsi gratias quæsivere, missis legatis ad Eunonen, qui Aorsorum genti[6] præcellebat. Nec fuit in arduo societas, potentiam Romanam adversus rebellem Mithridaten ostentantibus. Igitur pepigere, "equestribus præliis Eunones certaret; obsidia urbium Romani capesserent."

16. Tum composito agmine incedunt: cujus frontem et terga, Aorsi; media cohortes, et Bosphorani, tutabantur, nostris in armis.[1] Sic pulsus hostis, ventumque Sozam,[2] oppidum Dandaricæ, quod desertum a Mithridate, ob ambiguos popularium animos obtineri, relicto ibi præsidio, visum. Exin in Siracos pergunt. Et transgressi amnem Pandam,[3] circumveniunt urbem Uspen,[4] editam loco, et mœnibus ac fossis munitam, nisi quod mœnia non saxo, sed cratibus revinctis,[5] ac media humo, adversum inrumpentes invalida erant: eductæque altius turres, facibus atque hastis turbabant obsessos: ac ni prælium nox diremisset, cœpta patrataque expugnatio eumdem intra diem foret.

17. Postero misere legatos, "veniam liberis corporibus" orantes: "servitii decem millia" offerebant: quod aspernati sunt victores, quia trucidare deditos sævum, tantam multitudinem custodia cingere arduum: ut belli potius jure caderent. Datumque militibus, qui scalis evaserant, signum cædis. Ex-

4 *Regem Dandaridarum.* Dandarii, aut Dandaridæ, Mæotiis gentibus a Strab. xi, p. 495. accensentur, τῶν Μαιωτῶν δ' εἰσὶν αὐτοί τε οἱ Σίνδοι καὶ Δανδάριοι. Rex, aut potius regulus Dandaridarum, sicut et alii plurimi, vulgo parebant regibus Bosphoranis, quorum imperium ad Tanaim usque nonnumquam protendebatur. Situs eorum populorum ex hac Taciti narratione certo elicitur. Ii sunt, quos nunc dicimus *the Tartars of Kuban.*

5 *Siracorum rex.* Strab. xi, p. 492. memorantur Ἄορσοι καὶ Σιρακοί. Nec diversi a ΣΗΡΑΚΗΝΟΙΣ, quos Ptolem. v, 9. ponit infra Iaxamatas. Pars ergo erant populorum, quos jam diximus *the Tartars of Kuban.*

6 *Aorsorum genti.* Supra Mæotiam paludem habitabant. Nunc *the Eastern part of Little Tartary, between the Nieper and the Don.* V. not. et em. ad An. xii, 15.

1 *Nostris in armis.* Bosphorani Romanorum more armati.

2 *Sozam.* Oppidum illud Dandaridarum evanuit: forte cratibus munitum, sicut urbs Uspe.

3 *Amnem Pandam.* Hunc amnem unus memorat Tac. Existimo unum esse ex iis, qui in lacum *Bissuga* influunt.

4 *Urbem Uspen.* Periit.

5 *Cratibus revinctis.* V. not. et em. ad An. xii, 16.

cidio Uspensium metus ceteris injectus, nihil tutum ratis, cum arma, munimenta, impediti, vel eminentes, loci, amnesque et urbes juxta perrumperentur. Igitur Zorsines, diu pensitato Mithridatisne rebus extremis, an patrio regno consuleret; postquam prævaluit gentilis utilitas, datis obsidibus, apud effigiem Cæsaris[1] procubuit, magna gloria exercitus Romani, quem incruentum et victorem, tridui itinere abfuisse ab amne Tanai[2] constitit. Sed in regressu dispar fortuna fuit; quia navium quasdam, quæ mari remeabant, in littora Taurorum[3] delatas circumvenere barbari, præfecto cohortis, et plerisque centurionum interfectis.

18. Interea Mithridates, nullo in armis subsidio, consultat cujus misericordiam experiretur. Frater Cotys,[1] proditor olim, deinde hostis, metuebatur. Romanorum nemo id auctoritatis aderat, ut promissa ejus magni penderentur. Ad Eunonen[2] convertit, propriis odiis non infensum, et recens conjuncta nobiscum amicitia, validum. Igitur cultu, vultuque quam maxime ad præsentem fortunam comparato, regiam ingreditur, genibusque ejus provolutus, "Mithridates," inquit, "terra marique Romanis per tot annos quæsitus, sponte adsum. Utere, ut voles, prole magni Achæmenis,[3] quod mihi solum hostes non abstulerunt."

19. At Eunones claritudine viri, mutatione rerum, et prece haud degenere permotus, adlevat supplicem, laudatque "quod gentem Aorsorum, quod suam dextram petendæ veniæ delegerit." Simul legatos literasque ad Cæsarem in hunc modum mittit: "Populi Romani imperatoribus magnarumque nationum regibus, primam ex similitudine fortunæ amicitiam: sibi et Claudio, etiam communionem victoriæ esse. Bellorum egregios fines, quotiens ignoscendo transigatur.[1] Sic Zorsini

1 *Effigiem Cæsaris.* Iisdem sane cærimoniis, de quibus plura inf. An. xv, 29. et Hist. i, 36.

2 *Tanai.* Nunc *the Don.*

3 *Taurorum.* Tauri littus orientale Mæotiæ paludis habitabant, supra ostia fluvii Rhombitis, *the Kuban.*

1 *Frater Cotys.* De illo dictum sup. c. 15.

2 *Eunonen.* Aorsorum ducem, de quo sup. c. 15.

3 *Prole magni Achæmenis.* Se Persarum regibus oriundum ferebat. Auctor nominis Achæmenes, avus Cambysis: unde Xerxes genus suum recensens apud Herodotum, vii, 11. ait, ἐκ Δαρείου τοῦ Ὑστάσπεος, τοῦ Ἀρσάμεος, τοῦ Ἀρμνεω, τοῦ Τείσπεος, τοῦ Κύρου, τοῦ Καμβύσεω, τοῦ Τείσπεος, τοῦ Ἀχαιμένεος γεγονώς. Xerxes filius 'Darii, qui fuit Hystaspis, qui fuit Arsamis, qui fuit Armnis, qui fuit Teispei, qui fuit Cyri, qui fuit Cambysis, qui fuit Teispei, qui fuit Achæmenis filius.' Ideo reges Persarum dicti sunt Achæmenidæ.

1 *Transigatur.* Egregie dictum. Nec aliter Julius Cæsar in Epistola: 'Hæc

victo nihil ereptum. Pro Mithridate quando gravius mereretur, non potentiam, non regnum precari; sed ne triumpharetur, neve pœnas capite expenderet."

20. At Claudius, quamquam nobilitatibus externis mitis, dubitavit tamen, accipere captivum pacto salutis, an repetere armis, rectius foret. Huc dolor injuriarum, et libido vindictæ adigebat. Sed disserebatur contra: "Suscipi bellum avio itinere, importuoso mari: ad hoc reges feroces; vagos populos; solum frugum egens: tum tædium ex mora, pericula ex properantia; modicam victoribus laudem, ac multum infamiæ, si pellerentur: quin arriperet oblata, et servaret exulem: cui inopi quanto longiorem vitam, tanto plus supplicii fore." His permotus, scripsit Eunoni, "meritum quidem novissima exempla Mithridatem, nec sibi vim ad exsequendum deesse: verum ita majoribus placitum, quanta pervicacia in hostem, tanta beneficentia adversus supplices utendum: nam triumphos de populis[1] regnisque integris adquiri."

21. Traditus post hoc Mithridates, vectusque Romam per Junium Cilonem procuratorem Ponti, ferocius, quam pro fortuna, disseruisse apud Cæsarem ferebatur. Elataque vox ejus in vulgum hisce verbis: "Non sum remissus ad te, sed reversus: vel, si non credis, dimitte, et quære:"[1] vultu quoque interrito[2] permansit, cum rostra juxta, custodibus circumdatus, visui populo præberetur. Consularia insignia[3] Ciloni, Aquilæ prætoria[4] decernuntur.

22. Iisdem consulibus, atrox odii Agrippina, ac Lolliæ infensa, quod secum de matrimonio Principis certavisset,[1] molitur crimina, et accusatorem, qui objiceret "Chaldæos, magos, interrogatumque Apollinis Clarii[2] simulacrum super nuptiis Imperatoris." Exin Claudius, inaudita rea, multa de claritu-

nova sit ratio vincendi, ut misericordia et liberalitate nos muniamus.' V. Grot. de Jur. bell. ac pac. iii, 15. n. 12.

1 *Triumphos de populis.* Tum enim non de exigua miserandaque captivorum manu, sed de populis regnisque integris triumphatur.

1 *Dimitte, et quære.* Vox vanior, quam miserum Principem decet.

2 *Vultu interrito.* Id Achæmenida dignum. Vinci humanum est: frangi insanum.

3 *Consularia insignia.* Fasces, sella curulis, toga, prætexta.

4 *Aquilæ prætoria.* Julio Aquilæ, de quo sup. c. 15. Insignia prætoria, i. e. latus clavus, paludamentum, sella curulis, prætexta, anuli, gladius, et hasta.

1 *Certavisset.* De hoc certamine dictum sup. c. 1 et 2.

2 *Apollinis Clarii.* De quo dictum sup. An. ii, 54. V. et nummum Colophoniorum Apollinisque Clarii, apud Cl. Pellerin, *Recueil de Médailles de Peuples et de Villes*, vol. ii, p. 73.

dine ejus apud senatum præfatus, "sorore L. Volusii[3] genitam, majorem ei patruum Cottam Messalinum[4] esse, Memmio quondam Regulo nuptam;" (nam de C. Cæsaris nuptiis[5] consulto reticebat) addidit perniciosa in rempublicam consilia, et materiem sceleri detrahendam. Proin, publicatis bonis, cederet Italia." Ita quinquagies sestertium[6] ex opibus immensis exuli relictum. Et Calpurnia inlustris fœmina pervertitur, quia formam ejus laudaverat Princeps, nulla libidine, sed fortuito sermone: unde vis Agrippinæ citra ultima[7] stetit. In Lolliam mittitur tribunus, a quo ad mortem adigeretur. Damnatus et lege repetundarum Cadius Rufus,[8] accusantibus Bithynis.

23. Galliæ Narbonensi, ob egregiam in patres reverentiam datum, "ut senatoribus ejus provinciæ, non exquisita Principis sententia, jure quo Sicilia haberetur, res suas invisere[1] liceret." Ituræique[2] et Judæi, defunctis regibus Sohemo atque Agrippa,[3] provinciæ Syriæ additi.[4] Salutis augurium[5]

3 *L. Volusii.* De quo plura et egregia inf. An. xiii, 30. Regibus Rutulis ortos Volusios laudat Rutilius in Itinerario, vs. 169. 'Qui Volusi antiquo derivat stemmate nomen, Et reges Rutulos, teste Marone, refert.' V. Maronem Æn. xi, 463 et 464.

4 *Cottam Messalinum.* Messalæ oratoris filium. Cottam laudat Ovid. iv de Pont. xvi, 43. 'Te tamen in turba, non ausim, Cotta, silere, Pieridum lumen, præsidiumque fori. Maternos Cottas, cui Messalasque paternos Maxima nobilitas, ingeminata dedit.'

5 *C. Cæsaris nuptiis.* De Caii Caligulæ et Lolliæ nuptiis v. Suppl. An. vii, 35.

6 *Quinquagies sestertium.* Quinquagies centena millia sestertium sunt *Angl.* 41,666*l.* 13*s.* 4*d.* Immensæ opes Lolliæ æstimari possunt ex iis, quæ diximus in stem. Cæs. n. 89.

7 *Citra ultima.* I. e. Agrippina vitam Calpurniæ permisit, quia nulla erat in eam Claudii libido, nullus amor. Contra vero Lolliæ infensa, mittit in eam tribunum, a quo ad mortem adigeretur.

8 *Cadius Rufus.* Ejus nummos v. in not. et em. ad An. xii, 22.

1 *Invisere.* Ne quid turbaretur in provinciis, edixerat Augustus A. U. C. 725. ne quis senator, injussu aut sine permissu Principis, extra Italiam abiret, προσαπεῖπε πᾶσι τοῖς βουλεύουσι μὴ ἐκδημεῖν ἔξω τῆς Ἰταλίας, ἂν μὴ αὐτὸς τινὶ κελεύσῃ, ἢ καὶ ἐπιτρέψῃ, Dio lii, p. 494. Numerosi senatus judiciorumque amans Claudius vetuit, ne abirent Urbe ad septimum lapidem, injussu Principis, teste Suida, verbo Κλαύδιος. Ipsa Dionis ætate adhuc nefas senatori alio, quam in Siciliam Galliamque Narbonensem peregre proficisci. V. Dion. l. c.

2 *Ituræique.* Hi sunt Ituræi Arabes, de quibus Strabo xvi, 755. Ἰτουραῖοί τε καὶ Ἄραβες κακοῦργοι πάντες, 'Ituræi et Arabes malefici omnes.' Ad orientem Jordanis Ituræi erant positi; ubi olim tribus Dan, Ruben, et dimidia pars tribus Manasse. Dio lix, p. 649, memorat Sohemum regem τῶν Ἰτουραίων τῶν Ἀράβων.

3 *Sohemo, Agrippa.* Sohemo II. et Agrippa Magno. Ne tamen ex his nominibus, quæ in historia sæpe occurrunt, suboriatur obscuritas, v. horum regum Stemm. in not. et em. ad An. xii, 23.

4 *Additi.* Tunc additi Ituræi: at longe ante Judæa Syriæ contributa fuerat. Cum enim Agrippa Magnus A. U. C. 797. esset mortuus, ut diximus in Suppl. An. x, 6. statim missus est præses Cuspius Fadus, Joseph. Antiq. Jud. xix, 9. Hæc forte conjunxit Tacitus, quod anno priore U. C. 801. Claudii octavo, defuncto Herode, Agrippæ magni fratre, Chalcidis rege, Chalcidem a Claudio obtinuit Agrippa II. Agrippæ magni filius, Joseph. Antiq. Jud. xx, 5. De his satis diximus in Stem. Herodum, n. 7 et 9.

5 *Salutis augurium.* Illud a Dione fusius descriptum vide inter not. et em. ad An. xii, 23.

quinque et viginti annis[6] omissum repeti, ac deinde continuari placitum. Et pomœrium Urbis[7] auxit Cæsar more prisco; quo iis, qui protulere imperium, etiam terminos Urbis propagare datur. Nec tamen duces Romani, quamquam magnis nationibus subactis, usurpaverant, nisi L. Sulla, et divus Augustus.

24. Regum in eo ambitio, vel gloria, varie vulgata.[1] Sed initium condendi, et quod pomœrium Romulus posuerit, noscere haud absurdum reor. Igitur a foro boario,[2] ubi æreum tauri simulacrum aspicimus, quia id genus animalium aratro subditur, sulcus designandi oppidi cœptus, ut magnam Herculis aram[3] amplecteretur. Inde certis spatiis interjecti lapides, per ima montis Palatini ad aram Consi,[4] mox ad Curias veteres,[5] tum ad sacellum Larium[6] forumque Romanum. Capitolium[7] non a Romulo, sed a T. Tatio additum Urbi credidere. Mox pro fortuna pomœrium auctum. Et quos tum Claudius terminos posuerit,[8] facile cognitu, et publicis actis perscriptum.

A.U.C. 803. J.C. 50.

25. C. Antistio, M. Suilio[1] consulibus, adoptio in Domi-

6 *Quinque et viginti a.* Ergo omissum ab A. U. C. 777. quo interfectus est Tacfarinas, ut dictum est sup. An. iv, 25.

7 *Pomœrium Urbis.* Cum de Urbis pomœrio et magnitudine multa sint dicenda, v. not. et em. ad An. xii, 23.

1 *Varie vulgata.* Diversas veterum scriptorum sententias de pomœrio a regibus Romanis aucto v. apud Donat. de Urbe Roma i, 5. Vol. iii, Græv. Antiq. Rom. col. 486.

2 *A foro boario.* Forum illud in undecima Urbis regione, inter Palatinum, Capitolinum, et Aventinum montes; nunc dicitur *campo Vaccino.*

3 *Magnam H. aram.* In ipso foro boario, prope templum nunc Sanctæ Anastasiæ.

4 *Aram Consi.* In eadem regione, circoque maximo, haud procul templo nunc Sancti Gregorii, erat ara Consi, seu Dei consilii, quam Romulus repertam subter terram finxit, ludosque indixit, quibus raptæ Sabinæ. Inde honos Dei Consi, et Consualia, quæ celebrabantur XII. Kal. Sept. seu 21 Aug. De hac ara plura v. ap. Plut. Romul. p. 25.

5 *Curias veteres.* In decima regione monteque Palatino, prope arcum Constantini. De his Curiis Varro de L. L. iv, p. 25. 'Curiæ duorum generum. Nam et ubi curarent sacerdotes res divinas; ut Curiæ veteres: et ubi senatus humanas; ut Curia Hostilia, quod primus ædificavit Hostilius rex.'

6 *Sacellum Larium.* In eadem regione et in angulo hortorum Farnesianorum contra ædem SS. Cosmæ et Damiani. Itaque Roma a Romulo condita Palatinum montem occupavit, ubi nunc horti, ac præcipue Farnesiani. V. Donat. de Urbe Roma i, 3. Ex tantulo oppidulo tanta claritas!

7 *Capitolium.* In regione octava. Titus Tatius, qui Capitolinum montem occupabat, fœdere facto cum Romulo, eum Palatino conjunxit. Itaque primum pro amicitia et utilitate publica auctum pomœrium; deinde pro fortuna, et cum latius propagati sunt imperii fines.

8 *Terminos posuerit.* Claudius montem Aventinum Urbi addidit. De hac amplificatione Urbisque magnitudine, v. quæ diximus in not. et em. ad An. xii, 23. ubi multa de propagato pomœrio.

1 *M. Suilio.* C. Antistius Vetus et M. Suilius Nervilianus consules fuere A. U. C. 803. J. C. 50. Suilius cognominatur Ner-

tium,[2] auctoritate Pallantis, festinatur: qui obstrictus Agrippinæ, ut conciliator nuptiarum, et mox stupro ejus inligatus, stimulabat Claudium, "consuleret reipublicæ, Britannici pueritiam robore circumdaret. Sic apud divum Augustum, quamquam nepotibus subnixum,[3] viguisse privignos:[4] a Tiberio, super propriam stirpem, Germanicum adsumtum. Se quoque accingeret juvene, partem curarum capessituro." His evictus, biennio majorem[5] natu Domitium filio anteponit, habita apud senatum oratione in eumdem, quem a liberto acceperat, modum. Adnotabant periti, nullam antehac adoptionem[6] inter patricios Claudios reperiri, eosque ab Atto Clauso[7] continuos duravisse.

26. Ceterum actæ Principi grates, exquisitiore in Domitium adulatione. Rogataque lex,[1] qua "in familiam Claudiam et nomen Neronis[2] transiret." Augetur et Agrippina cognomento *Augustæ*:[3] quibus patratis, nemo adeo expers misericordiæ fuit, quem non Britannici fortunæ mœror adficeret: desolatus paulatim[4] etiam servilibus ministeriis, intempestiva novercæ officia in ludibria vertebat, intelligens falsi. Neque enim segnem ei fuisse indolem ferunt: sive verum; seu periculis commendatus, retinuit famam sine experimento.

27. Sed Agrippina, quo vim suam sociis quoque nationibus ostentaret, in oppidum Ubiorum, in quo genita erat, veteranos

vilianus in fastis Vindobonensibus et a Cassiodoro. V. not. et em. ad An. xii, 25.

2 *In Domitium.* Filium Agrippinæ, Stem. Cæs. n. 35. post adoptionem dictum Neronem. De hac adoptione v. Dion. lx, p. 686.

3 *Nepotibus subnixum.* Caio, Lucio, Agrippa Postumo. V. Stem. Cæs. n. 48. 49 et 50.

4 *Viguisse privignos.* Tiberium Neronem et Claudium Drusum. Supra An. i, 3. et in Stem. Cæs. n. 68 et 79.

5 *Biennio majorem.* Ita Mss. et editi libri omnes. At omnino emendandum *triennio,* ut patet tum ex ipso Tacito, An. xiii, 6 et 15. tum ex Suet. Claud. 27. Ner. 6. V. et Stem. Cæs. n. 35 et 108.

6 *Nullam—adoptionem.* Id est neminem alienigenam antehac a Claudiis fuisse adoptatum, licet ipsi ab aliis gentibus adoptarentur. Etenim Claudii in Liviam Juliamque familiam transierant. Cl. *Amelot de la Houssaie* innuit Tacitum hic secum pugnare, cum Germanicum jam adoptasset Tiberius: at ipse Germanicus erat ex gente Claudia; ac proinde non ex aliena gente adoptatus est. Immo Domitius ipse matrem gentis Claudiæ, Agrippinam, habebat.

7 *Atto Clauso.* Claudiæ gentis auctore, ut dictum sup. An. xi, 24.

1 *Rogataque lex.* Lex curiata, de qua inf. Hist. i, 15.

2 *Claudiam—Neronis.* Hæc nomina exhibent nummi, quos proferemus mox et inf. c. 41.

3 *Cognomento Augustæ.* Sic appellatur in nummo argenteo e Cimelio Regio. AGRIPPINA AVGVSTA MATER AVGVSTI. Caput Agrippinæ. Ex altera parte, NERO CLAVD. DIVI F. CAESAR AVG. GERMANI. Caput Neronis laureatum.

4 *Desolatus paulatim.* Britannicus paulatim non modo amicis, sed etiam servilibus ministeriis, seu famulis, spoliatus est, quod Agrippina puerum, novem annos vix natum, muliebribus curis adhuc indigere obtenderet. Hæc intempestiva novercæ

coloniamque[1] deduci impetrat; cui nomen inditum ex vocabulo ipsius. Ac forte acciderat, ut eam gentem, Rheno transgressam,[2] avus Agrippa,[3] in fidem acciperet. Iisdem temporibus in superiore Germania trepidatum, adventu Cattorum,[4] latrocinia agitantium. Deinde[5] L. Pomponius, legatus, auxiliares Vangionas ac Nemetas,[6] addito equite alario,[7] monuit, "ut anteirent populatores, vel dilapsis improvisi circumfunderentur." Et secuta consilium ducis industria militum, divisique in duo agmina, qui lævum iter[8] petiverant, recens reversos, prædaque per luxum usos, et somno graves circumvenere. Aucta lætitia, quod quosdam e clade Variana,[9] post quadragesimum annum, servitio exemerant.

28. At qui dextris et propioribus compendiis ierant, obvio hosti et aciem auso, plus cladis faciunt.[1] Et præda famaque onusti, ad montem Taunum revertuntur, ubi Pomponius cum legionibus opperiebatur, si Catti cupidine ulciscendi casum pugnæ præberent. Illi metu, ne hinc Romanus, inde Cherusci, cum queis æternum discordant, circumgrederentur, legatos in Urbem et obsides misere: decretusque Pomponio trium-

officia in ludibria vertebat Britannicus, jam falsi intelligens.

1 *Veteranos coloniamque.* Unde Plin. iv, 17. 'Hinc Ubii, Colonia Agrippinensis,' nunc *Cologne.* Fertur extare Beneventi vetus lapis, in quo memoratur COL. CLAVD. AVG. AGRIPPINENSIVM, i. e. Colonia Claudia Augusta Agrippinensium. V. Gruter. p. 436. n. 7. Alia Romanæ antiquitatis apud Ubios monumenta protulit Steph. Broelmanus, Specim. Hist. civit. Ubior. Teste Paulo, Digest. Libr. L. Tit. 15. de Censibus, 'In Germania inferiore Agrippinenses juris Italici sunt,' quo de jure dictum est in not. et em. ad An. xi, 23. Si de his plura volueris, adeas Cl. Schoepflin, Alsatia Illust. Vol. I. p. 286 et seq.

2 *Rheno transgressam.* De his dicemus inf. in lib. de Moribus Germ. 28.

3 *Avus Agrippa.* Avus Agrippinæ. V. Stem. Cæs. n. 47.

4 *Cattorum.* Nunc *Hesse.*

5 *Deinde.* *Deinde,* singulariter dictum. Hic significat *quamobrem.*

6 *Vangionas, Nemetas.* Cl. Schoepflin, Alsatia Illust. Vol. i, p. 136 et 362. existimat Vangionas ac Nemetas tunc temporis fuisse Transrhenanos; nec cis Rhenum habitasse, nisi intra Claudii et Vespasiani tempora. Si Transrhenani tunc fuerint Vangiones et Nemetes, non videntur procul monte Tauno, de quo mox dicetur, consedisse. Cisrhenani vero Vangiones, nunc *the diocese of Worms;* Nemetes, *the diocese of Spire.*

7 *Equite alario.* I. e. auxiliaribus equitibus ut inf. An. xiii, 35.

8 *Lævum iter.* Hujusce belli ordinem paucis accipe. L. Pomponius, ut Germaniam superiorem protegeret, montem Taunum, *mount Heyrich,* e regione urbis Moguntiæ, *Mayence,* occupavit. Ad lævum montis Tauni, Cattos suam in patriam revertentes insecuti sunt pars Vangionum, Nemetum, et equitis alarii: eos præda per luxum usos et somno graves circumvenere. Pars altera, dextra et propiora compendia petivere: obviis Cattis populatoribus, aciemque ausis, plus stragis fecere, quam qui somnolentos circumvenerant. Præda onusti, victoriæque fama insignes, ad montem Taunum revertuntur, ubi Pomponius cum legionibus opperiebatur, si Catti cupidine ulciscendi casum pugnæ præberent. At illi, ancipitia belli experti, et hinc Romanos, inde Cheruscos veriti, legatos in Urbem et obsides misere.

9 *Clade Variana.* De hac clade sæpe dictum An. i et ii.

1 *Plus cladis faciunt.* Juxta Cl. Schoepflin, Alsatia Illust. Vol. i, p. 362. Romani,

phalis honos, modica pars famæ ejus apud posteros, in queis carminum gloria[2] præcellit.

29. Per idem tempus Vannius,[1] Suevis a Druso Cæsare impositus, pellitur regno, prima imperii ætate clarus, acceptusque popularibus: mox diuturnitate in superbiam mutans, et odio accolarum, simul domesticis discordiis circumventus. Auctores fuere Vibilius, Hermundurorum[2] rex, et Vangio ac Sido, sorore Vannii geniti. Nec Claudius, quamquam sæpe oratus, arma certantibus barbaris interposuit, tutum Vannio perfugium promittens, si pelleretur; scripsitque P. Attellio Histro, qui Pannoniæ præsidebat, "legionem ipsaque e provincia lecta auxilia, pro ripa[3] componeret, subsidio victis,[4] et terrori adversus victores, ne fortuna elati, nostram quoque pacem turbarent:" nam vis innumera Ligii,[5] aliæque gentes adventabant, fama ditis regni, quod Vannius XXX. per annos prædationibus et vectigalibus auxerat. Ipsi manus propria pedites, eques e Sarmatis Jazygibus[6] erat, impar multitudini hostium: eoque castellis sese defensare, bellumque ducere statuerat.

30. Sed Jazyges, obsidionis impatientes, et proximos per campos vagi, necessitudinem pugnæ attulere, quia Ligius Hermundurusque illic ingruerant. Igitur degressus castellis Vannius, funditur prælio: quamquam rebus adversis laudatus, "quod et pugnam manu capessiit, et corpore adverso vulnera

in hac pugna cæsi, 'haud paucos ex suis desideraverunt. Catti hinc præda onusti, et ob victoriam elati, cum ad montem Taunum reverterentur, sibique Pomponium cum legionibus obvium viderent, metuentes, ne hinc a Romanis, inde a Cheruscis, Germanis quidem, at perpetuis æmulis suis atque inimicis circumdarentur, obsides miserunt; qui Romam abducti fecerunt ut triumphalis honos decerneretur Pomponio.' Eam interpretationem refutat ipsa latinitas et narrationis series. Aliquid vero humani in tanto, tamque erudito opere irrepsisse nemo, nisi illiteratus, mirabitur.

2 *Carminum gloria.* Alius fuit P. Pomponius, carminum quoque gloria insignis, de quo diximus in not. et em. ad An. xi, 13.

1 *Vannius.* Regnum acceperat Vannius A. U. C. 772, ut dictum est sup. An. ii, 63. Ibi fines ejus regni accuratius descriptos reperies. Nec enim Suevis omnibus imperabat.

2 *Vibilius, Hermundurorum.* De Vibilio genteque Hermundurorum dictum An. ii, 63.

3 *Pro ripa.* Pro ripa Danubii.

4 *Subsidio victis.* Ms. Reg. *subsidium victis, et terrorem adversus victores.* Utrumque Latine.

5 *Ligii.* Cis Vistulam Poloniæ partem habitabant. De Ligiis aliisque gentibus v. inf. de Moribus Germ. 43.

6 *Sarmatis Jazygibus.* Sarmatæ Jazyges magnum terrarum tractum, nunc *part of Russia and Moldavia,* occupavere: pulsis quoque Dacis, usque ad Tibisci, *Tibisc,* ostia et Danubium tenuere: aucta dominatione, pervenerunt 'usque ad Pannonica hiberna Carnunti, [*near Hainburg*], Germanorumque ibi confinium,' Plin. iv, 12. §. 25. De Jazygum equitatu, v. inf. Hist. iii, 5.

excepit." Ceterum ad classem,[1] in Danubio opperientem,[2] perfugit. Secuti mox clientes, et acceptis agris, in Pannonia locati sunt. Regnum Vangio ac Sido[3] inter se partivere, egregia adversus nos fide: subjectis, suone, an servitii ingenio, dum adipiscerentur dominationes,[4] multa caritate, et majore odio, postquam adepti sunt.

31. At in Britannia P. Ostorium, proprætorem, turbidæ res excepere, effusis in agrum sociorum hostibus, eo violentius, quod novum ducem,[1] exercitu ignoto, et cœpta hieme, iturum obviam non rebantur. Ille gnarus primis eventibus metum aut fiduciam gigni, citas cohortes rapit: et cæsis qui restiterant, disjectos consectatus, ne rursus conglobarentur, infensaque et infida pax non duci, non militi, requiem permitteret, detrahere arma suspectis, cinctosque castris[2] Antonam et Sabrinam, fluvios, cohibere parat. Quod primi Iceni abnuere,[3] valida gens, nec præliis contusi, quia societatem nostram volentes accesserant: hisque auctoribus, circumjectæ nationes locum pugnæ[4] delegere, septum agresti aggere, et aditu angusto, ne pervius equiti foret. Ea munimenta dux Romanus, quamquam sine robore legionum sociales copias ducebat, perrumpere adgreditur, et distributis cohortibus, turmas quoque,[5] peditum ad munia accingit. Tunc dato signo perfringunt aggerem, suisque claustris impeditos turbant. Atque illi conscientia rebellionis, et obseptis effugiis, multa

1 *Ad classem.* Ad classem Romanorum, pro ripa compositorum, ut dictum capite priore. De classibus populi Romani v. An. iv, 5.

2 *Opperientem.* Claudius, vir bonus, regnandi imperitus, qui Vannium et clientes barbaros opperiretur, iisque perfugium promitteret. Quanto cautior Tiberius, qui Germanos vel aperto marte, vel, quod efficacius, intestinis discordiis debellaret. Hæc Claudii ignavia, Gothicæ potentiæ principium fuit et origo. Tantulis initiis, sup. c. 24. creverat Roma; tantulis periit!

3 *Sido.* De Sidonis fide v. inf. Hist. iii, 5 et 21.

4 *Dominationes.* Elegantius diceretur, *dum adipiscerentur dominationis*, ut sup. An. vi, 45. Subjectis multa fuit caritas, dum adipiscerentur dominationis; majus odium, postquam eam adepti sunt.

1 *Novum ducem.* Ostorius successerat A. Plautio, primo consularium Britanniæ præpositorum. V. inf. Vit. Agr. 14. et Suppl. An. ix, 58. et x, 5.

2 *Cinctosque castris.* Ostorius non Antonam, nunc *Avon*, sed Aufonam, nunc *Nen*, et Sabrinam, nunc *Severn*, castris cinxit, tum ut socios ab hostium impetu defenderet, tum etiam ut eos Romanis obsequentiores redderet. Castra illa Romanorum mihi videntur ab urbe *Glocester* ad urbem *Northampton* fuisse disposita. V. not. et em. ad An. xii, 31.

3 *Iceni abnuere.* Iceni, ne præsidii specie servitium immineret, id primi abnuere. Orientalem illam Britanniæ partem habitabant Iceni, ubi nunc *Suffolk*, *Norfolk*, *Cambridgeshire*, *and Huntingdonshire.*

4 *Locum pugnæ.* Forte pugnatum in comitatu *Huntingdon.*

5 *Turmas quoque.* Equites quoque ad munia peditum accingit. Turmæ enim equitum sunt.

et clara facinora fecere. Qua pugna filius legati, M. Ostorius, servati civis[6] decus meruit.

32. Ceterum clade Icenorum compositi, qui bellum inter et pacem dubitabant; et ductus in Cangos[1] exercitus. Vastati agri, prædæ passim actæ: non ausis aciem hostibus, vel si ex occulto carpere agmen tentarent, punito dolo. Jam ventum haud procul mari, quod Hiberniam insulam aspectat; cum ortæ apud Brigantas[2] discordiæ retraxere ducem, destinationis certum,[3] ne nova moliretur, nisi prioribus firmatis. Et Brigantes quidem, paucis, qui arma cœptabant, interfectis, in reliquos data venia, resedere. Silurum gens,[4] non atrocitate, non clementia mutabatur, quin bellum exerceret, castrisque legionum premenda foret. Id quo promtius veniret,[5] colonia Camulodunum[6] valida veteranorum manu deducitur in agros captivos, subsidium adversus rebelles, et imbuendis sociis ad officia legum.

33. Itum inde in Siluras, super propriam ferociam, Caractaci[1] viribus confisos: quem multa ambigua, multa prospera extulerant, ut ceteros Britannorum imperatores præemineret. Sed tum astu, tum locorum fraude prior, vi militum inferior, transfert bellum in Ordovicas,[2] additisque, qui pacem nostram metuebant,[3] novissimum casum experitur: sumto ad prælium loco,[4] ut aditus, abscessus, cuncta nobis importuna,

6 *Servati civis.* Coronam querneam, qualem videre est in nummis, ut sæpe diximus, cum inscriptione, OB SERVATOS CIVIS. Qua gloria nulla apud Romanos illustrior. Audacter Plinius, II. 7. DEVS EST MORTALI IVVARE MORTALEM.

1 *Cangos.* De Cangorum situ diu disputatum. Tandem innotuit eos septemtrionalis Walliæ partem, *North Wales*, et provinciam Cestriensem, *Cheshire*, habitasse. Ibi repertæ massæ plumbeæ cum inscriptione, IMP. DOMIT. AVG. GER. DE CEANG. I. e. 'Imperator Domitianus Augustus Germanicus de Ceangis.' V. eruditos Camden, *Britan.* p. 546. et Stukeley, *The Medallic History of Carausius*, vol. i, p. 176.

2 *Apud Brigantas.* Brigantes septemtrionalem Angliæ partem, ubi nunc *Yorkshire, Lancashire, Durham, Westmorland, and Cumberland,* habitabant.

3 *Destinationis certum.* Armis parta firmandi.

4 *Silurum gens.* Australem Walliæ, *South Wales*, partem vicinasque regiones occupabant Silures, nunc *Glamorganshire, Monmouthshire, Brecknockshire, Herefordshire, and Radnorshire.*

5 *Promtius veniret.* Ut promtius id eveniret, vel, ut promtius certiusque premerentur.

6 *Colonia Camulodunum.* Nunc *Colchester, in Essex.*

1 *Caractaci.* V. not. et em. ad An. xii, 33.

2 *In Ordovicas.* Infra Cangos Septemtrionalem Walliam, *North Wales,* habitabant Ordovices. Hodie *Flintshire, Denbighshire, Carnarvonshire, Merionethshire, and Montgomeryshire.*

3 *Metuebant.* Ceterosque, qui Romanam dominationem metuebant, addidit. Sic dictum sup. c. 29. 'Ne fortuna elati, nostram quoque pacem turbarent;' et Plin. xxvii, 1. 'Immensa Romanæ pacis majestate.' Cf. Ruhnk. ad Vell. Paterc. ii, 131. not. inf.

4 *Sumto—loco.* Eruditus Camden, *Britan.* p. 521, tradit locum pugnæ fuisse apud Cornavios in comitatu Salopiensi, vulgo *Shropshire*, ubi amnis Colunus,

et suis in melius essent. Tunc montibus arduis, et si qua clementer accedi poterant, in modum valli saxa præstruit: et præfluebat amnis[5] vado incerto, catervaque majorum[6] pro munimentis constiterant.

34. Ad hoc gentium ductores[1] circumire, hortari, firmare animos, minuendo metu, accendenda spe, aliisque belli incitamentis. Enimvero Caractacus huc illuc volitans, "illum diem, illam aciem" testabatur, "aut reciperandæ libertatis, aut servitutis æternæ initium fore: vocabatque nomina majorum, qui dictatorem Cæsarem pepulissent: quorum virtute vacui a securibus et tributis, intemerata conjugum et liberorum corpora retinerent." Hæc atque talia dicenti, adstrepere vulgus; gentili quisque religione obstringi, "non telis, non vulneribus cessuros."

35. Obstupefecit ea alacritas ducem Romanum: simul objectus amnis,[1] additum vallum, imminentia juga, nihil nisi atrox et propugnatoribus frequens, terrebat. Sed miles prælium poscere, "cuncta virtute expugnabilia" clamitare; præfectique ac tribuni paria disserentes, ardorem exercitus incendebant. Tum Ostorius, circumspectis quæ impenetrabilia, quæque pervia, ducit infensos, amnemque haud difficulter evadit. Ubi ventum ad aggerem, dum missilibus certabatur, plus vulnerum in nos, et pleræque cædes oriebantur. Posteaquam, facta testudine,[2] rudes et informes saxorum compages distractæ, parque cominus acies, decedere barbari in juga montium.[3] Sed eo quoque inrupere ferentarius[4] gravis-

Clune, in fluvium Temdum, *Temd*, influit; et antiquæ memoriæ collem adhuc ostentari, quem *Caer-Caradoc* vocant.

5 *Præfluebat amnis.* Amnis Temdus, *Temd.* Vadaque hic incerta esse docet Cl. Camden. l. c.

6 *Catervaque majorum.* V. not. et em. ad An. xii, 34. Nihil mutandum existimo. Sensus est catervas majorum, seu veterum præcipuorumque bellatorum pro munimentis constitisse. 'Caterva constiterant' dicitur sicut inf. c. 40. 'juventus invadunt.'

1 *Gentium ductores.* Britanni, sicut et Galli, aciem struebant per nationes, ut discreta virtus eluceret; quod merito observat Lips.

1 *Objectus amnis.* Amnis *Temd*, ut jam dictum.

2 *Facta testudine.* Hæc ne intelligas de testudinatis militibus, sed de machinamento, dicto testudine, de quo Veget. iv, 14. Hac testudine saxa, in modum valli præstructa, ut dictum sup. c. 33. distraxere.

3 *Juga montium.* Qui sunt plurimi inter amnium *Clune* et *Temd* fontes.

4 *Ferentarius.* I. e. levis armaturæ. Veget. i, 20. 'Erant autem apud veteres inter pedites, qui dicebantur levis armaturæ, funditores et ferentarii: qui præcipue in cornibus locabantur, et a quibus pugnandi sumebatur exordium: sed hi velocissimi et exercitatissimi legebantur. Nec erant admodum multi, qui cedentes (si prælii necessitas compulisset) inter principia legionum recipi solebant, ita ut acies immota consisteret.' In hac pugna ferentarius gravisque miles simul incubuit.

que miles: illi, telis adsultantes, hi, conferto gradu: turbatis contra Britannorum ordinibus, apud quos nulla loricarum galearumve tegmina: et si auxiliaribus resisterent, gladiis ac pilis legionariorum; si huc verterent, spathis[5] et hastis auxiliarium sternebantur: clara ea victoria fuit, captaque uxore et filia Caractaci, fratres quoque in deditionem accepti.

36. Ipse (ut ferme intuta sunt adversa) cum fidem Cartismanduæ, reginæ Brigantum, petivisset, vinctus ac victoribus traditus est, nono post anno,[1] quam bellum in Britannia cœptum. Unde fama ejus evecta insulas, et proximas provincias pervagata, per Italiam quoque celebrabatur: avebantque visere, quis ille, tot per annos, opes nostras sprevisset. Ne Romæ quidem ignobile Caractaci nomen erat. Et Cæsar, dum suum decus extollit, addidit gloriam victo. Vocatus quippe, ut ad insigne spectaculum, populus. Stetere in armis prætoriæ cohortes campo, qui castra[2] præjacet. Tum, incedentibus regiis clientelis, phaleræ torquesque, quæque externis bellis quæsierat, traducta; mox fratres, et conjunx, et filia: postremo ipse ostentatus. Ceterorum preces degeneres fuere, ex metu. At non Caractacus,[3] aut vultu demisso, aut verbis, misericordiam requirens, ubi tribunali[4] adstitit, in hunc modum locutus est.

37. "Si quanta nobilitas et fortuna mihi fuit, tanta rerum prosperarum moderatio fuisset, amicus potius in hanc Urbem, quam captus venissem: neque dedignatus esses claris majoribus ortum, pluribus gentibus imperitantem, fœdere pacis accipere. Præsens sors mea, ut mihi informis, sic tibi magnifica est: habui equos, viros, arma, opes: quid mirum, si hæc invitus amisi? Non, si vos omnibus imperitare vultis, sequitur, ut omnes servitutem accipiant. Si statim deditus traderer; neque mea fortuna, neque tua gloria inclaruisset.

5 *Spathis.* 'Gladios majores, quos spathas vocant, et alios minores, quos semispathas nominant,' recenset Veget. ii, 15. Inde Italis, *Spada*.

1 *Nono post a.* Ergo initium belli repetit Tac. ab ipsis Britannorum dissensionibus, quæ Britannicæ expeditioni causæ fuere, ut dictum in Suppl. An. ix, 50 sq. Neque hæc cum iis, quæ memorantur Hist. iii, 45. pugnant, ut placuit Lipsio.

2 *Castra.* Qui castra prætoria Romæ præjacet. V. not. et em. ad An. xii, 36.

3 *Non Caractacus.* Egregie quidem. Egregie; et ad regiam dignitatem invictamque constantiam accommodate. Inexplebilem Romanorum cupiditatem arguit idem Caractacus. Visoque Urbis splendore et amplitudine, 'Itane,' inquit, 'cum hæc et hujusmodi habeatis, nostra tuguriola concupiscitis?' Εἶτα, ἔφη, ταῦτα καὶ τὰ τοιαῦτα κεκτημένοι, τῶν σκηνιδίων ἡμῶν ἐπιθυμεῖτε; Zonaras, p. 566.

4 *Tribunali.* De Tribunali sæpe dictum. V. An. i, 18.

Supplicium mei[1] oblivio sequetur: at si incolumem servaveris, æternum exemplar clementiæ ero." Ad ea Cæsar veniam ipsique, et conjugi, et fratribus, tribuit. Atque illi, vinclis exsoluti, Agrippinam quoque haud procul alio suggestu conspicuam, iisdem, quibus Principem, laudibus gratibusque venerati sunt. Novum sane,[2] et moribus veterum insolitum, fœminam signis Romanis præsidere. Ipsa semet parti a majoribus suis imperii sociam[3] ferebat.

38. Vocati posthac patres, multa et magnifica super captivitate Caractaci disseruere: "Neque minus id clarum, quam cum Siphacem P. Scipio,[1] Persen L. Paullus, et si qui alii vinctos reges populo Romano ostendere." Censentur "Ostorio triumphi insignia,"[2] prosperis ad id rebus ejus, mox ambiguis: sive, quod, amoto Caractaco, quasi debellatum foret, minus intenta apud nos militia fuit; sive hostes, miseratione tanti regis, acrius ad ultionem exarsere. Præfectum castrorum, et legionarias cohortes exstruendis apud Siluras præsidiis relictas circumfundunt. Ac ni cito vicis et castellis proximis subventum foret, copiæ tum occidione occubuissent. Præfectus tamen, et octo centuriones, ac promtissimus quisque manipulus cecidere: nec multo post pabulantes nostros, missasque ad subsidium turmas profligant.

39. Tum Ostorius cohortes expeditas exposuit:[1] nec ideo fugam sistebat, ni legiones prælium excepissent. Earum robore æquata pugna, dein nobis pro meliore fuit. Effugere hostes tenui damno, quia inclinabat dies. Crebra hinc prælia, et sæpius in modum latrocinii: per saltus, per paludes; ut cuique sors, aut virtus: temere, proviso; ob iram, ob

1 *Supplicium mei.* Supplicium meum oblivio sequetur. Haud dissimulaverim in hac oratione negligenter dicta 'imperitantem—imperitare—sequitur—sequeter.'

2 *Novum sane.* Nec mirum, hebete marito, ambitiosa uxore.

3 *Imperii sociam.* Non modo se impetii sociam ferebat, sed talem quoque habuere gentes exteræ, ac maxime Polemon II. rex Ponticus, cujus insignem nummum argenteum protulit Cl. Pellerin, *Recueil de Médailles de Rois*, p. 187. Ex una parte caput Polemonis diadematum, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΟΛΕΜΩΝΟ. Ex altera, diadematum quoque caput Agrippinæ, ΕΤΟΥΣ ΙΕ. Id est anno decimo quinto Polemonis, qui incidit in A. U. C. 806.

1 *Siphacem P. Scipio.* Siphax, Masæsylorum rex, a P. Scipione in triumpho ductus A. U. C. 553. Polyb. xvi, p. 733. Perseo, ultimo Macedonum rege, devicto A. U. C. 586. triumphavit Æmilius Paulus, et teste Plin. xxxiii, 3. § 17. ærario intulit e Macedonica præda HS. MM. CCC. a quo tempore populus Romanus tributum pendere desiit.' Bis millies trecenties centena millia sestertium efficiunt, *Angl.* 1,916,666*l.* 3*s.* 4*d.*

2 *Triumphi insignia.* De his insignibus v. inf. in vit. Agr. 40.

1 *Exposuit.* Mallet Lipsius *opposuit.*

prædam; jussu, et aliquando ignaris ducibus: ac præcipua Silurum pervicacia, quos accendebat vulgata imperatoris Romani vox: "ut quondam Sugambri excisi, et in Gallias trajecti forent,[2] ita Silurum nomen penitus extinguendum." Igitur duas auxiliares cohortes, avaritia præfectorum incautius populantes, intercepere. Spoliaque et captivos largiendo, ceteras quoque nationes ad defectionem trahebant, cum tædio curarum fessus Ostorius, concessit vita, lætis hostibus, tamquam ducem haud spernendum, etsi non prælium, at certe bellum, absumsisset.

40. At Cæsar, cognita morte legati, ne provincia sine rectore foret, A. Didium[1] suffecit. Is propere vectus, non tamen integras res invenit, adversa interim legionis pugna, cui Manlius Valens præerat: auctaque et apud hostes ejus rei fama, quo venientem ducem exterrerent; atque illo augente audita,[2] ut major laus compositis, vel si duravissent, venia justior tribueretur. Silures id quoque damnum intulerant, lateque persultabant, donec accursu Didii pellerentur. Sed post captum Caractacum, præcipuus scientia rei militaris Venusius, e Jugantum civitate,[3] ut supra memoravi,[4] fidusque diu, et Romanis armis defensus, cum Cartismanduam reginam matrimonio teneret, mox orto discidio, et statim bello, etiam adversus nos hostilia induerat. Sed primo tantum inter ipsos certabatur, callidisque Cartismandua artibus, fratrem ac propinquos Venusii intercepit. Inde accensi hostes, stimulante ignominia, ne fœminæ imperio[5] subderentur: valida et lecta armis juventus regnum ejus invadunt: quod nobis prævisum, et missæ auxilio cohortes acre prælium fecere, cujus initio ambiguo, finis lætior fuit. Neque dispari eventu pugnatum a legione, cui Cesius Nasica præerat. Nam Didius, senectute gravis, et multa copia honorum, per ministros agere, et arcere hostem satis habebat. Hæc, quamquam a duobus Ostorio

2 *Trajecti forent.* Sicambri ab Augusto in Galliam trajecti. Suet. Aug. 21. 'Germanos ultra Albim fluvium summovit: ex quibus Suevos et Sicambros dedentes se traduxit in Galliam, atque in proximis Rheno agris collocavit.' De Sicambris jam dictum sup. An. ii, 26.

1 *A. Didium.* De illo inf. Vit. Agric. 14.

2 *Augente audita.* Rei fama Romæ audita est, ipso Didio eam augente.

3 *Jugantum civitate.* Emendandum *Brigantum.* V. not. et em. ad An. xii, 40.

4 *Supra memoravi.* In libris Annalium deperditis, in quibus narrata Britannica expeditio, de qua nos in Suppl. An. ix, 50. sq. De Venusio adhuc inf. Hist. iii, 45.

5 *Fœminæ imperio.* Potius crediderim Brigantas fœminæ parere inassuetos, quam Tacitum memoria lapsum, ut placuit Lipsio.

Didioque proprætoribus plures per annos gesta, conjunxi, ne divisa haud perinde ad memoriam sui valerent. Ad temporum ordinem redeo.

A.U.C. 804. J.C. 51.

41. Ti. Claudio quintum, Ser. Cornelio Orphito[1] consulibus, virilis toga Neroni maturata,[2] quo capessendæ reipublicæ habilis videretur. Et Cæsar adulationibus senatus libens cessit, "ut vicesimo ætatis anno consulatum Nero iniret: atque interim designatus, proconsulare imperium extra Urbem haberet, ac *princeps juventutis*[3] appellaretur." Additum nomine ejus[4] donativum militi, congiarium plebi. Et ludicro Circensium, quod adquirendis vulgi studiis edebatur, Britannicus in prætexta,[5] Nero triumphalium veste[6] transvecti sunt. Spectaret populus hunc decore imperatorio, illum puerili habitu; ac perinde fortunam utriusque præsumeret. Simul, qui centurionum tribunorumque sortem Britannici miserabantur, remoti fictis causis, et alii per speciem honoris: etiam libertorum si quis incorrupta fide, depellitur, tali occasione. Obvii inter se, Nero *Britannicum* nomine, ille *Domitium*, salutavere.[7] Quod, ut discordiæ initium, Agrippina multo questu ad maritum defert: "sperni" quippe "adoptionem; quæque censuerint patres, jusserit populus, intra penates abrogari: ac nisi pravitas tam infensa docentium arceatur, eruptura in publicam perniciem." Commotus his, quasi criminibus,[8] Claudius, opti-

1 *Ser. Cornelio Orphito.* Tiberius Claudius Augustus v. et Servius Cornelius Orphitus coss. fuere A. U. C. 804. J. C. 51. Hos coss. aliaque Neronis decora v. in not. et em. ad An. xii, 41.

2 *Maturata.* Maturata quidem: nam ab exeunte tantum Decembri decimum quartum ætatis annum, quo expleto sumebatur toga, ingressus erat Nero.

3 *Princeps juventutis.* Tunc cusi passim in Cimeliis obvii, tum aurei, tum argentei nummi, NERONI CLAVDIO DRVSO GERM. COS. DES. Caput Neronis juvenile et nudum. Ex adversa parte in medio clypeo, EQVESTER ORDO PRINCIPI IVVENTVTIS. Et in nummo aureo e Cimelio Regio, TI. CLAVD. CÆSAR AVG. GERM. P. M. TR. POT. P. P. Caput Claudii laureatum. In postica parte, NERO CLAVD. CÆS. DRVSVS GERM. PRINC. IVVENT. Caput Neronis nudum.

4 *Nomine ejus.* Hæc pluribus Suet. Ner. 7. 'Deductus in forum tiro, populo congiarium, militi donativum proposuit: indictaque decursione prætorianis, scutum sua manu prætulit: exinde patri gratias in senatu egit.' De congiario et donativo dictum sup. An. iii, 29. not. inf.

5 *In prætexta.* Britannicus adhuc in prætexta, quod ei maturata non fuisset virilis toga.

6 *Triumphalium veste.* De triumphali veste dictum An. i, 15. not. inf.

7 *Salutavere.* Rem paulo aliter narrat Suet. Ner. 7. Nero prodidit immanitatem naturæ, 'quibus primum potuit experimentis. Namque Britannicum fratrem, quod se post adoptionem Ænobarbum ex consuetudine salutasset, ut subditivum apud patrem arguere conatus est.'

8 *Quasi criminibus.* Quasi vera essent crimina.

mum quemque educatorem filii exilio ac morte adficit: datosque a noverca, custodiæ ejus imponit.

42. Nondum tamen summa moliri Agrippina audebat, ni prætoriarum cohortium cura exsolverentur Lusius Geta, et Rufius Crispinus, quos Messalinæ memores, et liberis ejus devinctos credebat. Igitur "distrahi cohortes ambitu duorum, et, si ab uno regerentur, intentiorem fore disciplinam" adseverante uxore, transfertur regimen cohortium ad Burrum Afranium, egregiæ militaris famæ, gnarum tamen cujus sponte præficeretur. Suum quoque fastigium Agrippina extollere altius, carpento Capitolium ingredi,[1] qui mos sacerdotibus, et sacris antiquitus concessus, venerationem augebat fœminæ, quam imperatore genitam,[2] sororem ejus qui rerum potitus sit, et conjugem, et matrem fuisse, unicum ad hunc diem exemplum est. Inter quæ præcipuus propugnator ejus Vitellius,[3] validissima gratia, ætate extrema (adeo incertæ sunt potentium res) accusatione corripitur, deferente Junio Lupo senatore. Is crimina majestatis, et cupidinem imperii objectabat. Præbuissetque aures Cæsar, nisi Agrippinæ minis magis, quam precibus mutatus esset, ut accusatori aqua atque igne interdiceret: hactenus Vitellius[4] voluerat.

43. Multa eo anno prodigia evenere.[1] Insessum diris avibus Capitolium: crebris terræ motibus prorutæ domus: ac dum latius metuitur, trepidatione vulgi, invalidus quisque obtriti. Frugum quoque egestas, et orta ex eo fames, in prodigium accipiebatur. Nec occulti tantum questus; sed jura reddentem Claudium circumvasere clamoribus turbidis,[2] pul-

1 *Carpento—ingredi.* Id illustrat, quantumque ex nimiis honoribus libido Agrippinæ accreverit, docet Dio lx. p. 686. Καὶ ἡ μὲν ταχὺ δὲ αὐτὴ Μεσσαλῖνα ἐγένετο, καὶ μάλιστα ὅτι καὶ τιμὰς ἄλλας τε, καὶ τῷ καρπεντίῳ, forte καρπέντῳ ἐν ταῖς πανηγύρεσι χρῆσθαι, παρὰ τῆς βουλῆς ἔλαβεν. 'Mox Agrippina in Messalinam plane commutata est, cum ei senatus alios honores, utque carpento in ludis uteretur, decrevit.' Obvii Agrippinæ nummi cum carpenti figura.

2 *Imperatore genitam.* Agrippina erat Germanici filia, soror Caii Caligulæ, conjux Claudii, mater Neronis: tot titulorum unicum ad hunc diem in imperio Romano exemplum. Quo clarior ejus sanguis, eo ipsa pejor.

3 *Vitellius.* Imperatoris Vitellii pater, ter consul, censor, bona juventæ adulatorio dedecore et senectute flagitiosa obliteravit. De illo sæpe sup. ac maxime An. vi, 32.

4 *Hactenus Vitellius.* Id unum Vitellius oraverat, graviorem pœnam deprecatus.

1 *Prodigia evenere.* Tot inter prodigia unum a Tacito omissum recitat Plin. ii, 31. 'Trinos soles nostra ætas vidit Divo Claudio Principe, consulatu ejus, Cornelio Orphito collega.' V. et Dion. lx, p. 687.

2 *Clamoribus turbidis.* Suet. Claud. 18. 'Arctiore autem annona ob assiduas sterilitates, detentus quondam medio foro a turba, convitiisque ac simul fragminibus panis ita instratus, ut ægre nec nisi postico evadere in Palatium valuerit; nihil non excogitavit ad invehendos etiam in tempore hiberno commeatus.'

sumque in extremam fori partem vi urgebant, donec militum globo infensos perrupit Quindecim dierum alimenta Urbi non amplius superfuisse constitit: magnaque Deum benignitate, et modestia hiemis, rebus extremis subventum. At hercule olim ex Italiæ regionibus longinquas in provincias commeatus portabant: nec nunc infœcunditate[3] laboratur, sed Africam potius et Ægyptum exercemus, navibusque et casibus vita populi Romani permissa est.

44. Eodem anno bellum inter Armenios Iberosque exortum, Parthis quoque ac Romanis gravissimorum inter se motuum causa fuit. Genti Parthorum Vologeses imperitabat,[1] materna origine ex pellice Græca, concessu fratrum regnum adeptus. Iberos Pharasmanes vetusta possessione, Armenios frater ejus Mithridates obtinebat opibus nostris. Erat Pharasmani filius nomine Rhadamistus, decora proceritate, vi corporis insignis, et patrias artes edoctus, claraque inter accolas fama. Is "modicum Iberiæ regnum senecta patris detineri" ferocius crebriusque jactabat, quam ut cupidinem occultaret. Igitur Pharasmanes juvenem potentiæ promtæ,[2] et studio popularium accinctum, vergentibus jam annis suis metuens aliam ad spem trahere, et "Armeniam" ostentare, "pulsis Parthis, datam Mithridati a semet" memorando: sed "vim differendam, et potiorem dolum, quo incautum opprimerent." Ita Rhadamistus, simulata adversus patrem discordia, tamquam novercæ odiis impar, pergit ad patruum: multaque ab eo comitate in speciem liberum cultus, primores Armeniorum ad res novas inlicit, ignaro et ornante insuper Mithridate.

45. Reconciliationis specie adsumta, regressus ad patrem, "quæ fraude confici potuerint, promta" nuntiat, "cetera armis exsequenda." Interim Pharasmanes belli causas confingit: "prælianti sibi adversus Regem Albanorum, et Romanos auxilio vocanti fratrem adversatum; eamque injuriam excidio ipsius ultum iturum." Simul magnas copias filio tradidit. Ille inruptione subita territum, exutumque campis Mithrida-

3 *Nec—infœcunditate.* Sed luxu, qui Italiam villis, porticibus, vivariis, balneis, exhauriebat; ipsaque Augusti destinatione, qui Africam ac maxime Ægyptum delegerat, ut annonæ Urbicæ provideret. V. Suet. Aug. 18. Quantum inde frumenti in Urbem asportaretur diximus in not. et em. ad An. ii, 59.

1 *Vologeses imperitabat.* De Vologese jam dictum sup. c. 14. De Pharasmane et Mithridate An. xi, 8.

2 *Potentiæ promtæ.* V. not et em. ad An. xii, 44.

ten, compulit in castellum Gorneas,[1] tutum loco, ac præsidio militum, queis Cælius Pollio præfectus, centurio Casperius præerat. Nihil tam ignarum barbaris, quam machinamenta et astus oppugnationum. At nobis ea pars militiæ maxime gnara est. Ita Rhadamistus frustra, vel cum damno, tentatis munitionibus, obsidium incipit. Et cum vis negligeretur, avaritiam præfecti[2] emercatur, obtestante Casperio, ne socius rex, ne Armenia, donum populi Romani, scelere et pecunia verterentur. Postremo, quia multitudinem hostium Pollio, jussa patris Rhadamistus, obtendebant, pactus inducias, abscedit; ut nisi Pharasmanen bello absterruisset, C. Ummidium Quadratum[3] præsidem Syriæ doceret, quo in statu Armeniæ forent.

46. Digressu centurionis, velut custode exsolutus præfectus, hortari Mithridaten ad sanciendum fœdus; "conjunctionem fratrum, ac priorem ætate Pharasmanen, et cetera necessitudinem nomina" referens, "quod filiam ejus in matrimonio haberet; quod ipse Rhadamisto socer esset. Non abnuere pacem Iberos, quamquam in tempore validiores; et satis cognitam Armeniorum perfidiam: nec aliud præsidii, quam castellum commeatu egenum: ne dubitaret armis incruentas conditiones malle."[1] Cunctante ad ea Mithridate, et suspectis præfecti consiliis, quod pellicem regiam polluerat,[2] inque omnem libidinem venalis habebatur; Casperius interim ad Pharasmanen pervadit: "utque Iberi obsidio decedant," expostulat. Ille propalam incerta, et sæpius molliora respondens, secretis nuntiis monet Rhadamistum, "oppugnationem quoquo modo celerare." Augetur flagitii merces, et Pollio occulta corruptione impellit milites, ut "pacem" flagitarent, "seque præsidio abituros" minitarentur. Qua necessitate, Mithridates diem locumque fœderi accepit, castelloque egreditur.

47. Ac primo Rhadamistus in amplexus ejus effusus, simu-

1 *Castellum Gorneas.* Castellum illud erat intra initia Araxis et Euphratis, ad occasum urbis Artaxatorum. Sunt qui putent Gorneas idem esse ac 'Garnacen,' de qua Ptolemæus in Armenia, v, 7. Alia castella montana, et custodiendis regiis thesauris munita γαζοφυλάκια, φρούρια ὀρεινὰ, memorat Strabo xi, p. 529.

2 *Avaritiam præfecti.* Cælii Pollionis.

3 *C. Ummidium Quadratum.* V. not. et em. ad An. xii, 45.

1 *Armis—malle.* Sic quoque dixit Horat. ii Sat. viii, 79. 'Nullos his mallem ludos spectasse.'

2 *Polluerat.* Ac propterea, inquit Illustr. Huetius, timebat et timebatur.

lare obsequium, "socerum" ac "parentem" appellare. Adjicit jusjurandum, "non ferro, non veneno vim allaturum:" simul in lucum propinquum trahit, "provisum illic sacrificium imperatum" dictitans, "ut Diis testibus pax firmaretur." Mos est regibus, quotiens in societatem coeant, implicare dextras, pollicesque inter se vincire, nodoque præstringere: mox ubi sanguis in artus extremos se effuderit, levi ictu cruorem eliciunt, atque invicem lambunt: id fœdus arcanum[1] habetur, quasi mutuo cruore sacratum. Sed tunc, qui ea vincula admovebat, decidisse simulans, genua Mithridatis invadit, ipsumque prosternit: simulque concursu plurium injiciuntur catenæ, ac compede, quod dedecorum barbaris, trahebatur. Moxque vulgus, duro imperio habitum, probra ac verbera intentabat. Et erant contra, qui tantam fortunæ commutationem miserarentur. Secutaque cum parvis liberis conjunx, cuncta lamentatione complebat. Diversis et contectis vehiculis abduntur, dum Pharasmanis jussa exquirerentur. Illi cupido regni fratre et filia potior,[2] animusque sceleribus paratus: visui tamen consuluit, ne coram interficerentur. Et Rhadamistus, quasi jurisjurandi memor, non ferrum, non venenum in sororem et patruum expromit; sed projectos in humum, et veste multa gravique opertos necat. Filii quoque Mithridatis, quod cædibus parentum inlacrymaverant, trucidati sunt.

48. At Quadratus cognoscens proditum Mithridaten, et regnum ab interfectoribus obtineri, vocat consilium, docet acta, et an ulcisceretur consultat. Paucis decus publicum curæ: plures tuta disserunt. "Omne scelus externum cum lætitia habendum. Semina etiam odiorum jacienda, ut sæpe Principes Romani eamdem Armeniam specie largitionis, turbandis barbarorum animis præbuerint. Potiretur Rhadamistus male partis, dum invisus, infamis; quando id magis ex usu,[1] quam si cum gloria adeptus foret." In hanc sententiam itum. Ne tamen annuisse facinori viderentur, et diversa Cæsar præci-

1 *Fœdus arcanum.* Arcanum quidem et singulare fœdus, sed antiquissimum et orientalibus gentibus perfamiliare. Illud apud Arabas receptum vide in Herodot. iii, 8. apud Scythas in Luciano, Toxaris, 37. vol. ii, p. 545. in ipso Herodot. iv, 70. Cruentum quoque, sed non ita inhumanum, exhibet sacra scriptura Genes. xv, 9. Jerem. xxxiv, 18.

2 *Fratre—potior.* Regni cupidinem potiorem habuit, quam fratrem et filiam, fratris sui conjugem.

1 *Ex usu.* Quoniam id magis conduceret Romanis, quam si Armeniam cum gloria adeptus foret. Poterant enim, prout libitum, Armeniam repetere, et scelus ulcisci.

peret, missi ad Pharasmanen nuntii, ut abscederet a finibus Armeniis, filiumque abstraheret.

49. Erat Cappadociæ procurator Julius Pelignus, ignavi animi, et deridiculo corporis juxta despiciendus; sed Claudio perquam familiaris, cum privatus olim[1] conversatione scurrarum iners otium oblectaret. Is Pelignus, auxiliis provincialium contractis, tamquam recuperaturus Armeniam, dum socios magis, quam hostes, prædatur, abscessu suorum, et incursantibus barbaris, præsidii egens, ad Rhadamistum venit: donisque ejus evictus, ultro "regium insigne sumere" cohortatur; sumentique adest auctor et satelles. Quod ubi turpi fama divulgatum, ne ceteri[2] quoque ex Peligno conjectarentur, Helvidius Priscus legatus cum legione mittitur, rebus turbidis pro tempore ut consuleret. Igitur propere montem Taurum transgressus, moderatione plura, quam vi, composuerat; cum "redire in Syriam" jubetur, "ne initium belli adversus Parthos exsisteret."

50. Nam Vologeses[1] casum invadendæ Armeniæ obvenisse ratus, quam a majoribus suis possessam, externus rex flagitio obtineret, contrahit copias, fratremque Tiridaten deducere in regnum parat; ne qua pars domus sine imperio ageret. Incessu Parthorum, sine acie pulsi Iberi: urbesque Armeniorum Artaxata et Tigranocerta[2] jugum accepere. Deinde atrox hiems, seu parum provisi commeatus, et orta ex utroque tabes, perpellunt Vologesen omittere præsentia: vacuamque rursus Armeniam Rhadamistus invasit, truculentior quam antea, tamquam adversus defectores et in tempore rebellaturos. Atque illi quamvis servitio sueti, patientiam abrumpunt, armisque regiam circumveniunt.

51. Nec aliud Rhadamisto subsidium fuit, quam pernicitas equorum, queis seque et conjugem abstulit. Sed conjunx gravida, primam utcumque fugam ob metum hostilem, et

1 *Privatus olim.* Claudius, privatus olim, 'abjecta spe dignitatis, ad otium concessit, modo in hortis et suburbana domo, modo in Campaniæ secessu delitescens: atque ex contubernio sordidissimorum hominum super veterem segnitiæ notam, ebrietatis quoque et aleæ infamiam subiit.' Suet. Claud. 5.

2 *Ne ceteri.* Ne ceteri Romani similes Peligno, et æque turpes viderentur.

1 *Vologeses.* Parthorum rex, de quo sæpe sup.

2 *Artaxata, Tigranocerta.* Artaxata, Armeniæ caput, ut dictum An. ii, 56. Tigranocerta vero, i. e. 'Tigranis urbs,' ut nomen ipsum sonat, sita erant ubi nunc *Amadie.* V. inf. An. xv, 4 et 5.

mariti caritatem, toleravit. Post festinatione continua, ubi quati uterus, et viscera vibrantur, orare "ut morte honesta contumeliis captivitatis eximeretur." Ille primo amplecti, adlevare, adhortari, modo virtutem admirans, modo timore æger, ne quis relicta potiretur. Postremo, violentia amoris, et facinorum non rudis, destringit acinacem, vulneratamque ripam ad Araxis[1] trahit, flumini tradit, ne corpus etiam auferretur. Ipse præceps Iberos ad patrium regnum pervadit. Interim Zenobiam (id mulieri nomen) placida illuvie, spirantem, ac vitæ manifestam, advertere pastores; et dignitate formæ haud degenerem reputantes, obligant vulnus, agrestia medicamina adhibent; cognitoque nomine et casu, in urbem Artaxata ferunt: unde publica cura deducta ad Tiridaten, comiterque excepta, cultu regio habita est.

A.U.C. 805. J.C. 52.

52. Fausto Sulla, Salvio Othone[1] consulibus, Furius Scribonianus in exilium agitur, quasi "finem Principis per Chaldæos scrutaretur:" adnectebatur crimini "Junia mater ejus," ut "casus prioris" (nam relegata erat) "impatiens." Pater Scriboniani Camillus arma per Dalmatiam moverat.[2] Idque ad clementiam trahebat Cæsar, quod stirpem hostilem iterum conservaret. Neque tamen exuli longa posthac vita fuit: morte fortuita, an per venenum extinctus esset, ut quisque credidit, vulgavere. "De mathematicis[3] Italia pellendis" factum senatusconsultum, atrox et inritum. Laudati dehinc oratione Principis, "qui ob angustias familiares[4] ordine senatorio sponte cederent," motique "qui remanendo impudentiam paupertati adjicerent."

53. Inter quæ refertur ad patres "de pœna fœminarum, quæ servis conjungerentur." Statuiturque "ut, ignaro domino,

1 *Araxis*. Araxes dicitur hodie, *Aras*; de quo Plin. vi. 9. 'Araxes eodem monte, quo Euphrates vi. mill. passuum intervallo: auctusque amne Musi, et ipse (ut plures existimavere) a Cyro, [Kur,] defertur in Caspium mare.'

1 *Salvio Othone*. P. Cornelius Sulla Faustus et L. Salvius Otho Titianus consulatum iniere A. U. C. 805. J. C. 52.

2 *Arma—moverat*. De hac Camilli Scriboniani rebellione quinto die oppressa diximus in Suppl. An. ix, 35 et 36.

3 *De mathematicis*. Chaldæis ac Magis. Pestis sæpe repressa, semper renascens, ob superstitionem mortalitatis, præsentium incuriosæ, futurorum avidæ. Plura v. inf. Hist. i, 22.

4 *Angustias familiares*. 'Senatorum censum—duodecies sestertium,' Angl. 10,000*l*. taxaverat Augustus. Suet. Aug. 41.

ad id prolapsa,[1] in servitute: sin consensisset, pro liberta haberetur." Pallanti, quem "repertorem ejus relationis" ediderat Cæsar, "prætoria insignia, et centies quinquagies sestertium"[2] censuit consul designatus Barea Soranus: additum a Scipione Cornelio, "grates publice agendas, quod regibus Arcadiæ ortus,[3] veterrimam nobilitatem usui publico postponeret, seque inter ministros Principis haberi sineret." Adseveravit Claudius, "contentum honore Pallantem, intra priorem paupertatem subsistere." Et fixum est ære publico senatusconsultum,[4] quo libertinus sestertii ter millies[5] possessor, antiquæ parcimoniæ laudibus cumulabatur.

54. At non frater ejus, cognomento *Felix*, pari moderatione agebat, jam pridem Judææ impositus,[1] et cuncta malefacta sibi impune ratus, tanta potentia subnixo. Sane præbuerant Judæi speciem motus, orta seditione,[2] * postquam, cognita cæde ejus, haud obtemperatum esset: manebat metus, ne quis principum eadem imperitaret. Atque interim Felix intempestivis remediis delicta accendebat, æmulo ad deterrima Ventidio Cumano, cui pars provinciæ habebatur: ita divisis, ut huic Galilæorum natio, Felici Samaritæ parerent, discordes olim, et tum contemtu regentium minus coercitis odiis. Igitur rap-

1 *Ignaro—prolapsa.* Invalescente hac morum corruptela, statuitur ut fœmina ad id libidinis, ignaro servi domino, prolapsa, in servitute viveret, seu ancilla foret: quæ vero, consentiente domino, cum servo conjungeretur, liberta haberetur. Sic quoque, libidine atque luxuria recrudescente, Vespasianus 'auctor senatui fuit decernendi, ut quæ se alieno servo junxisset, ancilla haberetur,' Suet. Vespas. 11. V. not. et em. ad An. xii, 53.

2 *Centies quinquagies sestertium.* *Angl.* 125,000*l.* Senatoriæ adulationis et Imperatoriæ imbecillitatis monumentum vidit Plin. vii, Ep. 29. ita inscriptum: Pallanti SENATVS. OB. FIDEM. PIETATEMQVE. ERGA. PATRONOS. ORNAMENTA. PRAETORIA. DECREVIT. ET. SESTERTIVM. CENTIES. QVINQVAGIES. CVJVS. HONORE. CONTENTVS. FVIT. Hac de re totam Plinii epistolam vide inter Testimonia Veterum de Tacito.

3 *Regibus Arcadiæ ortus.* Hæc fuit semper novorum hominum stulta æmulatio, ut claros ac sæpe regios natales arcesserent. Nec ullum forte seculum, quod Pallantas non habuerit. Animose, sed vere adversus hos omnes, acerrimus vitiorum insectator, Plin. xxxv, 18. 'Hoc est insigne venalitiis gregibus, opprobriumque insolentis fortunæ: quod et nos adeo rerum potiri vidimus, ut prætoria quoque ornamenta decerni a senatu, jubente Agrippina Cl. Cæsaris, viderimus libertis: tantumque non cum laureatis fascibus remitti illo, unde cretatis pedibus advenissent.'

4 *Senatusconsultum.* Singulare illud SC. ferme totum recitat Plin. viii, Epist. 6. quam vide inter Testimonia Veterum de Tacito, lectu dignissimam.

5 *Sestertii ter millies.* *Angl.* 2,500,000*l.*

1 *Judææ impositus.* Hac de re gravissima Tacitum inter et Josephum dissensio, multisque eruditorum virorum disputationibus celebratissima, de qua vide not. et em. ad An. xii, 54.

2 *Orta seditione.* Hic aliquid excidisse librariorum vel negligentia, vel religione, arbitror. Supplendum, ut mihi videtur, *Sane præbuerant Judæi speciem motus, orta seditione ob Caii Cæsaris effigiem in templo locandam; postquam, cognita cæde ejus, haud obtemperatum esset, manebat metus ne quis Principum eadem imperitaret.* V. not. et em. ad An. xii, 54.

tare inter se, immittere latronum globos, componere insidias, et aliquando prœliis congredi, spoliaque et prædas ad procuratores referre. Hique primo lætari, mox gliscente pernicie, cum arma militum interjecissent, cæsi milites. Arsissetque bello provincia, ni Quadratus, Syriæ rector, subvenisset.[3] Nec diu adversus Judæos, qui in necem militum proruperant, dubitatum, quin capite pœnas luerent: Cumanus et Felix cunctationem adferebant, quia Claudius, causis rebellionis auditis, jus statuendi etiam de procuratoribus dederat. Sed Quadratus Felicem inter judices ostentavit,[4] receptum in tribunal, quo studia accusantium deterrerentur. Damnatusque flagitiorum, quæ duo deliquerant, Cumanus; et quies provinciæ reddita.

55. Nec multo post agrestium Cilicum nationes, quibus *Clitarum* cognomentum,[1] sæpe et alias commotæ, tunc Trosobore duce, montes asperos castris cepere. Atque inde decursu in littora, aut urbes, vim cultoribus et oppidanis, ac plerumque in mercatores et navicularios[2] audebant. Obsessaque civitas Anemuriensis,[3] et missi e Syria in subsidium equites, cum præfecto Curtio Severo, turbantur: quod duri circum loci,[4] peditibusque ad pugnam idonei, equestre prælium haud patiebantur. Dein rex ejus oræ Antiochus,[5] blandimentis adversus

3 ***Subvenisset.*** Cum Judææ procuratores dissentirent, et provincia bello arderet, subvenit Ummidius Quadratus, rector Syriæ. Jam enim Judæos et Ituræos Syriæ additos vidimus sup. c. 23.

4 ***Ostentavit.*** Quadratus, Pallanti adulatus serviliter, Felicem, ejus fratrem, accusandum licet et judicandum, in tribunal recepit, et inter judices ostentavit, ut studia accusantium deterrerentur. Itaque Cumanus damnatus est flagitiorum, quæ duo deliquerant, ipse scilicet et Felix. Hæc certe distinctius narrantur, quam ut Josephi, Antiq. Jud. xx, 5. 6 et 7. confuse ac tumultuarie scribentis error non pateat.

1 ***Clitarum cognomentum.*** De his Ciliciæ asperæ populis dictum sup. An. vi, 41.

2 ***Mercatores et navicularios.*** Callistratus, Digest. lib. l. tit. 6. de Jure immunitatis, leg. 5. 'Negotiatores, qui annonam Urbis adjuvant, item navicularii, qui annonæ Urbis serviunt, immunitatem a muneribus publicis consequuntur, quamdiu in ejusmodi actu sunt.' Audebant vim in cultores et oppidanos, &c.

3 ***Anemuriensis.*** Anemurium, urbs maritima Ciliciæ, ***Anemur***, vel ***Estenmur***.

4 ***Duri circum loci.*** Propter montes. Unde Τραχεῖα, i. e. 'aspera,' hæc Ciliciæ pars dicitur.

5 ***Rex ejus oræ Antiochus.*** Antiochus iv. rex Commagenæ, de quo diximus in Suppl. An. ix, 20. Partem quoque Ciliciæ asperæ obtinebat, ut patet ex insigni ejus nummo æreo, quem vulgavit Cl. Haym, ***Tesoro Britannico***, p. 110. ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΜΕΓΑΣ ΑΝΤΙΟΧΟΣ, capite Antiochi diademato. E postica parte, Cancer in laurea ΛΑΚΑΝΑΤΩΝ. Lacanatis pars erat superioris Ciliciæ, ubi postea Neronias, deinde Irenopolis, nunc ***Irenopoli***, de qua sæpe Theodoretus in Hist. Ecclesiast. Idem nummus, sed paululum diversus, extat apud Cl. Pellerin, ***Recueil de Médailles de Rois***, Tab. xiv. p. 126. Alios quoque duos ΣΕΒΑΣΤΗΝΩΝ et ΛΥΚΑΟΝΩΝ publicavit, quibus constat Elæusam insulam, dictam Sebasten, et Lycaoniam Antiochi regno ab Imperatoribus fuisse additas.

plebem, fraude in ducem, cum barbarorum copias dissociasset, Trosobore paucisque primoribus interfectis, ceteros clementia composuit.

56. Sub idem tempus, inter lacum Fucinum[1] amnemque Lirin,[2] perrupto monte, quo magnificentia operis[3] a pluribus viseretur, lacu in ipso navale prælium[4] adornatur; ut quondam Augustus,[5] structo cis Tiberim stagno,[6] sed levibus navigiis, et minore copia ediderat.[7] Claudius triremes quadriremesque et undeviginti hominum millia armavit; cincto ratibus ambitu,[8] ne vaga effugia forent: ac tamen spatium amplexus, ad vim remigii, gubernantium artes, impetusque navium, et prælio solita. In ratibus prætoriarum cohortium manipuli turmæque adstiterant, antepositis propugnaculis, ex queis catapultæ balistæque tenderentur. Reliqua lacus, classiarii[9] tectis navibus obtinebant. Ripas et colles, ac

1 *Fucinum.* Nunc *lago di Celano, in the province of Abruzzo.*

2 *Amnemque Lirin.* Nunc *Garigliano* appellatur.

3 *Magnificentia operis.* Rem illustrat Suet. Claud. 20, 'Fucinum aggressus est, non minus compendii spe, quam gloriæ, cum quidam privato sumtu emissuros se repromitterent, si sibi siccati agri concederentur. Per tria autem passuum millia, partim effosso monte, partim exciso, canalem absolvit ægre, et post undecim annos, quamvis continuis triginta hominum millibus sine intermissione operantibus.' In operis laudes effusior Plin. xxxvi, 15. n. 11. et ipse oculatus testis: 'Ejusdem Claudii inter maxime memoranda equidem duxerim, quamvis destitutum successoris odio, montem perfossum ad lacum Fucinum emittendum, inenarrabili profecto impendio, et operarum multitudine per tot annos: cum aut corrivatio aquarum, qua terrenus mons erat, egereretur in vertice machinis, aut silex cæderetur, omniaque intus in tenebris fierent, quæ neque concipi animo, nisi ab iis qui videre, neque humano sermone enarrari possunt.' Quando et quam ob causam tantum opus fuerit susceptum diximus in Suppl. An. ix, 31.

4 *Navale prælium.* De hoc navali prælio v. not. et em. ad An. xii, 56.

5 *Ut quondam Augustus.* V. not. et em. l. c.

6 *Structo—stagno.* In xiv. Urbis regione, trans Tiberim, quæ ideo appellatur *Trastevere.* Cur Tacitus scripserit *cis Tiberim,* haud video; nisi forte in xiv. Urbis regione ipse habitaverit. Stagni autem, seu naumachiæ Augusti, manent adhuc vestigia in loco, qui nunc dicitur *la Vigna delle Monache di S. Caterina da Siena.*

7 *Ediderat.* Ut navale prælium ab Augusto, post magnificentius a Claudio adornatum innotescat plura erunt dicenda. Itaque v. not. et em. l. c.

8 *Cincto—ambitu.* Teste Raphaele Fabretto, qui eruditissimam Emissarii lacus Fucini descriptionem edidit, ambitus lacus Fucini, per lacinias sinuum et promontoriorum in eum excurrentium, est xxx milliarium et ultra: rotundatis flexuris, xxvi millia passuum, et paulo amplius, obtinet. Ne sontes homines, qui præliari debebant, effugia quærerent, simul ut rotundarentur flexuræ, ratibus cinctus est lacus ambitus. In iis ratibus prætoriarum cohortium manipuli turmæque adstabant, antepositis propugnaculis, ex queis catapultæ balistæque tendebantur, quibus obruerentur sontes, si pugnam detrectarent, visque prælii foret major. De ratibus earumque pretio plura dicentur inf. An. xv, 37.

9 *Classiarii.* Gravis hac de re inter Taciti interpretes dissensio. Plurimi contendunt classiarios illos cum tectis navibus reliqua lacus, ripas inter et rates prætorianorum, occupasse, ita ut tres fuerint ordines, primus navium tectarum cum classiariis, secundus ratium cum prætorianis, tertius triremium et quadriremium cum sontibus depugnaturis. At certe alia, veraque mens optimorum interpretum; duosque tantum agnoscunt ordines: unum

montium edita in modum theatri, multitudo innumera complevit, proximis e municipiis, et alii Urbe ex ipsa,[10] visendi cupidine, aut officio in Principem. Ipse insigni paludamento,[11] neque procul Agrippina chlamyde aurata,[12] præsedere. Pugnatum, quamquam inter sontes, fortium virorum animo: ac post multum vulnerum, occidioni exemti sunt.

57. Sed perfecto spectaculo, apertum aquarum iter. Incuria operis manifesta fuit, haud satis depressi ad lacus ima, vel media.[1] Eoque, tempore interjecto, altius effossi specus; et contrahendæ rursus multitudini, gladiatorum spectaculum editur, inditis pontibus[2] pedestrem ad pugnam. Quin et convivium effluvio lacus appositum magna formidine cunctos adfecit, quia vis aquarum prorumpens, proxima trahebat, convulsis ulterioribus,[3] aut fragore et sonitu exterritis. Simul Agrippina trepidatione Principis usa, ministrum operis Narcissum incusat[4] "cupidinis, ac prædarum." Nec ille

ratium in ambitu, alterum triremium et quadriremium, quibus erat pugnandum. Centum erant naves illæ, et quidem *tectæ*, id est contabulatæ: in his tabulatis depugnabatur, ut constat ex veteribus monumentis, ac maxime ex picturis Herculanensibus, *Pitture Antiche d' Ercolano*, Vol. I. Tab. xlvi et xlvii. Quod illustrat Plin. vii, 56. 'Tectas longas invenere Thasii: antea ex prora tantum et puppi pugnabatur.' Tectæ hæ naves Græcis dicebantur Καταστρώματα, Thucyd. vii, 40. vel Κατάφρακτοι νῆες, Plut. Pyrrh. p. 391. Inde vel ex *tectarum* nomine error prioris sententiæ patet. Præterea si classiarii erant in navibus tectis primoque ordine, quis ergo triremes, quadriremes ceterasque naves bellatorum agebat?

10 *Urbe ex ipsa.* Roma inde distabat lii millibus passuum.

11 *Insigni paludamento.* Militari veste. Στρατιωτικῶς. Dio lx, p. 687.

12 *Chlamyde aurata.* Immo aurea. Plin. xxxiii, 3. § 19. 'Nos vidimus Agrippinam Claudii Principis, edente eo navalis prælii spectaculum, assidentem ei, indutam paludamento, auro textili sine alia materie.'

1 *Ad—media.* Post editum navale prælium, pars ingens et utilissima spectaculi, lacus ipse Fucinus erat emittendus. Ideo allaboratum per undecim annos, tantisque impendiis mons partim effossus, partim excisus per tria passuum millia. At tunc incuria operis manifesta fuit, cum lacus ima, vel media, depressiora reperta sunt quam ut per apertum iter aquæ in Lirin derivarentur. Nec delendum cum Mureto *ima vel:* nec emendandum cum Heinsio *lacunæ media.* Si quid tollendum, certe *vel media.* At, tum *media,* tum alia quædam *ima* potuerunt esse depressiora, quam ut lacus penitus emitteretur; sic interpretatur Illustr. Huetius, 'non satis excavatus fuerat lacus in medio, et in iis locis, quæ ab effluvio remotiora erant.' Itaque adhuc fuit excavandum emissarium; novique operis vestigia reperit eruditus Fabretti, ut ipse testatur l. c. p. 395.

2 *Inditis pontibus.* Hac in re Caium imitati. V. Suppl. An. viii, 9 sq.

3 *Convulsis ulterioribus.* Hæc frustra multis vexata. Recte Illustr. Huetius, 'Nihil mutandum. Convulsa fuerant ulteriora vi aquarum; vel exterriti convivæ, ne convellerentur, timebant.' Suet. Claud. 32, 'Convivatus et super emissarium Fucini lacus, ac pœne submersus, cum emissa impetu aqua redundasset.'

4 *Narcissum incusat.* Agrippinæ invisum ob Æliæ Petinæ studium, sup. c. 1. Eum cupidinis ac prædarum incusat, quasi impensæ partem suos in usus vertisset; eam ruinam machinatus, ne fraus sua pateret. V. Dion. lx, p. 687.

reticet, "impotentiam muliebrem nimiasque spes ejus"[5] arguens.

A.U.C. 806. J.C. 53.

58. D. Junio, Q. Haterio[1] consulibus, sedecim annos natus[2] Nero Octaviam, Cæsaris filiam, in matrimonium accepit. Utque studiis honestis, et eloquentiæ gloria nitesceret; causa Iliensium[3] suscepta, "Romanum Troja demissum, et Juliæ stirpis auctorem Æneam," aliaque haud procul fabulis vetera facunde exsecutus, perpetrat "ut Ilienses omni publico munere solverentur."[4] Eodem oratore, Bononiensi coloniæ[5] igni haustæ subventum, centies sestertii[6] largitione. Redditur Rhodiis libertas,[7] ademta sæpe aut firmata, prout bellis externis meruerant, aut domi seditione deliquerant: tributumque Apamensibus,[8] terræ motu convulsis, in quinquennium remissum.

59. At Claudius sævissima quæque promere adigebatur ejusdem Agrippinæ artibus, quæ Statilium Taurum[1] opibus

5 *Nimiasque spes ejus.* Quæ jam suam Neronisque fortunam animo præciperet.

1 *Q. Haterio.* Decimus Junius Silanus et Quintus Haterius Antoninus consules fuere A. U. C. 806. J. C. 53.

2 *Sedecim annos natus.* Id est ineunte anno sexto decimo. Natus enim erat xviii. Kal. Januarias A. U. C. 790.

3 *Iliensium.* De Iliensibus jam dictum supra An. iv, 55. V. etiam not. et em. ad An. xii, 58. ubi plura de eorum immunitatibus. Tunc cusus nummus, de quo Harduinus, Select. Opp. p. 74. ΙΛΙΕΩΝ. ΣΚΑΜΑΝΔΡΟC. Effigies Scamandri fluvii recumbentis. Ex altera parte, ΝΕΡΩΝ. ΒΡΕΤΑΝ. ΚΑΙΣ. 'Nero' et 'Britannicus Cæsares.' Sic Nero Britannico præponi jam solitus. Neronem biennio ante causas illas orasse tradit Suet. Ner. 7. 'Apud eumdem [Claudium] consulem pro Bononiensibus latine, et pro Rhodiis atque Iliensibus græce, verba fecit.' Hæc quidem promta in juvene; at Principibus multa adsunt subsidia.

4 *Solverentur.* Unde Suet. Claud. 25. 'Iliensibus, quasi Romanæ gentis auctoribus, tributa in perpetuum remisit: recitata vetere epistola Græca senatus populique Romani Seleuco regi amicitiam et societatem ita demum pollicentis, si consanguineos suos Ilienses ab omni onere immunes præstitisset.'

5 *Bononiensi coloniæ.* Nunc *Bologna.* De qua Plin. iii, 15. 'Intus [colonia] Bononia, Felsina vocitata, cum princeps Etruriæ esset.'

6 *Centies sestertii.* *Angl.* 83,333*l.* 6*s.* 8*d.*

7 *Redditur—libertas.* Ademtam nuperrime a Claudio diximus in Suppl. An. x, 11. De restituta v. plura in not. et em. ad An. xii, 58.

8 *Apamensibus.* Cum plurimæ sint Apameæ, ambigua foret appellatio, nisi adessent nummi. At ex iis constat hanc esse Apameam Phrygiæ, quæ modo vocatur ΑΠΑΜΕΙΑ ΠΡΟC ΜΑΙΑΝΔΡΟΝ, 'Apamea ad Mæandrum,' modo ΑΠΑΜΕΙΑ ΚΙΒΩΤΟC ΜΑΡCΥΑC, quod ad Mæandrum et Marsyam posita, et olim dicta 'Cibotos.' V. Strab. xii, p. 567. Liv. xxxviii, 13. Plin. v, 29. Harduinus, Select. Opp. 24. duos nummos profert, grati animi Apamensium testes: alterum Claudii, ΑΠΑΜΕΙΑΣ ΜΑΙΑΝΔ. I. e. 'Apameæ Mæander:' alterum Neronis cum matre Agrippina, ΑΠΑΜΕΙΣ. ΕΠΙΜΑΡΙΟΥ ΚΟΡΔΟΥ. ΚΟΙΝΟΝ ΦΡΥΓΙΑΣ. 'Apamenses. sub Mario Cordo. Commune Phrygiæ.'

1 *Statilium Taurum.* Ejusdem nominis, sed alium, vidimus An. vi, 11. Quo Urbis loco fuerint Statilii Tauri horti incompertum. Forte vicino amphitheatro Statilii

inlustrem, hortis ejus inhians, pervertit, accusante Tarquitio Prisco. Legatus is Tauri, Africam imperio proconsulari regentis, postquam revenerant, pauca "repetundarum crimina," ceterum "magicas superstitiones" objectabat. Nec ille diutius falsum accusatorem, indignasque sordes perpessus, vim vitæ suæ attulit, ante sententiam senatus. Tarquitius[2] tamen curia exactus est: quod Patres, odio delatoris, contra ambitum Agrippinæ pervicere.

60. Eodem anno sæpius audita vox Principis, "parem vim rerum habendam a procuratoribus suis[1] judicatarum, ac si ipse statuisset." Ac ne fortuito prolapsus videretur, senatus quoque consulto cautum plenius quam antea, et uberius. Nam divus Augustus, "apud equestres,[2] qui Ægypto præsiderent, lege agi, decretaque eorum proinde haberi" jusserat, "ac si magistratus Romani constituissent:" mox alias per provincias, et in Urbe pleraque concessa sunt, quæ olim a prætoribus noscebantur. Claudius omne jus tradidit, de quo totiens seditione, aut armis certatum, cum Semproniis rogationibus[3] equester ordo in possessione judiciorum locaretur; aut rursum Serviliæ leges[4] senatui judicia rcdderent: Mariusque et Sulla olim de eo vel præcipue bellarent. Sed tunc ordinum diversa studia: et quæ vicerant, publice valebant.

Tauri, ex cujus ruderibus concretus mons, qui nunc dicitur *Monte Citorio*.

2 *Tarquitius.* Postea Proconsul fuit Bithyniæ, et ipse repetundarum damnatus, ut pluribus dicetur An. xiv, 46. Male Mss. *Tarquinius*.

1 *A procuratoribus suis.* Procuratores a Cæsaribus in omnes suas ac populi provincias mittebantur, ut publicos reditus colligerent, et præscriptas ipsis impensas facerent. Mandata quoque accipiebant, ut certis legibus in provincias irent. De his aliisque, quæ procuratores spectant, v. Dion. liii, p. 506.

2 *Apud equestres.* Vulgo *equites.* At vox *equestres* Taciti ævo invaluit. Cur et quibus equitibus Ægyptum seposuerit Augustus dictum est supra An. ii, 59.

3 *Semproniis rogationibus.* A. U. C. 632. Caius Sempronius Gracchus trecentos equites trecentis senatoribus admiscuit, eosque in possessione judiciorum locavit. V. Plut. Gracch. p. 837.

4 *Serviliæ leges.* A. U. C. 648. Q. Servilius Cæpio consul legem judiciariam tulit, qua senatui judicia reddebantur. Hac de re adhuc bellatum Marium inter et Syllam: Marius equestri ordini, Sylla senatorio favebat. Ac tandem A. U. C. 674. Sylla, consul II. legem tulit qua solis senatoribus judiciaria potestas permissa. Sed tunc ordinum diversa fuere studia, et quæ vicerant, publice valebant, et judicia administrabant. Inde A. U. C. 684. L. Aurelius Cotta, prætor, ut senatores, equites, et tribuni ærarii judicarent, ad populum tulit. Id paululum immutavit Cn. Pompeius, consul II. A. U. C. 699. legemque promulgavit, ut penes tres illos ordines forent quidem judicia, sed ea exercerent amplissimo censu et centuriis lecti judices. Cæsar dictator 'judicia ad duo genera judicum redegit, equestris ordinis ac senatorii: tribunos ærarios, quod erat tertium, sustulit,' Suet. Jul. 'Divo Augusto [judicum] decurias ordinante major pars judicum in ferreo anulo fuit: iique non equites, sed judices vocabantur,' Plin. xxxiii, 1. § 7. qui multa alia hac de re addit. V. et eruditum Antonium Augustinum de Legibus, p. 41.

C. Oppius et Cornelius Balbus[5] primi Cæsaris opibus potuere conditiones pacis et arbitria belli tractare. Matios posthac et Vedios,[6] et cetera equitum[7] Romanorum prævalida nomina, referre nihil attinuerit; cum Claudius libertos, quos rei familiari præfecerat, sibique et legibus adæquaverit.[8]

61. Retulit dein "de immunitate Cois tribuenda."[1] Multaque "super antiquitate eorum" memoravit: "Argivos, vel Cœum Latonæ parentem,[2] vetustissimos insulæ cultores: mox adventu Æsculapii[3] artem medendi inlatam, maximeque inter posteros ejus[4] celebrem fuisse," nomina singulorum referens, et quibus quisque ætatibus viguissent. Quin etiam dixit "Xenophontem,[5] cujus scientia ipse uteretur, eadem familia[6] ortum: precibusque ejus dandum, ut omni tributo vacui in posterum Coi, sacram et tantum Dei ministram[7] insulam cole-

5 *C. Oppius et Cornelius Balbus.* Equites Romani, et amici Julii Cæsaris. De his plura in not. et em. ad An. xii, 60.

6 *Matios—Vedios.* Augusti amicos. Plin. xii, 2. 'Primus C. Matius ex equestri ordine, Divi Augusti amicus, invenit nemora tonsilia intra hos 80 annos,' i. e. A. U. C. 750. Apud eund. Plin. ix, 23. memoratur 'inter documenta sævitiæ Vedius Pollio, eques Romanus, ex amicis Divi Augusti vivariis earum, [murænarum,] immergens damnata mancipia, non tamquam ad hoc feris terrarum non sufficientibus, sed quia in alio genere totum pariter hominem distrahi, spectari non poterat.' Augustum pudeat talem habuisse amicum; et tam immanem sævitiam, Sen. de Ira, iii, 40. leviter arguisse. Vere, vere idem Sen. de Clem. i, 18. 'Quis non Vedium Pollionem pejus oderat, quam servi sui, quod murænas sanguine humano saginabat: et eos, qui se aliquid offenderant, in vivarium quid aliud quam serpentium, abjici jubebat? O hominem mille mortibus dignum! sive devorandos servos objiciebat murænis, quas esurus erat, sive in hoc tantum illas alebat, ut sic aleret. Quemadmodum domini crudeles tota civitate commonstrantur, invisique et detestabiles sunt: ita regum et injuria latius patet, et infamia, atque odium seculis traditur. Quanto autem non nasci fuit, quam numerari inter publico malo natos?

7 *Cetera equitum.* Ut Mecænates, Sallustios, Sejanos, &c.

8 *Adæquaverit.* V. Suet. Claud. 29.

1 *Cois tribuenda.* Cos, Ægæi maris insula, Hippocrate alumno celeberrima, nunc appellatur *Stanco.*

2 *Latonæ parentem.* Cœus, Terræ et Titanis filius, de quo Virg. Georg. i, 278. 'Tum partu Terra nefando Cœumque, Iapetumque creat, sævumque Typhoea Et conjuratos cœlum rescindere fratres.' Κοίου, *Cœi* Latonæ patris, meminit quoque Hesiod. in Theog. 404. Inde apud Plin. v, 31. § 36. *Cos* dicta est quoque *Cea.* Forte melius scriberetur *Cœa.* Argivos vel ante Trojanum bellum hanc insulam habitasse liquet ex Homero et Strab. xii, p. 573.

3 *Adventu Æsculapii.* Ideo tam frequens ejus memoria in nummis Coorum.

4 *Posteros ejus.* Quorum maximus Hippocrates, non ægris tantum mortalibus, sed iis omnibus, quibus ingenii vis et humanitas erit in pretio, summe prædicandus. Innumera inter ejus decora, id saltem non siluerim venientem ab Illyriis pestilentiam eum prædixisse, discipulosque ad auxiliandum circa urbes dimisisse: 'quod ob meritum honores illi, quos Herculi, decrevit Græcia,' Plin. vii, 37. V. plura in libro xxix, 1.

5 *Xenophontem.* Cl. Pellerin, *Recueil de Médailles de Rois,* p. 206. nummum æreum hujus medici protulit. Ex una parte caput nudum Xenophontis, ΞΕΝΟΦΩΝ. Ex altera parte Dea Salus stans serpentem tenet, ΚΩΙΩΝ. Cusus, ut videtur, a Cois grati animi causa.

6 *Eadem familia.* Familia Æsculapii, a quo ipse Hippocrates quartus decimus esse ferebatur.

7 *Dei ministram.* Et tantum Æsculapii cultui addictam.

rent." Neque dubium habetur, multa eorumdem in populum Romanum merita,[8] sociasque victorias[9] potuisse tradi. Sed Claudius facilitate solita, quod uni concesserat, nullis extrinsecus adjumentis velavit.

62. At Byzantii,[1] data dicendi copia, cum "magnitudinem onerum" apud senatum deprecarentur, cuncta repetivere; orsi "a fœdere, quod nobiscum icerant, qua tempestate bellavimus adversus regem Macedonum, cui, ut degeneri, Pseudophilippi[2] vocabulum impositum." "Missas" posthac[3] "copias in Antiochum,[4] Persen,[5] Aristonicum,[6] et piratico bello[7] adjutum Antonium;" memorabant, "quæque Sullæ, aut Lucullo, aut Pompeio obtulissent." Mox "recentia in Cæsares merita,[8] quando ea loca insiderent, quæ transmeantibus terra marique ducibus, exercitibusque, simul vehendo commeatu[9] opportuna forent."

63. Namque arctissimo inter Europam Asiamque divortio,[1] Byzantium in extrema Europa posuere Græci, quibus Pythium Apollinem consulentibus, "ubi conderent urbem," redditum oraculum est: "quærerent sedem, cæcorum terris adversam." Ea ambage Chalcedonii[2] monstrabantur, quod priores illuc advecti, prævisa locorum utilitate, pejora legissent. Quippe Byzantium fertili solo, fœcundoque mari, quia

8 *In p. R. merita.* De his sup. An. iv, 14.

9 *Sociasque victorias.* Societatem Coorum cum Lucullo v. ap. Plut. Lucull. p. 493. Hæc quidem laudare dignum fuisset Principe. At Claudius fœdo peregrinæ eruditionis ostentandæ cacoethe laborabat.

1 *Byzantii.* Byzantium, nunc *Constantinople.* Extant nummi plurimi ΒΥΖΑΝΤΙΩΝ cum pelamidibus, seu piscibus, de quibus dicetur c. sq.

2 *Pseudophilippi.* Is Pseudophilippus, Andriscus est, vir ultimæ sortis, qui se Philippum, Persei filium, esse mentitus, a Metello debellatus est et captus A. U. C. 606. Orsi sunt ab illo fœdere, quod quidem tempore posterius, sed merito præstantius, cum Macedoniam juris Romani penitus fecerit. V. Florum ii, 14.

3 *Missas posthac.* Deinde memoravere copias in Antiochum missas.

4 *In Antiochum.* Antiochum III. Syriæ regem, a L. Cornelio Scipione Asiatico victum A. U. C. 564. Florus ii, 8. De illo quoque sup. An. iii, 62.

5 *Persen.* De illo sup. c. 38.

6 *Aristonicum.* De Aristonico dictum supra An. iv, 55.

7 *Piratico bello.* Piratarum pestem a Mithridate afflatam, et toto mari dispersam extinxit Pompeius A. U. C. 687. Florus iii, 6. Ne eumdem esse ac triumvirum Antonium censeas Antonium illum, qui oras maritimas curavit antequam bellum Piraticum Pompeio demandaretur. Is est de quo egregie, ut semper, Sallustius, Frag. Hist. iii, 15. 'M. Antonius perdundæ pecuniæ genitus, vacuusque curis, nisi instantibus.' V. quoque Asconium et Ciceronem Verrin. IV.

8 *Recentia in Cæsares merita.* Bello Thracio, de quo supra An. iv, 47. et Bosphorano, de quo modo dictum c. 15.

9 *Vehendo commeatu.* Sic sæpe veteres scriptores pro *vehendo commeatui.*

1 *Inter Europam Asiamque divortio.* Nunc *the Strait of Constantinople.*

2 *Chalcedonii.* Chalcedon olim urbs celeberrima, nunc pagus *Kadi Cui.*

vis piscium innumera[3] Ponto erumpens,[4] et obliquis subter undas saxis[5] exterrita, omisso alterius littoris flexu, hos ad portus defertur. Unde primo quæstuosi et opulenti; post magnitudine onerum urgente, "finem aut modum" orabant, adnitente Principe, qui "Thracio Bosphoranoque[6] bello recens fessos, juvandosque" retulit. Ita tributa in quinquennium remissa.

A.U.C. 807. J.C. 54.

64. M. Asinio, Manio Acilio consulibus,[1] mutationem rerum in deterius portendi, cognitum est crebris prodigiis.[2] Signa ac tentoria militum igne cœlesti arsere. Fastigio Capitolii examen apium[3] insedit. Biformes[4] hominum partus: et suis fœtum editum, cui accipitrum ungues inessent. Numerabatur inter ostenta, deminutus omnium magistratuum numerus, quæstore, ædili, tribuno, ac prætore, et consule, paucos intra menses defunctis. Sed in præcipuo pavore Agrippina vocem Claudii, quam temulentus jecerat, "fatale sibi, ut conjugum flagitia ferret, dein puniret," metuens, agere et celerare statuit, perdita prius Domitia Lepida, muliebribus causis: quia Lepida minore Antonia[5] genita, avunculo Augusto, Agrippinæ sobrina prior,[6] ac Cneii, mariti ejus, soror,[7] parem sibi claritudinem credebat: nec forma, ætas, opes multum distabant; et utraque impudica, infamis, vinolenta,[8] haud

3 *Vis piscium innumera.* Vis innumera pelamidum, seu thynnorum nondum adultorum, *Angl. young tunnies.*

4 *Ponto erumpens.* V. not. et em. ad An. xii, 63. Pontus, nunc *the Black Sea.*

5 *Obliquis subter undas saxis.* Obliquis et candicantibus, ut dictum est in not. et em. l. c.

6 *Thracio Bosphoranoque.* Sup. An. iv, 46. et xii, 15.

1 *Manio Acilio coss.* M. Asinius Marcellus et Manius Acilius Aviola coss. fuere A. U. C. 807. J. C. 54. De Acilio jam dictum sup. An. iii, 41.

2 *Crebris prodigiis.* Plin. ii, 25. 'In nostro vero ævo circa veneficium, quo Claudius Cæsar imperium reliquit Domitio Neroni: ac deinde principatu ejus, assiduum prope ac sævum' sidus, cometes. 'Tactum' quoque 'de cœlo monumentum Drusi patris' memorat Suet. Claud. 46.

3 *Examen apium.* Ita Mss. Flor. Reg. et melioris notæ editiones. In aliis *apum.* At Plin. quoque, xvii, 27. 'Centrinas, genus culicum, fucis apium similes ignavia malitiaque,' dixit.

4 *Biformes.* 'Biformes' potius intellexerim de variis hominum et animalium formis, quam de bicipitibus hominum animaliumve partibus, de quibus inf. An. xv, 47.

5 *Minore Antonia.* Immo *majore*, ut docet Suet. Ner. 5. V. et stem. Cæs. n. 32.

6 *Agrippinæ sobrina prior.* Id patet ex stemmate Cæsarum. Sunt enim quatuor capita usque ad Agrippinam; Octavia, Antonia minor, Germanicus et Agrippina. Contra vero tria tantum capita usque ad Domitiam Lepidam; Octavia, Antonia major et Domitia Lepida. V. stem. Cæs. n. 25 et 93.

7 *Cneii—soror.* Cn. Domitius Ahenobarbus, Agrippinæ maritus, frater erat Domitiæ Lepidæ. V. stem. Cæs. n. 34 et 25.

8 *Vinolenta.* Melius *violenta.* V. not. et em. ad An. xii, 64.

minus vitiis æmulabantur, quam si qua ex fortuna prospera acceperant. Enimvero certamen acerrimum, amita potius, an mater, apud Neronem prævaleret. Nam Lepida blandimentis et largitionibus juvenilem animum[9] devinciebat; truci contra ac minaci Agrippina, quæ filio dare imperium,[10] tolerare imperitantem nequibat.

65. Ceterum objecta sunt "quod conjugium Principis devotionibus petivisset,[1] quodque, parum coercitis per Calabriam servorum agminibus,[2] pacem Italiæ turbaret." Ob hæc mors indicta, multum adversante Narcisso, qui, Agrippinam magis magisque suspectans, promsisse inter proximos ferebatur, "certam sibi perniciem,[3] seu Britannicus rerum, seu Nero potiretur. Verum ita de se meritum Cæsarem, ut vitam usui ejus impenderet. Convictam Messalinam et Silium. Pares iterum accusandi causas esse, si Nero imperitaret. Britannico successore, nullum Principi meritum: ac novercæ insidiis domum omnem convelli, majore flagitio, quam si impudicitiam prioris conjugis reticuisset: quamquam ne impudicitiam quidem nunc abesse, Pallante adultero: ne quis ambigat, decus, pudorem, corpus, cuncta regno viliora habere." Hæc atque talia dictitans, amplecti Britannicum, "robur ætatis quam maturrimum" precari; modo ad Deos, modo ad

9 *Juvenilem animum.* Neronis.

10 *Dare imperium.* Bene Illustr. Huetius Agrippina filio dare imperium quibat, eum tolerare imperitantem nequibat.

1 *Devotionibus petivisset.* Non quod Claudii conjugium devotionibus et incantamentis quæsivisset, sed quod iis Agrippinam, Claudii conjugem, perditam voluisset. Sic enim postulat latinitas; et ita passim Tacitus.

2 *Servorum agminibus.* In ea Domitiæ Lepidæ fortuna, tantoque Urbis luxu, quanta fuerint servorum agmina possumus æstimare ex C. Cæcilio Claudio Isidoro, viro minime nobili, quique multa civili bello perdiderat, et tamen ante septuaginta annos testamento reliquerat 'servorum quatuor millia centum sedecim: juga boum tria millia sexcenta, reliqui pecoris cc. quinquaginta septem millia: in numerato HS DC.' *Angl.* 500,000*l.* Plin. xxxiii, 10.

3 *Perniciem.* Illam Narcissi orationem sus deque vertunt, mutant, ac tandem inexplicabilem pronuntiant interpretes. Certe difficilis est et salebrosa, ut dicetur in not. et em. ad An. xii, 65. Videtur tamen obvio sensu sic intelligenda. Queritur Narcissus certam sibi perniciem, seu Britannicus rerum, seu Nero potiretur. Verum ita de se meritum esse Claudium Cæsarem, ut vitam usui ejus impenderet. Convictam olim, ipso instinctore ac duce, Messalinam et Silium. Pares iterum accusandi causas esse, si Nero imperitaret, propter eamdem Agrippinæ ac Messalinæ impudicitiam. Si vero succederet Britannicus, nullum sibi esse meritum apud Principem, natalium jure regnum adeptum, et infensum tum ob interfectam Messalinam matrem, tum maxime ob Agrippinæ novercæ insidias, quæ domum omnem tantis sceleribus convellebat, ut minore flagitio impudicitiam Messalinæ reticuisset. Quamquam, quid impudicitiam, Nerone imperitante, accusaturus sum! ne nunc quidem abest intoleranda Agrippinæ impudicitia, Pallante adultero, ita ut nemo ambigat eam decus, pudorem, corpus, cuncta regno viliora habere.

ipsum tendere manus, "adolesceret, patris inimicos depelleret: matris etiam interfectores ulcisceretur."[4]

66. In tanta mole curarum, Claudius valetudine adversa corripitur, refovendisque viribus mollitie cœli, et salubritate aquarum, Sinuessam pergit.[1] Tum Agrippina, sceleris olim certa, et oblatæ occasionis propera, nec ministrorum egens, de genere veneni consultavit: "ne repentino et præcipiti facinus proderetur; si lentum et tabidum delegisset, ne admotus supremis Claudius, et dolo intellecto, ad amorem filii rediret. Exquisitum aliquid" placebat, "quod turbaret mentem, et mortem differret." Deligitur artifex talium, vocabulo *Locusta*,[2] nuper veneficii damnata, et diu inter instrumenta regni[3] habita. Ejus mulieris ingenio paratum virus, cujus minister e spadonibus fuit Halotus,[4] inferre epulas, et explorare gustu[5] solitus.

67. Adeoque cuncta mox pernotuere, ut temporum illorum scriptores prodiderint, "infusum delectabili cibo boletorum[1] venenum; nec vim medicaminis statim intellectam, socordiane Claudii, an vinolentia." Simul soluta alvus subvenisse videbatur. Igitur exterrita Agrippina, et quando ultima timebantur, spreta præsentium invidia, provisam jam sibi Xenophontis medici conscientiam adhibet. Ille tamquam nisus evomentis adjuvaret,[2] pinnam rapido veneno inlitam faucibus ejus demisisse creditur: haud ignarus summa scelera incipi cum periculo, peragi cum præmio.

68. Vocabatur interim senatus; votaque pro incolumitate

4 *Ulcisceretur.* Agrippinam, Pallantem, Neronem, patris inimicos, depelleret: Messalinæ etiam matris interfectores ulcisceretur. Se ultro suaque morte Claudii imperio, Britannici saluti gratificandum.

1 *Sinuessam pergit.* Sinuessa, olim dicta Græcis Sinope, urbs extrema Latii. Plin. iii, 5. §. 9. Nunc manent rudera prope castellum, quod vocitant *Torre di monte Dragone.* Aquas Sinuessanas sterilitati fœminarum, et virorum insaniæ salubres memorat Plin. xxxi, 2.

2 *Locusta.* De qua adhuc inf. An. xiii, 15.

3 *Instrumenta regni.* Potius regni scelera et portenta, uni Machiavello, improbitatis et nequitiæ doctori, probata.

4 *Fuit Halotus.* Quem memorat quoque Suet. Claud. 44. At pro more suo alios plurimos rumores aggerat.

5 *Explorare gustu.* Suet. l. c. 'Per Halotum spadonem prægustatorem.' Imperatorum PRÆGVSTATORES in veteribus Inscriptionibus sæpe occurrunt.

1 *Boletorum.* Plin. xxii, 22. §. 46. 'Inter ea, quæ temere manduntur, et boletos merito posuerim, optimi hos quidem cibi, sed immenso exemplo in crimen adductos, veneno Tiberio Claudio, Principi, per hanc occasionem a conjuge Agrippina dato: quo facto illa terris venenum alterum, sibique ante omnes, Neronem suum dedit.' Juven. Sat. v, 146. 'Vilibus ancipites fungi ponentur amicis, Boletus domino: sed qualem Claudius edit Ante illum uxoris, post quem nil amplius edit.'

2 *Adjuvaret.* En novum medicinæ scelus. V. quæ dicta sunt An. iv, 3.

Principis consules et sacerdotes nuncupabant, cum jam exanimis vestibus et fomentis obtegeretur, dum res firmando Neronis imperio componuntur. Jam primum Agrippina, velut dolore victa et solatia conquirens, tenere amplexu Britannicum, " veram paterni oris effigiem" appellare, ac variis artibus demorari, ne cubiculo egrederetur. Antoniam quoque, et Octaviam,[1] sorores ejus, attinuit, et cunctos aditus custodiis clauserat; crebroque vulgabat, " ire in melius valetudinem Principis," quo miles bona in spe ageret, tempusque prosperum ex monitis Chaldæorum adventaret.

69. Tunc medio diei, tertium ante Idus Octobris,[1] foribus palatii repente diductis, comitante Burro, Nero egreditur ad cohortem, quæ more militiæ excubiis adest. Ibi, monente Præfecto, festis vocibus exceptus, inditur lecticæ. Dubitavisse quosdam ferunt, respectantes, rogitantesque " ubi Britannicus esset?" mox, nullo in diversum auctore, quæ offerebantur secuti sunt. Inlatusque castris[2] Nero, et congruentia tempori præfatus, promisso donativo, ad exemplum paternæ largitionis,[3] *Imperator* consalutatur. Sententiam militum secuta patrum consulta: nec dubitatum est apud provincias. Cœlestesque honores[4] Claudio decernuntur, et funeris solemne perinde ac divo Augusto[5] celebratur: æmulante Agrippina proaviæ Liviæ[6] magnificentiam. Testamentum tamen haud recitatum, ne antepositus filio privignus,[7] injuria et invidia animos vulgi turbaret.

1 *Antoniam—Octaviam.* Antoniam, Claudii et Æliæ Petinæ filiam: Octaviam, Claudio et Messalina genitam. V. stem. Cæs. n. 105 et 36.

1 *Tertium—Octobris.* Die 13. Octobris. Ms. Flor. veteres et optimæ editiones *tertium:* Rhenanus et alii *tertio.*

2 *Inlatusque castris.* Prætorianorum.

3 *Paternæ largitionis.* Ergo, ut Claudius, promisit Nero singulis militibus quinadena sestertia; *Angl.* 125*l.* V. Suppl. An. ix, 12. Totius autem largitionis, si solos spectaverit prætorianos, ne numeratis quidem ducum præmiis, summa fuit HS MCCCL. *Angl.* 1,125,000*l.*

4 *Cœlestesque honores.* Hanc Claudii consecrationem testantur nummi, in quibus sæpe occurrit DIVVS CLAVDIVS AVGVSTVS. Eam ridebat Nero, qui boletos 'escam Deorum' appellabat. Ridet quoque Juven. Sat. vi, 619. 'Minus ergo nocens erit Agrippinæ Boletus: siquidem unius præcordia pressit Ille senis, tremulumque caput descendere jussit In cœlum, et longa manantia labra saliva.' Hanc quoque consecrationem, non insulsa, sed amariore, quam ut philosophum deceret, ἀποκολοκυντώσει, ita a boleto dicta, ludificavit Seneca.

5 *Divo Augusto.* V. Suet. Aug. 100. et dicta sup. An. i, 8.

6 *Proaviæ Liviæ.* Livia Augusti uxor, proavia Agrippinæ. V. stem. Cæs. n. 66.

7 *Filio privignus.* Nero antepositus Britannico.

ANNALIUM

LIBER DECIMUS TERTIUS.

BREVIARIUM

LIBRI DECIMI TERTII.

1. Silanus per dolum Agrippinæ veneno interemtus. Narcissus ad mortem agitur. 2. Burri et Senecæ laus. Censorium Claudii funus: laudatur a Principe. 4. Bona Neronis initia; multaque arbitrio senatus constituta. 6. Parthi Armeniam adfectant: quibus Domitius Corbulo opponitur. 12. Delapso Nerone in amorem Actes libertæ, Agrippina infremit; simulque infracta ejus potentia. 14. Pallas cura rerum demovetur. 15. Mox venenum Britannico properatum: festinum ejus funus, proviso ante paratu et modico. 18. Agrippina, Neroni offensior, visa res novas moliri: accusata eo nomine, ultionem in delatores, et præmia amicis obtinet. 22. Silana in exilium acta. Deferuntur a Pæto Pallas ac Burrus: exilium accusatori inrogatum. 24. Urbs lustrata. 25. Neronis luxus, et lascivi per noctem discursus. Histriones Italia pulsi. 26. Actum in senatu de fraudibus libertorum, iisque in servitutem revocandis: nihil tamen in commune derogatum. 28. Jus tribunorum et ædilium cohibitum. Ærarii cura varie habita. 30. Damnatur Vipsanius Lenas. Mors L. Volusii. 31. Magistratus, qui provincias obtinerent, ludos edere prohibiti. 32. Dominorum securitati consultum. Pomponia Græcina mariti judicio permissa, et insons absoluta. 33. De repetundis postulantur P. Celer, Cossutianus Capito, Eprius Marcellus. 34. Neronis liberalitas. Prolatatum de obtinenda Armenia bellum, acriter sumitur. Prisca severitate et disciplina firmato milite, Corbulo Armeniam ingreditur: urbem Artaxata capit et incendit. 42. P. Suilius Romæ damnatur. 44. Octavius Sagitta, amore vecors, Pontiam ferro transverberat: mira liberti fides. 45. Sabinam Poppæam amare incipit Nero. 47. Cornelius Sulla Massiliam amovetur. 48. Puteolanorum seditio. 49. Pætus Thrasea leviori senatusconsulto contradicit, ut Patrum honos cresceret. 50. Publicanorum immodestia. Vectigalia contra Neronis impetum retenta. Leges cujusque publici

occultæ ad id tempus, proscribuntur. 53. In Germania Frisii res movent: insessis juxta Rhenum agris, mox jussi decedere: capti cæsive, qui restitere. Eosdem agros, pari fato, occupant Ansibarii. 57. Inter Hermunduros Cattosque bellum, Cattis exitiosum. 58. Ruminalis arbor revirescit.

Gesta hæc annis quatuor.

A. U. C.	J. C.		
DCCCVIII.	55.	Coss.	Nerone Claudio Cæsare, L. Antistio Vetere.
DCCCIX.	56.	Coss.	Q. Volusio Saturnino, P. Cornelio Scipione
DCCCX.	57.	Coss.	Nerone Claudio Cæsare II, L. Calpurnio Pisone.
DCCCXI.	58.	Coss.	Nerone Claudio Cæsare III, Valerio Messala.

C. CORNELII TACITI
ANNALES.

LIBER DECIMUS TERTIUS.

A.U.C. 807. J.C. 54.

1. Prima novo Principatu mors Junii Silani,[1] proconsulis Asiæ, ignaro Nerone, per dolum Agrippinæ paratur: non quia ingenii violentia exitium irritaverat, segnis et dominationibus aliis[2] fastiditus, adeo ut C. Cæsar *pecudem auream*[3] eum appellare solitus sit: verum Agrippina, fratri ejus L. Silano[4] necem molita, ultorem metuebat, crebra vulgi fama, "anteponendum esse vixdum pueritiam egresso Neroni, et imperium per scelus adepto, virum ætate composita,[5] insontem, nobilem, et quod tunc spectaretur,[6] e Cæsarum posteris." Quippe et Silanus divi Augusti abnepos erat:[7] hæc causa necis: ministri fuere P. Celer, eques Romanus, et Helius libertus, rei familiari Principis in Asia impositi. Ab his proconsuli venenum inter epulas datum est apertius, quam ut fallerent. Nec minus properato Narcissus, Claudii libertus, de cujus jurgiis adversus Agrippinam retuli,[8] aspera custodia, et necessitate extrema, ad mortem agitur; invito Principe, cujus abdi-

1 *Junii Silani.* Is est M. Junius Silanus, de quo Plin. vii, 13. 'Divus Augustus in reliqua exemplorum raritate, neptis suæ nepotem vidit genitum quo excessit anno, M. Silanum: qui, cum Asiam obtineret post consulatum, Neronis Principis successione, veneno ejus interemtus est.' V. stem. Cæs. n. 57.

2 *Dominationibus aliis.* Tiberio, Caio et Claudio Principibus.

3 *Pecudem auream.* Bis peccat Dio lix, p. 646. qui verba illa in laudem vertit; et de M. Silano, cujus mentio facta est sup. An. vi, 20. dicta fuisse scribit.

4 *Fratri ejus L. Silano.* De cujus fortuna et fato dictum sup. An. xii, 3 et 8. V. et Stem. Cæs. n. 60.

5 *Ætate composita.* M. Junius Silanus tunc erat annos quadraginta natus.

6 *Quod tunc spectaretur.* Quod tunc maxime spectabatur. Cæsarum enim posteros venerabantur Romani. Neque verba illa 'e Cæsarum posteris,' negligenda, vel omittenda, ut quibusdam interpretibus placuit, existimes. In iis enim plurimum sensus. Silanus erat ex ipsis Augusti posteris: at Nero tantum ex posteris Octaviæ, sororis Augusti. V. stem. Cæs. n. 57 et 35.

7 *Abnepos erat.* Abnepos, si quidem nepos Juliæ, neptis Augusti. V. stem. Cæs. n. 57.

8 *Adversus Agrippinam retuli.* Sup. An. xii, 65.

tis adhuc vitiis per avaritiam ac prodigentiam mire congruebat.

2. Ibaturque in cædes, nisi Afranius Burrus, et Annæus Seneca obviam issent. Hi rectores imperatoriæ juventæ, et, rarum in societate potentiæ, concordes, diversa arte ex æquo pollebant. Burrus militaribus curis, et severitate morum; Seneca præceptis eloquentiæ, et comitate honesta:[1] juvantes invicem, quo facilius lubricam Principis ætatem, si virtutem aspernaretur, voluptatibus concessis retinerent. Certamen utrique unum erat contra ferociam Agrippinæ, quæ, cunctis malæ dominationis cupidinibus flagrans, habebat in partibus Pallantem;[2] quo auctore, Claudius nuptiis incestis, et adoptione exitiosa, semet perverterat. Sed neque Neroni infra servos[3] ingenium; et Pallas, tristi arrogantia modum liberti egressus, tædium sui moverat. Propalam tamen omnes in eam honores cumulabantur, signumque more militiæ petenti tribuno dedit, *optimæ matris*.[4] Decreti et a senatu "duo lictores, flaminium Claudiale,"[5] simul Claudio "censorium funus,"[6] et mox "consecratio."[7]

3. Die funeris, laudationem ejus Princeps exorsus est. Dum "antiquitatem generis,[1] consulatus, ac triumphos[2] majorum" enumerabat, intentus ipse et ceteri. "Liberalium" quoque "artium"[3] commemoratio, "et nihil, regente eo, reipub-

1 *Comitate honesta.* Utrumque juventæ Neronis moderatorem egregie expressit Cl. Racine, Préface de Britannicus: *Ils étoient fameux, Burrhus pour son expérience dans les armes, et pour la sévérité de ses mœurs; Séneque pour son éloquence et le tour agréable de son esprit.* Si quis vero quantus sit Tacitus, quam sensibus validus, quam fœcundandis ingeniis locuples velit intelligere, hanc Cl. Racine tragœdiam, cui nomen fecit *Britannicus*, legat; quantumque in veterum imitatione sit emolumenti discat mirabundus. Ne quis tamen nostram hac in re operam desideret, quæ Cl. Racine a Tacito sit mutuatus diligentius persequemur in not. et em. ad An. xiii, 2.

2 *In partibus Pallantem.* Adulterum Pallantem, partium suarum fautorem habebat. De incestis Agrippinæ nuptiis dictum An. xii, 1 sq. de exitiosa Neronis adoptione An. xii, 25 et 26.

3 *Infra servos.* Ferocius erat Neroni ingenium, quam ut servis pareret.

4 *Optimæ matris.* Suet. Ner. 9. 'Primo imperii die signum excubanti tribuno dedit, optimam matrem.' V. inf. Hist. i, 38. et Suppl. An. viii, 68.

5 *Flaminium Claudiale.* Duo lictores ab senatu Agrippinæ decreti; et facta est Claudii Flaminica. Tiberius olim ne unum quidem lictorem Liviæ decerni passus erat. Alia tempora, alii mores. Et in adulationem semper effusa ætas sequens. Flamines Claudii passim memorantur in veteribus lapidibus.

6 *Censorium funus.* De hoc funere dictum sup. An. iv, 15. not. inf.

7 *Consecratio.* Quem vivum spreverant, veneno exanimatum consecrabant. Proh Divi! Multi extant nummi hujus consecrationis testes.

1 *Antiquitatem generis.* De qua satis dictum An. xi, 24.

2 *Consulatus, ac triumphos.* Suet. Tiber. 1. numerat 'duodetriginta consulatus, dictaturas quinque, triumphos septem, duas ovationes.' Regnatrice domo, accrevere honores.

3 *Liberalium quoque artium.* Claudius in liberalibus artibus et doctrinis exercita-

licæ triste ab externis accidisse," pronis animis audita. Postquam ad "providentiam sapientiamque" flexit, nemo risui temperare,[4] quamquam oratio a Seneca composita, multum cultus præferret: ut fuit illi viro ingenium amœnum, et temporis ejus auribus accommodatum. Adnotabant seniores, quibus otiosum est vetera et præsentia contendere, "primum ex iis, qui rerum potiti essent, Neronem alienæ facundiæ eguisse." Nam dictator Cæsar[5] summis oratoribus æmulus; et Augusto promta ac profluens,[6] quæ deceret Principem, eloquentia fuit. Tiberius artem quoque callebat,[7] qua verba expenderet, tum validus sensibus, aut consulto ambiguus. Etiam C. Cæsaris turbata mens vim dicendi[8] non corrupit. Nec in Claudio,[9] quotiens meditata dissereret, elegantiam requireres. Nero puerilibus statim annis, vividum animum in alia detorsit. Cælare, pingere,[10] cantus aut regimen equorum exercere: et aliquando carminibus pangendis, inesse sibi elementa doctrinæ ostendebat.

4. Ceterum peractis tristitiæ imitamentis, curiam ingressus, et "de auctoritate patrum, et consensu militum" præfatus,

tus. Tito Livio hortante, historiam Romanam a Cæsaris cæde libris xliii scripsit: Græcas quoque composuit historias Τυῤῥηνικῶν viginti, Καρχηδονιακῶν octo, aliaque plurima, quæ recitat Suet. Claud. 41 et 42.

4 *Risui temperare.* Hebetis ignavique Principis providentiam ac sapientiam ridebant.

5 *Dictator Cæsar.* De Julii Cæsaris eloquentia multa et egregia habet Suet. Jul. 55. Ciceronem ipsum laudat de Cæsare ita scribentem: 'Quid? oratorum quem huic antepones eorum, qui nihil aliud egerunt? Quis sententiis aut acutior, aut crebrior? Quis verbis aut ornatior, aut elegantior?'

6 *Augusto—profluens.* Suet. Aug. 86. 'Genus eloquendi secutus est elegans et temperatum: vitatis sententiarum ineptiis, atque inconcinnitate, et reconditorum verborum, ut ipse dicit, fœtoribus. Præcipuamque curam duxit, sensum animi quam apertissime exprimere. Quod quo facilius efficeret, aut necubi lectorem vel auditorem obturbaret, ac moraretur, neque præpositiones verbis addere, neque conjunctiones sæpius iterare dubitavit, quæ detractæ afferunt aliquid obscuritatis, etsi gratiam augent.'

7 *Artem callebat.* Suet. 70. Tib. 'Artes liberales utriusque generis [oratorii et poetici] studiosissime coluit. In oratione latina secutus est Corvinum Messalam, quem senem adolescens observaverat. Sed affectatione et morositate nimia obscurabat stylum: ut aliquanto ex tempore quam a cura præstantior haberetur.' Tiberio 'exoletas interdum, et reconditas voces aucupanti' Augustum non pepercisse testatur idem Suet. Aug. 86.

8 *Vim dicendi.* Suet. Cai. 53. 'E disciplinis liberalibus minimum eruditioni, eloquentiæ plurimum attendit, quantumvis facundus et promtus: utique si perorandum in aliquem esset, irato et verba et sententiæ suppetebant: pronuntiatio quoque et vox, ut neque eodem loci præ ardore consisteret, et exaudiretur a procul stantibus. Peroraturus stricturum se lucubrationis suæ telum minabatur: lenius comtiusque scribendi genus adeo contemnens, ut Senecam tum maxime placentem, commissiones meras componere, et arenam esse sine calce diceret.'

9 *In Claudio.* Quem neque infacundum, neque indoctum, immo etiam pertinaciter liberalibus studiis deditum fuisse tradit Suet. Claud. 40. Hæc quidem de Cæsarum eloquentia collegisse haud piget, ut quam valida sit rebus exprimendis Taciti brevitas pateat.

10 *Cælare, pingere.* De his leviusculis

"consilia sibi et exempla capessendi egregie imperii" memoravit: "nec juventam armis civilibus, aut domesticis discordiis imbutam: nulla odia, nullas injurias, nec cupidinem ultionis adferre." Tum formam futuri principatus præscripsit, ea maxime declinans, quorum recens[1] flagrabat invidia. "Non enim se negotiorum omnium judicem[2] fore, ut, clausis unam intra domum[3] accusatoribus et reis, paucorum potentia grassaretur. Nihil in penatibus suis venale, aut ambitioni pervium: discretam domum et rempublicam.[4] Teneret antiqua munia[5] senatus. Consulum tribunalibus Italia et publicæ provinciæ[6] adsisterent. Illi patrum aditum præberent: se mandatis exercitibus consulturum."

5. Nec defuit fides. Multaque arbitrio senatus constituta sunt: "Ne quis ad causam orandam mercede aut donis emeretur.[1] Ne designatis quidem quæstoribus edendi gladiatores[2] necessitas esset." Quod quidem, adversante Agrippina, tamquam "acta Claudii subverterentur," obtinuere patres: qui in palatium[3] ob id vocabantur, ut adstaret abditis a tergo foribus velo discreta, quod visum arceret, auditus non adimeret. Quin

disciplinis, quæ vix nobilem juvenem, nedum Principem, decent, v. Suet. Ner. 20 et 53. Nec tamen gravioribus studiis inhabilis erat Nero. 'Sed a philosophia eum mater avertit; monens, imperaturo contrariam esse: a cognitione veterum oratorum Seneca præceptor, quo diutius in admiratione sui detineret.' Suet. Ner. 52. Hæc quo modo et qua utilitate versibus reddiderit Cl. Racine, v. in not. et em. ad An. xiii, 3.

1 *Quorum recens.* Imperitante Claudio.

2 *Negotiorum—judicem.* Hæc, ceteraque peccaverat Claudius.

3 *Clausis—domum.* 'Subornatis,' inquit Illustr. Huetius, 'accusatoribus ex eadem domo, qua rei.' Malim ita intelligere, non se negotiorum omnium judicem fore, ut, clausis unam intra Principis domum accusatoribus et reis, clamque causam perorantibus, omnia paucorum libertorum arbitrio permittantur, eorumque potentia grassetur.

4 *Domum et rempublicam.* Discreta fore quæ ad domum Principis, quæ ad rempublicam pertinerent.

5 *Antiqua munia.* Contra vero 'cuncta legum et magistratuum munia in se' traxerat Claudius. Sup. An. xi, 5.

6 *Italia—provinciæ.* Italia et provinciæ, quas Augustus populo Romano attribuerat (v. not. et em. ad An. i, 76.) tribunalibus consulum assisterent. Consules patrum aditum præberent. Se tantum sibi commissis provinciis mandatisque exercitibus consulturum. Orationem illam ita acceptam habuit senatus, ut eam columnæ argenteæ inscribendam, et quotannis, cum consules magistratum inirent, legendam decreverit, teste Dione lxi, p. 690. Si plura volueris de jure senatus in Italia, vide Polyb. vi, 11.

1 *Mercede—emeretur.* Sub Claudii principatu nihil publicæ mercis tam venale fuerat, quam oratorum perfidia. V. sup. An. xi, 5. 6 et 7.

2 *Edendi gladiatores.* De hac necessitate dictum sup. An. xi, 22. Eam revocavit Domitianus, Suet. Domit. 4.

3 *In palatium.* Patres in palatium vocabantur, ut Agrippina, dominationis avida, ipsa adstaret, non quidem conspicua, sed velo, tapeteve, ita discreta, ut latitaret fores abditas, aut secretas, intra et velum, quod visum arceret, auditum non adimeret. Quinetiam legatis Armeniorum causam orantibus, suggestum Imperatoris conscendere, simulque præsidere parabat, nisi ceteris indignantibus, sed pavore defixis, Seneca admonuisset Neronem, ut venienti matri occurreret.

et legatis Armeniorum causam gentis apud Neronem orantibus, escendere suggestum[4] Imperatoris, et præsidere simul parabat; nisi, ceteris pavore defixis, Seneca admonuisset, "venienti matri occurreret." Ita specie pietatis, obviam itum dedecori.

6. Fine anni,[1] turbidis rumoribus, "prorupisse rursum Parthos, et rapi Armeniam," allatum est, "pulso Rhadamisto,"[2] qui sæpe regni ejus potitus, dein profugus, tum quoque bellum deseruerat. Igitur in Urbe sermonum avida, "quemadmodum Princeps, vix septemdecim annos egressus, suscipere eam molem, aut propulsare posset? quod subsidium in eo, qui a fœmina regeretur? num prælia quoque et oppugnationes urbium, et cetera belli, per magistros administrari possent," anquirebant. Contra alii, "melius evenisse" disserunt, "quam si invalidus senecta et ignavia Claudius, militiæ ad labores vocaretur, servilibus jussis obtemperaturus. Burrum tamen et Senecam multarum rerum experientia cognitos: et Imperatori quantum ad robur deesse?[3] cum octavodecimo ætatis anno Cn. Pompeius, nonodecimo[4] Cæsar Octavianus, civilia bella sustinuerint. Pleraque in summa fortuna auspiciis et consiliis, quam telis[5] et manibus geri. Daturum plane documentum, honestis, an secus amicis uteretur, si ducem amota invidia egregium, quam si pecuniosum et gratia subnixum per ambitum deligeret."

7. Hæc atque talia vulgantibus, Nero et "juventutem proximas per provincias quæsitam supplendis Orientis legionibus admovere, legionesque ipsas propius Armeniam collocari" jubet. "Duosque veteres reges Agrippam[1] et Antiochum[2] expedire copias, queis Parthorum fines ultro intrarent, simul

4 *Escendere suggestum.* Ita Mss. Flor. Farnes. Ryckius et Recentiores. In Mss. Reg. Harl. Bodl. Jes. et editionibus veteribus *ascendere.* Utrumque æque dicitur: illud antiquius.

1 *Fine anni.* Vere quidem fine anni. Annos enim septemdecim egressus est Nero XVIII. Kal. Januarias, seu die 15. Decembris.

2 *Pulso Rhadamisto.* De illo dictum sup. An. xii, 48 et 51.

3 *Quantum—deesse.* Unus aut alter annus deerat. Nec in Principibus anni, sed animus spectandus.

4 *Nonodecimo.* Vell. Paterc. ii, 61. 'Caius Cæsar, decimum nonum annum ingressus, mira ausus, ac summa consecutus, privato consilio, majorem senatu pro republica animum habuit.' De Pompeio v. stem. Cæs. n. 7.

5 *Quam telis.* Magis quam telis. Genus dicendi Tacito et historicis familiare.

1 *Agrippam.* Is est Agrippa II. de quo dictum sup. An. xii, 23. olim Chalcidis rex; tunc Philippi et Lysaniæ tetrarchias potiebatur. Hoc quoque primo Neronis anno Agrippæ dominatio aucta est parte Galilææ, scilicet Tiberiade, Tarichæis, Juliade, urbe Peræææ et vicis quatuordecim. V. Joseph. Antiq. Jud. xx, 8. et stem. Herodum, n. 9. in not. et em. ad An. xii, 23.

2 *Antiochum.* Regem Commagenæ, de quo plura diximus An. xii, 55.

pontes per amnem Euphraten jungi. Et minorem Armeniam Aristobulo,[3] regionem Sophenen Sohemo[4] cum insignibus regiis" mandat. Exortusque in tempore æmulus Vologeso,[5] filius Vardanes. Et abscessere Armenia Parthi, tamquam differrent bellum.

8. Sed apud senatum omnia in majus celebrata sunt, sententiis eorum, qui "supplicationes,[1] et diebus supplicationum vestem Principi triumphalem, utque ovans Urbem iniret, effigiesque ejus pari magnitudine ac Martis Ultoris,[2] eodem in templo," censuere: præter suetam adulationem læti, quod Domitium Corbulonem retinendæ Armeniæ præposuerat. videbaturque locus virtutibus patefactus.[3] Copiæ Orientis ita dividuntur, ut pars auxiliarium cum duabus legionibus apud provinciam Syriam, et legatum ejus Quadratum Ummidium,[4] remaneret; par civium sociorumque numerus Corbuloni esset, additis cohortibus alisque, quæ apud Cappadociam hiemabant. Socii reges, prout bello conduceret, parere jussi. Sed studia eorum in Corbulonem promtiora erant: qui, ut famæ inserviret, quæ in novis cœptis validissima est, itinere propere confecto, apud Ægæas,[5] civitatem Ciliciæ, obvium Quadratum habuit, illuc progressum, ne, si ad accipiendas copias Syriam intravisset Corbulo, omnium ora in se verteret, corpore ingens, verbis magnificus, et super experientiam sapientiamque, etiam specie inanium validus.[6]

3 *Aristobulo.* Herodis, regis olim Chalcidis, filio. Joseph. Antiq. Jud. xx, 8. et de Bello Jud. ii, 13. V. l. c. stem. Herodum, n. 27.

4 *Sophenen Sohemo.* Sohemus idem prorsus mihi videtur, ac Sohemus, quem Joseph. Antiq. Jud. xx, 8. ait successisse fratri suo Azizo, Emesorum regi. Scilicet Sohemo, Ituræræ rege, mortuo A. U. C. 802. aut etiam paulo ante, Ituræa addita est provinciæ Syriæ, ut dictum est An. xii, 23. Datum vero Azizo, Sohemi filio, Emesorum regnum. Azizo defuncto A. U. C. 807. successit Sohemus frater. At Nero, ut adversus irruentes Parthos Armeniam certius defenderet, Armeniam minorem Aristobulo dedit; Sohemo Sophenen, quæ pars est Armeniæ majoris occidua, et Armeniæ minori finitima: urbs ejus princeps erat Carcathiocerta. V. l. c. stem. Herod. et Sohemorum, n. 13. 5 et 6.

5 *Vologeso.* Veteres, ut videtur, dixere *Vologeses, Vologesi, Vologeso, Vologesen.* De Vologeso sæpe dictum libro priore. V. et Canon. regum Parthor. in not. et em. ad An. ii, 1.

1 *Supplicationes.* V. An. ii, 32.

2 *Martis Ultoris.* Cujus ædes erat in VIII. Urbis regione, et foro Augusti.

3 *Virtutibus patefactus.* Multarum virtutum, nec veteribus imperatoribus impar fuit Corbulo. Non modo supplices reges, regumque liberos obsides Romam misit: at naturæ solers indagator omnes illas regiones anxia cura perquisivit, et Romanis notas fecit. V. Plin. ii, 70. v, 24. vi, 8.

4 *Quadratum Ummidium.* Præsidem Syriæ, de quo dictum An. xii, 45.

5 *Apud Ægæas.* Ægææ, quæ plurimis Ægæ dicuntur, urbs maritima Ciliciæ campestris, nunc *Aias kala.*

6 *Specie—validus.* Egregie dictum. Non modo experientia et sapientia, sed etiam ludicrarum et inanium rerum specie præcellebat Corbulo. Aliqua inanium species summos viros decet: placet populo: probos oblectat: morosis levem dat criminandi materiem.

9. Ceterum uterque Vologesen regem nuntiis monebant, "pacem quam bellum mallet; datisque obsidibus, solitam prioribus reverentiam in populum Romanum continuaret." Et Vologeses, quo bellum ex commodo pararet, an ut æmulationis suspectos per nomen obsidum amoveret, tradit nobilissimos ex familia Arsacidarum. Accepitque eos centurio Histeius, ab Ummidio missus forte prior, ea de causa adito rege. Quod postquam Corbuloni cognitum est; "ire" præfectum cohortis Arrium Varum, "et reciperare obsides" jubet. Hinc ortum, inter præfectum et centurionem, jurgium ne diutius externis spectaculo esset, arbitrium rei obsidibus legatisque, qui eos ducebant, permissum. Atque illi ob recentem gloriam, et inclinatione quadam etiam hostium, Corbulonem prætulere. Unde discordia inter duces: querente Ummidio, "prærepta, quæ suis consiliis patravisset;" testante contra Corbulone, "non prius conversum regem ad offerendos obsides, quam ipse dux bello delectus, spes ejus ad metum mutaret." Nero, quo componeret diversos, sic evulgari jussit: "Ob res a Quadrato et Corbulone prospere gestas, laurum fascibus[1] Imperatoriis addi." Quæ in alios consules egressa, conjunxi.

10. Eodem anno Cæsar "effigiem Cn. Domitio[1] patri, consularia insignia Asconio Labeoni," quo tutore usus erat, petivit a senatu: sibique "statuas argento vel auro solidas," adversus offerentes prohibuit. Et quamquam censuissent patres, "ut principium anni inciperet mense Decembri," quo ortus erat Nero, veterem religionem Calendarum Januariarum inchoando anno retinuit. Neque recepti sunt inter reos Carinas Celer, senator, servo accusante; aut Julius Densus, equester, cui favor in Britannicum crimini dabatur.

A.U.C. 808. J.C. 55.

11. Claudio Nerone, L. Antistio consulibus,[1] cum in acta Principum jurarent magistratus, "in sua acta[2] collegam An-

1 *Laurum fascibus.* Olim Augusto dictatura et vigintiquatuor fasces decreti, Dio liv, p. 521. Postea consularem, dum viveret, potestatem, et duodecim fasces accepit, Dio liv, p. 527. Ob victoriam lauro ornatos fasces passim memorant scriptores. V. Plin. xv, 30.

1 *Cn. Domitio.* Domitius, Neronis pater. De hoc detestabili homine dictum in stem. Cæs. n. 34.

1 *L. Antistio coss.* Nero Claudius Augustus et L. Antistius Vetus consulatum iniere A. U. C. 808. J. C. 55.

2 *In sua acta.* Ceteri magistratus in Neronis priorumque Cæsarum acta juravere: Antistius, consulatus collega, non in Prin-

tistium jurare" prohibuit: magnis patrum laudibus, ut juvenilis animus, levium quoque rerum gloria sublatus majores continuaret.[3] Secutaque lenitas in Plautium Lateranum,[4] quem ob adulterium Messalinæ ordine remotum, reddidit senatui, "clementiam suam"[5] obstringens crebris orationibus; quas Seneca, testificando quam honesta præciperet, vel jactandi ingenii,[6] voce Principis vulgabat.

12. Ceterum infracta paulatim potentia matris, delapso Nerone in amorem libertæ, cui vocabulum *Acte*[1] fuit: simul adsumtis in conscientiam Othone et Claudio Senecione, adolescentulis decoris: quorum Otho,[2] familia consulari, Senecio, liberto Cæsaris[3] patre genitus, ignara matre, dein frustra obnitente, penitus inrepserant per luxum et ambigua secreta: ne severioribus quidem Principis amicis adversantibus, muliercula, nulla cujusquam injuria, cupidines Principis explente: quando uxore ab Octavia, nobili quidem et probitatis spectatæ, fato quodam, an quia prævalent inlicita,[4] abhorrebat: metuebaturque ne in stupra fœminarum inlustrium prorumperet, si illa libidine prohiberetur.

13. Sed Agrippina "libertam æmulam, nurum ancillam,"[1] aliaque eumdem in modum muliebriter fremere. Neque pœnitentiam filii, aut satietatem opperiri: quantoque fœdiora exprobrabat, acrius accendere: donec vi amoris subactus, exueret obsequium in matrem, seque Senecæ[2] permitteret. Ex cujus familiaribus Annæus Serenus,[3] simulatione amoris

cipis, sed in priorum Cæsarum acta juravit. De hoc usu dictum An. i, 7. In vetere figlina apud Muratori, Thes. Inscr. Vol. i, p. 305.

NERO. CLAVD. CAES.
L. ANT. VETVS. COS.

3 *Majores continuaret.* Ad res majores adspiraret. At anceps et lubricum laudum genus. Optimos animos inflammant: bonos deterunt: malos pessumdant.

4 *Plautium Lateranum.* Quem inter Messalinæ adulteria annumeratum vidimus, An. xi, 30.

5 *Clementiam suam.* Ideo Seneca sub finem hujus anni, aut initio sequentis, duos libros de Clementia scripsit. V. not. et em. ad An. xiii, 11.

6 *Jactandi ingenii.* Intellige, *causa.*

1 *Acte.* Quam, ex Asia emtam, ita deperiit Nero, ut in familiam Attali referret; et cum vellet illi nubere, submisit viros consulares 'qui regio genere ortam pejerarent,' Suet. Ner. 28. Dio lxi, p. 692. V. not. et em. ad An. xiii, 12.

2 *Otho.* Otho postea Imperator, de quo plura inf. Hist. i et ii.

3 *Liberto Cæsaris.* Liberto Claudii Cæsaris.

4 *Prævalent inlicita.* Forte et artibus Agrippinæ, quæ priorem paremve verebatur.

1 *Nurum ancillam.* Agrippina fremere libertam esse æmulam, ancillam fieri nurum. Bene et Corneliana brevitate. Sunt qui *nurum* de Octavia intelligant. V. not. et em. ad An. xiii, 13.

2 *Seque Senecæ.* Quam ergo a scriptis discrepabant Senecæ consilia! Proh philosophiæ probra!

3 *Annæus Serenus.* De quo Plin. xxii, 23. Fungi 'familias nuper interemere, et tota convivia, Annæum Serenum, præfec-

adversus eamdem libertam, primas adolescentis cupidines velaverat, præbueratque nomen, ut quæ Princeps furtim muliercùlæ tribuebat, ille palam largiretur. Tum Agrippina, versis artibus, per blandimenta juvenem adgredi, "suum potius cubiculum ac sinum" offerre "contegendis, quæ prima ætas, et summa fortuna expeterent." Quin et fatebatur "intempestivam severitatem,"[4] et suarum opum[5] quæ haud procul Imperatoriis aberant, copias tradebat: ut nimia nuper coercendo filio, ita rursum intemperanter demissa. Quæ mutatio neque Neronem fefellit, et proximi amicorum metuebant, orabantque "cavere insidias mulieris semper atrocis, tum et falsæ." Forte illis diebus Cæsar, inspecto ornatu, quo Principum[6] conjuges ac parentes effulserant, deligit vestem et gemmas, misitque donum matri: nulla parcimonia,[7] cum præcipua et cupita aliis, prior deferret. Sed Agrippina "non his instrui cultus suos, sed ceteris arceri" proclamat, "et dividere filium, quæ cuncta ex ipsa haberet." Nec defuere qui in deterius referrent.

14. Et Nero, infensus iis, quibus superbia muliebris[1] innitebatur, demovet Pallantem cura rerum,[2] queis a Claudio impositus, velut arbitrum regni agebat. Ferebaturque, degrediente eo, magna prosequentium multitudine, non absurde dixisse: "Ire Pallantem, ut ejuraret."[3] Sane pepigerat Pal-

tum Neronis vigilum, et tribunos, centurionesque. Quæ voluptas tanta ancipitis cibi?' Sereno, sibi amicissimo, librum de Tranquillitate animi inscripsit Seneca. Quantum vero mortem ejus doluerit testis est epist. lxiii. 'Annæum Serenum, carissimum mihi, tam immodice flevi, ut (quod minime velim) inter exempla sim eorum, quos dolor vicit. Hodie tamen factum meum damno, et intelligo maximam mihi causam sic lugendi fuisse, quod nunquam cogitaveram, mori eum ante me posse. Hoc unum mihi occurrebat, minorem esse, et multo minorem: tanquam ordinem fata servarent.'

4 *Intempestivam severitatem.* Fatebatur Agrippina se adversus Neronem intempestive severam fuisse.

5 *Suarum opum.* Omnes Claudiorum opes, Imperatoriis haud valde impares, potiebatur Agrippina.

6 *Principum.* Priorum Principum Augusti, Tiberii, Caii, Claudii, conjuges ac parentes, quarum supellex inter Imperatorias gazas adservabatur.

7 *Nulla parcimonia.* Hæc matri suæ elargiebatur Nero nulla parcimonia, tantoque ampliore liberalitate, quod ipse prior, nec rogatus, res præcipuas et aliis Principum conjugibus parentibusve summe cupitas deferret. At proclamat Agrippina cultus suos his donis non instrui, sed se per hanc ipsam liberalitatem ceteris Imperatoriis thesauris arceri, et filium matrem inter et pellices dividere, quæ ex ipsa haberet.

1 *Superbia muliebris.* Superbia Agrippinæ.

2 *Cura rerum.* A rationibus erat Pallas, Suet. Claud. 28. At post incestas Agrippinæ et Claudii nuptias fuit velut regni arbiter; cunctaque ejus imperio actitata.

3 *Ut ejuraret.* Non insulse dixit Nero ire Pallantem, ut regni imperium ejuraret, eoque se abdicaret.

las, "ne cujus facti in præteritum interrogaretur, paresque rationes[4] cum republica haberet." Præceps post hæc Agrippina, ruere in terrorem et minas, neque Principis auribus abstinere, quominus testaretur, "adultum jam esse Britannicum, veram dignamque stirpem suscipiendo patris imperio, quod insitus et adoptivus, per injurias matris exerceret. Non abnuere se, quin cuncta infelicis domus mala patefierent, suæ in primis nuptiæ,[5] suum veneficium. Id solum Diis et sibi provisum, quod viveret privignus.[6] Ituram cum illo in castra. Audiretur hinc Germanici filia, inde debilis rursus Burrus[7] et exul Seneca, trunca scilicet manu,[8] et professoria lingua, generis humani regimen expostulantes." Simul intendere manus, aggerere probra: "consecratum Claudium, infernos Silanorum manes"[9] invocare, "et tot inrita facinora."

15. Turbatus his Nero, et propinquo die, quo quartumdecimum ætatis annum Britannicus explebat, volutare secum, modo matris violentiam, modo ipsius indolem, ut quidem experimento[1] nuper cognitam, quo tamen favorem late quæsivisset. Festis Saturno diebus[2] inter alia æqualium ludicra,

4 *Paresque rationes.* Ut, nullis administratæ rei nummariæ rationibus redditis, pares tamen cum republica tum accepti, tum expensi, rationes haberet.

5 *Suæ in primis nuptiæ.* Incestæ nuptiæ, de quibus dictum An. xii, 5. 6 et 7. Veneficium, quo interemtus est Claudius, An. xii, 66 et 67.

6 *Privignus.* Britannicus.

7 *Rursus Burrus.* *Rursus* redundare videtur. V. not. et em. ad An. xiii, 14.

8 *Trunca manu.* Hinc audiretur Germanici filia, quæ Britannici jura repeteret: inde vero ignavus Burrus et exul Seneca, ille trunca manu, hic professoria lingua, generis humani regimen expostulantes. Burrus 'trunca manu' esse dicitur ob umbraticam ignavamque militiam'; alludit Agrippina ad imbelles illos cives, qui 'causa detrectandi sacramenti,' *pollices* sibi amputabant, Suet. August. 24. Unde, teste Am. Marcell. xv, 12. 'Ad militandum omnis [Gallorum] ætas aptissima: et pari pectoris robore senex ad procinctum ducitur et adultus, gelu duratis artubus et labore adsiduo, multa contemturus et formidanda: nec eorum aliquando quisquam, ut in Italia, munus Martium pertimescens, pollicem sibi præcidit, quos localiter Murcos appellant.'

9 *Silanorum manes.* Lucii et Junii Silanorum, de quibus dictum sup. c. 1.

1 *Ut quidem experimento.* Forte *levi quidem experimento.* V. not. et em. ad An. xiii, 15.

2 *Festis Saturno diebus.* Ex his verbis totum istius narrationis ordinem, paucis deprehensum, accipimus. Nero Imperium susceperat anno priore, tertium ante idus Octobris, seu 13. Octobr. An. xii, 69. Sub finem mensis, per totum Novembrem, ac forte Decembris initio, ea optimi Principis indicia edidit, de quibus sup. An. xiii, 4 et 5. Circa medium Decembrem in amorem Actes, libertæ, delapsus est An. xiii, 12. Hoc audito, infremit Agrippina. Saturnalia cœpere xvi. Kal. Januarii, seu 17. Decembris, et per quinque dies actitata; tunc generosum, sed fatale carmen, de quo An. xiii, 15. cecinit Britannicus. Propinquus erat dies, quo quartumdecimum ætatis annum explebat: natus enim erat pridie Idus Februarias, A. U. C. 794. Suet. Claud. 27. Cœpto A. U. C. 808. atrocior in dies Agrippina, odiosior videbatur Britannicus. Nero, matrem veritus, Britannicum exosus, eum veneno interemit mense Januario, vel Februario, cum nondum quartumdecimum ætatis annum expleverat.

regnum lusu sortientium,[3] evenerat ea sors Neroni. Igitur ceteris diversa, nec ruborem allatura: ubi Britannico jussit, "exsurgeret, progressusque in medium cantum aliquem inciperet," inrisum ex eo sperans pueri, sobrios quoque convictus, nedum temulentos, ignorantis; ille constanter exorsus est carmen,[4] quo "evolutum eum sede patria rebusque summis," significabatur. Unde orta miseratio manifestior, quia dissimulationem nox et lascivia[5] exemerat. Nero, intellecta invidia, odium intendit. Urgentibusque Agrippinæ minis, quia nullum crimen, neque jubere cædem fratris palam audebat, occulta molitur; "pararique venenum" jubet, ministro Pollione Julio, prætoriæ cohortis tribuno, cujus cura attinebatur[6] damnata veneficii, nomine *Locusta*,[7] multa scelerum fama. Nam ut proximus quisque Britannico neque fas neque fidem pensi haberet, olim provisum erat. Primum venenum ab ipsis educatoribus accepit, transmisitque, exsoluta alvo, parum validum, sive temperamentum inerat, ne statim sæviret. Sed Nero, lenti sceleris impatiens, minitari tribuno, jubere "supplicium veneficæ, quod, dum rumorem respiciunt, dum parant defensiones, securitatem morarentur." Promittentibus dein "tam præcipitem necem, quam si ferro urgeretur," cubiculum Cæsaris juxta decoquitur virus, cognitis antea venenis rapidum.

16. Mos habebatur, Principum liberos, cum ceteris idem ætatis nobilibus, sedentes vesci[1] in aspectu propinquorum, propria et parciore mensa. Illic epulante Britannico, quia cibos potusque ejus delectus ex ministris gustu explorabat,[2] ne omitteretur institutum, aut utriusque morte proderetur

3 *Lusu sortientium.* Sortiebantur talis. Sic Horat. i Od. iv, 18. 'Nec regna vini sortiere talis.' Hæc regna a Saturno data, et ridicula imperia, γελοῖα ἐπιτάγματα, quæ a rege injungebantur, merito irridet Lucian. Saturn. iv vol. iii, p. 387 et 388.

4 *Exorsus est carmen.* Ennii interpretes divinant Britannicum ex Andromacha Ennii cecinisse: 'O pater, o patria, o Priami domus, Septum altisono cardine templum: Vidi ego te, adstante ope barbarica, Tecteis cælatis, laqueatis, Auro, ebore, instructum regifice, Hæc omnia vidi inflammari.'

5 *Et lascivia.* Saturnalium et lusus lascivia.

6 *Attinebatur.* Nempe custodiæ appositus fuerat tribunus, ut jam sup. vidimus An. i, 6.

7 *Nomine Locusta.* Vetus Scholiastes Juven. Sat. i, 71. ait 'Locustam ex Galliis matronam veneficam' a Nerone accitam fuisse, 'quoniam magnæ famæ erat:' et Principi ita acceptam, 'ut etiam eum doceret venena miscere.'

1 *Sedentes vesci.* Male *cubantes* exhibet Suet. Tit. 2. Ipso teste in Aug. 64. Augustus 'neque cœnavit una [cum nepotibus], nisi ut in imo lecto adsiderent.' Fœminas quoque 'cum cubantibus viris sedentes' olim cœnitasse docet Val. Max. ii, 1. n. 2.

2 *Gustu explorabat.* De his prægustatoribus dictum sup. An. xii, 66.

scelus, talis dolus repertus est. Innoxia adhuc, ac præcalida, et libata gustu potio traditur Britannico. Dein, postquam fervore aspernabatur, frigida in aqua adfunditur venenum: quod ita cunctos ejus artus pervasit, ut vox pariter et spiritus raperentur. Trepidatur a circumsedentibus, diffugiunt imprudentes. At quibus altior intellectus, resistunt defixi, et Neronem intuentes. Ille, ut erat reclinis, et nescio similis, "solitum ita," ait, "per comitialem morbum, quo primum ab infantia adflictaretur Britannicus, et redituros paulatim visus sensusque." At Agrippinæ is pavor, ea consternatio mentis, quamvis vultu premeretur, emicuit, ut perinde ignaram fuisse,[3] ac sororem Britannici Octaviam, constiterit: quippe sibi supremum auxilium ereptum, et parricidii exemplum intelligebat. Octavia quoque, quamvis rudibus annis, dolorem, caritatem, omnes affectus abscondere didicerat. Ita post breve silentium, repetita convivii lætitia.

17. Nox eadem[1] necem Britannici et rogum conjunxit, proviso ante funebri paratu, qui modicus fuit. In campo tamen Martis sepultus est,[2] adeo turbidis imbribus, ut vulgus iram Deum portendi crediderit adversus facinus, cui plerique etiam hominum ignoscebant, antiquas fratrum discordias, et insociabile regnum æstimantes. Tradunt plerique eorum temporum scriptores, "crebris ante exitium diebus, inlusum isse[3] pueritiæ Britannici Neronem: ut jam non præmatura, neque sæva mors videri queat, quamvis inter sacra mensæ, ne tempore quidem ad complexum sorori dato, ante oculos inimici properata sit, in illum supremum Claudiorum sanguinem, stupro prius, quam veneno, pollutum. Festinationem exsequiarum edicto Cæsar defendit, id a majoribus institutum referens, "subtrahere oculis acerba funera,[4] neque laudatio-

3 *Ignaram fuisse.* Gnaram reamque facit acrior, quam verior, Juven. Sat. vi, 32. 'Hippomanes, carmenque loquar, coctumque venenum, Privigno datum.'

1 *Nox eadem.* Inde suspecta mihi videntur, quæ habet Dio lxi, p. 692. Britannici vultum fuisse veneno lividum: Neronem, ut id celaret, eum gypso oblini curavisse: at, cum funus per forum efferretur, tantam imbrium vim decidisse, ut gypsum, adhuc humidum, penitus ablutum fuerit: tum scelus, fama jam vulgatum, omnium oculis patuisse.

2 *Sepultus est.* Ut Germanici, An. iii, 4. sic Britannici reliquiæ illatæ fuisse videntur tumulo Augusti, qui erat in campo Martis, ubi nunc palatium et horti Marchionis *Correa*. Manent adhuc rudera, quæ tribus tabulis exhibet Cl. Piranesi, *Antichità Romane*, Vol. ii, Tab. lxi, lxii, et lxiii.

3 *Inlusum isse.* Neronem stupro illusisse pueritiæ Britannici. Post tantam contumeliam nec præmatura, nec sæva videri potest mors Britannici: immo læta potius, quod ad id dedecus haud ultra pateret.

4 *Acerba funera.* Nempe immatura. V. not. et em. ad An. xiii, 17.

nibus, aut pompa detinere. Ceterum et sibi amisso fratris auxilio, reliquas spes in republica sitas: et tanto magis fovendum patribus populoque Principem, qui unus superesset e familia, summum ad fastigium genita." Exin largitione potissimos amicorum auxit.

18. Nec defuere, qui arguerent viros gravitatem adseverantes,[1] "quod domos, villas,[2] id temporis, quasi prædam divisissent." Alii necessitatem adhibitam credebant a Principe, sceleris sibi conscio, et veniam sperante, si largitionibus validissimum quemque obstrinxisset. At matris ira nulla munificentia leniri; sed amplecti Octaviam, crebra cum amicis secreta habere; super ingenitam avaritiam, undique pecunias, quasi in subsidium, corripiens, tribunos et centuriones comiter excipere: nomina et virtutes nobilium, qui etiam tum supererant, in honore habere: quasi quæreret ducem et partes. Cognitum id Neroni, "excubiasque militares," quæ, ut conjugi Imperatoris solitum, et matri servabantur, "et Germanos"[3] super eumdem honorem custodes additos "degredi" jubet. Ac ne cœtu salutantium frequentaretur, separat domum, matremque transfert in eam, quæ Antoniæ[4] fuerat: quotiens ipse illuc ventitaret, septus turba centurionum, et post breve osculum digrediens.

19. Nihil rerum mortalium tam instabile ac fluxum est, quam fama potentiæ, non sua vi nixæ. Statim relictum Agrippinæ limen. Nemo solari, nemo adire, præter paucas fœminas, amore an odio, incertum. Ex quibus erat Junia Silana,[1] quam matrimonio C. Silii a Messalina depulsam, supra retuli,[2] insignis genere, forma, lascivia, et Agrippinæ diu percara: mox occultis inter eas offensionibus, quia Sextium Africanum,[3] nobilem juvenem, a nuptiis Silanæ deterruerat Agrip-

1 *Gravitatem adseverantes.* Burrum maxime ac Senecam juventæ Neronis rectores, graves prudentesque viros, sed adversus fortunam invalidos.

2 *Domos, villas.* Britannici.

3 *Et Germanos.* Jampridem Principum custodes, sup. An. i, 24. Hispanorum custodias olim adhibuerat Julius Cæsar, Suet. Jul. 86.

4 *Antoniæ.* Antoniæ majoris, ut videtur, Neronis aviæ. Alia erat Antonia minor, avia Agrippinæ. V. stem. Cæs. n. 32 et 42. Domus illa Antoniæ forte fuit in parte palatii, ut conjicere licet ex Val. Max. iv, 3. n. 3.

1 *Junia Silana.* Juxta Lipsium soror erat M. Junii Silani, qui memoratur in stemmate Cæsarum, n. 57. At cum nulla sit hujus consanguinitatis mentio in Scriptoribus, divinari non debet. Alii plurimi fuere Junii Silani, ex quibus nasci potuit.

2 *Retuli.* An. xi, 12.

3 *Sextium Africanum.* Opinatur Lipsius hunc Sextium nepotem esse Juli Antonii,

pina, "impudicam et vergentem annis" dictitans; non ut Africanum sibi seponeret, sed ne opibus et orbitate Silanæ maritus potiretur. Illa, spe ultionis oblata, parat accusatores ex clientibus suis, Iturium et Calvisium, non vetera, et sæpius jam audita deferens, "quod Britannici mortem lugeret," aut "Octaviæ injurias evulgaret:" sed "destinavisse eam, Rubellium Plautum,[4] per maternam originem pari ac Nero gradu a divo Augusto, ad res novas extollere; conjugioque ejus potiri, ac rempublicam rursus invadere:" hæc Iturius et Calvisius Atimeto, Domitiæ,[5] Neronis amitæ, liberto, aperiunt. Qui lætus oblatis (quippe inter Agrippinam et Domitiam infensa æmulatio exercebatur) Paridem histrionem, libertum et ipsum Domitiæ, impulit "ire propere, crimenque atrociter deferre."

20. Provecta nox erat, et Neroni per vinolentiam trahebatur; cum ingreditur Paris, solitus alioquin id temporis lusus Principis intendere. Sed tunc compositus ad mœstitiam, expositoque indicii ordine, ita audientem exterret, ut non tantum matrem Plautumque interficere, sed Burrum etiam demovere præfectura destinaret, tamquam Agrippinæ gratia provectum, et vicem reddentem. Fabius Rusticus[1] auctor est, "scriptos esse ad Cæcinam Tuscum codicillos, mandata ei prætoriarum cohortium cura: sed ope Senecæ dignationem Burro retentam." Plinius[2] et Cluvius[3] nihil dubitatum de fide præfecti referunt: sane Fabius inclinat ad laudes Senecæ, cujus amicitia floruit. Nos consensum auctorum secuti, quæ diversa prodiderint, sub nominibus ipsorum trademus.[4] Nero trepidus, et interficiendæ matris avidus, non prius differri potuit, quam Burrus necem ejus promitteret, si facinoris coargueretur: "Sed cuicumque, nedum parenti, defensionem tribuendam: nec accusatores adesse, sed vocem unius ex inimica domo adferri. Refutare tenebras,[5] et vigilatam convivio noctem, omniaque temeritati et inscitiæ propiora."

de quo dictum est in stemmate Cæsarum, n. 29. At divinatio est. Nec probari potest. De Africano adhuc inf. An. xiv, 46.

4 *Rubellium Plautum.* Rubellii Blandi et Juliæ, Tiberii neptis, filium. V. stem. Cæs. n. 76.

5 *Domitiæ.* De illa v. stem. Cæs. n. 40.

1 *Fabius Rusticus.* Eloquentissimus rerum recentium auctor dicitur, in Vit. Agr. 10.

2 *Plinius.* Non modo naturæ sed suorum etiam temporum historiam scripserat. V. præfationem Hist. nat.

3 *Cluvius.* Vir consularis, poeta et historicus nobilis. De illo Suet. Ner. 21. Laudatur adhuc inf. Hist. iv, 43.

4 *Trademus.* Mallem *tradimus.*

5 *Refutare tenebras.* Tenebras, et noctem convivio vigilatam, omniaque temeri-

21. Sic lenito Principis metu, et luce orta, itur ad Agrippinam, ut nosceret objecta, dissolveretque, vel pœna lueret. Burrus iis mandatis, Seneca coram, fungebatur. Aderant et ex libertis, arbitri sermonis. Deinde a Burro, postquam crimina et auctores exposuit, minaciter actum. Agrippina, ferociæ memor, "Non miror," inquit, "Silanam, numquam edito partu, matrum affectus ignotos habere. Neque enim perinde a parentibus liberi, quam ab impudica adulteri, mutantur. Nec, si Iturius et Calvisius, adesis omnibus fortunis, novissimam suscipiendæ accusationis operam anui rependunt, ideo aut mihi infamia parricidii, aut Cæsari conscientia subeunda est. Nam Domitiæ inimicitiis gratias agerem, si benevolentia mecum in Neronem meum certaret. Nunc per concubinum Atimetum, et histrionem Paridem, quasi scenæ fabulas componit. Baiarum suarum piscinas[1] extollebat, cum meis consiliis adoptio, et proconsulare jus, et designatio consulatus, et cetera adipiscendo imperio præpararentur. Aut existat, qui cohortes in Urbe tentatas, qui provinciarum fidem labefactatam, denique servos, vel libertos, ad scelus corruptos arguat. Vivere ego, Britannico potiente rerum, poteram: at si Plautus,[2] aut quis alius, rempublicam judicaturus obtinuerit, desunt scilicet mihi accusatores, qui non verba, impatientia caritatis aliquando incauta, sed ea crimina objiciant, quibus, nisi a filio, absolvi non possim." Commotis qui aderant, ultroque spiritus ejus mitigantibus, "colloquium filii" exposcit: ubi nihil pro innocentia, quasi diffideret; nec beneficiis, quasi exprobraret, disseruit; sed ultionem in delatores, et præmia amicis obtinuit.

tati et inscitiæ propiora accusationem refutare. Id enim temporis delegisse accusatores, ne a sobriis et vigilantibus falsitas agnosceretur, ut recte explicat Illustr. Huetius.

1 *Baiarum suarum piscinas.* Baiæ, nunc *Castello di Baia*, in Campania, sinuque Puteolano. Ibi splendidissimæ Romanorum villæ, piscinæ plurimæ, quarum de granditate queritur Plin. xviii, 2. 'Bina tunc jugera populo Romano satis erant, nullique majorem modum attribuit [Romulus]: quo servos Neronis, contemtis hujus spatii viridariis, piscinas juvat habere majores: gratumque, si non aliquem et culinas.' In iis piscinis murænas maxime habuere Romani, sed tanta insania, ut de ipso Hortensio, oratore, familiari suo, narret Varro de Re Rust. iii, 17. non minorem curam ejus fuisse 'de ægrotis piscibus, quam de minus valentibus servis. Itaque minus laborabat, ne servus æger, quam aquam frigidam biberent sui pisces.' Vedium Pollionem murænas suas humano sanguine saginasse horrentes diximus in notis ad An. xii, 60. Ut moribus, ita quoque voluptatibus melior Antonia Drusi, quæ 'murænæ, quam diligebat, inaures addidit: cujus propter famam nonnulli Baulos, [haud procul Baiis,] videre concupiverunt,' Plin. ix, 55. Verbum *extollebat* jam ita acceptum vidimus An. xi, 1. Quantis impendiis piscinas extollerent Romani disce ex Plin. ix, 54.

2 *Si Plautus.* Rubellius Plautus, de quo dictum c. 19.

22. Præfectura annonæ[1] Fenio Rufo, cura ludorum, qui a Cæsare parabantur, Arruntio Stellæ; Ægyptus C. Balbillo permittuntur.[2] Syria P. Anteio destinata: et variis mox artibus elusus, ad postremum in Urbe retentus est. At Silana in exilium acta. Calvisius quoque et Iturius relegantur.[3] De Atimeto supplicium sumtum, validiore apud libidines Principis Paride,[4] quam ut pœna afficeretur. Plautus ad præsens[5] silentio transmissus est.

23. Deferuntur dehinc "consensisse Pallas, ac Burrus, ut Cornelius Sulla[1] claritudine generis, et adfinitate Claudii," cui per nuptias Antoniæ,[2] gener erat, "ad imperium vocaretur." Ejus accusationis auctor extitit Pætus quidam, exercendis apud ærarium sectionibus famosus,[3] et tum vanitatis manifestus.[4] Nec tam grata Pallantis innocentia, quam gravis superbia fuit: quippe nominatis libertis ejus, quos conscios haberet, respondit; "nihil umquam se domi, nisi nutu, aut manu significasse, vel si plura demonstranda essent, scripto usum, ne vocem consociaret."[5] Burrus, quamvis

1 *Præfectura annonæ.* Præfecti annonæ erat curare ne quis annonam publicam fraudaret, eamve cariorem aut viliorem faceret. V. Ulpian. Digest. lib. xlviii, Tit. 12. de lege Julia de Annona.

2 *C. Balbillo permittuntur.* Ob Agrippinæ amicitiam. C. Balbillus fuit, teste Seneca Quæst. Natur. iv, 2. 'virorum optimus, in omni literarum genere rarissimus.' Citissimum ejus in Ægyptum adventum celebrat Plin. xix. in præf. 'Quod miraculum majus, herbam, [linum ex quo vela conficiuntur,] esse quæ admoveat Ægyptum Italiæ: in tantum, ut Galerius a freto Siciliæ Alexandriam septima die pervenerit, Babilius, [melius *Balbillus*,] sexta, ambo præfecti.' Assuetudine eviluit miraculum. Frequens in Inscriptionibus nomen, BALBILLVS.

3 *Relegantur.* At postea pœna exsoluti; et Silana Tarentum regressa, ut dicetur An. xiv, 12. Quid sit discriminis inter exilium, relegationem, deportationem, v. in not. et em. ad An. xiii, 22.

4 *Paride.* Postea occiso, quasi gravi adversario, Suet. Ner. 54. Interfectum, quod Neronem saltationem docere non potuisset, tradit Dio lxiii, p. 723.

5 *Ad præsens.* At deinde interemtus An. xiv, 59.

1 *Cornelius Sulla.* Antoniæ maritus. V. stem. Cæs. n. 107.

2 *Antoniæ.* Æliæ Petinæ et Claudii filiæ. V. stem. Cæs. n. 105.

3 *Sectionibus famosus.* Sectores bona damnatorum proscriptorumve mercabantur, et eorum pretia vel in ærarium referebant, vel iis, quibus debebantur pecuniæ, pensitabant. Inde Asconius in Verrem, i, 20. 'Sectorem autem dicit [Tullius], æstimatorem redemtoremque bonorum damnati, atque proscripti, qui spem sectans lucri sui, id est secutus spem æstimationis suæ, bona omnia auctione vendit, et semel infert pecuniam vel ærario, vel sociis. Deinde ibid. c. 23. verba illa explicans, 'Quæ sectorem expectant repetundarum,' ait: 'Causa ita se habet, ut si convictus reus sit atque damnatus, pecuniam reddat, æstimata lite, hoc est, in pretium redactis omnium furtis, quam summam pecuniæ, proscriptis ejus bonis, sectores curabant. Sectores autem dicti sunt, qui spem lucri sui secuti, bona condemnatorum semel auctionabantur, proque his pecunias pensitabant singulis: ac postea pro compendio suo singulas quasque res pecunia populo vendituri.'

4 *Vanitatis manifestus.* I. e. *mendacii.* Sic Tullius, Tusculan. iii, 1. 'Vanitati veritas cedit.'

5 *Consociaret.* Cum libertis ipse libertus. Proh hominis impudentiam!

reus, inter judices sententiam dixit. Exiliumque accusatori inrogatum, et tabulæ exustæ sunt, quibus obliterata ærarii monimenta[6] retrahebat.

24. Fine anni, statio cohortis,[1] adsidere ludis solita, demovetur, quo major species libertatis esset; utque miles, theatrali licentiæ non permixtus, incorruptior ageret, et plebes daret experimentum, an, amotis custodibus, modestiam retineret. Urbem Princeps lustravit[2] e responso haruspicum, quod Jovis ac Minervæ ædes[3] de cœlo tactæ erant.

A. U. C. 809. J. C. 56.

25. Q. Volusio, P. Scipione consulibus,[1] otium foris, fœda domi lascivia, qua Nero itinera Urbis, et lupanaria, et diverticula, veste servili in dissimulationem sui compositus, pererrabat,[2] comitantibus, qui raperent ad venditionem exposita, et obviis vulnera inferrent: adversus ignaros adeo, ut ipse quoque exciperet ictus, et ore præferret.[3] Deinde, ubi "Cæsarem esse, qui grassaretur," pernotuit, augebantur injuriæ adversus viros fœminasque insignes, et quidam, permissa semel licentia sub nomine Neronis, inulti, propriis cum glo-

6 *Ærarii monimenta.* Exustæ sunt tabulæ, quibus Pætus vetera et obliterata debita revocabat, et exigebat.

1 *Statio cohortis.* Prætoriæ. V. An. i, 77.

2 *Lustravit.* In his lustrationibus cantabantur carmina, singulis portis victimæ mactabantur. Claudius quanto hebetior, tanto superstitiosior, eas cærimonias diligentissime observavit. V. Suet. Claud. 22. Ejus principatu, incerto anno ob suffectos consules, 'Bubo funebris, et maxime abominatus [publicis præcipue auspiciis], Capitolii cellam ipsam intravit Sex. Palpelio Histro, L. Pedanio coss. propter quod Nonis Martiis Urbs lustrata est eo anno,' Plin. x, 12. Quanta vero cura fierent hæ obsecrationes docet idem Plin. xxviii, 2. 'Vidimus certis precationibus obsecrasse summos magistratus. Et ne quid verborum prætereatur, aut præposterum dicatur, de scripto præire aliquem, rursusque alium custodem dari qui attendat, alium vero præponi qui faveri linguis jubeat: tibicinem canere, ne quid aliud exaudiatur.'

3 *Jovis ac Minervæ ædes.* In monte Capitolino.

1 *P. Scipione coss.* Q. Volusius Saturninus et P. Cornelius Scipio coss. fuere A. U. C. 809. J. C. 56. Q. Volusius filius est L. Volusii, de quo dicitur inf. c. 30.

2 *Pererrabat.* Hanc lasciviam, Principe indignam, memorat Suet. Ner. 26. 'Post crepusculum statim arrepto pileo vel galero, popinas inibat: circumque vicos vagabatur ludibundus, nec sine pernicie tamen. Siquidem redeuntes a cœna verberare, ac repugnantes vulnerare, cloacisque demergere assueverat: tabernulas etiam effringere et expilare: quintana domi constituta, ubi partæ et ad licitationem dividendæ prædæ pretium assumeretur. Ac sæpe in ejusmodi rixis, oculorum et vitæ periculum adiit, a quodam laticlavio, cujus uxorem attrectaverat, prope ad necem cæsus. Quare numquam postea se publico illud horæ sine tribunis commisit, procul et occulte subsequentibus.' V. et Dion. lxi, p. 693.

3 *Ore præferret.* Medicamenta adhibebat, de quibus Plin. xiii, 22. Alii ferulæ, quam thapsiam quidam vocavere, 'folia, caulem, radicem tundunt in pila, et succum in sole coactum dividunt in pastillos. Nero Cæsar claritatem ei dedit initio imperii, nocturnis grassationibus converberatam faciem illinens sibi cum thure, ceraque, et, secuto die, contra famam cutem sinceram circumferens.'

bis, eadem exercebant, et in modum captivitatis nox agebatur. Julius quidem Montanus, senatorii ordinis, sed qui nondum honorem[4] capessisset, congressus forte per tenebras cum Principe, quia vi attentantem acriter repulerat, deinde agnitum oraverat, quasi exprobrasset, mori adactus est. Nero autem metuentior in posterum, milites sibi, et plerosque gladiatores circumdedit, qui rixarum initia modica, et quasi privata sinerent: si a læsis validius ageretur, arma inserebant. Ludicram quoque licentiam, et fautores histrionum velut in prælia convertit,[5] impunitate et præmiis, atque ipse occultus, et plerumque coram prospectans: donec discordi populo, et gravioris motus terrore, non aliud remedium repertum est, quam ut histriones Italia pellerentur,[6] milesque theatro rursum adsideret.

26. Per idem tempus actum in senatu "de fraudibus libertorum," efflagitatumque "ut adversus male meritos, revocandæ libertatis jus patronis daretur."[1] Nec deerant qui censerent. Sed consules relationem incipere non ausi, ignaro Principe, perscripsere tamen consensum senatus: "Ille jam auctor constitutionis fieret, ut inter paucos[2] et sententiæ adversos:" quibusdam coalitam libertate irreverentiam eo prorupisse frementibus,[3] "ut æquo cum patronis jure agerent, sententiam eorum consultarent, ac verberibus manus ultro intenderent, impudenter vel pœnam suam dissuadentes. Quid enim aliud læso patrono concessum,[4] quam ut vicesimum ultra lapidem,[5] in oram Campaniæ libertum releget?

4 *Nondum honorem.* Junior adhuc, et tantum laticlavius. V. not. et em. ad An. xiii, 25.

5 *In prælia convertit.* Suet. Ner. 26. 'Interdiu quoque clam gestatoria sella delatus [Nero] in theatrum, seditionibus pantomimorum ex parte proscenii superiori, signifer simul ac spectator aderat. Et cum ad manus ventum esset, lapidibusque et subselliorum fragminibus decerneretur, multa et ipse jecit in populum, atque etiam prætoris caput consauciavit.'

6 *Italia pellerentur.* Jam pulsi a Tiberio, ut dictum est sup. An. iv, 14.

1 *Jus—daretur.* Id jam sancitum Claudii lege diximus in Suppl. An. x, 29. At, ut hujus Principis leges plurimæ, ita quoque invalidæ. Ars tota visque legum ac legislatorum in eo sita, ut perpaucæ sint leges; violatio rara, numquam impunita.

2 *Inter paucos.* Quoniam pauci erant qui refragarentur, et patrum sententiæ adversarentur.

3 *Frementibus.* Quibusdam senatoribus frementibus, irreverentiam, libertate coalitam, eo prorupisse, ut liberti æquo cum patronis jure agerent; si quid patroni pro jure suo contra libertos statuerent, sententiam eorum consultarent; verberibus etiam manus ultro intenderent, impudenter vel meritam pœnam dissuadentes. Quid enim aliud, &c. Quomodo desperato huic loco simus opitulati v. in not. et em. ad An. xiii, 26.

4 *Concessum.* Forte ab Augusto, qui libertorum patronorumque jura constituit. V. Dion. lv, p. 557.

5 *Vicesimum ultra lapidem.* Viginti millia ab urbe. V. not. et em. ad An. xiii, 26.

Ceteras actiones promiscuas et pares esse. Tribuendum aliquod telum, quod sperni nequeat. Nec grave manumissis, per idem obsequium retinendi libertatem,[6] per quod adsecuti sint. At criminum manifestos, merito ad servitutem retrahi; ut metu coerceantur, quos beneficia non mutavissent."

27. Disserebatur contra; "Paucorum culpam ipsis exitiosam esse debere: nihil universorum juri derogandum: quippe late fusum id corpus. Hinc plerumque tribus, decurias,[1] ministeria[2] magistratibus et sacerdotibus, cohortes etiam in Urbe[3] conscriptas: et plurimis equitum, plerisque senatoribus, non aliunde originem trahi. Si separarentur libertini, manifestam fore penuriam ingenuorum: non frustra majores, cum dignitatem ordinum dividerent, libertatem in communi posuisse.[4] Quin et manumittendi duas species[5] institutas, ut relinqueretur pœnitentiæ, aut novo beneficio locus. Quos vindicta patronus non liberaverit, velut vinculo servitutis attineri. Dispiceret quisque merita, tardeque concederet, quod datum non adimeretur." Hæc sententia valuit. Scrip-

6 *Retinendi libertatem.* Haud vulgare dicendi genus, minime tamen barbarum. Sic adhuc inf. An. xv, 5. 'Vologesi vetus et penitus infixum erat, arma Romana vitandi.'

1 *Decurias.* Id ne accipias de judicum decuriis; quod recte monuit Lipsius. Aliæ plurimæ erant decuriæ, scribarum, cerariorum, librariorum, &c. quorum memoria extat in vetere marmore apud Gori, Inscr. Antiq. Vol. i, p. 308.

2 *Ministeria.* Lictores, viatores, præcones, aliique multi magistratuum et sacerdotum ministri.

3 *Cohortes—Urbe.* Cohortes Vigilum. Quodque illustrius, liberti in Germania et Illyrico, imperitante Augusto, militavere. Inde Suet. Aug. 25. 'Libertino milite, præterquam Romæ incendiorum causa, et si tumultus in graviore annona metueretur, bis usus est: semel ad præsidium coloniarum Illyricum contingentium: iterum ad tutelam ripæ Rheni.' V. et Dion. lv, p. 569. et lvi, p. 586.

4 *Libertatem—posuisse.* Servius Tullius dignitatem ordinum ita diviserat, ut libertini a tribubus rusticis repellerentur, in quatuor vero tribus urbanas conjicerentur: sed libertatem in communi posuerat. Postea præter communem libertatem permissum, ut libertini, qui filium quinquennio majorem haberent, aut prædium prædiave rustica pluris HS. triginta millium. *Angl.* 250*l.* possiderent, in tribus rusticas recipi possent. De his omnibus et aliis quæ libertinos spectant. vide Sigon. de Jure Antiq. ii, 14.

5 *Manumittendi duas species.* Utriusque speciei meminit Sen. de Vita Beata, xxiv, 'Justæ libertatis, an inter amicos datæ.' Justa libertas servis vindicta, censu, aut testamento data; nec revocari poterat. Libertas inter amicos, in convivio, aut per epistolam data, revocari poterat; et libertus in servitutem retrahi. Sic relictus pœnitentiæ, aut novo beneficio locus. Augustus Tiberium et rempublicam sapienter monuerat, ne plures manumitterentur, sicque urbs omnigena turba impleretur, μήτ' ἀπελευθερῶσι πολλούς, ἵνα μὴ παντοδαποῦ ὄχλου τὴν πόλιν πληρώσωσι, Dio lvi, p. 591. At hac in re, quod sæpe Principes, peccavit Augustus, ut optima suaderet moriens, cum ipse aliter fecisset. Id acerrime et eloquentissime dolet Dionys. Halicarn. Antiq. Rom. iv, 24. p. 227 et 228. At malum, quo nullum umquam fuit Urbi exitialius, audacter grassari cœpit sub Claudii principatu, Plin. xxxiii, 2. ejusque libertis imperitantibus, factum est insanabile.

sitque Cæsar senatui, "privatim expenderent causam libertorum, quotiens a patronis arguerentur: in commune nihil derogarent." Nec multo post, ereptus amitæ libertus[6] Paris, quasi jure civili; non sine infamia Principis, cujus jussu perpetratum ingenuitatis judicium[7] erat.

28. Manebat nihilominus quædam imago reipublicæ. Nam inter Vibullium prætorem et plebei tribunum Antistium ortum certamen, quod immodestos fautores histrionum, et a prætore in vincula ductos, tribunus "omitti" jussisset:[1] comprobavere patres, incusata "Antistii licentia." Simul prohibiti tribuni "jus prætorum et consulum præripere, aut vocare ex Italia[2] cum quibus lege agi posset." Addidit L. Piso, designatus consul, "ne quid intra domum[3] pro potestate animadverterent: neve multam ab iis dictam, quæstores ærarii in publicas tabulas, ante quatuor menses, referrent; medio temporis contradicere liceret: deque eo consules statuerent." Cohibita arctius et ædilium potestas,[4] statutumque "quantum curules, quantum plebei pignoris caperent, vel pœnæ inrogarent." Eo Helvidius Priscus, tribunus plebis, adversus Obultronium Sabinum, ærarii quæstorem, contentiones proprias exercuit, "tamquam jus hastæ adversus inopes inclementer augeret."

6 *Amitæ libertus.* Domitiæ, Neronis amitæ, de qua sup. c. 19.

7 *Ingenuitatis judicium.* Non vitio Cornelianæ brevitatis, sed ob mores nostros a Romanis moribus prorsus alienos, locus iste perobscurus videretur, nisi, vir summus, Cujac. observat. xviii, 23. lucem adfudisset. Nunc plana claraque sunt omnia. Domitia, Neronis amita, Paridem, accepta ab eo pecunia pro libertate, manumiserat; atque ita diu fuit Domitiæ libertus. Post, jussu Principis, dixit se esse ingenuum, et veritati ingenuitatis nihil officere manumissionem. Vicit non sine infamia Principis, datamque pecuniam repetiit, ut accipimus ex Digest. xii, Tit. iv, de condictione causa data. leg. 3. n. 5. ex Ulpian. 'Julianus libro undecimo Digestorum scribit, competere manumisso repetitionem. Neratius etiam libro Membranarum refert Paridem Pantomimum a Domitia Neronis filia, [corrige *amita*,] decem, quæ ei pro libertate dederat, repetisse per judicem; nec fuisse quæsitum, an Domitia sciens liberum accepisset.' 'Decem' de generali pecuniæ summa accipe. Non possunt esse decem millia nummorum, quæ forent tantum *Angl.* 83*l.* 6*s.* 8*d.* De immani servorum pretio vide infra Anecdota de Nerone.

1 *Omitti jussisset.* Pro tribunicia sua auctoritate, eos e vinculis emissos omitti jusserat.

2 *Vocare ex Italia.* Non vocatio, sed prensio tantum erat juris tribunicii, ut exemplis probatur apud Gell. xiii, 12. Immo primo ab Urbe milliario finiebatur tribunorum plebis auctoritas, ut patet ex Liv. iii, 20. 'Neque enim provocationem esse longius ab Urbe mille passuum: et tribunos, si eo adveniant in alia turba Quiritium, subjectos fore consulari imperio.'

3 *Intra domum.* Tribunorum plebis domus ne noctu quidem claudebatur, ut præsens semper et quovis tempore esset tribuniciæ intercessionis auxilium. Non tamen intra domum, ubi aut iræ, aut libidini locus, sed publice et pro tribunali animadvertere.

4 *Ædilium potestas.* Tum curulium, tum plebis ædilium erat annonam, res sacras, loca publica, ludos curare: præcavere ne in rebus venalibus fraudes fierent, easve factas redhibitionibus emendare.

Dein Princeps curam tabularum publicarum a quæstoribus ad præfectos transtulit.

29. Varie habita, ac sæpe immutata ejus rei forma.[1] Nam Augustus permisit senatui deligere præfectos: dein, ambitu suffragiorum suspecto, sorte ducebantur ex numero prætorum, qui præessent. Neque id diu mansit, quia sors deerrabat ad parum idoneos. Tunc Claudius quæstores rursum imposuit; iisque, ne metu offensionum segnius consulerent, extra ordinem honores promisit. Sed deerat robur ætatis eum primum magistratum capessentibus. Igitur Nero prætura perfunctos, et experientia probatos delegit.

30. Damnatus iisdem consulibus Vipsanius Lenas, "ob Sardiniam provinciam avare habitam." Absolutus Cestius Proculus repetundarum, cedentibus accusatoribus. Clodius Quirinalis, "quod præfectus remigum, qui Ravennæ haberentur, velut infimam nationum, Italiam luxuria sævitiaque adflictavisset," veneno damnationem antevertit. C. Aminius Rebius, ex primoribus peritia legum, et pecuniæ magnitudine, cruciatus ægræ senectæ, misso per venas sanguine, effugit: haud creditus sufficere ad constantiam sumendæ mortis, ob libidines muliebriter infamis. At L. Volusius[1] egregia fama concessit; cui tres et nonaginta anni spatium vivendi, præcipuæque opes bonis artibus, inoffensa tot Imperatorum malitia fuit.

A. U. C. 810. J. C. 57.

31. Nerone secundum, L. Pisone consulibus,[1] pauca memoria digna evenere: nisi cui libeat, laudandis fundamentis et

1 *Forma.* Quæ de ærario summatim habet Tac. fusius explicata v. in not. et em. ad An. xiii, 29. Ibi multa de reipublicæ et imperii opibus.

1 *L. Volusius.* Cujus filius hoc anno consul erat, ut diximus c. 25. V. quoque dicta An. xii, 22. De L. Volusii senecta duo memoranda refert Plin. vii, 14. 'Nuper etiam L. Volusio Saturnino, in Urbis præfectura, extincto, notum e Cornelia, Scipionum gentis, Volusium Saturninum, qui fuit consul, genitum post LXII. annum.' Mox c. 48. 'M. Perpenna et nuper L. Volusius Saturninus, omnium, quos in consulatu sententiam rogaverant, superstites fuere.' Laudatur quoque ob Agriculturæ scientiam a Columella de Re Rust. I. 7. 'Sed et ipse nostra memoria veterem consularem, virumque opulentissimum L. Volusium asseverantem audivi, patris familias felicissimum fundum esse, qui colonos indigenas haberet, et tamquam in paterna possessione natos, jam inde a cunabulis longa familiaritate retineret.' De L. Volusio, primo adcumulatore opum, quibus domus illa immensum viguit, dictum est An. iii, 30. Ad eum Plinii et Columellæ dicta minime probabiliter trahunt Cll. Crenius et Schoettgenius.

1 *L. Pisone coss.* Nero Claudius Augustus II. et L. Calpurnius Piso coss. fuere A. U. C. 810. J. C. 57. Ex Museo Albano,

trabibus, queis molem amphitheatri[2] apud campum Martis Cæsar exstruxerat, volumina implere: cum ex dignitate populi Romani repertum sit, res inlustres annalibus, talia diurnis Urbis actis mandare. Ceterum coloniæ Capua atque Nuceria,[3] additis veteranis, firmatæ sunt: plebeique congiarium[4] quadringeni nummi[5] viritim dati, et sestertium quadringenties[6] ærario inlatum est ad retinendam populi fidem. Vectigal quoque quintæ et vicesimæ[7] venalium mancipiorum remissum, specie magis quam re:[8] quia cum venditor pendere juberetur, in partem pretii emtoribus adcrescebat. Edixit Cæsar, "ne quis magistratus, aut procurator, qui provinciam obtineret, spectaculum gladiatorum, aut ferarum, aut quod aliud ludicrum ederet." Nam ante non minus tali largitione, quam corripiendis pecuniis, subjectos adfligebant; dum quæ libidine deliquerant, ambitu propugnant.[9]

32. Factum et senatusconsultum[1] ultioni juxta et securitati,

apud Muratori, Thes. Inscr. Vol. i, p. 305.

NERONE CLAVDIO CAESARE
AVG. GERMANICO II — COS.
L. CALPVRNIO PISONE

2 *Molem amphitheatri.* Illud amphitheatrum ludosque incruentos laudat Suet. Ner. 12. 'Munere, quod in amphitheatro ligneo, in regione Martii campi intra anni spatium fabricato, dedit, neminem occidit, ne noxiorum quidem.' Plin. quoque xix, 1. 'Vela nuper colore cœli, stellata, per rudentes iere etiam in amphitheatro Principis Neronis.' Ibi fuit 'trabs e larice, longa pedes CXX. bipedali crassitudine æqualis. Quo intelligebatur vix credibilis reliqua altitudo [arboris], fastigium ad cacumen æstimantibus.' Plin. xvi, 40.

3 *Capua, Nuceria.* De Capua dictum An. iv, 57. Nuceria, nunc *Nocera*. Augustum coloniam deduxisse Capuam scribit Plin. xviii, 11.

4 *Plebeique congiarium.* Hujus congiarii memoria extat nummo ex ære magno apud Harduinum Select. Opp. p. 722. NERO CLAVD. CAES. AVG. GERM. P. M. TR. P. IMP. P. P. capite Neronis laureato. Ex adversa parte, CONGIAR. II. DAT. POP. SC. 'Congiarium secundum datum populo. Senatus consulto.' Nero togatus distribuit congiarium populo. De congiariis plura dicentur in not. et em. ad Dial. de Orat. c. 17.

5 *Quadringeni nummi.* *Angl.* 3*l.* 6*s.* 8*d.*

6 *Sestertium quadringenties.* Quadringenties centena millia sestertium, *Angl.* 333,333*l.* 6*s.* 8*d.*

7 *Quintæ et vicesimæ.* De his plura in not. et em. ad An. xiii, 31.

8 *Specie—re.* Sic emendari sensus ipse postulat. Ita quoque emendat Illustr. Huetius. Male in Mss. et editis libris, *specie magis quam vi.* Unde eruditus Petavius aliquid deesse suspicabatur.

9 *Ambitu propugnant.* Quæ inexplebili corripiendarum pecuniarum libidine deliquerant, ambitiosa ludorum largitione non excusabant tantum, sed propugnabant: et pecunias in utilitatem propriam derivatas se impendisse in populorum oblectamenta et imperii splendorem jactitabant.

1 *Senatusconsultum.* Senatusconsulti severitatem excusat Ulpian. Digest. xxix, Tit. v, de Senatusconsulto Silaniano et Claudiano. Leg. 1. 'Cum aliter nulla domus tuta esse possit, nisi, periculo capitis sui, custodiam domini, tam a domesticis, quam ab extraneis, præstare servi cogantur, ideo senatusconsulta introducta sunt de publica quæstione a familia necatorum habenda.' Illud vero senatusconsultum dicitur Silanianum, quod primo sub Augusto, Dolabella et Silano coss. A. U. C. 763. latum, Claudianum, quod per Neronem, a Claudio adoptatum, est renovatum: dictum quoque Neronianum a Nerone; Pisonianum, a Pisone collega. De his dicetur adhuc inf. An. xiv, 42.

"ut si quis a suis servis interfectus esset, ii quoque, qui testamento manumissi sub eodem tecto mansissent, inter servos supplicia penderent." Redditur ordini Lurius Varius, consularis, avaritiæ criminibus[2] olim perculsus. Et Pomponia Græcina, insignis fœmina, Plautio, qui ovans se de Britanniis retulit,[3] nupta, ac "superstitionis externæ"[4] rea, mariti judicio permissa. Isque prisco instituto, propinquis coram, de capite famaque conjugis cognovit, et insontem nuntiavit. Longa huic Pomponiæ ætas, et continua tristitia fuit. Nam post Juliam, Drusi filiam,[5] dolo Messalinæ interfectam, per quadraginta annos,[6] non cultu nisi lugubri, non animo nisi mœsto egit. Idque illi, imperitante Claudio, impune,[7] mox ad gloriam vertit.

33. Idem annus plures reos habuit: quorum P. Celerem, accusante Asia, quia absolvere nequibat Cæsar, traxit,[1] senecta donec mortem obiret. Nam Celer, interfecto, ut memoravi,[2] Silano proconsule, magnitudine sceleris cetera flagitia obtegebat. Cossutianum Capitonem[3] Cilices detulerant, "maculosum fœdumque, et idem jus audaciæ in provincia ratum, quod in Urbe exercuerat." Sed pervicaci accusatione conflictatus, postremo defensionem omisit, ac lege repetundarum

2 *Avaritiæ criminibus*. Avaritia, haud ita vetus in republica malum, teste Tullio Offic. ii, 21. sed cito adultum omnia corripuit, provincias Urbemque exhausit. Frustra monebat Juven. vii, 87. 'Expectata diu tandem provincia cum te Rectorem accipiat, pone iræ frena modumque, Pone et Avaritiæ.' Unde idem indignans Sat. i, 73. 'Aude aliquid brevibus Gyaris et carcere dignum, Si vis esse aliquis. Probitas laudatur et alget. Criminibus debent hortos, prætoria, mensas, Argentum vetus, et stantem extra pocula caprum.'

3 *Retulit*. Sic Virgil. Æn. vii, 286. 'Ecce autem Inachiis sese referebat ab Argis Sæva Jovis conjux, aurasque invecta tenebat.' De Plautii ovatione diximus in Suppl. An. xi, 5.

4 *Superstitionis externæ*. Hac odiosa nuncupatione designari Christianam religionem opinor. Eadem est Lipsii, Rhenani, Ryckii et Ernesti sententia. Tum enim vel in ipsa Neronis domo percrebuit religio, ut accipimus ex D. Paulo ad Philipp. iv, 22. Ἀσπάζονται ὑμᾶς οἱ σὺν ἐμοὶ ἀδελφοί. Ἀσπάζονται ὑμᾶς πάντες οἱ ἅγιοι, μάλιστα δὲ οἱ ἐκ τῆς Καίσαρος οἰκίας. V. et Epist. ad Romanos, xvi. De jure vitæ et necis, quod olim competebat maritis in uxores sceleribus pollutas, multa habet Heinecc. Antiq. Rom. Jurispr. i, 10. num. 6.

5 *Juliam, Drusi filiam*. Drusi et Liviæ filiam. V. stem. Cæs. n. 74. De dolo scelereque Messalinæ dictum in Suppl. An. ix, 48.

6 *Quadraginta annos*. 'Ergo obiit Pomponia Græcina A. U. C. 836. J. C. 83.

7 *Impune*. Ob Plautii virtutem et Britannicam expeditionem mox suscipiendam.

1 *Traxit*. Nero P. Celeris causam protraxit, donec reus senecta mortem obiret.

2 *Ut memoravi*. Sup. c. 1.

3 *Cossutianum Capitonem*. De quo jam actum sup. An. xi, 6. Ejus causa acta, adhuc adolescente Quinctiliano, ut ipse testatur, Inst. Orat. vi, 1. In exemplum quoque eam protulit Juven. viii, 91. 'Respice quid moneant leges, quid curia mandet, Præmia quanta bonos maneant, quam fulmine justo Et Capito et Numitor ruerint, damnante senatu, Piratæ Cilicum.'

damnatus est.[4] Pro Eprio Marcello,[5] a quo Lycii res repetebant, eo usque ambitus[6] prævaluit, ut quidam accusatorum ejus exilio mulctarentur, "tanquam insonti periculum fecissent."

A. U. C. 811. J. C. 58.

34. Nerone tertium consule, simul iniit consulatum[1] Valerius Messala, cujus proavum, oratorem Corvinum,[2] divo Augusto, abavo Neronis,[3] collegam in eo magistratu fuisse, pauci jam senum meminerant: sed nobili familiæ honor auctus est, oblatis in singulos annos quingenis sestertiis,[4] quibus Messala paupertatem innoxiam sustentaret. Aurelio quoque Cottæ, et Haterio Antonino, annuam pecuniam statuit Princeps, quamvis per luxum avitas opes dissipassent. Ejus anni principio, mollibus adhuc initiis prolatatum inter Parthos Romanosque de obtinenda Armenia bellum,[5] acriter sumitur: quia nec Vologeses sinebat fratrem Tiridaten dati a se regni expertem esse, aut alienæ id potentiæ donum habere: et Corbulo dignum magnitudine populi Romani rebatur, parta olim a Lucullo Pompeioque recipere. Ad hæc Armenii ambigua fide utraque arma invitabant, situ terrarum, similitudine morum Parthis propiores, connubiisque permixti, ac libertate ignota, illuc magis ad servitium inclinantes.

35. Sed Corbuloni plus molis adversus ignaviam militum, quam contra perfidiam hostium erat. Quippe Syria transmotæ legiones, pace longa segnes, munia Romanorum ægerrime tolerabant. Satis constitit fuisse in eo exercitu veteranos, qui non stationem, non vigilias inissent; vallum fossamque quasi nova et mira viserent; sine galeis, sine loricis, nitidi et quæstuosi,[1] militia per oppida expleta. Igitur dimissis,

4 *Damnatus est.* Senatorium ordinem amisit, ut dicetur inf. An. xiv, 48. leviore quidem pœna cum exilium, deportationem, verbera etiam iis, qui repetundarum rei essent, lex minitaretur. V. eruditum Gravinam, Origines Juris Civilis, p. 695 sq.

5 *Eprio Marcello.* V. not. et em. ad An. xiii, 33.

6 *Ambitus.* I. e. gratia.

1 *Iniit consulatum.* Nero Claudius Augustus III. et Valerius Messala consulatum iniere A. U. C. 811. J. C. 58.

2 *Proavum—Corvinum.* Augustus III. et M. Messala Corvinus, Valerii proavus, coss. fuerant A. U. C. 723. A. C. 30.

3 *Abavo Neronis.* Ex matre sua Agrippina, Germanici filia, Augustum abavum habebat Nero. V. stem. Cæs. n. 93 et 35.

4 *Quingenis sestertiis.* Quingena sestertia sunt *Angl.* 4166*l.* 13*s.* 4*d.* Idem laudat Suet. Ner. 10.

5 *Bellum.* Belli initia vidimus An. xii, 50.

1 *Nitidi et quæstuosi.* Corpore vesteque nitidi, quæstus avidi, et in his ditissimis oppidis commercio intenti.

quibus senecta, aut valetudo adversa erat, supplementum petivit. Et habiti per Galatiam ac Cappadociam delectus. Adjectaque ex Germania legio, cum equitibus alariis, et peditatu cohortium: retentusque omnis exercitus sub pellibus, quamvis hieme sæva adeo, ut obducta glacie, nisi effossa, humus tentoriis locum non præberet. Ambusti multorum artus vi frigoris, et quidam inter excubias exanimati sunt. Adnotatusque miles, qui fascem lignorum gestabat, ita præriguisse manus, ut oneri adhærentes, truncis brachiis deciderent.[2] Ipse cultu levi, capite intecto, in agmine, in laboribus, frequens adesse: laudem strenuis, solatium invalidis, exemplum omnibus ostendere. Dehinc quia duritiam cœli militiæque multi abnuebant, deserebantque, remedium severitate quæsitum est. Nec enim, ut in aliis exercitibus, primum alterumque delictum venia prosequebatur, sed qui signa reliquerat, statim capite pœnas luebat: idque usu salubre, et misericordia melius apparuit. Quippe pauciores illa castra deseruere, quam ea in quibus ignoscebatur.

36. Interim Corbulo, legionibus intra castra habitis, donec ver adolesceret, dispositisque per idoneos locos cohortibus auxiliariis, ne pugnam priores auderent, prædicit. Curam præsidiorum Pactio Orphito, primipili honore[1] perfuncto, mandat. Is quamquam incautos barbaros, et bene gerendæ rei casum offerri scripserat, "tenere se munimentis, et majores copias opperiri" jubetur. Sed rupto imperio, postquam paucæ e proximis castellis turmæ advenerant, pugnamque imperitia poscebant, congressus cum hoste funditur. Et damno ejus exterriti qui subsidium ferre debuerant, sua quisque in castra trepida fuga rediere. Quod graviter Corbulo accepit: increpitumque Pactium, et præfectos, militesque, "tendere omnes extra vallum"[2] jussit: inque ea contumelia detenti, nec nisi precibus universi exercitus exsoluti sunt.

2 *Deciderent.* Frigore deciduos manuum digitos, exanimatos homines in Belgio se vidisse anno 1468. testatur egregius scriptor, veterumque æmulus, de Comines, *Mémoires*, ii, 14. In Gallia plurimis, non modo gregariis militibus, sed etiam nobilibus viris, tum pedum, tum manuum digitos decidisse vidit anno 1569. Nicolaus Coustureau, *Vie de Louis de Bourbon, Duc de Montpensier*, p. 53. Sævam quoque hiemem, quam in Perside Solimani II. exercitus perpessus est anno 1534. v. apud Leunclav. Hist. Musulman. Col. 772. Hic sane occurret asperrima illa hiems, qua nostri milites, antehac inaudita frigoris sævitia perpessi, in Germaniam confugerunt, capta a Gallis Batavia, a. 1794.

1 *Primipili honore.* I. e. primi centurionis dignitate. V. quæ dicta sunt An. ii, 11.

2 *Extra vallum.* Ut societate et contactu indignos. Hæc enim militaris pœna, olim-

37. At Tiridates super proprias clientelas,[1] ope Vologesi fratris adjutus, non furtim jam, sed palam bello infensare Armeniam, quosque fidos nobis rebatur, depopulari; et si copiæ contra ducerentur, eludere; huc quoque et illuc volitans, plura fama, quam pugna exterrere. Igitur Corbulo, quæsito diu prælio, frustra habitus, et exemplo hostium circumferre bellum coactus, dispartit vires, ut legati præfectique diversos locos pariter invaderent: simul regem Antiochum[2] monet, "proximas sibi præfecturas petere." Nam Pharasmanes, interfecto filio Rhadamisto, "quasi proditore sui," quo fidem in nos testaretur, vetus adversus Armenios odium promtius exercebat. Tuncque primum illecti Isichi,[3] gens haud alias socia Romanis, avia Armeniæ incursavit. Ita consilia Tiridati in contrarium vertebant. Mittebatque oratores, qui suo Parthorumque nomine expostularent, "cur datis nuper obsidibus, redintegrataque amicitia, quæ novis quoque beneficiis locum aperiret, vetere Armeniæ possessione depelleretur? Ideo nondum ipsum Vologesen commotum, quia causa, quam vi agere mallent. Sin perstaretur in bello; non defore Arsacidis virtutem fortunamque, sæpius jam clade Romana expertam." Ad ea Corbulo, satis comperto, Vologesen defectione Hyrcaniæ[4] attineri, suadet Tiridati "precibus Cæsarem adgredi: posse illi regnum stabile, et res incruentas contingere, si omissa spe longinqua et sera, præsentem potioremque sequeretur."

38. Placitum dehinc, "quia commeantibus invicem nuntiis, nihil in summam pacis proficiebatur, colloquio ipsorum tempus locumque destinari. Mille equitum præsidium" Tiridates "affore sibi" dicebat: "quantum Corbuloni cujusque generis militum adsisteret, non statuere, dum, positis loricis et galeis,

que asperius exercita. Teste enim Liv. x, 4. 'Cohortes, quæ signa amiserant, extra vallum sine tentoriis destitutas, invenit' dictator Valerius Maximus. Quantum disciplinæ austeritate profecerit Corbulo docet Frontin. Strateg. iv, 2. n. 3. 'Domitius Corbulo, duabus legionibus et paucissimis auxiliis, disciplina correcta, Parthos sustinuit.' Haud siluerim dictum optimi ducis apud eumdem Frontin. iv, 7. n. 2. 'Domitius Corbulo dolabra, id est, operibus, hostem vincendum esse dicebat.'

1 *Proprias clientelas.* Armeniorum aliorumque populorum sibi addictorum clientelas.

2 *Regem Antiochum.* Antiochum, Commagenæ regem, de quo sup. c. 7.

3 *Isichi.* Populi soli Tacito memorati. Videntur tamen occidentales inter et septemtrionales Armeniæ fines habitasse. Plin. vi, 4. memoratur flumen *Isis*, unde forte gentis nomen. *Isis*, nunc *the Tchorok*, influit in pontum Euxinum, *the Black Sea*, Ortum versus.

4 *Hyrcaniæ. Mazanderan and Corcan.*

in faciem pacis,[1] veniretur." Cuicumque mortalium, nedum veteri et provido duci, barbaræ astutiæ patuissent. "Ideo arctum inde numerum finiri, et hinc majorem offerri, ut dolus pararetur. Nam equiti, sagittarum usu exercito, si detecta corpora objicerentur, nihil profuturam multitudinem." Dissimulato tamen intellectu, "rectius de his, quæ in publicum consulerentur, totis exercitibus coram dissertaturos" respondit. Locumque delegit, cujus pars altera colles erant clementer adsurgentes, accipiendis peditum ordinibus; pars in planitiem porrigebatur, ad explicandas equitum turmas. Dieque pacto, prior Corbulo socias cohortes et auxilia regum pro cornibus, medio sextam legionem constituit; cui accita per noctem aliis ex castris, tria millia tertianorum[2] permiscuerat, una cum aquila, quasi eadem legio[3] spectaretur. Tiridates, vergente jam die, procul adstitit, unde videri magis, quam audiri posset. Ita sine congressu dux Romanus abscedere militem sua quemque in castra jubet.

39. Rex, sive fraudem suspectans, quia plura simul in loca ibatur, sive ut commeatus nostros Pontico mari,[1] et Trapezunte[2] oppido adventantes interciperet, propere discedit. Sed neque commeatibus vim facere potuit, quia per montes ducebantur præsidiis nostris insessos: et Corbulo, ne inritum bellum traheretur, utque Armenios ad sua defendenda cogeret, exscindere parat castella. Sibique, quod validissimum in ea præfectura,[3] cognomento *Volandum*,[4] sumit; minora Cornelio Flacco legato, et Insteio Capitoni, castrorum præfecto, mandat. Tum circumspectis munimentis, et quæ expugnationi idonea, provisis, hortatur milites, "ut hostem vagum, neque paci aut prælio paratum, sed perfidiam et ignaviam fuga confitentem, exuerent sedibus, gloriæque pariter et prædæ consule-

1 *Faciem pacis.* In pacis, non vero belli, faciem veniretur.

2 *Tertianorum.* Tertiæ legionis.

3 *Quasi eadem legio.* Quasi una tantum legio spectaretur et adesset.

1 *Pontico mari.* Nunc *the Black Sea.*

2 *Trapezunte.* Nunc *Tarabozan*, vulgo *Trebizond.* Illud oppidum memorat Plin. vi, 4. 'Trapezus liberum, vasto monte clausum.'

3 *Ea præfectura.* De Armeniæ præfecturis Plin. vi, 9, 'Dividitur, (quod certum est) in præfecturas, quas στρατηγίας vocant, quasdam ex iis vel singula regna quondam, barbaris nominibus 120.'

4 *Volandum.* Hoc Castellum uni Tacito dictum. Ex ejus narratione ea castella videntur fuisse in Heniochiis, seu Moschicis, montibus, in quibus oritur amnis, Cyrus, nunc *the Kur.* Hic vero aliis indicta memorat Tac. ut et Plin. vi. 8. In hoc sinu 'multa aliter, ac veteres, proditurum me non eo inficias, anxia perquisita cura, rebus nuper in eo situ gestis a Domitio Corbulone, regibusque inde missis supplicibus, aut regum liberis obsidibus.'

rent." Tum quadripartito exercitu, hos in testudinem[5] conglobatos, subruendo vallo inducit; alios scalas mœnibus admovere, multos tormentis faces et hastas incutere jubet. Libratoribus funditoribusque attributus locus, unde eminus glandes torquerent; ne qua pars subsidium laborantibus ferret, pari undique motu. Tantus inde ardor certantis exercitus fuit, ut intra tertiam diei partem, nudati propugnatoribus muri, obices portarum subversi, capta escensu[6] munimenta, omnesque puberes trucidati sint, nullo milite amisso, paucis admodum vulneratis: et imbelle vulgus sub corona[7] venum datum: reliqua præda victoribus cessit. Pari fortuna legatus ac præfectus usi sunt, tribusque una die castellis expugnatis, cetera terrore, et alia sponte incolarum, in deditionem veniebant: unde orta fiducia caput gentis Artaxata[8] adgrediendi. Nec tamen proximo itinere ductæ legiones, quæ si amnem Araxen,[9] qui mœnia adluit, ponte transgrederentur, sub ictum dabantur: procul, et latioribus vadis transiere.

40. At Tiridates, pudore et metu, ne, si concessisset obsidioni, nihil opis in ipso videretur; si prohiberet, impeditis locis, seque et equestres copias inligaret: statuit postremo ostendere aciem, et dato die[1] prælium incipere, vel simulatione fugæ, locum fraudi parare. Igitur repente agmen Romanum circumfundit, non ignaro duce nostro, qui viæ pariter et pugnæ composuerat exercitum. Latere dextro tertia legio, sinistro sexta incedebat, mediis decumanorum[2] delectis: recepta inter ordines impedimenta, et tergum mille equites tuebantur: quibus jusserat, "ut instantibus cominus resisterent, refugos non sequerentur." In cornibus pedites sagittariique, et cetera manus equitum ibat, productior cornu in sinistro per

5 *In testudinem.* Constipatis clypeis testudinem imitabantur Romani; cujus descriptionem ex insigni Dionis loco intellectu facilem v. in not. et em. ad An. xiii, 39.

6 *Escensu.* I. e. *ascensu*; *Angl. assault.*

7 *Sub corona.* Quo de more Gell. vii, 5. 'Sicuti, inquit [Cælius Sabinus] jurisperitus, antiquitus mancipia jure belli capta coronis induta veniebant, et idcirco dicebantur sub corona venire. Namque ut ea corona signum erat captivorum venalium, ita pileus impositus demonstrabat ejusmodi servos venum dari, quorum nomine emtori venditor nihil præstaret. Est autem alia rationis hujus opinio, cur dici solitum sit captivos sub corona venumdari, quod milites, custodiæ causa, captivorum venalium greges circumstarent: eaque circumstatio militum corona appellata sit. Sed id magis verum est quod supra dixi.'

8 *Artaxata.* Manent rudera prope *Koïrvirab*, ut dictum An. ii, 56.

9 *Araxen.* Nunc *the Aras.* Vide An. xii, 51.

1 *Dato die.* Sero hujus diei ostendit aciem, die postero prælium incepturus.

2 *Mediis decumanorum.* Delecti decumanorum, seu decimæ legionis, medium agmen obtinebant.

ima collium, ut si hostis intravisset, fronte simul et sinu exciperetur. Adsultare ex diverso Tiridates, non usque ad jactum teli, sed tum minitans, tum specie trepidantis, si laxare ordines et diversos consectari posset. Ubi nihil temeritate solutum, nec amplius,[3] quam decurio equitum audentius progressus, et sagittis confixus, ceteros ad obsequium exemplo firmaverat, propinquis jam tenebris abscessit.

41. Et Corbulo, castra in loco metatus, an expeditis legionibus nocte Artaxata pergeret, obsidioque circumdaret, agitavit, concessisse illuc Tiridaten ratus. Dein postquam exploratores attulere "longinquum regis iter, et Medi an Albani[1] peterentur, incertum," lucem opperitur: præmissaque levis armatura, quæ muros interim ambiret, oppugnationemque eminus inciperet. Sed oppidani, portis sponte patefactis, se suaque Romanis permisere: quod salutem ipsis tulit. Artaxatis ignis immissus, deletaque et solo adæquata sunt: quia nec teneri sine valido præsidio, ob magnitudinem mœnium, nec id nobis virium erat, quod firmando præsidio, et capessendo bello divideretur: vel si integra et incustodita relinquerentur, nulla in eo utilitas aut gloria, quod capta essent. Adjicitur miraculum, velut numine oblatum. Nam cuncta extra, tectis tenus sole inlustria fuere; quod mœnibus cingebatur, ita repente atra nube coopertum, fulguribusque discretum est, ut, quasi infensantibus Deis, exitio tradi crederetur. Ob hæc consalutatus *imperator*[2] Nero: ex senatusconsulto "supplicationes" habitæ:[3] "statuæque et arcus, et continui consulatus Principi: utque inter festos referretur dies, quo patrata victoria, quo nuntiata, quo relatum de ea esset," aliaque in eamdem formam decernuntur, adeo modum egressa, ut C. Cassius de ceteris honoribus adsensus, "si pro benignitate fortunæ Diis grates agerentur, ne totum quidem annum[4] supplicatio-

3 *Nec amplius.* Ubi Tiridates vidit nihil temeritate solutum esse; sed, uno tantum decurione equitum audentius progresso, statimque sagittis confixo, ceteros Romanos exemplo ad obsequium firmatos, propinquis jam tenebris abscessit. Turmæ equitum dividebantur in decurias, seu decem equites, quibus præerat decurio.

1 *Medi an Albani.* Medos petiit Tiridates, ut patet ex An. xiv, 26.

2 *Consalutatus imperator.* Plurimi hac de re extant nummi apud Harduin. Select. Opp. p. 722. Insignis inter omnes nummus argenteus e Cimelio Regio, NERO CAESAR AVGVSTVS, capite laureato. In aversa parte, ARMENIAC. i. e. 'Armeniacus.' Victoria gradiens cum palma et corona.

3 *Supplicationes habitæ.* In his supplicationibus omnes ædes sacræ aperiebantur, circa omnia pulvinaria obsecrabantur Dii. Quod satis compertum, et passim in Livio aliisque historicis occurrit.

4 *Totum quidem annum.* De hoc im-

nibus sufficere" disseruerit: "eoque oportere dividi sacros et negotiosos dies, queis divina colerent, et humana non impedirent."

42. Variis deinde casibus jactatus, et multorum odia meritus reus, haud tamen sine invidia Senecæ damnatur. Is fuit P. Suilius,[1] imperitante Claudio, terribilis ac venalis, et mutatione temporum, non, quantum inimici cuperent, demissus: quique se nocentem videri, quam supplicem mallet. Ejus opprimendi gratia repetitum credebatur senatusconsultum, pœnaque Cinciæ legis,[2] adversus eos, qui pretio causas oravissent: nec Suilius questu aut exprobratione abstinebat, præter ferociam animi, extrema senecta liber, et Senecam increpans, "infensum amicis Claudii, sub quo justissimum exilium pertulisset. Simul studiis inertibus, et juvenum imperitiæ suetum, livere his, qui vividam et incorruptam eloquentiam tuendis civibus exercerent. Se quæstorem Germanici;[3] illum domus ejus adulterum[4] fuisse. An gravius existimandum, sponte litigatoris, præmium honestæ operæ adsequi, quam corrumpere cubicula Principum fœminarum? Qua sapientia, quibus philosophorum præceptis, intra quadriennium regiæ amicitiæ, ter millies sestertium[5] paravisset? Romæ testamenta et orbos,[6] velut indagine ejus capi. Italiam et provincias, immenso fœnore[7] hauriri. At sibi labore quæsitam, et modicam pecuniam esse. Crimen, periculum, omnia potius toleraturum, quam veterem, ac olim partam dignationem subitæ felicitati submitteret."

43. Nec deerant, qui hæc iisdem verbis, aut versa in deterius, Senecæ deferrent. Repertique accusatores, "direptos socios, cum Suilius provinciam Asiam regeret, ac publicæ pecuniæ peculatum" detulere. Mox, quia inquisitionem an-

modico festorum dierum numero diximus in Suppl. An. ix, 44.

1 *P. Suilius.* De quo dictum An. iv, 31. xi, 1 sq.

2 *Cinciæ legis.* De hoc senatusconsulto et lege Cincia dictum est sup. An. xi, 5 et 7.

3 *Quæstorem Germanici.* Sup. An. iv, 31.

4 *Adulterum.* Senecam adulterii cum Julia, Germanici filia, accusaverat Messalina, eumque in exilium egerat, ut diximus in Suppl. An. ix, 24.

5 *Ter m. sestertium.* *Angl.* 2,500,000*l.* In Ms. Reg. legitur *sex millies sestertium,* sed ut videtur librarii errore. Priorem enim summam habet quoque Dio lxi, p. 694. ἑπτακισχιλίων καὶ πεντακοσίων μυριάδων (δραχμῶν).

6 *Et orbos.* Orbitatis pretia videbimus inf. in libro de Moribus Germ. 20.

7 *Immenso fœnore.* Quanto fœnore Italiam et provincias tum hauserit Seneca, accipiamus ex Dione lxii, p. 701. Vel ipsis Britannis invitis quadringenties sestertium, *Angl.* 333,333*l.* 6*s.* 8*d.* crediderat:

nuam impetraverant, brevius visum, suburbana crimina[1] incipi, quorum obvii testes erant. Ii, "acerbitate accusationis Q. Pomponium[2] ad necessitatem belli civilis detrusum: Juliam Drusi filiam,[3] Sabinamque Poppæam[4] ad mortem actas; et Valerium Asiaticum,[5] Lusium Saturninum,[6] Cornelium Lupum circumventos; jam equitum Romanorum agmina damnata, omnemque Claudii sævitiam" Suilio objectabant. Ille, "nihil ex his sponte susceptum, sed Principi paruisse" defendebat, donec eam orationem Cæsar cohibuit, "compertum sibi" referens "ex commentariis patris sui, nullam cujusquam accusationem ab eo coactam." Tum "jussa Messalinæ" prætendi, et labare defensio. "Cur enim neminem alium delectum, qui sævienti impudicæ vocem præberet? Puniendos rerum atrocium ministros, ubi pretia scelerum adepti, scelera ipsa aliis delegent."[7] Igitur ademta bonorum parte (nam filio et nepti pars concedebatur,[8] eximebanturque etiam quæ testamento matris, aut aviæ acceperant) in insulas Baleares[9] pellitur: non in ipso discrimine, non post damnationem fractus animo. Ferebaturque copiosa et molli vita secretum illud toleravisse. Filium ejus Nerulinum adgressis accusatoribus per invidiam patris, et crimina repetundarum, intercessit Princeps, tamquam satis expleta ultione.

44. Per idem tempus Octavius Sagitta, plebei tribunus, Pontiæ, mulieris nuptæ, amore vecors, ingentibus donis adulterium, et mox ut omitteret maritum, emercatur; suum matrimonium promittens, ac nuptias ejus pactus. Sed ubi mulier vacua fuit,[1] nectere moras, "adversam patris voluntatem" causari, repertaque spe ditioris conjugis, promissa exuere.

quod cum asperius, flagrantioribusque usuris, repeteret, rebellionis causa extitit. De fœnore dictum satis in not. et em. ad An. vi, 15.

1 *Suburbana crimina.* In Urbe locisque suburbanis patrata.

2 *Q. Pomponium.* Is erat moribus inquies, ut dictum An. vi, 18. V. et Dion. lix, p. 644 et 661. Partes Camilli Scriboniani, quem memoravimus in Suppl. An. ix, 35. secutus videtur Pomponius.

3 *Drusi filiam.* De ejus morte v. Suppl. An. ix, 48.

4 *Sabinamque Poppæam.* Sup. memoratam An. xi, 2 et 4. V. et Suppl. An. xi, 5.

5 *Valerium Asiaticum.* De illo ibidem.

6 *Lusium Saturninum.* Hunc aliosque plurimos, senatores, equites, consanguineos, a Claudio interfectos memorat Seneca in ἀποκολοκυντώσει, vers. fin.

7 *Scelera—delegent.* V. Vell. Paterc. Ruhnk. ii, 44.

8 *Pars concedebatur.* Dimidia pars concedebatur. Vide Cujac. Obss. vi, 23.

9 *In insulas Baleares.* Nunc *Majorca and Minorca.*

1 *Vacua fuit.* Omisso marito. *Vacua* tunc mulier dicebatur, quod vacationem haberet ex lege Julia Poppæa. V. eruditum Brissonium in Lexico Juris: verbo, *Vacatio.*

Octavius contra modo conqueri, modo minitari, "famam perditam, pecuniam exhaustam," obtestans: denique salutem, quæ sola reliqua esset, arbitrio ejus permittens. Ac postquam spernebatur, "noctem unam ad solatium" poscit, "qua delinitus, modum in posterum adhiberet." Statuitur nox. Et Pontia consciæ ancillæ custodiam cubiculi mandat. Ille, uno cum liberto, ferrum veste occultum infert. Tum, ut adsolet in amore et ira, jurgia, preces, exprobratio, satisfactio,[2] et pars tenebrarum libidine seposita.[3] Et questu[4] incensus, nihil metuentem ferro transverberat, et accurrentem ancillam vulnere absterret, cubiculoque prorumpit. Postera die manifesta cædes, haud ambiguus percussor: quippe mansitasse una convincebatur. Sed libertus "suum illud facinus" profiteri, "se patroni injurias ultum esse." Commoveratque quosdam magnitudine exempli: donec ancilla, ex vulnere refecta, verum aperuit: postulatusque apud consules a patre interfectæ, postquam tribunatu abierat,[5] sententia patrum, et lege de sicariis condemnatur.

45. Non minus insignis, eo anno, impudicitia, magnorum reipublicæ malorum initium fecit. Erat in civitate Sabina Poppæa,[1] T. Ollio patre genita, sed nomen avi materni sumserat, inlustri memoria Poppæi Sabini,[2] consulari et triumphali decore præfulgentis. Nam Ollium, honoribus nondum functum, amicitia Sejani pervertit. Huic mulieri cuncta alia fuere, præter honestum animum. Quippe mater ejus,[4] ætatis suæ fœminas pulchritudine supergressa, gloriam pariter et formam dederat. Opes claritudini generis sufficiebant. Sermo comis, nec absurdum ingenium: modestiam præferre, et lascivia uti: rarus in publicum egressus; idque velata parte oris,

2 *Satisfactio.* Terent. Eun. i, 1, 14. 'In amore hæc omnia insunt vitia: injuriæ, Suspiciones, inimicitiæ, induciæ, Bellum, pax rursum.'

3 *Libidine seposita.* Melius *libidini.*

4 *Et questu.* Observare liceat minime laudandam esse hanc orationis negligentiam, *Et Pontia—et ira—et pars—et questu—et accurrentem.* At vitiosum puto, *et questu.* V. not. et em. ad An. xiii, 44.

5 *Tribunatu abierat.* Non antea, ob magistratus dignitatem.

6 *Lege—condemnatur.* Lege Cornelia de sicariis condemnatur, et in exilium deportatur, inf. Hist. iv, 44. De ipsa lege Cornelia v. Gravinam, Origines Juris Civilis, p. 721 sq.

1 *Sabina Poppæa.* De qua v. sup. Vol. i, p. 467. stem. Cæs. n. 37.

2 *Poppæi Sabini.* Is videtur esse C. Poppæus Sabinus, qui consulatum gessit A. U. C. 762.

3 *Nondum functum.* Magnis magistratus honoribus nondum functum. Quæsturam, teste Suet. Ner. 35. obtinuerat, qua ad magistratus aditus.

4 *Mater ejus.* De qua sup. An. xi, 1. Nosque diximus in Suppl. An. xi, 5.

ne satiaret aspectum, vel quia sic decebat. Famæ numquam pepercit, maritos et adulteros non distinguens: neque affectui suo, aut alieno obnoxia, unde utilitas ostenderetur, illuc libidinem transferebat. Igitur agentem eam in matrimonio Rufi Crispini, equitis Romani, ex quo filium genuerat,[5] Otho[6] pellexit juventa ac luxu, et quia flagrantissimus in amicitia Neronis habebatur. Nec mora, quin adulterio matrimonium jungeretur.

46. Otho, sive amore incautus, laudare "formam elegantiamque uxoris" apud Principem; sive ut accenderet, ac, si eadem fœmina potirentur, id quoque vinculum potentiam ei adjiceret. Sæpe auditus est consurgens e convivio Cæsaris, "se ire ad illam, sibi concessam" dictitans "nobilitatem, pulchritudinem, vota omnium, et gaudia felicium." His atque talibus inritamentis, non longa cunctatio interponitur. Sed accepto aditu, Poppæa primum per blandimenta et artes valescere, "imparem cupidini se, et forma Neronis captam" simulans: mox, acri jam Principis amore, ad superbiam vertens, si ultra unam alteramque noctem attineretur, "nuptam esse se" dictitans, "nec posse matrimonium amittere, devinctam Othoni per genus vitæ, quod nemo adæquaret. Illum animo et cultu magnificum: ibi se summa fortuna digna visere. At Neronem pellice ancilla, et adsuetudine Actes devinctum, nil e contubernio servili, nisi abjectum et sordidum traxisse." Dejicitur familiaritate sueta, post congressu et comitatu, Otho: et ad postremum, ne in Urbe æmulatus ageret,[1] provinciæ Lusitaniæ præficitur: ubi usque ad civilia arma, non ex priore infamia, sed integre sancteque egit, procax otii, et potestatis temperantior.

47. Hactenus Nero flagitiis et sceleribus velamenta quæsivit. Suspectabat maxime[1] Cornelium Sullam, socors inge-

5 *Filium genuerat.* Rufinum Crispinum, quem 'impuberem adhuc, quia ferebatur ducatus et imperia ludere, mergendum mari, dum piscaretur, servis ipsius demandavit' Nero, Suet. Ner. 35.

6 *Otho.* Postea Imperator. Amorem vero Othonis et Poppææ aliter narrat Tac. Hist. i, 13. Id reputanti mihi visum est, Tacitum, qui prius Historias scripsit, certiora edoctum, hæc in Annalibus tradidisse.

1 *Ne—æmulatus ageret.* Melius, *æmulus.* V. not. et em. ad An. xiii, 46. Suet. Oth. 3. Poppæam Sabinam 'adeo dilexit [Otho], ut ne rivalem quidem Neronem æquo tulerit animo.' Aliam adhuc æmulationis causam affert Dio lxi, p. 694. Othoni enim Neronem allocuto, 'Sic me Cæsarem videas,' respondit Nero, 'Te ne consulem quidem videbo.' Οὕτω με Καίσαρα ἴδοις—Οὐδὲ ὕπατόν σε ὄψομαι.

1 *Suspectabat maxime.* Nero Cornelium

nium ejus in contrarium trahens, callidumque et simulatorem interpretando. Quem metum Graptus, ex libertis Cæsaris, usu et senecta a Tiberio usque domum Principum edoctus, tali mendacio intendit. Pons Milvius[2] in eo tempore celebris[3] nocturnis inlecebris erat: ventitabatque illuc Nero, quo solutius Urbem extra lasciviret. Igitur "regredienti per viam Flaminiam[4] compositas insidias, fatoque evitatas, quoniam diverso itinere Sallustianos in hortos[5] remeaverit, auctoremque ejus doli Sullam," ementitur: quia forte, redeuntibus ministris Principis, quidam, per juvenilem licentiam, quæ tunc passim exercebatur, inanem metum fecerant. Neque servorum quisquam, neque clientium Sullæ agnitus: maximeque despecta, et nullius ausi capax natura ejus, a crimine abhorrebat: perinde tamen, quasi convictus esset, cedere patria, et Massiliensium mœnibus[6] coerceri jubetur.

48. Iisdem consulibus auditæ Puteolanorum[1] legationes, quas diversas ordo plebesque[2] ad senatum miserant: illi "vim multitudinis," hi "magistratuum et primi cujusque[3] avaritiam" increpantes. Cumque seditio ad saxa et minas ignium progressa, necem et arma perliceret, C. Cassius adhibendo remedio delectus: quia severitatem ejus non tolerabant, precante ipso, ad Scribonios fratres ea cura transfertur, data co-

Syllam, Antoniæ, Britannici sororis, maritum, maxime suspectum habebat, quod socors ejus ingenium in contrarium traheret, eumque callidum et simulatorem esse interpretaretur. V. stem. Cæs. n. 107.

2 *Pons Milvius.* Nunc periit. Æstate adhuc videntur ejus rudera. Erat prope locum, qui nuncupatur *Torretta;* et plusquam duobus millibus pedum, Orientem versus distabat a ponte, qui nunc dicitur *Ponte-Molle.*

3 *Celebris.* Sic quoque An. ii, 88. dictum *celebris,* pro *celeber* nocturnis illecebris ac libidinibus.

4 *Viam Flaminiam.* Ex hoc loco aliisque plurimis manifestum est, ut optime animadvertit Cl. Piranesi, *Antichità Romane,* Vol. i, p. 6. viam Flaminiam, non, ut vulgo creditur, ad portam *del popolo,* sed ad portam, quæ appellatur *Pinciana,* fuisse directam.

5 *Sallustianos in hortos.* Eorum locum obtinent horti, qui nunc dicuntur *Villa Belloni* et *Villa Verospi.* Cum foderetur in villa *Verospi* anno 1745. ibi repertæ egregiæ antiquitatis reliquiæ. De Sallustio, a quo nomen accepere dictum est An. iii, 30. Tunc erant Principum, ut videre est in Digest. Libr. xxx, Tit. de Legatis et Fideicommissis. leg. 39.

6 *Massiliensium mœnibus.* Nunc *Marseilles,* in Gallia Narbonensi.

1 *Puteolanorum.* Nunc *Pozzuolo,* in Campania.

2 *Ordo plebesque.* Puteolanorum ordo et populus. In veteri lapide apud Capaccium, *Puteolana Historia,* p. 6. memoratur SPLENDIDISSIMVS. ORDO. ET. POPVLVS. PVTEOLANORVM. Et in altera inscriptione, p. 7. PLACERE. HVIC. ORDINI. Sic inf. Hist. ii, 52. memoratur quoque *ordo* Mutinensis. Ille duumvirorum, decurionum ordo in coloniis ac municipiis idem erat, ac Romæ senatores, nec ei adscripti nisi coloniæ aut municipii cives, qui centum millium nummum, *Angl.* 833*l.* 6*s.* 8*d.* censum haberent. V. Cl. Gori Inscr. Antiq. Vol. ii, p. 192.

3 *Primi cujusque.* Sic Tullius, ii. in Verrem, lxvii. laudat 'Centuripinum [*Centorvi in Sicilia*] magistratum et decemprimos.'

horte prætoria: cujus terrore, et paucorum supplicio, rediit oppidanis concordia.

49. Non referrem vulgatissimum senatusconsultum, quo "civitati Syracusanorum[1] egredi numerum, edendis gladiatoribus finitum,[2] permittebatur;" nisi Pætus Thrasea[3] contra dixisset, præbuissetque materiem obtrectatoribus arguendæ sententiæ. "Cur enim, si rempublicam egere libertate senatoria crederet, tam levia consectaretur? quin de bello aut pace, de vectigalibus et legibus, quibusque aliis res Romana continetur, suaderet dissuaderetve? Licere patribus, quotiens jus dicendæ sententiæ accepissent, quæ vellent, expromere, relationemque in ea postulare. An solum emendatione dignum, ne Syracusis spectacula largius ederentur? Cetera per omnes imperii partes perinde egregia, quam si non Nero, sed Thrasea regimen eorum teneret? Quod si summa dissimulatione transmitterentur, quanto magis inanibus abstinendum?" Thrasea contra, rationem poscentibus amicis, "non præsentium ignarum," respondebat, "ejusmodi consulta corrigere: sed patrum honori dare, ut manifestum fieret, magnarum rerum curam non dissimulaturos, qui animum etiam levissimis adverterent."

50. Eodem anno, crebris populi flagitationibus, immodestiam publicanorum[1] arguentis, dubitavit Nero "an cuncta

1 *Civitati Syracusanorum.* Adhuc nomen retinet, *Syracuse,* urbs Siciliæ clarissima, quam eruditissimis operibus illustravere clarissimi viri Vincentius Mirabella et Jacobus Bonanni, *Delle Antiche Siracuse,* quos consulas, si volueris, de Siracusano theatro et amphitheatro, Vol. i, p. 77. Vol. ii, p. 97 et 101.

2 *Edendis—finitum.* Teste Dione liv, p. 522. Augustus 'edixerat—ne quis munus gladiatorium injussu senatus, aut sæpius duabus quotannis vicibus, aut plurium quam centum et viginti gladiatorum exhiberet.' Προσαπειπὼν—μήθ' ὁπλομαχίαν, μήτ' ἄλλως εἰ μὴ ἡ βουλὴ ψηφίσαιτο, μήτ' αὖ πλεονάκις ἢ δὶς ἐν ἑκάστῳ ἔτει, μήτε πλειόνων εἴκοσι καὶ ἑκατὸν ἀνδρῶν, ποιεῖν. Tiberius, lætitiæ parcus, ludorum ac munerum impensas adhuc 'corripuit, mercedibus scenicorum recisis, paribusque gladiatorum ad certum numerum redactis,' Suet. Tib. 34. Quæ forte illustrat vetus inscriptio apud Ursatum, Monumenta Patavina, i, 5. p. 217. T. ANCHARIVS PRISC. FIL. AEDILIS. QVAESTOR. ADSEDENTE. PATRE. GLADIATORVM. PARIA. TRIGINTA. ADIECTA. VENATIONE.—LEGITIMA EDIDIT.

3 *Pætus Thrasea.* Vir optimus, et egregiæ libertatis, sæpe infra memorandus.

1 *Immodestiam publicanorum.* De eorum immodestia queritur quoque Ulpian. Digest. Lib. xxxix, Tit. 4. de Publicanis et Vectigalibus. Leg. 12. 'Quantæ audaciæ, quantæ temeritatis sint publicanorum factiones, nemo est qui nesciat.' De publicanis ingeniosius, quam verius, dixit Cl. de Montesquieu, *Esprit des Loix,* xiii. 20. *Tout est perdu lorsque la profession lucrative des Traitans parvient encore par ses richesses à être une profession honorée.* Coerceatur quidem publicanorum immodestia: at eorum modestiam, opesque honeste partas, ab honoribus ne amoveas. Sabinus, Vespasiani Imperatoris pater, publicanus fuit in Asia. Ibi enim 'publicum quadragesimæ egit. Manebantque

vectigalia omitti juberet; idque pulcherrimum donum[2] generi mortalium daret." Sed impetum ejus, multum prius laudata "magnitudine animi," attinuere senatores, "dissolutionem imperii" docendo, "si fructus, quibus respublica sustineretur, deminuerentur. Quippe, sublatis portoriis,[3] sequens,[4] ut tributorum abolitio[5] expostularetur. Plerasque vectigalium societates,[6] a consulibus et tribunis plebis constitutas, acri etiam populi Romani tum libertate. Reliqua mox ita provisa, ut ratio quæstuum et necessitas erogationum inter se congruerent. Temperandas plane publicanorum cupidines, ne per tot annos sine querela tolerata, novis acerbitatibus ad invidiam verterent."

51. Ergo edixit Princeps, "ut leges cujusque publici,[1] occultæ ad id tempus, proscriberentur: omissas petitiones, non ultra annum resumerent. Romæ prætor,[2] per provincias, qui pro prætore, aut consule essent, jura adversus publicanos extra ordinem redderent: militibus immunitas servaretur, nisi

imagines a civitatibus ei positæ sub hoc titulo, ΚΑΛΩΣ ΤΕΛΩΝΗΣΑΝΤΙ.' I. e. ob publicum egregie actum. Suet. Vespas. 1.

2 *Pulcherrimum donum.* Gravissima nobilissimaque quæstio, quam ut lector dirimat, adeat not. et em. ad An. xiii, 50. ubi de tributis ac vectigalibus imperii Romani fusius disseram.

3 *Sublatis portoriis. Portoria* Romani appellabant, quæ nos vulgo dicimus *imposts.*

4 *Sequens.* Consequens esse.

5 *Tributorum abolitio.* Tributa nunc vulgo dicimus *taxes.* Vectigalia, *customs and excise:* inde vectigales agri. Videtur Neronem non agros vectigales, sed alteram vectigalium partem omitti voluisse, idque 'pulcherrimum donum generi mortalium' datum dixisse Tacitum, quod inde vires opesque commercii intenderentur. Restitere senatores, ne 'tributorum abolitio expostularetur;' quæ sine imperii dissolutione fieri non posset. Vere enim Ulpian. Digest. Lib. xlviii, Tit. 18. de Quæstionibus, leg. 1. In tributis 'esse reipublicæ nervos nemini dubium est.'

6 *Vectigalium societates.* Ut dictum sup. An. iv, 6. 'Frumenta, et pecuniæ vectigales, cetera publicorum fructuum, societatibus equitum Romanorum agitabantur.' Unde Tullius pro Planc. xxiii, 'Huic obesse putas patrem publicanum: qui ordo quanto adjumento sit in honore quis nescit? Flos enim equitum Romanorum, ornamentum civitatis, firmamentum reipublicæ, publicanorum ordine continetur.' Vectigalium societates lustro finiebantur: *Angl. the farms of the Roman revenue were let every five years.* V. Callistratum, Digest. Libr. xlix, Tit. 14. de Jure Fisci, leg. 3.

1 *Cujusque publici.* Publicum illud nunc dicimus *revenue.* Sic Sen. Ep. cxix. 'Jam ego paraveram fiscos: circumspiciebam in quod me mare negotiaturus immitterem, quod publicum agitarem, quas accerserem merces.' Edixit Nero, ut leges cujusque vectigalis, occultæ ad id tempus, in publicum proponerentur. Cl. de Montesquieu, publicanis infensior, odiose nec satis accurate vertit, *Esprit des Loix*, xiii, 19. *Néron ordonna que les loix faites contre les publicains, qui avoient été jusques-là tenues secrettes, seroient publiées—qu'il y auroit un Préteur pour juger leurs prétentions sans formalité.*

2 *Romæ prætor.* Legem prætoris habet Ulpian. Digest. Lib. xxxix, Tit. 4. de Publicanis et Vectigalibus. Leg. I. 'Prætor ait: Quod publicanus ejus publicani [corrige *publici*] nomine vi ademerit, quodve familia publicanorum, si id restitutum non erit, in duplum, aut si post annum agetur, in simplum judicium dabo. Item si damnum, injuria, furtumve factum esse dicetur, judicium dabo. Si id, ad quos ea res pertinebit, non exhibebitur, in dominos sine noxæ deditione judicium dabo.'

in iis, quæ veno exercerent." Aliaque admodum æqua, quæ brevi servata, dein frustra habita sunt. Manet tamen abolitio quadragesimæ quinquagesimæque,[3] et quæ alia exactionibus inlicitis nomina publicani invenerant. Temperata apud transmarinas provincias frumenti subvectio.[4] Et "ne censibus negotiatorum naves[5] adscriberentur, tributumque pro illis penderent," constitutum.

52. Reos ex provincia Africa, qui proconsulare imperium illic habuerant, Sulpicium Camerinum,[1] et Pomponium Silvanum, absolvit Cæsar: Camerinum adversus privatos et paucos, sævitiæ magis quam captarum pecuniarum crimina objicientes. Silvanum magna vis accusatorum circumsteterat, poscebatque "tempus evocandorum testium:" reus "illico defendi" postulabat. Valuitque pecuniosa orbitate et senecta, quam ultra vitam eorum produxit, quorum ambitu evaserat.

53. Quietæ ad id tempus res in Germania fuerant, ingenio ducum, qui, pervulgatis triumphi insignibus, majus ex eo decus sperabant, si pacem continuavissent. Paullinus Pompeius, et L. Vetus,[1] ea tempestate exercitui præerant. Ne tamen segnem militem attinerent, ille inchoatum ante tres et sexaginta annos[2] a Druso aggerem coercendo Rheno, absol-

3 *Quadragesimæ quinquagesimæque.* Hæc est quadragesima litium, ut recte monuit eruditus Cujac. Obss. vi, 28. probatque Cl. Petr. Burman. Diss. de Vectigal. c. 5. p. 87. Quinquagesima aliæque exactiones illicitæ, vel, Claudio imperitante, repertæ, vel ex Caii principatu remanserant, de quo Suet. in Caio 11. 'Vectigalia nova atque inaudita—exercuit. Nullo rerum aut hominum genere omisso, cui non tributi aliquid imponeret. Pro eduliis quæ tota Urbe venirent, certum statumque exigebatur. Pro litibus atque judiciis ubicunque conceptis quadragesima summæ, de qua litaretur—Ex gerulorum diurnis quæstibus pars octava,' &c. Alia erat quadragesima mercium, de qua Quintilian. Decl. CCCLIX. 'Præter instrumenta itineris omnes res quadragesimam publicano debeant.' Hanc minime abolevit Nero: remisit quidem Galba, ut constat ex ejus nummis, QVADRAGENS. REMISSAE. I. e. 'Quadragesimæ remissæ.' Sed non penitus sustulit. Postea sæpe occurrit in scriptoribus: meminit quoque Symmach. Epist. v, 62 et 63. V. Cl. Burman. l. c. p. 86. De quinquagesima adhuc dicetur in not. et em. ad An. xiii, 51.

4 *Frumenti subvectio.* In Urbem, ad castra, in horrea publica frumentum subvehebant provinciæ transmarinæ: quod temperatum, nec ita aspere exercitum. Hac in re quot, quamque nefaria in quæstum reperta, vide apud ipsum Tac. Vit. Agr. 19.

5 *Negotiatorum naves.* Ne negotiatorum, qui annonam Urbis adjuvabant, naves in tabulas censuum referrentur, tributumque pro illis penderetur. Vide quæ de his mercatoribus et navicularii jam observavimus sup. An. xii, 55. not. inf.

1 *Sulpicium Camerinum.* Quem, ex Urbis primoribus ἄνδρα τῶν πρώτων, a Nerone cum filio postea interfectum memorat Dio lxiii, p. 723. Nosque diximus in Suppl. An. xvi, 55. V. et Plin. Epist. i, 5.

1 *Paullinus—Vetus.* Paullinus Germaniæ inferiori, Vetus superiori præerat.

2 *Ante* III. *et* LX. *annos.* Mortuus est Drusus A. U. C. 745. Ergo A. U. C. 808. aggerem absolverat Paullinus. V. not. et em. ad An. xiii, 53. Antea fossam fecerat

vit: Vetus Mosellam atque Ararim,[3] facta inter utrumque fossa, connectere parabat, ut copiæ per mare,[4] dein Rhodano et Arare subvectæ, per eam fossam, mox fluvio Mosella, in Rhenum, exin Oceanum decurrerent; sublatisque itinerum difficultatibus, navigabilia inter se Occidentis Septemtrionisque littora fierent. Invidit operi Ælius Gracilis, Belgicæ legatus, deterrendo Veterem, "ne legiones alienæ provinciæ[5] inferret, studiaque Galliarum adfectaret: formidolosum id Imperatori" dictitans; quo plerumque prohibentur conatus honesti.

54. Ceterum continuo exercituum otio, fama incessit, ereptum jus legatis ducendi in hostem. Eoque Frisii[1] juventutem saltibus aut paludibus, imbellem ætatem per lacus admovere ripæ,[2] agrosque vacuos, et militum usui sepositos, insedere, auctore Verrito et Malorige, qui nationem eam regebant, in quantum Germani regnantur.[3] Jamque fixerant domos, semina arvis intulerant, utque patrium solum exercebant; cum Vibius Avitus,[4] accepta a Paullino provincia,[5] minitando "vim Romanam, nisi abscederent Frisii veteres in locos, aut novam sedem a Cæsare impetrarent," perpulit Verritum et Malorigem preces suscipere. Profectique Romam, dum aliis curis intentum Neronem opperiuntur, inter ea, quæ barbaris ostentantur, intravere Pompeii theatrum,[6] quo magnitudinem populi viserent. Illic per otium (neque enim ludicris[7] ignari oblectabantur) dum "consessum caveæ, dis-

Drusus, de qua dictum An. ii, 8. Cum adhuc, ob arenarum cumulos, eruptionem in Gallias minitaretur Rhenus, inchoavit Drusus aggerem, quo frenarentur aquæ, et in Drusianam fossam mollius flecterentur. Agger ille erat ad oppidum Dorestadium, *Wich Durstede.* Eum diruit, Rhenumque per Gallias effudit Civilis, ut dicetur inf. Hist. v, 19. V. Cl. Alting, Notit. Germaniæ Inf. Part. i, p. 3. et Parte altera, p. 44.

3 *Mosellam, Ararim.* Mosella, *the Moselle:* Arar, *the Soane:* Rhodanus, *the Rhone.* Maris Mediterranei et Oceani commercia, toties tentata, semper omissa, ingentibus impensis, sed majore gloria fecit LUDOVICUS MAGNUS. Quod opus omnino regium dicimus *the Royal Canal,* vel *the Canal of Languedoc.*

4 *Per mare.* Mediterraneum.

5 *Alienæ provinciæ.* Belgicæ scilicet: ut Mosellam et Ararim, ducta inter duos illos fluvios fossa, conjungeret.

1 *Frisii.* Oram maris Rhenum inter et Amisiam habitabant.

2 *Ripæ.* Rheni, inter *Wesel* et *Dusseldorf.*

3 *In quantum—regnantur.* Nempe cum libertate plurima. V. inf. de Mor. Germ. 11.

4 *Vibius Avitus.* Videtur idem esse de quo Plin. xxxiv, 7. V. not. et em. ad An. xiii, 54. Ac post tot bella, Julii Cæsaris rapinas, immensa tributa, adhuc superstites Gallorum opes, quibus nostræ vix nunc sufficiant, mirare.

5 *A Paullino provincia.* Germania inferiore.

6 *Pompeii theatrum.* De quo dicentur plura An. xiv, 20.

7 *Ludicris.* Ludis operisque theatricis.

crimina ordinum, quis eques, ubi senatus" percunctantur, advertere quosdam cultu externo in sedibus senatorum:[8] et "quinam forent" rogitantes, postquam audiverant, "earum gentium legatis id honoris datum, quæ virtute et amicitia Romana præcellerent, NULLOS MORTALIUM ARMIS AUT FIDE ANTE GERMANOS ESSE," exclamant, degrediunturque, et inter patres considunt: quod comiter a visentibus exceptum, quasi impetus antiqui, et bona æmulatione. Nero civitate Romana ambos donavit. "Frisios decedere agris" jussit. Atque illis adspernantibus, auxiliaris eques repente immissus, necessitatem attulit, captis cæsisve, qui pervicacius restiterant.

55. Eosdem agros[1] Ansibarii[2] occupavere, validior gens,[3] non modo sua copia, sed adjacentium populorum miseratione: quia pulsi a Chaucis, et sedis inopes, tutum exilium orabant. Aderatque iis clarus per illas gentes, et nobis quoque fidus, nomine Boiocalus, "vinctum se rebellione Cherusca,[4] jussu Arminii," referens; "mox Tiberio et Germanico[5] ducibus, stipendia meruisse; et quinquaginta annorum[6] obsequio id quoque adjungere, quod gentem suam ditioni nostræ subjiceret. Quotam partem[7] campi jacere, in quam pe-

8 *Cultu—senatorum.* Id accidisse sub Claudii principatu scribit Suet. Claud. 25. 'Germanorum legatis in orchestra sedere permisit, simplicitate eorum et fiducia motus, quod in popularia deducti, cum animadvertissent Parthos et Armenios sedentes in senatu, ad eadem loca sponte transierant, nihilo deteriorem virtutem, aut conditionem suam prædicantes.' Ni forte id sub utroque Imperatore contigerit. Libentius tamen Tacito assentiar. Id olim virtuti et amicitiæ Romanæ datum, illustri exemplo docet Justin. xliii, 5. 'Urbem Romanam a Gallis captam, incensamque —publico funere Massilienses prosecuti sunt; aurumque et argentum publicum privatumque contulerunt ad explendum pondus Gallis, a quibus redemtam pacem cognoverant. Ob quod meritum et immunitas illis decreta, et locus spectaculorum in senatu datus, et fœdus æquo jure percussum.' A. U. C. 710. idem honoris, Hyrcano, ejus liberis ac legatis tribuit dictator Julius Cæsar, teste Joseph. Antiq. Jud. xiv, 10. Hac urbanitate, reipublicæ magis quam Imperio decora, abstinuit Augustus, et 'Romæ legatos liberarum sociarumque gentium vetuit in orchestra considere,' Suet. Aug. xliv, 44.

1 *Eosdem agros.* In ripa Rheni inter *Wesel* et *Dusseldorf.*

2 *Ansibarii.* Quos, antequam a Chaucis pellerentur, Amisiam inter et Visurgim, Chaucis et Angrivariis interjectos modiosque fuisse opinatur Cl. Spener, Notit. Germ. Antiq. iv, 3. p. 281.

3 *Validior gens.* Non validior omnibus Frisiis, sed iis tantum qui agros in Rheni ripa occupaverant.

4 *Rebellione Cherusca.* Qua periit Varus, ut dictum sæpe An. i et ii.

5 *Tiberio et Germanico.* Missis ut Varianam cladem ulciscerentur.

6 *Quinquaginta annorum.* Rotunde dictum. Variana enim clades contigit A. U. C. 762. Vel etiam A. U. C. 763. ut erudite probat Cl. Gibert, *Mémoires de l'Académie Royale des Inscriptions*, Vol. xxvii, p. 71 sq.

7 *Quotam partem.* Quo tantam partem campi seponere, in quam pecora et armenta militum aliquando transmitterentur? Servarent sane campos, 'receptos,' seu sepositos, 'gregibus intra hominum famam,'

cora et armenta militum aliquando transmitterentur? Servarent sane receptos gregibus, inter hominum famam; modo ne vastitatem et solitudinem mallent, quam amicos populos. Chamavorum quondam[8] ea arva, mox Tubantum, et post Usipiorum fuisse. Sicuti cœlum Diis, ita terras generi mortalium datas: quæque vacuæ,[9] eas publicas esse." Solem deinde respiciens, et cetera sidera vocans, quasi coram interrogabat, "vellentne contueri inane solum? potius mare superfunderent adversus terrarum ereptores."

56. Et commotus his Avitus "patienda meliorum imperia. Id Diis, quos implorarent, placitum,[1] ut arbitrium penes Romanos maneret, quid darent, quid adimerent; neque alios judices, quam seipsos paterentur." Hæc in publicum Ansibariis respondit; ipsi Boiocalo, "ob memoriam amicitiæ daturum agros:" quod ille, ut proditionis pretium, aspernatus addidit: "Deesse nobis terra, in qua vivamus: in qua moriamur, non potest:" atque ita, infensis utrimque animis, discessum. Illi Bructeros, Tencteros,[2] ulteriores etiam nationes socias bello vocabant. Avitus, scripto ad Curtilium Manciam[3] superioris exercitus legatum, "ut Rhenum transgressus, arma a tergo ostenderet;" ipse legiones in agrum Tencterum[4] induxit, excidium minitans, nisi causam suam dissociarent. Igitur absistentibus his, pari metu exterriti Bructeri; et ceteris quoque aliena pericula deserentibus, sola Ansibariorum gens retro ad Usipios et Tubantes[5] concessit: quorum terris exacti, cum Cattos, dein Cheruscos petissent, errore longo, hospites, egeni, hostes, in alieno, quod juventutis erat, cæduntur. Imbellis ætas in prædam divisa est.

i. e. iis tantum in regionibus, quas habitarent milites. At ne vastitatem et solitudinem mallent, quam amicos populos.

8 *Chamavorum quondam.* Fuisse quoque Menapiorum videtur ex Cæsare B. G. iv. 4. Unde forte pro *Chamavorum* emendandum *Menapiorum* censet Cl. Spener, Notit. German. Antiq. p. 245. Sic quoque pro *Tubantum* conjectabat *Sugambrorum* Cluver. At in tot ac tantis populorum mutationibus vix quid certi definiri potest. De Usipetibus, vel Usipiis, jam dictum sup. An. i, 51. Plura dicentur inf. de Mor. Germ. c. 32 et 33.

9 *Quæque vacuæ.* At vacuæ minime erant, quæ pascendis pecoribus et armentis militum serviebant, ut recte observat Grotius de Jure Bel. et Pac. ii, 2. n. 17. Justaque Romanis negandi causa.

1 *Placitum.* Sic Virg. Æn. vi, 851. 'Tu regere imperio populos, Romane, memento; Hæ tibi erunt artes; pacisque imponere morem, Parcere subjectis, et debellare superbos.'

2 *Bructeros, Tencteros.* Vicinos Ansibariis populos, de quibus plura inf. de Mor. Germ. c. 32 et 33.

3 *Curtilium Manciam.* Qui L. Veteri in Germania superiore successerat.

4 *Tencterum.* Circa Luppiam, *the Lippe*, et Ruram, *the Ruhr*, fluvios.

5 *Usipios et Tubantes.* De quibus jam dictum An. i, 51.

57. Eadem æstate, inter Hermunduros Cattosque certatum magno prælio, dum flumen,[1] gignendo sale fœcundum, et conterminum, vi trahunt; super libidinem cuncta armis agendi, religione insita, "eos maxime locos propinquare cœlo, precesque mortalium a Deis nusquam propius audiri. Inde indulgentia numinum, illo in amne, illisque sylvis,[2] salem provenire, non, ut alias apud gentes, eluvie maris arescente, sed unda super ardentem arborum struem fusa, ex contrariis inter se elementis, igne atque aquis concretum." Sed bellum Hermunduris prosperum, Cattis exitiosius fuit, quia "victores diversam aciem Marti ac Mercurio"[3] sacravere, quo voto equi, viri, cuncta victa occidioni dantur. Et minæ quidem hostiles in ipsos vertebant. Sed civitas Juhonum,[4] socia nobis, malo improviso adflicta est. Nam ignes terra editi,[5] villas, arva, vicos, passim corripiebant, ferebanturque in ipsa conditæ nuper Coloniæ mœnia: neque extingui poterant; non si imbres caderent, non fluvialibus aquis, aut quo alio humore: donec inopia remedii, et ira cladis, agrestes quidam eminus saxa jacere, dein, residentibus flammis, propius suggressi, ictu fustium, aliisque verberibus, ut feras absterrebant: postremo tegmina corpori derepta injiciunt, quanto magis profana, et usu polluta, tanto magis oppressura ignes.

1 *Dum flumen.* Flumen Salam, nunc quoque *Sala.* In Hermunduris oritur, haud procul urbe *Egra*, et in Albim influit. Adjacere ei Kissingam, prope quam adhuc sal excoquitur, testis est Cl. Eccard. de Orig. Germanorum, p. 341.

2 *In—sylvis.* Hæc illustrat Plin. xxxi, 7. 'Galliæ Germaniæque ardentibus lignis aquam salsam infundunt—Quercus optima, ut quæ per se cinere sincero vim salis reddat: alibi Corylus laudatur: ita infuso liquore salso carbo etiam in salem vertitur. Quicumque ligno confit sal, niger est.' Varro quoque, de Re Rust. i, 7. 'In Gallia transalpina intus ad Rhenum, cum exercitum ducerem, aliquot regiones accessi, ubi nec vitis, nec olea, nec poma nascerentur; ubi agros stercorarent candida fossicia creta: ubi salem, nec fossicium, nec maritimum haberent, sed ex quibusdam lignis combustis, carbonibus salsis pro eo uterentur.'

3 *Marti ac Mercurio.* Deorum illorum cultum testantur plurima Germanorum monumenta. Sed de his plura in libro de Mor. Germ. 9.

4 *Civitas Juhonum.* Juhones habitasse inter Radantiam, *Redniz*, et Mœnum, *the Mein;* coloniam nuper conditam esse Norimbergam, *Nuremberg*, vel Forchemium, *Forcheim*, opinatur Cl. Eccard. de Germanorum Orig. p. 343. Veterisque *Juhonum* nominis memoriam extare in castro *Giech*, et in vicino monte *Gickel.* Contra vero Alting, Notit. Germ. Antiq. p. 83. et Spener, Notit. German. Antiq. p. 215. contendunt nullam fuisse unquam civitatem *Juhonum*, nullam coloniam, nullos *Juhones:* sed pro *Juhonum* emendandum esse *Ubiorum*, quorum coloniam nuper conditam vidimus, An. xii, 27. Certe valde dubium est *Juhonum* nomen. Nam in Mss. Flor. Agr. et Guelf. Harl. Jes. scriptum, *Vibonum.* In Ms. Reg. et editione principe, *Jubionum.* In Ms. Bodl. *Jubonum.* Puteolanus primus edidit *Juhonum.* Perperam tentavit Ryckius *Æduorum.* Haud feliciores, qui *Juhones* in Frisiis locavere.

5 *Ignes—editi.* Tales ignes olim in Lemno insula, ætate sua in agro Ebroicensi, *the territory of Evreux*, fuisse scri-

58. Eodem anno Ruminalem arborem[1] in comitio, quæ octingentos et quadraginta ante annos[2] Remi Romulique infantiam texerat, mortuis ramalibus et arescente trunco deminutam, prodigii loco habitum est, donec in novos fœtus revivesceret.

bit illustrissimus Huctius. Sæpius recentiusque, annis nempe 1706. 1717. 1724. et 1754. in agro Tarvisino, vulgo Italis *Marca Trivigiana,* exarsere. Vide Cl. Zaccharia, *Storia letteraria d'Italia,* Vol. ix, p. 482.

1 *Ruminalem arborem.* Ficum, dictam *Ruminalem,* quod Veteres mammam dicerent *rumam,* vel *rumin.* Comitium vero pars erat fori Romani. Rem totam fuse explicat Plin. xv, 18. 'Colitur ficus arbor in foro ipso ac Comitio Romæ nata, sacra fulguribus ibi conditis: magisque ob memoriam ejus, quæ nutrix fuit Romuli ac Remi conditoris appellata: quoniam sub ea inventa est lupa infantibus præbens rumen, (ita vocabant mammam:) miraculo ex ære juxta dicato, tamquam in comitium sponte transisset, Atto Navio augure. Illic arescit: rursusque cura sacerdotum seritur. Fuit et ante Saturni ædem, Urbis anno 260. sublata, sacro a Vestalibus facto, cum Silvani simulacrum subverteret.' Videtur ex Plinii verbis, dum vetus arbor aresceret alias fuisse satas; et servatum semper nomen *Ruminalis,* vel *Romularis* arboris. Ejus quoque truncum celebrat Ovid. Fast. ii, 408. 'Arbor erat; remanent vestigia: quæque vocatur Rumana nunc ficus, Romula ficus erat.' Arte potius Navii auguris, quam sponte, a Germalo in Comitium translatam crede. De Germalo, ficuque ruminali, v. Varron. de Ling. Lat. iv, p. 16. Liv. i, 4. et x, 23.

2 *Octingentos—annos.* Vel juxta Tacitum Romulus Remusque annos xxviii. erant nati, cum Urbem condidere: vel librarii errarunt in numeris et *quadraginta* pro *triginta* scripsere. Vulgatum enim apud ceteros auctores Romulum et Remum anno ætatis suæ octavo et decimo Urbem condidisse.

NOTÆ ET EMENDATIONES

AD LIBRUM PRIMUM ANNALIUM

C. CORNELII TACITI.

C. Cornelii Taciti. A vetustis editionibus abest prænomen. Deinde temere editum, *P. Cornelii Taciti.* Errorem dedocuit Sidon. Epist. iv, 14. de qua actum inter testimonia Veterum. Sidonio adstipulantur Mss. Reg. et Farnes. In Reg. C. CORNELII TACITI HISTORICI ILLUSTRIS XXX LIBRORUM QUOS AEDIDIT FRAGMENTA INCIPIUNT. In Farnes. teste Lipsio, *C. Cornelii Taciti Romanas Historias scribentis ex his qui reperiuntur liber primus.*

Annales. Annales suos ipse Tacitus memorat, An. iv, 32. Et a Jornande, inter Veterum testimonia laudato, *Annalium Scriptor* appellatur. Itaque merito antiquam inscriptionem restituit Rhenan. Male Puteolan. *Actionum diurnalium:* alii ex Ms. Vatican. *Actorum diurnalium.* Annales inter et Historiam id discriminis, quod Annales breviores et compressiores, amplior et fusior Historia. Plus artis et voluptatis in Historia, plus veritatis et utilitatis in Annalibus. At vel in ipsis Annalibus arte et voluptate præstat Tacitus.

Cap. 1. *Urbem Romam.* Ab hexametro scribendi initium fecere Tacitus, 'Urbem Romam a principio reges habuere;' et Sallust. in Jug. 5. 'Bellum scripturus sum quod populus Romanus.' Ab hemistichio Liv. i, 1. 'Facturusne operæ pretium sim.' Id, quod casu, non consilio, optimis scriptoribus excidit, neque arguerim, neque laudaverim. Aliquid tamen poeticum referre debet historici stilus. In vetustissimorum temporum historiis, in libris, qui chronici appellantur, numeris quidem solutæ narrationes videntur, non ita tamen, ut non facile "invenias disjecti membra poetæ;" scilicet primordia gentium memoriæ, quasi *carmina necessaria*, mandabantur. Quorum exempla nullo negotio in T. Livii Hist. Lib. i. reperias. Ceterum in aliis locis numerosiores versus Tacitus adhibet: ex. gr. 'Auguriis patrum, et prisca formidine sacram.' German. 39. Sic apud Liv. 'Hæc ubi dicta dedit, stringit gladium, cuneoque;' apud Sallust. 'Cnæi Pompeii veteres, fidosque clientes;' et apud Nepotem: 'Post natos homines, ut cum privatus obisset.'

Veteris populi Romani. Sic Ms. Flor. Perperam emendaverat Vertran. *veteris reipublicæ.*

Deterrerentur. Muret. aliique nonnulli emendant, *detererentur;* non inepte, sed minime probabiliter, refragantibus libris omnibus. Immo decora et optima ingenia deterrentur: honesta ac bona deteruntur.

Cap. 3. ***Bonum militia.*** Mallet Heins. ***bonum militiæ.*** At nihil mutandum. V. Misc. Obs. ix, 283.

Destinari consules. Optime Ryck. et recentiores. Perperam in veteribus editionibus, ***destinare.*** Consules enim destinati, seu designati sunt, ut patet ex nummis. Nec omittendum monumentum Ancyranum, quod ex exemplari a Cl. Pitton de Tournefort Ancyræ, nunc ***Angora,*** descripto, auctius emendatiusque, quam Gruter. Gronov. Pitiscusve, publicavit eruditus Chishull, Antiquitates Asiaticæ, p. 173:

Inter FILIOS. MEOS. QUOS. SIN***istra sors*** MIHI. ERIPVIT. EORVM. CAIVM. ET. LVCIVM. CAESARES. ***natu maximos.*** HONORIS. MEI. CAVSA. SENATVS. POPVLVSQVE. ROMANVS. ANNVM. QVINTVM. ET. DECIMVM. AGENTIS. (id est, ***agentes.***) CONSULES. DESIGNAVIT. VT. EVM. MAGISTRATVM. INIRENT. POST. QVINQVENNIVM. ET. EX. EO. DIE. QVO. DEDVCTI. SVNT. IN. FORVM. VT. INTERESSENT. CONSILIIS. PVBLICIS. DECREVIT. SENATVS. EQVITES. AVTEM. ROMANI. VNIVERSI. PRINCIPEM. IVVENTVTIS. VTR***um***QV***e***. ***eo***RVM. PAR***mis***. ***e***T. HASTIS. ARGENTEIS. DONATVM. APPELLAVERVNT.

Mors fato propera. De his Cæsaribus Florus iv, 12. 'Ambo fato breves, sed alter inglorius:' Lucius scilicet, Massiliæ extinctus. Alter vero egregius et laudandus, de quo ita Cenotaphium Pisanum, cujus inscriptionem accuratissime edidit Cl. Gori, Inscript. Antiq. vol. ii, p. 10. tab. 2. CVM. A***d***. ***III***I. NONAS. APRILES. (A. U. C. 757.) ALLATVS. ESSET. NVNTIVS. CAESAREM. AVGVSTI. PATRIS. PATRIAE. ***po***NTIF. MAXSVMI. CVSTODIS. IMPERI. ROMANI. TOTIVSQVE. ORBIS. TERRARVM. PRAESI***dis***. FILIVM. DIVI. NEPOTEM. POST. CONSVLATVM. QVEM. VLTRA. FINIS. EXTREMAS. POPULI. ***Rom***ANI. BELLVM. GERENS. FELICITER. PEREGERAT. BENE. GESTA. RE. PVBLICA. DEVICTEIS. AVT. IN. ***fi***DEM. RECEPTIS. BELLICOSISSIMIS. AC. MAXSIMIS. GENTIBVS. IPSVM. VOLNERIBVS. PRO. RE. PV***bli***CA. EXCEPTIS. EX. EO. CASV. CRVDELIBVS. FATIS. EREPTVM. POPVLO. ROMANO. IAM. DESIGNATV***m***. JVSTISSVMVM. AC. SIMILLVMVM. PARENTIS. SVI. VIRTVTIBVS. PRINCIPEM. Qui plura desiderant, eruditum Em. Norisii opus, de Cenotaphiis Pisanis, Vell. Paterc. ii, 102. Suet. Aug. 65. adeant.

Pluribus munimentis. Optime emendavit Lips. Mendose Beroald. ***pluribus monumentis.*** Inf. Hist. iv, 52. 'Non legiones, non classes, perinde firma Imperii munimenta, quam numerum liberorum.'

Cap. 4. ***Omnes.*** V. Misc. Obs. ix, 282.

Ægro et corpore. Muret. mallet ***etiam.*** Vellet Lips. trajici, ***et ægro corpore.*** Nihil mutandum.

Exulem egerit. Mureto placeret, ***exul egerit.*** Eleganter quidem. Sicque ipse Tac. An. iii, 38 et 44. At aliter quoque Hist. iii, 2. iv, 2.

Aliquid quam. Tentat ***aliud quidquam.*** Bene: sed non necessario.

Cap. 5. ***Gnarum id Cæsari.*** Optime Lips. Perperam Beroald. ***C. Navum id Cæsari.*** Albericus Gentilis in Lectt. Virg. c. xix, p. 177. conj. ***Liviam id Cæsari.***

Acribus namque custodiis. Incassum Heins. ***arctioribus. Paribus***

custodiis satius fore mihi videbatur olim: nam 'acres custodias' vix alibi mihi lectas recordor: nunc præfero *arctius* vel *arctioribus custodiis.* V. Misc. Obs. ix, 282 et 283.

Cap. 6. *Quandoque ipse.* Sic Ms. Flor. Jac. Gronov. et recentiores. Male Beroald. et alii, *quandocumque. Quandoque* sæpe usurpatum pro *quandocumque.* V. J. Fr. Gronov. in Liv. i, 24.

Cap. 7. *Tanto magis falsi.* Opinabar, *tanto magis fassi,* quo illustriores, eo apertiores ruebant in servitium, dum Tiberii benevolentiam hoc ipso aucuparentur. Sed et vulgata ferri potest. V. Misc. Obs. ix, 283.

Ne læti. Emendabat Illustr. Pellicerius, *ne læti—neve tristiore primordio.* Male in veteribus editionibus, *neu tristior.* Emendandum, *tristiores,* recte monuit Beroald.

Adulationes miscebant. In veteribus omnibus editionibus, *adulatione.* Lips. et recentiores, *adulationes.* Tentavit Muret. *lacrymas gaudio, questus adulatione miscebant.* Ernest. *lacrymis gaudium, questus adulatione.* Si quid mutandum, Ernestinam emendationem probarem. *Adulationem* scilicet reponi oportet, etsi nec male Muret. V. Misc. Obs. ix, 283.

Apudque eos. Apud Coss. emendabat Muret.

Inductam dubitationem. Frustra tentat Gronov. *indutam.* Ante Gronov. id dubitanter proposuerat Latinus Latinius.

Cap. 8. *In familiam nomenque Augustæ.* Liviam in nomen et familiam Juliæ gentis fuisse adscitam nemo inficiari potest, cum id conceptis verbis pronuntient Dio lvi, p. 600. Vellei. ii, 75. Ovid. Fast. i, 532. Tac. An. v, 1. Ipseque Plin. x, 55. xiv, 6. Novi equidem eruditum Harduin. mentem mutasse, et in posteriore sua editione *Liviam* pro *Julia* scripsisse: sed perperam, et refragantibus Mss. libris.

Trecenos nummos. De his Augusti legatis paulo aliter, et forte accuratius, Suet. Aug. 101. 'Legavit populo Romano quadringenties, tribubus tricies quinquies sestertium, prætorianis militibus singula millia nummorum, cohortibus urbanis quingenos, legionariis trecentos nummos.' Nec enim verisimile legionarios cohortibus Urbanis fuisse æquatos. Summa tota legatorum Augusti fuit ferme *Angl.* 875,000*l.* Emendavi, *legionariis atque cohortibus.* Male enim Beroald. aliique veteres, *legionariis autem cohortibus.* Melius Freinshem. et Ryck. *legionariis autem et cohortibus.* At cum in Ms. Flor. legatur, *legionariis aut cohortibus,* mendose quidem, licet Jac. Gronov. et recentioribus probatum, omnino emendandum *atque,* ut ipse sensus postulat. *Aut* et *atque* in Mss. sæpe permutari jam a Cortio ad Sallust. Jug. 82. observatum, et plurimis exemplis demonstratum. Cohortes civium Romanorum appellantur, ut a sociorum cohortibus distinguantur.

Cap. 9. *Idem dies accepti quondam imperii princeps, et vitæ supremus.* De anno accepti imperii nihil certi occurrebat, cum notas edidi. Hæc postea mente revolvens, adverti huc optime referri posse partem hanc monumenti Ancyrani apud Cl. Chishull, Antiquitates Asiaticæ, p. 172. IMPERIVM. MIHI. DEDIT. RESPVBLICA. *vti.* PRAE-

TORI. SIMVL. CVM. CONSVLIBVS IR*tio et Pansa. Huic* AVTEM. EODEM. ANNO. ME. *suffectum* CONSVLEM. *cum edi*DISSET. ET. TRIVMVIRVM. REIPVBLICAE. CONSTITVE*ndæ* QVI. PARENTEM. *coniurati occidissent.* IN. EXILIVM. EXPVLI. IVDICIIS. LEGITIMIS. VLTVS. POSTEA. BELLVM. INFERENTIS. (i. e. *inferentes.*) REIPVBLICAE. *Philippensi prælio oppressi.* Itaque ut Augustus obiit die 19. mensis Aug. A. U. C. 767. ita imperium accepisse videtur die 19. Aug. A. U. C. 711.

Valerium Corvinum. In Ms. Flor. *Corvum.* At libri editi ferme omnes, et ceteri scriptores *Corvinum* vulgo appellant.

Dum interfectores. Ita Pichen. et recentiores ferme omnes. In Ms. Flor. et ed. pr. *tunc interfectores;* Rhenan. *ut interfectores.* Mallet Jac. Gronov. *multa Antonio tunc, interfectores patris ut ulcisceretur.* Melior vulgata ac recepta emendatio.

Cap. 10. *Acceperit.* Muret. malebat *acceperat:* sc. quia mox *fecere.* Tacitus utroque modo utitur: paulo ante *invaserit.* Sed sæpius tamen plusquamperfecto, ut attentus lector facile observabit. ERN.

Qui fecere laudatas. Muret. *qui cepere.* Nihil mutandum. *Cœpere.* Ita scripti; *an fecere?* Locus luxatus. forte, *Qui reperere. Cœpere* est ex mutilatione vocis. V. Misc. Obs. ix, 283 et 284.

Julos. In Ms. Flor. *Julios:* ita quoque scriptores Græci Dio et Euseb. At Horat. iv, od. 2. Vellei. et Suet. *Julum* appellant. Ab Julo, Æneæ filio, ob maternum genus ita dictum fuisse probat Perizon. Animadv. Historic. c. 3. p. 151.

Q. Tedii et Vedii Pollionis luxus. Luxum et crudelitatem Vedii Pollionis, qui muræenas humano sanguine saginabat, quomodo castigaverit Augustus, scribit Sen. de Ira iii, 40. Pluribus Dio liv, p. 536. V. et Plin. ix, 23. Haud ita certum alterius ganeonis nomen. In Ms. Flor. *nuberetque Tedii et Vedii.* Beroald. edidit, *nuberet quæ Tedii;* conjectans emendandum, *qui Tedii.* In recentioribus edd. *qui Atedii,* vel *qui Tedii.* Rhenan. *Q. Vedii Pollionis. Que, quæ, qui* mendosa esse, et ex prænomine Q. nata, certum videtur. Ex ceteris literis existimo olim scriptum fuisse, *Q. Haterii.* Hunc hominem forte memorat Plin. vii, 53. 'Cornelius Gallus, Prætorius, et Q. Haterius, eques Romanus, in Venere obiere.' Nihil tamen ex levi conjectura mutandum. Inf. An. iii, 57. Beroald. quoque ediderat, *atque Haterius,* pro *at Q. Haterius;* et An. iv, 21. *Pisonemque gravius,* pro *Pisonem Q. Granius.* [Anne corrigamus, *Q. Atedii?*]

Gravior domui. Ms. Flor. *gravius.* Conjiciebat Beroald. *gravis.* Melius Pichen. et recentiores, *gravior.*

Habitu vultuque. Ita emendandum recte monuit Heins. recepere Ernest. et recentiores. Suffragatur Suet. Tib. 68. 'Incedebat cervice rigida et obstipa: adducto fere vultu, plerumque tacitus.' V. etiam Tac. inf. c. 33. 'Sermone, vultu, adrogantibus et obscuris.' Beroald. et alii, *habitu cultuque.* V. Misc. Obs. ix, 284. Tac. autem conjungit 'vultum habitumque,' xvi, 22. Hist. i, 17. ii, 52. Sic et habitus cultusque junguntur ab iis, qui et indolem rei, *φύσιν,* ingenium seu formam sc. constitutionem, et speciem exteriorem, a cultura vel educatione additam exprimere cupiunt. Sic Virg. Ge. i, 52. 'ha-

bitum cultumque' de agris sc. locis adhibet. Sed Tac. inf. ii, 59. tria ista rursus conjungit: 'Tiberius, cultu habituque ejus [Germanici] lenius perstricto, acerrime increpuit, quod contra instituta Augusti, non sponte Principis, Alexandriam introisset;' tum Hist. iv, 64. 'instituta cultumque patrium.' Ita non ambiguum sit, quomodo legi debeat. Et cum ex ingressu vultuque perspiciatur *habitus* animi, possit *vultus* omitti, habitusque Tiberii, in quo avita erat indoles arrogantiæ, etiam arrogantiam vultus comprehendere. *Cultus* autem non solum est in vestitu, sed in omni vita, corpore, animo, quatenus hæc curantur. Neque profecto Tiberio cultus fuit comis, sed suus, silentii, obscuritatis sævitiam tegentis, affectationis, insignia habens, luxuriosus et atrox, cet. Noster inf. c. 33. Germanicum conferens cum Tiberio inquit: 'Nam juveni civile ingenium, mira comitas, et diversa a Tiberii sermone, vultu, arrogantibus et obscuris.' Jam quo referas comitatem illam non vultu solum, sed et sermone diversam, nisi ad cultum? Putem vero etiam, Tiberium, uti alienum se a Græcorum cultu, et sermone affectavit, ita in eo modum id temporis excusatum excessisse. Itaque melius sit retinere *habitum cultumque et instituta*. *Habitum* sequitur *cultus*, ab utroque sunt *instituta*, consuetudo et mores sc. vivendi ritus. Croll. in Bip. ed.

Cap. 11. *Opes publicæ continebantur*. *Opes publicæ eo continebantur*, ni fallor. V. Misc. Obs. ix, 285.

Et largitiones. Largitiones suas, tanto dignas Principe, et nemini adhuc satis attente observatas, fuse recenset Augustus in monumento Ancyrano apud Cl. Chishull, Antiquitates Asiaticæ, p. 173. sq. PLEBEI. ROMANAE. VIRITIM. Ss. TRECENOS. *Angl.* 2*l.* 10*s.* NVMERAVI. EX. TESTAMENTO. PATRIS. MEI. ET. NOMINE. MEO. QVADRINGENOS. [*Angl.* 3*l.* 6*s.* 8*d.*] EX. BELLORVM. MANIBIIS. CONSVL. QVINTVM. DEDI. ITERVM. AVTEM. IN. CONSVLATV. DECIMO. EX. PATRIMONIO. MEO. HS. QVADRINGENOS. CONGIARI. VIRITIM. PERNVMERAVI. ET. CONSVL. VNDECIMVM. DVODECIM. FRVMENTATIONES. FRVMENTO. PRIVATIM. COEMPTO. EMENSVS. SVM. ET. TRIBVNITIA. POTESTATE. DVODECIMVM. QVADRINGENOS. NVMMOS. TERTIVM. VIRITIM. DEDI. QVAE. MEA. CONGIARIA. PERVENERVNT. *ad civ*IVM. MILLIA. NVNQVAM. MINVS. QVINQVAGINTA. ET. DVCENTA. [male supplevit eruditus Chishull, *ad sestertium millia nunquam minus quinquaginta et ducenta;* quod adhuc pejus taxavit *Angl.* 405,260*l.* 4*s.* 4*d.*] TRIBVNITIAE. POTESTATIS. DVODEVICINSIMVM. CONSVL. XII. TRECENTIS. ET. VIGINTI. MILLIBVS. PLEBEI. VRBANAE. SEXAGENOS. DENARIOS. [*Angl.* 2*l.* totaque congiarii summa fuit *Angl.* 621,730*l.*] VIRITIM. DEDI. ET. CVOIVIS. (pro *cuivis*.) MILITVM. MEORVM. CONSVL. QVINTVM. EX. MANIBIIS. VIRITIM. MILLIA. NVMMVM. SINGVLA. [*Angl.* 8*l.* 6*s.* 8*d.*] DEDI. ACCEPERVNT. ID. TRIVMPHALE. CONGIARIVM. IN. C*oloniis*. HOMINVM. CIRCITER. CENTVM. ET. VIGINTI. MILLIA. CONSVL. TERTIVM. DECIMVM. SEXAGENOS. DENARIOS. PLEBEI. QVAE. TVM. FRVMENTVM. PVBLICVM. ACCEPERVNT. DEDI. EA. MILLIA. HOMINVM. PAVLO. PLVRA. QVAM. DVCENTA. FVERVNT. PECVNIAM. *pro*. AGRIS. QVOS. IN. CONSVLATV. MEO. QVARTO. ET. POSTEA. CONSVLIBVS. *M. Crasso et* CN. LENTVLO. AVGVRE. ADSIGNAVI.

MILITIBVS. SOLVI. MVNICIPIS. EA. SESTERTIVM. CIRCITER. SEXIENS. MILLIENS. [*Angl.* 5,000,000*l.*] FVIT. QVAM. *ex.* COLLATIONIBVS. *pro* PRAEDiis NVMERAVI. ET. CIRCITER. BIS. MILLIENS. ET. SESCENTIENS. [*Angl.* 2,166,666*l.* 13*s.* 4*d.*] QVOD. PRO. AGRIS. PROVINCIALIBVS. SOLVI. ID. PRIMVS. ET. SOLVS. OMNIVM. QVI. DEDVXERVNT. COLONIAS. MILITVM. IN. ITALIA. AVT. IN. PROVINCIIS. AD. MEMORIAM. AETATIS. MEAE. FECI. ET. POSTEA. *Ti.* NERONI. ET. CN. PISONI. CONSVLIBVS. ITEMQVE. C. ANTISTIO. ET. D. LAELIO. COS. ET. C. CALVISIO. ET. L. PASIENO. CONSVLIBVS. *Lentulo et* MESSALINO. CONSVLIBVS. ET. L. CANINIO. ET. Q. FABRICIO. CONSVLIBVS. *Veteranis quo*S. EMERITEIS. STIPENDIS. IN. SVA. MVNICIP*ia reduxi.* PRAEM*ia œre num*ERATO. PERSOLVI. QVAM. IN. REM. SEST*ertium* MILL*iens quinquiens*, [aut *centiens*, aliusve id genus numerus extritus est.] IMPENDI.

QVATER. PECVNIA. MEA. IVVI. AERARIVM. ITA. VT. SESTERTIVM. MILLIENS. ET. QVINQVIENS. [*Angl.* 875,000*l.*] AD. EOS. QVI. PRAEERANT. AERARIO. DETVLERIM. ET. M. *Æmilio.* ET. L. ARVNTIO. COS. IN. AERARIVM. MILITARE. QVOD. EX. CONSILIO. forte *Tiberii* CO*nstitu*TVM. EST. EX. *quo.* PRAEMIA. DARENTVR. MILITIBVS. QVI. VI*ginti* stipendia. EMERVISSENT. HS. MILLIENS. ET. SEPTINGENTI*ens.* [*Angl.* 1,458,333*l.* 6*s.* 8*d.*] *Tib.* Cæsaris nomine et MEO DETVLI.

Miraris opes liberalitatemque Augusti, qui, minima computatione, nec æstimatis frumentationibus, annum agens ætatis suæ, quo hæc scripta sunt, septuagesimum sextum, *Angl.* 13,426,990*l.* erat elargitus. Beneficum Principem miratus, cogita nunc multo majores tum in ædificiis publicis, tum in ludis, impensas: et venerare Augustum, qui cum tam multa profunderet, oblatis abstinuerit; et ad exemplum Principum magis, quam ad sui ostentationem, scripserit in eodem monumento:

AVRI. CORONARI. PONDO. TRIGINTA. ET. QVINQVE. MILLIA. [*Angl.* 1,575,000*l.*] MVNICIPIIS. ET. COLONIIS. ITALIAE. CONFERENTIBVS. AD. TRIVMPHOS. MEOS. QVINTVM. CONSVL. REMISI. ET. POSTEA. QVOTIENSCVMQVE. IMPERATOR. APPELLATVS. SVM. AVRVM. CORONARIVM. NON. ACCEPI. DECERNENTIBVS. MVNICIPIIS. ET. CON*fere*N*tibus* quæ tunc ADQVE. [pro *atque*] ANTEA. DECREVERANT.

Cap. 12. ***Legere aliquid aut evitare.*** Repudiare, respuere, vel deprecari. ***Rursum***, quod auribus est gratius, pro vulg. ***rursus*** recepit Ruperti cum Wolf. e cod. Flor. et antiq. edd. ***etenim*** e ***vultu*** Tiberii, non satis iram sc. indignationem dissimilantis. Præpositiones sæpe omittit Tac. Iram vero Tiberii Gallus adulatione lenire conatur et ingeniosa arte.

Addidit laudem de Augusto. Forte leg. ***de laudibus Augusti*** cum Mureto, vel ***laudem Augusti*** cum Wolf. qui tamen usum liberiorem particulæ ***de*** sæpius a se notatum dicit in optimis scriptoribus—***in toga,*** pace.

Cap. 13. ***M. Lepidum.*** Ita edd. vett. et recentiores. Perperam emendaverat Lips. ***Manium Lepidum.***

Avidum, at minorem. In libris editis, ***et minorem.*** Pellicer. Muret.

emendabant, *sed minorem.* Ad sensum accommodate. Sed ex veteris scripturæ reliquiis verius, *at.*

Non adesse caput reipublicæ. Ita Rhenan. Corrupte Ms. Flor. *adesse aput te reipublicæ.* Beroald. *apud te.* Frustra tentant alii, *non esse caput te*, vel *non esse apud te caput.* Ald. *non adesse apud te rempublicam.*

Genua advolveretur. Mallet illustr. Pellicer. *genibus.* Nihil tamen mutaverim.

Ejusque. Optime Cujac. et Lips. Perperam in vett. edd. *et usque.*

Curatissimis precibus. Sic Ms. Flor. Beroald. *acuratissimis.* Minutian. *accuratissimis.*

Cap. 14. *Deminutionem.* Sic Ms. Flor. et passim scriptum, *deminuo.*

Se non excessurum. Excessit tamen, teste Dione lviii, p. 634. A. U. C. 786. ‘ Quindecim fuerunt Prætores: idque multis annis accidit, ut nonnunquam sedecim, nonnunquam uno aut duobus pauciores.’ Πεντεκαίδεκα στρατηγοὶ ἐγένοντο· καὶ τοῦτο ἐπὶ πολλὰ ἔτη συνέβη· ὥστε ἔστι μὲν ὅτε ἑκκαίδεκα, ἔστι δ' ὅτε καὶ παρ' ἕνα ἢ καὶ δύο χειροτονεῖσθαι. A. U. C. 764. Principe Augusto, fuerant quoque sedecim, v. Dion. lvi, p. 586.

Cap. 15. *E campo comitia ad patres translata.* Stante republica, viguere comitia, et suffragiorum libertas. Comitiorum jura minuit Julius Cæsar, eaque ‘ cum populo partitus est,’ Suet. Jul. 41. ‘ Pristinum jus reduxit’ Augustus, Suet. Aug. 40. ita tamen ut aliis artibus in comitiis imperaret, v. Dion. liii, p. 511. lvi, p. 596. Callidior Tiberius ad patres transtulit, ut in se facilius et sine invidia traheret. Nec deinde, nisi simulata fuere comitia. Omnia pro Principis arbitrio gesta, Dio lviii, p. 633 et 634.

Per circum triumphali veste. Existimat Cl. Ernest. transponenda verba, et emendandum: *utque triumphali veste uterentur. Per circum curru vehi haud permissum.* Minime probaverim: scriptor adulteraretur.

Annua ad prætorem. In Ms. Flor. *annum ad prætorem. Annua* emendarunt plurimi. Ad veterem scripturam propius accedit, *annuum*, Beroaldo, Aldo, Ernesto probatum.

Prætorias cohortes. Cujac. passim emendabat, *prætorianas.* At in inscriptionibus sæpe memorantur PRÆTORIÆ COHORTES. V. Grut. p. 563. n. 11.

Cap. 17. *Binos denarios acciperent.* Ita Lipsius et recentiores. In vett. edd. *acceperint.*

Cap. 18. *Properantibus Blæsus.* Male tentat Gronov. *operantibus.*

Pœnitentiam adcelerabo. Emendabat Cujac. *pœnam.* Nihil mutaverim. Plus elegantiæ ac veritatis in *pœnitentia.*

Cap. 19. *Incipientes Principis.* Frigide Acidal. *incipientis.*

Vim meditentur. Mallet Cl. Ernest. *meditarentur.* Non necessario.

Cap. 20. *Vetus operis.* In Ms. Flor. *intus operis.* Optime Lips. *vetus operis*, ut in Sil. iv, 534. ‘ Gnaros belli, veteresque laborum.’ Haud ita feliciter Muret. *immitis operis.* Heins. *intentus.* Gronov.

tritus. Alii plurimi, *invictus.* Boxhorn. *intentus operi ac labori.* Quid si *intentus operis? Intentus operi,* qui diligenter laborat ipse: *intentus operis,* severus exactor alieni laboris. V. Misc. Obs. ix, 286 et 287.

Cap. 21. *Sibi jam miscent.* Mallent Faërn. et Pichen. *sibi immiscent.* At nihil mutandum. Durum videtur, *jam,* ob capitum divisionem. Non displicet, si conjunctim legeris.

Quominus invidiam, misericordiam, metum et iras permoverent. Quominus invidia misericordia, metu et ira permoverent, ni fallor, nempe commilitones permoverent.

Cap. 22. *Sepulturæ invident.* Ms. Flor. *sepultura.* Multi emendant *sepulturam.* Melius et ex usu Taciti, *sepulturæ.* V. Misc. Obs. ix, 287.

Hi sepeliant. Optime Muret. et Lips. *hi.* Perperam in Ms. Flor. et edd. vett. *ii,* librariorum errore. *Hos* enim manu monstrabat.

Cap. 25. *Repente quies.* Conjectat Lips. *repens quies.* Nihil novandum.

Cap. 26. *Quæ proferret.* In Ms. Flor. et edd. vett. ac recentioribus, *perferret.* Quidam emendarunt, *præferret.* Omnino emendandum, *proferret.* Hac in re sæpe errarunt librarii. Sic apud Juvenal. v, 390. legitur, *protulit;* apud Plin. xviii, 3. *proferam:* ubi olim scriptum, *pertulit,* et *perferam.*

Ad se nisi filios. In Ms. Flor. et edd. vett. *nisi ad se filios.* Lips. et recentiores merito verba trajecere, *ad se nisi filios.*

Cap. 28. *Claro repente cælo.* Corrupte Ms. Flor. *clamore pena cælo.* Edidit Beroald. *clariore pene cælo.* Optime emendavit Lips. *claro repente cælo.* Miror Jac. Gronov. adhuc tentantem, *luna clarore plena, cælo visa languescere.*

Ac suis laboribus. Opinor, *hanc suis laboribus defectionem sideris adsimulans;* tum mox, *prospereque cessura quo pergerent,* non *quæ:* cessura prospere ea, ad quæ pergerent patranda. Aliter Gronov. V. Misc. Obs. ix, 288.

Quæ pergerent. Eleganter dictum. Male Gronov. *quæ urgerent.* Rhenan. *quæ gererent.* Heins. *quo pergerent.* Davis. *quæ agerent.* Si quid tentandum potius, *quæ peragerent:* et in Ms. Flor. *a* margini additum. Sed inutile et frigidum.

Ii vigiliis. Optime emendavit Lips. Pessime in Ms. Flor. et vett. edd. *in vigiliis.*

Cap. 29. *L. Apronius.* Forte idem de quo Plin. xi, 37. §. 85. 'Quin et L. Apronii consularis viri filio detractos adipes, levatumque corpus immobili onere.'

Cap. 30. *Consederant.* Ed. pr. aliæque vett. *considerant.*

Cap. 31. *Vi sua cuncta tracturus.* Male tentat Freinshem. *tracturis.* Elegantissime vero Illustr. Pellicer. *in sua cuncta tracturus.* Minime tamen absurdum, *vi sua.* Ideo nihil mutavi, licet Pellicerianam emendationem plurimum probem.

Ab unaetvicesimanis. In Ms. Flor. *unetvicesimanis.* Perperam Beroald. edidit, *undevicesimanis.* Nusquam enim legionis XIX. passim vero XXI. mentio in Germania occurrit, ut recte animadvertit Lips. Edidi, *unaetvicesimanis,* non *unetvicesimanis,* quod in Histo-

riarum libris, quorum plurimi extant Mss. codices, *unaetvicesima, unaetvicesimani* sæpe appellentur.

Prima quoque. Prima legio dicta quoque Germanica, ut patet ex vetere lapide : SEX. SAMMIO. VOLT SEVERO. E. LEG. PRIMA GERMANICA. &c. quem erudita interpretatione illustravit Cl. de Bimard la Bastie ap. Muratori, Nov. Thes. Inscr. Vol. i, p. 91 sq.

Cap. 32. *Destrictis gladiis.* Beroald. *districtis.* In melioribus libb. *destrictis.* Horat. Od. iii, l. 17. ‘ Destrictus ensis.’

Verberibus mulcant. Ita Ms. Flor. et edd. opt. Perperam Beroald. *mulctant.* Frequens librariorum error in vocibus *mulco, mulcto* vel *multo.*

Quod neque disjecti. Distracti corrigunt viri summi. Sed id tantundem est: *disjecti* ponuntur pro separatis et dispersis. V. Misc. Obs. ix, 288.

Vel paucorum instinctu. Optime Rhenan. Corrupte in Ms. Flor. et edd. vett. *nil paucorum instinctu.* Male a quibusdam emendatum, *nec.* Ipsa vetus scriptura innuit, *vel.* Sicque Tac. inf. An. iii, 54. ‘ neque mihi aut vobis :’ et Horat. Epod. xvi, 5. ‘ Æmula nec virtus Capuæ, nec Spartacus acer, Novisve rebus infidelis Allobrox.’

Cap. 33. *Indomitum animum.* Puto *indomita animi ;* ut *erectus et fidens animi.* An. iv, 59. ‘ lætus animi.’ ii, 26. ‘ incertus animi.’ vi, 46. V. Misc. Obs. ix, 288.

Cap. 34. *Per speciem exosculandi.* Ita Ms. Flor. et edd. vett. Sine auctoritate recentiores, *osculandi.* Sic inf. Hist. i, 45. *exosculari Othonis manum,* ut recte observat Jac. Gronov.

Cap. 35. *Nudant universi.* Ms. Flor. et edd. vett. *universa corpora.* Recentiores edidere, *universi.* Et merito. *Universa,* librariorum incuriam, aut scioli alicujus argutiolam redolent.

Materiæ, lignorum. Heins. existimat, *lignorum,* redundare. Nihil tamen mutandum.

Quæruntur. Pellicer. et Heins. mallent, *queruntur:* et distinguunt post *Castrorum.* Retineri potest vulgata scriptura. V. Misc. Obs. ix, 289.

Neu mortem. Hæc mutila esse opinatur Heins. Ernest. suspicatur emendandum, *ne morerentur.* Nihil mutaverim. Hæc enim antiquitatem, non errorem sapiunt.

In Germanicum ominibus. Frustra tentat Lips. *nominibus.*

Promtos ostentavere. Ms. Flor. edd. vett. et inter recentiores Jac. Gronov. *promtas.* Melius, *promtos,* ut patet ex superioribus, ‘ atrocissimus veteranorum—fuere etiam qui.’ Male Heins. *promta.* Illustr. Pellicer. *se ostentavere. Se* omitti potest. V. Misc. Obs. ix, 289.

Quidam singuli propius incedentes. Immo, *quidam, et singuli propius incendentes,* h. e. exhortantes.—Primo agit de extrema concione, mox de singulis, qui propius adstabant. possis et *intendentes.* V. Misc. Obs. ix, 289.

Cap. 36. *At si auxilia.* Ita vett. edd. et quidem optime. Male recentiores, *ac si.*

Periculosa severitas. Accusativos frustra obtrudit Heins. Nominativi eleganter hic usurpantur.

In ancipiti Respublica. Ita Ms. Flor. et recentiores. Male emen-

datum a Beroald. *republica*. *Rempublicam*, scil. fore: quare et præcedentia castiganda forsan, *periculosam severitatem*, *flagitiosam largitionem*, ut ad superiora referatur, *augebat metum*. V. Misc. Obs. ix, 289.

Cap. 37. ***Largitio differebatur in hiberna cujusque.*** Optime Ms. Flor. et edd. recentiores. Pessime Beroald. *largitio differebatur. In hiberna cujusquam non abscessere, &c.* Scripturam cod. Florent. feliciter divinaverat Josias Mercer. merita laude non defraudandus.

Non abscessere. Frustra tentat Heins. Misc. Obs. ix, 289. *non adsensere*. Adsenserant quidem Primani ac Vicesimani: at cum Quintani et Unaetvicesimani nollent in hiberna abscedere, donec largitio persolveretur, contracta est pecunia, et omnibus largitio persoluta.

Turpi agmine, cum fisci. De fiscis videndus Veget. ii, 20. Eorum rationem et usum fuse prosequitur. Scilicet donativorum, quæ milites consequebantur, dimidia pars sequestrabatur, ne per luxum, aut per inanium rerum comparationem, absumeretur: inter signa, interque aquilas servabatur, ut, depositi memores, de deserendo nihil cogitarent, et in acie fortius dimicarent. Quæque cohors decem folles, seu decem saccos, sepositæ isti pecuniæ destinatos habebat. 'Addebatur etiam,' teste Veget. 'saccus undecimus, in quem tota legio particulam aliquam conferebat, sepulturæ scilicet causa, ut si quis ex contubernalibus defecisset, de illo undecimo sacco ad sepulturam ipsius promeretur expensa.' Domitian. vero, ut accipimus ex Suet. Domit. 7. 'Geminari legionum castra prohibuit: nec plusquam mille nummos, [*Angl.* 8*l.* 6*s.* 8*d.*] a quoquam ad signa deponi: quod Lucius Antonius apud duarum legionum hiberna, res novas moliens, fiduciam cepisse, etiam ex depositorum summa videbatur.' Hac ipsa Domitiani lege una legio in fiscis habere poterat $\overline{\text{XVI}}$ HS. *Angl.* 13,333*l.* 6*s.* 8*d.*

Cap. 38. ***Præsidium agitantes vexillarii.*** Cum frequens occurrat vexillariorum mentio, de iis juvat diligentius inquirere.

DE VEXILLARIIS.

Vexillarii, de quibus tot diversæ eruditorum opiniones circumferuntur, ii sunt, qui nec sub signis, nec sub aquilis, sed sub vexillis militabant. Cuique legioni vexillum unum erat adtributum: inde in inscriptionibus apud Gruter. p. 256. 8. VEXILLATIO LEGI. XX. apud Cl. Schoepflinum, Alsat. Illustrat. Vol. i, p. 441. VEXSILLATIO LEG. XXII. apud Tac. Hist. ii, 100. 'Vexillarii quartæ decimæ et sextæ decimæ legionum:' iii, 22. 'Cum vexillis nonæ, secundæque, et vicesimæ, Britannicarum legionum;' et Annal. xiv, 34. 'Quartadecima legio cum vexillariis vicesimariis:' Annal. iv, 73. 'Vexilla legionum e superiore Germania.' Vexillationes legionariæ generatim appellabantur 'vexillarii e legionibus,' Tac. Hist. iii, 48.

At quibus militibus constabant hæ vexillationes? primo Veteranis, qui 'sub vexillo' retinebantur, donec honestam missionem obtinerent, 'ceterorum immunes nisi propulsandi hostis.' Tac. An. i, 36 et 39. iii, 21. Secundo 'legionariis infirmis,' aut potius 'convalescentibus,'

Cæs. B. G. vi, 36. 'Complures erant in castris ex legionibus ægri relicti: ex quibus, qui hoc spatio dierum convaluerant, circiter ccc. sub vexillo una mittuntur.' Tertio *Tironibus:* 'vexillum Tironum' memorat ipse Tacitus, An. ii, 78. Quarto Romanis omnibus, qui militabant, nec in legiones erant adlegendi. Sic apud Suet. Aug. 25. Libertini, qui in Illyrico et Germania, imperitante Augusto, militavere, 'sub vexillo' fuisse dicuntur.

Ex his patet vexillariorum numerum definitum non fuisse, sed pro diversis circumstantiis diversum. In castris minorem locum quam legionarii obtinebant. Idque innuit Hygin. in Gromatic. p. 72. 'Vexillarii legionum eamdem pedaturam accipere debent quod cohors legionaria: ad sexcentenos homines computantur.' Cum vexillationes in provincias mittebantur, iis virum aliquem insignem fuisse præpositum patet ex vett. inscriptionibus apud Gruter. p. CCCCVII. n. 1. L. FABIO. M. F. GAL. CILONI.—PRAEPOSITO. VEXILLATION. PERINTHI. PERGENTIB. et p. CCCCXLI. n. 4. L. NERATIO. C. F. VOL. PROCVLO—MISSO. AB. IMP. ANTONINO. AVG. PIO. AD. DEDVCENDAS. VEXILLATIONES. IN. SYRIAM. OB. BELVM. PARTHICVM. PRAEF. AERARI. MILITARIS.

Nunc vero difficiliora quædam de vexillariis facile explices. 'Tredecim vexillariorum millia' recensentur, Tac. Hist. ii, 83. Nec mirum, cum plurimarum legionum vexillationes mitterentur, et plurimi essent tirones. 'Vexillariis pulsis,' dicuntur 'vires legionis non affuisse,' Tac. Hist. ii, 66. Merito quidem: legio enim longe fortior fuit vexillariis, quorum vis exigua in convalescentibus; ars ferme nulla in tironibus: validiores veterani, sed numero impares, et longa militia, atque annis, laborum intolerantes. Vexillationes ab Augusto inventas non fuisse ex earum dispositione, Juliique Cæsaris verbis manifestum est. Aliorum opiniones refutare superfluum, proponere sit satis. Lips. Mil. Rom. i, 8. contendit vexillarios esse veteranos sub vexillo retentos. Pichena et J. F. Gronov. in Tac. An. i, 38. De vit. Agr. 18. volunt esse legionarios aliquo et seorsim missos, *Angl. detachments.* Salmas. Mil. Rom. c. 19. pronuntiat esse levis armaturæ milites, *Angl. light troops*—Ernest. edit. Tac. Vol. ii, p. 578. et in commentariis Societatis Regiæ Goettingensis, Vol. i, art. xiii, docet esse tirones, *Angl. recruits.*

Utrum fuerint quoque vexillationes auxiliorum, haud ita compertum. *Vexillarios* quidem 'e cohortibus' memorat Tac. Hist. iii, 6. 'Germanicorum vexillationem' Suet. Galb. 20. 'Germanorum vexilla' Tac. Hist. i, 31 et 70. Et C. Julius dicitur apud Gruter. p. CCCCXV. n. 5. TRIB.—VEXIL. DACOR. PARTHIC. I. e. 'tribunus vexillariorum Dacorum, Parthicorum.' At auxiliares illi, qui sub suis vexillis militabant, et particulatim mittebantur, dici potuerunt vexillationes, licet omnino diversi essent a vexillationibus legionariis.

Vexillationes posteriore ævo, non pedestri, sed equestri, nec legionaria, sed externa militia constitisse recte probat eruditus Philip. a Turre, Monumenta veteris Antii, c. ix, p. 127. quem consule, si volueris. Nec enim hæc recentioris ævi ad nos pertinent.

Mennius. Forte corrupte, ut Hist. iii, 12. Suspicari possis *M.* vel *M. Ennius*, (ut iii, 49. *Clutorius* pro *C. Lutorius*, xiii, 22.

Pantellus et *Panteius* pro *P. Anteius*, et xii, 7. *Talledius* pro *T. Alledius*, vulgo male legitur) vel *Memmius* vel *Menenius*. V. Misc. Obs. ix, 290.

Cap. 39. ***Ab senatu regressum jam.*** Ita Ms. Flor. Lips. et recentiores. Pessime Beroald. ***ab senatu regressi jam.***

Reum subdere. Emendabat Illustr. Pellicer. ***reum subdidere.*** At nihil mutandum.

Vexillum in domo Germanici. Id ne accipias de vexillo, sub quo retinebantur vexillarii; sed de ipso imperatoris vexillo, de quo Cæs. B. G. ii, 20. 'Cæsari omnia uno tempore erant agenda: vexillum erat proponendum, quod erat insigne, cum ad arma concurri oportebat.' Tunicam fuisse coccineam testatur Plut. Brut. p. 1002. Ἅμα δ' ἡμέρᾳ προὔκειτο μὲν τῷ Βρούτου χάρακι καὶ τῷ Κασσίου σύμβολον ἀγῶνος, φοινικοῦς χιτών. 'Orta luce, propositum in castris tum Bruti tum Cassii signum pugnæ, tunica coccinea.' In nummis, maxime Juliani aliorumque Imperatorum, hujus vexilli figuram adhuc extare existimo.

Recipitque in tribunal. Male Ms. Flor. et Beroald. ***recepit.***

Cap. 40. ***Eo in metu.*** Frustra tentat Lips. ***eo in motu.***

Si vilis ipsi salus. Malim, ***si vilis ipsi salus sua.*** Misc. Obs. ix, 290.

Diu cunctatus. ***Cunctandi*** quippe verbum cum quarto casu recte conjungitur. V. Misc. Obs. ix, 290.

Aspernantem uxorem. Minime probabiliter Lips. ***aspernante uxore.*** Germanicus uxorem, pericula aspernantem, ut abiret perpulit.

Qui manebant. Mariti illarum fœminarum, qui manebant. Nec emendandum cum Lips. ***quæ,*** ut ad mulieres referatur.

Cap. 41. ***Quod tam triste.*** ***Quid*** scribendum. V. Misc. Obs. ix, 290.

Et externæ fidei. Heins. ***et externa fidei.*** Durius quam ut probetur.

Recens dolore et ira. Male tentat Heins. ***doloris et iræ.*** Immo ***dolo et iræ*** maluit Heins. V. Misc. Obs. ix, 291.

Cap. 43. ***Ferrum illud—detraxistis.*** ***Retraxistis.*** Sed nihil potius muta. V. Misc. Obs. ix, 291.

Qui meam quidem mortem. Illustr. Pellicer. suspicabatur emendandum, ***qui ut meam.*** Ingeniose; sed non necessario.

Cum militibus. Male emendat Grot. ***commilitibus.*** Ne vox quidem Latina est. Pro illa stare dicuntur Plin. xxxvii, 2. Cæs. B. C. ii, 29. At in opt. edd. ap Plin. ***militibus*** non ***commilitibus:*** apud Cæs. ***commilitones,*** non ***commilites.***

Cap. 44. ***C. Cetronium.*** Forsan ***C. Petronium,*** inquit Illustr. Pellicer. Ut nihil mutandum. Immo apud Gruter. p. 299. n. 1. C. CETRONIUS AEDIL. Cæsare Augusto cos. VI. memoratur; et, quantum ex temporum ratione judicari potest, ***C. Cetronii*** legati pater fuisse videtur.

Centurionatum inde egit. Singulariter dictum: nihil tamen reprehenderim. Forte etiam cum centurio milites recenseret, id dictum Romanis centurionatum agere: cum centuriones ipsos recenseret Germanicus, merito dixit Tac. ***centurionatum inde egit.*** Male divinat J. F. Gronov. ***centurionum inde delectum egit,*** vel ***centurionatus inde***

exegit: Jac. Gronov. *centurionatim inde egit.* Heins. *censum centurionum,* vel *centurionalem inde egit.* Pellicer. *centurionata.* Alii, *centurionatum inde legit.* V. Misc. Obs. ix, 291 et 292.

Retinebat ordinem. Perperam Beroald. *ordines.*

Dona militaria. In libris omnibus, si unam exceperis Cl. Lallemand editionem, *donaria militaria,* librariorum errore satis obvio; sic enim inf. in Ms. Flor. An. vi, 48. *Inter ludibria et pericularia,* perperam repetita vocis terminatione, ut recte monuit Cl. Ernestus. *Donaria* de Diis tantum Latine dicuntur, *dona* de hominibus. Moxque An. ii, 9. 'militaria dona' memorantur. Hunc Taciti locum egregie illustrat Siccii Dentati et Manlii Capitolini fortitudo, ad eruditionem, et virtutis ac laudis incitamentum memoranda. Plin. vii, 28. 'L. Siccius Dentatus, qui tribunus plebis fuit, Sp. Tarpeio, A. Aterio coss. [A. U. C. 300.] haud multo post exactos reges, vel numerosissima (maximæ fortitudinis) suffragia habet, centies vicies præliatus, octies ex provocatione victor, quadraginta quinque cicatricibus adverso corpore insignis, nulla in tergo. Item spolia cepit 34. donatus hastis puris duodeviginti, phaleris 25. torquibus tribus et 80. armillis 160. coronis 26. civicis 14. aureis 8. muralibus 3. obsidionali una, fisco æris 10. [*Angl.* 546*l.* 17*s.* 6*d.* neque existimes cum erudito Harduino superpositam fuisse notæ denarii x. lineolam, quæ decies centena millia æris, *Angl.* 54,687*l.* 10*s.* significaret. Repugnat temporum et reipublicæ paupertas. At, ut opinor, olim scriptum XM. aut X. ∞. id est, æris decem millibus.] Captivis et XX. simul bubus, imperatores novem ipsius maxime opera triumphantes secutus—Rei militaris haud minora forent Manlii Capitolini decora, ni perdidisset illa exitu vitæ. Ante decimum septimum annum bina ceperat spolia. Primus omnium eques coronam muralem acceperat, 6. civicas, 37. dona, 23. cicatrices adverso corpore exceperat.'

Cap. 45. *Unaetvicesimæ.* *Malim* uniusetvicesimæ. Displicet enim ab aliis hic legi unetvicesimæ, et Hist. i, 67. unaetvicesimæ. Certe melius, et ex usu linguæ Latinæ, in Tacito legerentur uniusetvicesimæ, unietvicesimæ unametvicesimam.

Cap. 47. *Immotum adversus eos sermones.* Optime. Lips. improspere tentat, *immotus.*

Quos igitur anteferret? Rhenan. *Ecquos.* Sine librorum auctoritate et necessitate.

Ac, ne postpositi. Frustra Heins. *hac ne.* Misc. Obs. ix, 292.

Simul adolescentibus. Illustr. Pellicer. emendat, *simul de adolescentibus.* Utrumque Latine dicitur.

Cap. 48. *Quis finis.* Mallet Ernest. *qui finis.* Nihil mutandum.

Cap. 49. *Honesta vulnera accepissent.* Eleganter Muret. *excepissent.* At non necessario.

Cap. 50. *Sylvam Cæsiam.* Lips. et Bucher. mallent *sylvam Hesiam,* propter Hesum Deum. Nihil tamen mutaverim, cum Deus ille appellaretur quoque Camulus, et summa sit nominum varietas.

Limitem—scindit. Ita libri omnes editi. Emendandum *scandit,* conjectat Lips. quem secutus est Cl. Eccard. de origine Germanorum, p. 278. Nihil tamen mutaverim: nec peccat vulgata scriptura.

Concædibus munitus. Optime Beroald. et recentiores. Male in edd. plurimis, *munitur.* Perperam alii tentant, *munit.*

Ac ne pax quidem. Sic libri omnes; et optimo sensu, ut in notis supra explicavimus. Tentabat tamen eruditus Petav. *ac ne fax quidem.* Ingeniose certe; sed non probabiliter: licet castrorum ignes passim memorentur ap. vett. scriptores, ipsumque Tac. inf. c. 65.

Cap. 51. *Flammisque pervastat.* Frustra tentat Freinshem. *pervastata.*

Sine vulnere milites. Mallet Freinshem. *sine vulnere militis, qui semisomnos, inermos, aut palantes ceciderat.* Non ineleganter. Nihil tamen mutandum.

Per saltus porrigeretur. Male Heins. *progrederetur*, nec ad rem militarem consulte. V. quæ diximus in notis. V. quoque Misc. Obs. ix, 292.

Cap. 53. *Pandataria insula.* Libri omnes editi, *Pandateria.* Emendandum, *Pandataria*, ut patet ex ceteris scriptoribus, tum Græcis, tum Latinis. Eam cum Palmaria insula confundere videtur Strabo, vii, p. 123. merito distinxit Plin. iii, 6. Vicina est insulæ, *Vento tiene.*

Longinquitate exilii. Male vir eruditus apud Ryck. emendat, *exitii.* Ita quoque Gronov.

In maritum accendebat. Frustra tentat Ernest. *accenderat.*

Frustra speraverat. Freinshem. et Ernest. mallent *speraverit.* Nihil mutandum.

Cap. 54. *Sodalium Augustalium.* Augustalium dignitas in provinciis quoque pervulgata, sed sex tantum viris commissa, ut probant inscriptiones plurimæ, quarum hæ præcipuæ: apud Cl. Schoepflin. Alsat. Illustrat. Vol. i, p. 527. Ti. Cl. Carati. IIIIII. Avg. I. e. *Tiberius Claudius Curatius Sevir Augustalis.* In alia insigni inscriptione:

NERONI CAESARI
GERMANICIF
TI. AVGVSTI. N. DIVI AVG.
PRON. FLAMINI. AVGVSTALI
SODALI. AVGVSTALI.

memorata ap. Gruter. p. 237. n. 1. VI. VIR. AVGVST. 'Seviri Augustales' appellantur. De his sodalibus v. Cl. Noris, Cenotaph. Pisan. Dissert. i, c. 6. p. 56. Gori Inscr. Antiq. Vol. ii, p. 54.

Sodales Tatios. Ita Ms. Flor. edd. vett. Ernest. et recentiores. Lips. et alii nonnulli sine librorum auctoritate emendant, *Titios.* Præterea plurima disputant interpretes, ut Tacitum secum minime consentire evincant. Hic enim sodales Tatios a Tatio institutos tradit; et inf. Hist. ii, 95. eos a Romulo Tatio regi sacratos dicit. Pugnam sic dirimi posse recte existimat Pichena. Tatius, Sabinorum rex, in partem Romani imperii acceptus, Tatios sodales instituit, ne Sabinorum religio periret. Mortuo Tatio, sodales illos ipsi Tatio sacravit Romulus, ut Sabinorum animos certius devinciret. A Tatiis sodalibus diversi videntur, 'sodales Titii; ita dicti a Titiis avibus quas in auguriis certis observare solent,' Varro de L. L. iv, p. 23.

Tunc primum cœpta. Beroald. *cœptos.* Optime emendavit Lips.

cœpta. Sic enim inf. c. 77. 'At theatri licentia priore anno cœpta gravius tum erupit.' De multiplici Augustalium ludorum institutione v. Dion. liv, p. 527 et 545. lvi, p. 600. Alios ludos hoc anno a Livia institutos ibidem memorat. Lipsii emendationem, *cœpta*, editores omnes assumserunt in ordinem, Tacito ipso inf. auctore, aiunt. Quid ille affert inf. c. 77? Nempe 'hoc anno cœptam theatri licentiam.' Tamne sero, et universam? Licentiam histrionum et fautorum jam dudum sub Aug. pantomimorum amatore studiosissimo invaluisse, et ipsa res et historiæ loquuntur. Jam Horat. plebem in theatro viderat 'depugnare paratam, si discordaret eques.' Minime ergo totum hoc genus licentiæ 'tunc invectum' dici potuit, cum ludi Augustales darentur; sed hos ludos 'tunc primum institutos' turbavit discordia quædam. Hoc affert vetus lectio, quam non solum ferendam, sed conjecturæ etiam præferendam censemus. Nam 'primum cœptos' licebat dicere ludos, qui tunc primum solemni modo acti et sive celebrati novum in modum, sive instaurati a senatu essent. Non enim est dubium, quin hi iidem ludi sunt, quorum pars, circense ludicrum, sup. c. 15. in hunc annum Tribunis pl. concessum dicebatur.

Cap. 55. ***Et repentino.*** Muretus delebat particulam, *et*. Omitti, vel retineri potest.

Arminium ac Segestem. Utriusque, et Catumeri, Cattorum principis stemma proponendum, ad faciliorem hujus ac sequentis libri intelligentiam.

N
Cheruscorum Princeps.

SIGIMERUS
Velleius, ii, 118.
Tacit. Annal. i, 60.
Uxor
N
Tacit. Annal. ii, 10.

INGUIOMERUS
Tacit. Annal. i, 60.

Children of Sigimerus:

FLAVIUS
Tacit. Annal. ii, 9.
Uxor
N
Catumeri
Cattorum pr. filia
Tacit. Annal. xi, 16.

ITALICUS
Tacit. Ann. xi, 16.

ARMINIUS
Uxor
THUSNELDA
Tacit. i, 57.
Strabo, vii,
p. 292.

THUMELICUS
Strabo, vii,
p. 292.

N
Cheruscorum Princeps.

SEGESTES
Tacit. Annal. i, 57. 71.

THUSNELDA
Uxor
Arminii
Tacit. Ann.
i, 57.
Strabo, vii,
p. 292.

SEGIMUNDUS
Tacit. Ann.
i, 57.

SEGIMERUS.
Tacit. Annal. i, 71.

SESITACHUS
Strabo, vii,
p. 291.
Uxor
RHAMIS
Strabo,
Ibid.

N
Cattorum Princeps.

CATUMERUS
Tacit. Annal. xi, 16.

N
Uxor
Flavii
Tacit. Annal.
xi, 16.

RHAMIS
Uxor
Sesitachi
Strabo, vii,
p. 291.

Cap. 56. ***Regredienti metuebatur.*** Ita edd. vett. Ernest. et recentiores. Perperam ab aliis emendatum, ***metuebantur.***

Nando tramiserat. Optime Pichen. Ryck. et recentiores. Male Beroald. ***tramiserit***, quod hæc cum superioribus conjungeret.

Cap. 57. ***Rebusque motis.*** Ita Lips. et recentiores omnes: sic

ferme etiam Tac. inf. An. xiv, 61. 'Ducem tantum defuisse, qui, motis rebus, facile reperiretur.' Beroald. et alii vett. ***rebus commotis.***

Anno, quo Germanicæ descivere. Hæc pertinent ad immensum bellum, quod exarsit sub M. Vinicio, A. U. C. 754. J. C. 1. ut ex Vell. Paterc. ii, 104. recte collegit eruditus Ryck. Hoc ergo anno Segimundus sacerdos Augusti adhuc vivi creatus fuerat apud Aram Ubiorum. Postea ruperat vittas, profugus ad rebelles; et ut videtur, post Varianam cladem.

Bonæ societatis. Frustra tentat Ernest. ***nostræ*** aut ***Romanæ societatis.***

Cap. 58. ***Idem conducere.*** Quidam emendant, ***conduceret.*** At nihil peccat vetus scriptura.

Quam perniciem maluerit. Heins. emendat, ***maluerint.*** Latine quidem, sed non necessario. V. Misc. Obs. ix, 292.

Vetera in provincia. Ita Ms. Flor. Jac. Gronov. et recentiores. Beroald. et antiquæ edd. ***veterem.*** Alii, ***vetere.*** Tentabat quoque Lips. ***uberem.*** Nefas a Ms. codice discedere, licet duriuscula sit verborum conjunctio, ***sedem Vetera in provincia.***

Cap. 59. ***Hominem Germanos.*** Grotius mallet, ***homines;*** Heins. ***ignominiam.*** Nihil mutandum. V. Misc. Obs. ix, 292. ***Hominem.*** Grotius ***homines,*** quam quidem rationem ornavit Gronovius eleganterque explicuit. Verum illud miramur, qui ei probari potuerit languidissime additum ***homines,*** quod nusquam ap. Tac. ita legi contendimus. Primum vero vitiosum esse ***hominem,*** nemo dubitabit. Nam oratio statim conversa ad ***rem,*** quæ inexcusabilis ***hominis,*** cujus illud commissum sit, commemorationi repugnat; quatenus objectivus casus inest his ipsis, 'Quod—viderint.' Quanquam id ferendum esset, si hujus verbi loco legeretur ***adduxerit*** aut simile quodpiam, quod a Segeste penderet. Etiam hoc argueris, quam ridicule loquatur Arminius, qui optare videatur, ut invisus socer excusationem et veniam impetret? Præterea alia quoque parte laboramus in hoc loco, siquidem ***sacerdotium*** sic nude prolatum loquentis animum non explet, et excidisse videtur aliquid quod peregrinæ religionis contemtum indicaret. His incommodis omnibus medebitur conjectura nostra: ***Redderet filio sacerdotium Romanum: Germanos, &c.*** Nunc demum verbum ***accusandi*** nativa fungitur potestate, quam obscurare temere volebat Gronov.; simul ita vis et vigor redditur sententiæ. Wolf. Animad. in Tacit.

Satis excusaturos. Tentat Lips. ***accusaturos.*** Minime necessario.

Ignorantia populi Romani. Optimo sensu, alias gentes, ob longinquitatem et ignorantiam populi Romani, supplicia inexpertas, tributorum nescias, Romanis parere: se vero hæc mala expertos, sine probro parere non posse. Conjectat Lips. emendandum ***ignorantiam.***

Ille delectus Tiberius. Male Heins. ***ille Deo dilectus.*** Id excogitavit, quod in quibusdam edd. ***dilectus*** reperiatur, sciolorum errore, qui passim emendarunt, ***dilectus, dilecti, diligo,*** pro ***delectus, delecti, deligo.*** At Beroald. aliæque edd. optimæ notæ habent, ***delectus, delecti.*** V. Misc. Obs. ix, 292 et 293.

Cap. 60. ***Insepultæ dicebantur.*** Heins. male emendat, ***visebantur.*** Romanis nondum visæ, insepultæ dicebantur. V. Misc. Obs. ix, 293.

Cap. 61. ***Ac memoria deformes.*** In Ms. Flor. ***deformides.*** Ex hoc librariorum errore infeliciter tentat Jac. Gronov. ***deformi. Dein.*** Heins. ***deformi. Iidem.*** V. Misc. Obs. ix, 293.

Cap. 63. ***Castrametari in loco.*** Mallet Heins. ***ilico.*** Nihil mutandum. Sic enim inf. An. iv, 47. 'mox castris in loco communitis.' V. Misc. Obs. ix, 293.

Cap. 64. ***Inclinantes tum legiones. Tum,*** redundare existimat Ernest. Freinshem. mallet, ***jam.*** Certe melius abesset; et librariorum incuria ex sequentibus, ***ne tum quidem,*** arcessitum videtur. V. Misc. Obs. ix, 293. Forte ***multum,*** &c. vel ***inclinantes opportune,*** &c. ***exemit:*** sed et ***tum*** potest servari.

Cap. 65. ***Et eodem iterum fato.*** Frustra Pichena et Heins. tentant, ***en eodem.*** Immo Heins. legit: ***En Varus, en uno eodemque iterum fato.*** Misc. Obs. ix, 293.

Excussis rectoribus. V. Misc. Obs. ix, 294.

Petendus agger. Incassum Heins. ***repetendus.*** V. Misc. Obs. ix, 294.

Cap. 67. ***Sævitiam hostium.*** Ernest. existimat addendum, aut intelligendum, ***aliam sævitiam.*** Quod frigidum, nec Cornelianum.

Gloriam: quæ domi. Sic interpungunt, et recte, Ms. Flor. Beroald. et alii nonnulli. Ceteri male distinguunt, ***gloriam, quæ domi.***

Osrus a suis. Frustra tentat Lips. ***orsus a suo.*** Plures equos habere potuit, et habuit Cæcina.

Cap. 68. ***Proruunt fossas.*** Infeliciter tentant Turneb. et Freinshem. ***Proruunt, fossis injiciunt crates.*** Mirum id Ryck. probasse, et veterem scripturam mutasse. 'Proruunt fossas,' terra proruta explent, cratibus integunt, ut summa valli prensare valeant. Ita passim loquuntur Cæs. Liv. ac Tac. Perperam in Ms. Flor. ***fossos.*** In hoc codice, ***o*** et ***a*** sæpe commutantur, ut observavit Jac. Gronov.

Postquam hæsere munimentis. Inhæsere vel ***adhæsere*** præstat. Misc. Obs. ix, 294.

Hosti, facile excidium. Pessime Lips. ***Hostis facile excidium.***

Donec ira et dies. Frigide et insulse Heins. ***donec iratis dies.*** Misc. Obs. ix, 294.

Cap. 69. ***In longum jaciens.*** Male Heinsius, ***in longum acuens.***

Cap. 70. ***Sicca humo, aut modice adlabante æstu.*** Fortasse castigandum est, ***primum iter siccata humo aut modice uda, relabente æstu quietum habuit.*** Possis quoque ***ut modice adlabante æstu:*** tum mox scribendum, ***magna pars udo, aut mulcato corpore,*** non ***nudo,*** quo spectat illud, 'sine igni,' quo vestes udæ siccarentur. Misc. Obs. ix, 294.

Sapiens ab imprudenti. In libris editis, ***sapiens a prudenti.*** Emendandum, ***ab imprudenti,*** vident omnes; et ita vertunt optimi quique interpretes. Wolf. animad. in Tacit. Ubi nunc ex Lips. conjectura legitur ***sapiens ab imprudenti,*** Cod. habuit ***a prudenti.*** Hoc forsan uno Lampugnani larva, cum Lips. pugnans, proxime accessit ad verum. Leniter ea correxit ***sapiens ab rude.*** Sed ex bonorum scriptorum observatione et regula Plin. maj. apud Charis. i, p. 114. ac Priscian. vii, p. 767. debebat esse ***rudi.*** Inde vitio irrepsisse videtur ***aprudi,*** tum corrector aliquis dedit ***a prudenti.***

Sine igni. Ita libri vett. Cl. Lallemand, *igne.*

Ad amnem Unsingin. In Ms. Flor. et edd. vett., *ad amnem Visurgin,* manifesto errore. Quomodo enim Vitellius Amisia profectus, ut Rhenum versus itinere terrestri tenderet, ad amnem Visurgim, *the Weser,* perveniret? Jam Lips. emendaverat *ad amnem Vidrum, the Wecht.* Verum ne toto quidem triduo legiones cum utensilibus huc penetrassent. Unus Cl. Alting, Not. Germ. Inf. Antiq. p. 130. felicissime emendavit, *ad amnem Unsingin:* amnis ille adhuc, *Hunse* vel *Hunsing* appellatur; ei adjacet urbs *Groningen.* De hac emendatione nulla suboriri potest dubitatio, et plana sunt omnia. Germanicus enim ab Amisia, *the Ems,* ad Unsingin, seu portum Marnamanem, nunc *Marnsters,* classe contenderat; pedes Vitellius eo pervenit. Legiones, classi impositæ, Rhenum petunt, ac tandem ad castra Vetera, et deinde in civitatem Ubiorum reduces salutis suæ fidem faciunt.

Cap. 71. *Cunctantius filio.* Ita Ms. Flor. Pichena et recentiores. Male Beroald. *cunctatius.*

Cap. 72. *Dictans.* Melius, *dictitans,* ut monuit Muret.; pronusque in hoc librariorum error.

Specie legis ejus tractavit. An, *specie legis vetustæ retractavit,* vel *iteravit.* Misc. Obs. ix, 294, 295.

Cap. 73. *Nomen Augusti.* Freinshem. mallet, *numen.*

Scripsit consulibus. Alia scribit Dio lvii, p. 619. Errat Lips. qui eum, quasi eadem aliter narrantem, accusat.

Cap. 74. *Prætorem Bithyniæ.* Bithynia, populi, non vero Cæsaris erat provincia. Cum tamen non modo a consularibus, sed etiam a prætoriis viris administraretur, ejus rector appellari potuit prætor, sicut a Strab. xiv, p. 684. Cyprus dicitur 'prætoria provincia,' στρατηγικὴ ἐπαρχία. Nec *prætorem* in *proconsulem* mutandum, ut voluere Mercer. et Lips. Vide Cl. Spanheim. de Præstant. numism. Vol. ii, p. 593. Noris. Cenotaph. Pis. Dissert. iv, p. 207. Bithynia, nunc *the western part of Natolia.*

Pœnitentia patiens. Frustra tentant Faern. et Muret. *tanto patientius.* Heins. *pœnitentiæ patiens:* Misc. Obs. ix, 295. Ernest. *quandoque incautius,* ita ut *quando* pro *quia* accipiatur. Nobis scribendum videtur *pœnitentiæ patens.* Bibl. Crit. ii, 6, 60.

Cap. 75. *Ærarii prætoribus.* Mallet Ernest. *ærarii præfectis.* De prætoribus ærario præfectis v. inf. An. xiii, 29. Hist. iv, 9.

Cap. 76. *Proconsulari imperio, tradique Cæsari.* Cum hujus provinciarum divisionis frequens mentio in historicis occurrat, rem juvat altius repetere. A. U. C. 727. A. C. 26. Augustus cos. VII. cum collega Agrippa II. provincias Cæsarem inter et senatum populumque Romanum divisit. Obtigere

SENATUI AC POPULO R.	CÆSARI
Africa et Numidia,	Hispania Tarraconensis et Lusitania,
Asia,	Gallia, et Germania superior et inferior,
Achaia, seu Græcia,	Cœlesyria,
Epirus,	
Dalmatia,	

SENATUI AC POPULO R.	CÆSARI
Macedonia,	Phœnice,
Sicilia,	Cilicia,
Creta et Libya Cyrenaica,	Cyprus,
Bithynia et Pontus,	Ægyptus, et ceteræ omnes provinciæ.
Sardinia,	
Bætica.	

V. Dion. liii, p. 503. Strab. xvii, p. ult. Postea Augustus Cyprum et Galliam Narbonensem populo reddidit, et mutuo Dalmatiam accepit. Achaiam et Macedoniam ad Tiberium translatas Claudius populo restituit, Suet. Claud. 25. Dio lx, p. 680. Qui provincias populi administrabant, sive consulatum gessissent, sive non gessissent, proconsules appellabantur. Rectores provinciarum Cæsaris, legati, prætores, proprætores dicebantur, etiam si consules fuissent. Proconsules sorte, prætores delectu mittebantur. Togati et sine gladio proconsules, sed tribus legatis et duodecim fascibus insignes. Paludati et cum gladio prætores, sed sex tantum fascibus et uno legato utebantur. Melior Cæsarianarum, quam proconsularium provinciarum conditio, quod Cæsar tranquillitatem provinciarum, imperii securitatem provideret; proconsules, non laudi atque gloriæ, sed libidinibus et divitiis inhiarent. In prætores, si quid peccassent, statim Cæsar, ac maxime Tiberius, animadvertebat. Proconsules, vel gravissimorum scelerum rei, a senatu judicabantur, ipsi senatores, vel senatoribus adfines. Itaque non mirum Achaiam ac Macedoniam onera deprecantes levari proconsulari imperio, et tradi Cæsari. Cl. de Montesquieu, *Esprit des Loix*, xiii, 19. p. 358. his Taciti verbis utitur, ut probet in imperio damnosam esse publicanorum societatem, *Angl. the rent of farms ;* tributa vero, *Angl. the administration*, populorum felicitati maxime conducere. Longius, nec verius, arcessita auctoritas. De publicanis plura dicemus in notis ad An. xiii, 50. Interea quibus et quam nefariis artibus provincias diriperent proconsules, quomodo proconsul L. Piso Achaiam exhauserit, Macedoniam barbaris condonaverit, se ipse reipublicæ hostibus trecentis talentis, *Angl.* 67,500*l.* vendiderit, luculenter docet Tullius in Pison. xxxiv, sq. De proconsulum et prætorum, seu præsidum, officio plura et accurata v. ap. erudit. Campian. de Offic. et Potest. Magistrat. Rom. p. 259 sq.

Quod vulgus formidolosum. Plurimum placet Lipsii conjectura, *quod in vulgus formidolosum.* Licet Tacitus *formidolosum* cum dativo sæpe conjunxerit, haud ita eleganter tentat Gronov. *quod vulgo formidolosum.*

Movendasque populi offensiones. Fovendasque malim. Misc. Obs. ix, 295.

Cap. 77. *At theatri.* Ita Ms. Flor. Pichena et recentiores. Perperam Beroald. *a theatri.*

De modo lucaris. In vet. marm. ap. Ant. Augustin. de legibus, Tab. 25. agitur, DE. LVCARI. LVDORVM. SA*ecularium*—LVCARIS NOMINE. Cur pecunia, quæ in spectacula erogatur, *Lucar* appelletur quærit Plut. Quæst. Rom. Vol. ii, p. 285. et innuit: quia multi erant circa

urbem luci, quorum reditus in spectacula insumebantur. *Διὰ τί τὸ τελούμενον εἰς θεὰς λοῦκαρ καλοῦσιν; ἢ ὅτι πολλά ἐστιν ἄλλα* (corrige *ἄλση*, vel *ἄλσεα*) *περὶ τὴν πόλιν ἀνειμένα θεοῖς, ἃ καλοῦσι λούκους, καὶ τὴν ἀπὸ τούτων πρόσοδον εἰς τὰς θεὰς ἀνήλισκον.* Itaque 'ludorum ac munerum impensas corripuit' Tiberius, 'mercedibus scenicorum recisis,' Suet. Tib. 34. At quousque mercedes illas reciderit, quem lucaris modum posuerit, forte accipi potest a Lucian. Vol. ii, p. 787. in Icaromenippo, c. 29. ubi ait philosophos, virtutis nomine circumdatos, 'similes esse Tragicis illis actoribus, quorum si personam auferas et vestem auro intextam, reliquum ridiculum est, homunciones septem drachmis, [*Angl. 5s. 3d.*] ad certamen conductos.' *Ἐοικότες μάλιστα τοῖς τραγικοῖς ἐκείνοις ὑποκριταῖς, ὧν ἢν ἀφέλῃς τὰ προσωπεῖα, καὶ τὴν χρυσόπαστον ἐκείνην στολὴν, τὸ καταλειπόμενόν ἐστι γελοῖον, ἀνθρώπιον ἑπτὰ δραχμῶν ἐς τὸν ἀγῶνα μεμισθωμένον.* Nec ferme aliter Seneca, Ep. lxxx, 'Ille qui in scena elatus incedit, et hæc resupinus dicit: '*En impero Argis; regna mihi liquit Pelops, Qua Ponto ab Helles atque ab Ionio mari Urgetur Isthmos;*' servus est, quinque modios accipit, et quinque denarios,' *Angl. 3s. 4d.* Olim longe majus fuit lucar, aut potius maxima semper extitit fautorum insania, siquidem vel ap. vet. pop. Rom. 'Roscius histrio IIid annua, [*Angl. 4166l. 13s. 4d.*] meritasse' proditur, Plin. vii, 39. Nec viliores operæ Clodii Æsopi, tragici histrionis, quem, teste Macrob. Saturn. ii, 10. ex histrionica 'arte ducenties sestertium, [*Angl.* 166,666*l.* 13*s.* 4*d.*] reliquisse filio constat:' quorum de luxu dicemus in not. et em. ad An. iii, 52. Inde patet quam merito de modo lucaris, et adversus fautorum lasciviam fuerit decretum. Quantum vero hæc ludorum insania, imperante Nerone, recruduerit divinari facile potest: nec prætorem puduit histrionico Principi 'HS. decies [*Angl.* 8333*l.* 6*s.* 8*d.*] offerre,' Suet. Ner. 21. Ut malo immensum grassanti occurreret M. Antoninus, 'temperavit scenicas donationes, jubens ut quinos aureos, [*Angl. 5l.*] scenici acciperent: ita tamen, ut nullus editor decem aureos [*Angl.* 10*l.*] egrederetur.' Capitolin. Vit. Antonin. xi. Tanto pretio mores perditum ibant Romani!

Spectarentur. Frustra tentat Heins. ***sectarentur.***

Cap. 78. ***Sexdecim stipendiorum.*** Mallet Freinshem. ***sextodecimo stipendio.*** Vulgatam scripturam merito retinet ac defendit Ernest.

Cap. 79. ***Ob moderandas.*** Ernest. conj. ***ad.*** Utrumque Latine dicitur.

Verterentur flumina. Heins. tentat, ***averterentur.*** Eleganter, sed non necessario.

Idque ipsis. Latinus Latinius emendat, ***id quod.*** Satis probabiliter; nihil tamen mutaverim. Misc. Obs. ix, 295.

Cap. 80. ***Achaia et Macedonia.*** Provinciæ illæ senatui a Claudio Principe sunt redditæ, teste Suet. Claud. 25. et Dione lx, p. 680. Inde a D. Luca, Act. Apost. xviii, 12. memoratur Gallio, Achaiæ proconsul. Totam vero Græciam Romani Achaiam dixere, quod Achæi rerum potirentur, cum L. Mummius Corinthum evertit, totaque Græcia Romani juris facta est A. U. C. 608. A. C. 145. *Καλοῦσι δὲ οὐχ Ἑλλάδος, ἀλλ' Ἀχαΐας ἡγέμονα οἱ Ῥωμαῖοι· διότι ἐχειρώσαντο Ἕλληνας δι' Ἀχαιῶν τότε τοῦ Ἑλληνικοῦ προεστηκότων,* Pausan. vii, 16. Achaic.

NOTÆ ET EMENDATIONES

AD LIBRUM SECUNDUM ANNALIUM

C. CORNELII TACITI.

Cap. 1. *A Phraate.* Cum intricatissima sit regum Parthorum series, eorum Canonem, qui in obscuris consulatur, juvat proponere: regnorum vero annos et intervalla definire, silentibus veteribus scriptoribus, temerarium foret, ut recte pronuntiat Jos. Scaliger, Canon. Isagogic. iii, p. 316. Monuerim autem de hoc regum Parthorum Canone, multum lucis ope nummorum a Cll. Barthelemy et Pellerin fuisse adfusum; quos consule.

CANON REGUM PARTHORUM.

A. U. C. 498. A. C. 255.—Arsaces I. ab Antiocho II. (perperam Justin. xli, 4. a 'Seleuco') Syriæ rege deficit, L. Manlio Vulsone, M. Attilio Regulo coss., regnum Parthicum auspicatur, tantisque illustrat virtutibus, ut ejus successores dicantur ARSACIDÆ. Matura senectute decessit. Justin. xli, 4 et 5. Strabo xi, p. 515. Tac. An. ii, 1. Male Petav. Usser. et recens Cl. Bayer, Histor. regni Græcor. Bactriani, p. 51. initium Æræ Parthicæ ab A. U. C. 504. A. C. 249. repetunt, ut patet ex Tac. An. xi, 9. xii, 14. ex Dione lxxviii, p. 881 et 886. atque ex nummis Vologesis I. Vologesis II. et Artabani III. Moses Chorenensis, Hist. Armen. ii, 1 et 2. Arsacen memorat, imperiumque conditum anno 60. Seleucidarum, seu U. C. 500. tradit. Postea a Græcis Romanisque scriptoribus vulgo ita discrepat, ut ejus narrationi immorari non liceat.

Arsaces II. Arsacis I. filius. Justin. xli, 5. Polyb. x, p. 598. Arianus ap. Syncell. p. 284. ait Arsacen I. duos tantum annos regnasse: eique per annos 37. fratrem ejus Tiridaten successisse. Mihi potior Justini, sive Trogi Pompeii, fides. Cl. Vaillant, Arsacid. Imper. p. 16. obtrudit ARTABANUM, quem Tiridatis, seu Arsacis II. filium fuisse, et per annos viginti imperasse, Elichmanum secutus, fingit. Nos Justin. et Polyb. sectamur.

Priapatius, annos quindecim regnavit: dictus quoque Arsaces, sicut ceteri reges. Justin. xli, 5.

Phraates I. Priapatii filius, Mardos domuit. Justin. xli, 5.

Mithridates I. Priapatii filius, vir insignis virtutis. Justin. xli, 5.

Phraates II. Mithridatis I. filius, a militibus interfectus. Justin. xlii, 1.

Artabanus I. Phraatis II. patruus, in bello vulneratus statim decedit, Justin. xlii, 2.

Mithridates II. cognomento Magnus, Artabani I. filius. Justin. xlii, 2.

MNASCIRES, annos sex et nonaginta vixit. Lucian. Vol. iii, in Macrobiis, xvi.

SANATRUCES, annos natus octoginta regnare cœpit: annis septem regnavit. Lucian. ibid. xv, dictus 'Sintruces:' Appian. in Mithridatic. p. 242. 'Sintricus.' At verior nummus ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΡΣΑΚΟΥ ΣΑΝΑΤΡΟΙΚ . . ΜΕΓΑΛΟΥ ΘΕΟΠΑΤΟΡΟΣ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ, qui extat, apud Cl. Pellerin, *Recueil de Médailles de Rois*, Tab. xv.

PHRAATES III, Sanatrucis filius, cognomento DEUS. Appian. in Mithridatic. p. 242. Phot. Cod. xcvii.

MITHRIDATES III. Phraatis III. filius, propter crudelitatem regno pellitur, mox a fratre interficitur. Justin. xlii, 4. Appian. in Parthic. p. 134.

ORODES I. Mithridatis III. frater, Crassum et undecim legiones Romanas trucidavit A. U. C. 701. A. C. 52. Justin. xlii, 4. Florus iii, 2. Appian. in Parthic. p. 140. sq. Tac. An. ii, 2.

PHRAATES IV. Orodis filius, homo sceleratissimus, patre et triginta suis fratribus interfectis, imperat. Antonium, et sexdecim legiones Romanas exturbavit A. U. C. 718. A. C. 35. Dio xlix, p. 406. Justin. xlii, 5. Appian. in Parthic. p. 155 sq. Tac. An. ii, 2. Frœlich Notit. Element. Numismat. p. 179. laudat e gaza Imperatoria Phraatis IV. nummum cusum anno Æræ Parthicæ 235. seu U. C. 732. A. C. 21.

PHRAATACES, Phraatis IV. filius nothus et interfector; mox regno pulsus, Joseph. Antiq. Jud. xviii, 2. Tac. An. ii. 2.

ORODES II. Arsacidarum sanguine prognatus; brevi pulsus. Joseph. Antiq. Jud. xviii, 2. Tac. An. ii, 2.

Circa A. U. C. 766. J. C. 13.—VONONES I. Phraatis IV. filius, ob luxum, moresque Romanos regno pulsus. Tac. An. ii, 2.

ARTABANUS II. Arsacidarum e sanguine, a Parthis excitur, regnoque potitur. Tac. An. ii, 3.

A. U. C. 788. J. C. 35.—PHRAATES V. Phraatis IV. filius, contra Artabanum II. a Tiberio rex mittitur. At, apud Syriam morbo absumtus, perit. Tac. An. vi, 31 et 32.

A. U. C. 788. J. C. 35.—TIRIDATES, Phraatis IV. nepos, et, ut videtur, Vononis I. filius, a Tiberio missus, Artabani II. regnum occupat: mox pellitur. Tac. An. vi, 32. 37 et 44.

ARTABANUS II. secundum. Joseph. Antiq. Jud. xx, 3.

CINNAMUS, Artabano II. profugo, imperat. Joseph. ibid.

ARTABANUS II. tertium. Joseph. ibid.

GOTARZES, interfecto fratre suo Artabano II., regnum occupat Tac. An. xi, 8.

A. U. C. 800. J. C. 47.—BARDANES, Artabani II. filius, de regno cum Gotarze paciscitur. Tac. An. xi, 8 et 9.

GOTARZES iterum imperat, Bardane interfecto. Tac. An. xi, 10.

MEHERDATES, Phraatis IV. nepos, Vononis I. filius, Gotarzis æmulus, et ab illo victus. Tac. An. xi, 10. xii, 10 et 14.

VONONES II. Gotarze mortuo, in regnum accitus; brevi et inglorio imperio perfunctus est. Antea Medos præsidebat. Tac. An. xii, 14.

Ante A. U. C. 804. J. C. 51.—VOLOGESES I. Vononis II. filius, materna origine ex pellice Græca, concessu fratrum regnum adeptus. Tac. An. xii, 14 et 44. Extant ejus nummi cum nota HT apud Vail-

lant, Arsacid. Imper. p. 293. cum nota ΑΛΤ apud Panel, *Lettre sur le Médaillier de M. le Bret*, p. 4. Quæ notæ significant annos Æræ Parthicæ 308 et 331. seu U. C. 805 et 828. J. C. 52 et 75.

A. U. C. 807. J. C. 54.—VARDANES, Vologesis I. patris sui æmulus. Tac. An. xiii, 7.

PACORUS, Parthorum rex, sub Trajani principatu. Plin. x, Ep. 16. Vaillant, Imp. Arsacid. p. 302. memorat Pacori nummum cum nota ΕΝΤ. i. e. Æræ Parthicæ 355. seu U. C. 852. J. C. 99.

CHOSROES, Dio lxviii, p. 778. Vaillant Arsacid. Imp. p. 321. nummum ejus refert cum nota ΔΟΤ. i. e. Æræ Parthicæ 374. seu U. C. 771. J. C. 118. Alterum, Panel. l. c. cum nota ΗΟΤ. i. e. Æræ Parthicæ 378. seu U. C. 875. J. C. 122.

VOLOGESES II. imperare cœpit circa an. U. C. 886. J. C. 133. Dio lxix, p. 794.

MONNESES, Vologesis II. æmulus. Vaillant Arsacid. Imp. p. 339. protulit Monnesis nummum cum nota ΥΚΒ. i. e. Æræ Parthicæ 422. seu U. C. 919. J. C. 166. Alterum Scipio Maffei, Galliæ Antiq. Ep. xxii, p. 106. cum nota ΥΚΕ. i. e. Æræ Parthicæ 425. seu U. C. 922. J. C. 169.

VOLOGESES II. iterum. Paul. Oros. vii, 15. Extant ejus nummi cum notis Æræ Parthicæ 423, 424, 428, 429, 439. seu J. C. 167, 168, 172, 173, 183. Frœlich Notit. Element. Numismat. p. 179. Cl. Pellerin, *Recueil de Médailles de Rois*, p. 151.

VOLOGESES III. Dio lxxv, p. 854. lxxvii. p. 875. Habentur ejus nummi cum notis Æræ Parthicæ 451, 454, 460, 461, 465. seu J. C. 195, 198, 204, 205, 209. Frœlich, l. c.

ARTABANUS III., ultimus Parthorum rex, imperare cœperat ante A. U. C. 958. J. C. 215. Dio lxxviii. p. 881 et 886. At tribus præliis victus, ab Artaxerxe victore interficitur A. U. C. 986. J. C. 233. Finis imperii Parthici. Persicum regnum instaurat Artaxerxes. Dio lxxx, p. 918. Herodian. iv, 2 sq. Extant nummi Artabani III. cum notis Æræ Parthicæ 471, 472, 475, 480. seu J. C. 215, 216, 219, 224. Frœlich, l. c. Cl. Pellerin, *Recueil de Médailles de Rois*, p. 151.

Cap. 2. *Ipsorum moribus.* Beroald. aliique vett. emendant *ipsorum majoribus.* Emendandum, *moribus* recte conjectavit Lips. Muret. Gronov. ceterique recentiores probavere. Pessime tentat Heins. *ignotæ Parthis virtutes, novitate invisæ, et quia ipsorum a moribus alienæ, perinde odio pravis et honestis.* V. Misc. Obs. ix, 383.

Cap. 3. *Artavasden regem.* Non minor est Armeniorum, quam Parthorum, regum obscuritas. Eadem itaque cum ad historiæ facilitatem, tam ad lectorum utilitatem, eorum canonis necessitas.

CANON REGUM ARMENIÆ MAJORIS.

A. U. C. 565. A. C. 188.—ARTAXIAS I. a rege Syriæ, Antiocho III. Magno deficit, et Armeniæ majoris regnum condit. Ab Antiocho IV. Epiphane, bello victus et captus A. U. C. 589. A. C. 164. Strabo xi, p. 528. Diod. Sic. in Excerpt. p. 325. Appian. in Syriac. p. 117. Moses Chorenensis, Hist. Armen. ii, 3. ait Valarsacen regnum Armeniæ a fratre suo Arsace II. Magno accepisse. In Armeniacis, ut in Parthicis, tam aliena a ceteris scriptoribus narrat, ut eo abstineamus.

Ortoadistes (forte dicendus Artavasdes) cui Mithridates II. Parthorum rex, bellum intulit, teste Justin. xlii, 2.

Tigranes I. Appianus in Syriac. p. 118.

Tigranes II. Magnus, Tigranis I. filius, Artaxia I. prognatus, vixit annos quinque et octoginta. Appian. in Syriac. p. 118. Justin. xxxviii, 3. Lucian. Vol. iii, in Macrobiis c. 15. Strabo xi, p. 532.

Ante A. U. C. 700. A. C. 53.—Artavasdes I. (Appian. in Parthic. p. 138. Artabases) Tigranis Magni filius, ab Antonio vinctus, post a Cleopatra interfectus A. U. C. 724. A. C. 29. Dio xlix, p. 407 et 415. li, p. 446. Strabo xi, p. 524 et 530. Plut. Anton. p. 939. Tac. An. ii, 3. Nummus æreus hujus Principis ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΒΑΣΙΛΕΩ... ΡΤΑΥΑΣ.... I. e. 'regis regum Artavasdis,' nuper in lucem editus a Cl. Pellerin, *Recueil de Médailles de Rois*, Tab. xv, p. 152.

A. U. C. 734. A. C. 19.—Artaxias II. (Dioni xlix, p. 415. Artaxes; et liv, p. 526. Artabases) Artavasdis I. filius, dolo propinquorum occisus. Tac. An. ii, 3.

A. U. C. 734. A. C. 19.—Tigranes III. (Velleio ii, 94. Artavasdes) Artavasdis filius, Armeniis ab Augusto rex datus, et in regnum a Tiberio deductus. Dio liv, p. 526. Tac. An. ii, 3.

NN. Filii Tigranis III. quibus diuturnum non fuit imperium. Tac An. ii. 3. Zonar. Vol. i, p. 538.

A. U. C. 748. A. C. 5.—Artavasdes II. Armeniis jussu Augusti impositus; et solio dejectus A. U. C. 752. A. C. 1. Tac. An. 2. 3. Zonar. Vol. i, p. 539.

Circa A. U. C. 755. J. C. 2.—Ariobarzanes, origine Medus, volentibus Armeniis a Caio Cæsare præficitur. Tac. An. ii, 4. Zonar. Vol. i, p. 539.

Erato, fœmina, brevi pulsa. Tac. An. ii, 4.

Vonones, Phraatis IV. filius, olim Parthorum rex. Tac. An. ii, 3 et 4.

A. U. C. 771. J. C. 18.—Zeno (Armeniis Artaxias III.) Polemonis, regis Pontici, et Pythodoridis filius. Insigne regium ei imposuit Germanicus. Tac. An. ii, 56. vi, 31.

A. U. C. 788. J. C. 35.—Arsaces, Artabani II. Parthorum regis, filius natu maximus, regnum occupat. Tac. An. vi, 31.

A. U. C. 788. J. C. 35.—Mithridates, Iberus, a Caio Caligula in vincula conjectus, regno restitutus a Claudio. Tac. An. vi, 32. xi, 8. xii, 44 sq.

A. U. C. 804. J. C. 51.—Rhadamistus, filius Pharasmanis, Iberorum regis, occiso patruo suo Mithridate, a patre suo ipse interficitur. Tac. An. xii, 44 et 47. xiii, 37.

A. U. C. 805. J. C. 52.—Tiridates, Vologesis, Parthorum regis, frater, mox regno pulsus. Tac. An. xii, 51. xiii, 37. xiv, 26.

A. U. C. 813. J. C. 60.—Tigranes, Archelai, Cappadocum regis, nepos, a Nerone Armeniis rex datus. Tac. An. ii, 42. xiv, 26. xv. 24.

A. U. C. 816. J. C. 63.—Tiridates, olim pulsus, regnum a Nerone recipit. Tac. An. xv, 28 et 29.

Exedares, Pacori, Parthorum regis, filius regno cessit. Dio lxviii, p. 778.

Parthamisiris, Exedaris frater, quem regno exturbavit Trajanus:

Armeniaque facta provincia Romana, A. U. C. 867. J. C. 114. Dio lxviii, p. 778 et 779. Postea restitutum Armeniæ regnum: sed nihil ad nos pertinet.

Cap. 5. *Præliorum vias.* Optime dictum. Male tentat Heins. *præliorum dubia;* Acidal. *præliorum vices.* V. Misc. Obs. ix, 383.

Sæva vel prospera. Mallet Lips. *scæva*, id est, *sinistra.* At nihil mutandum.

Damno armorum. Infeliciter emendat Boxhorn. *damno armentorum.* Romani, graves armis, ea in sylvis ac paludibus amittebant. V. quæ dicta sunt supra An. i, 64. 68 et 71.

Promtam ipsis possessionem. Acidal. Boxhorn. Ernest. mallent, *profectionem.* Sed perperam. Mare intrando, promta erat Romanis Germaniæ possessio, et ignota hostibus, qui raro utebantur navibus, neque hæc cogitabant. Ne corrigas cum Heins. *ut hostibus ignotam,* pro *et hostibus ignotam.* Vide Misc. Obs. ix, 383.

Cap. 6. *C. Antio.* In libris editis, *Cantio.* Divinabat Lips. *Scantio.* Male vertit Cl. Gordon, *whilst Publius Vitellius and Publius Cantius.* Optime Amelot de la Houssaie, *il envoie P. Vitellius et C. Antius.* Sicque emendandum monuerat Ursinus. Ad hunc C. Antium forte pertinet inscriptio, apud Lingones reperta, Gruter. l, n. 9.

DEO. MERCVRIO. ET. POS.
TVERTE. C. ANTIVS. TITI
FILIVS. EX. VOTO.

Majorum ejus memoria extat in nummis familiæ Antiæ, de quibus vide Vaillant, Famil. Rom. Vol. i, p. 77.

Appositis utrimque gubernaculis. Ejusmodi navem exhibet volumen alterum picturarum Herculanensium cum summa literarum utilitate, summo literatorum plausu nuper editum, *Pitture Antiche d'Ercolano.* Vol. ii, Tab. xiv, p. 89.

Super quas tormenta. Ernest. mallet, *super quos,* ut referatur ad *pontes.* Nihil mutandum.

Augebantur. Perperam conjectant Faern. et Muret. *agebantur.*

In quam convenirent prædicta. Ryckii amicus malebat, *dicta.* At *prædicta,* pro *dicta* usurpari posse probat Ernest. ipsa Taciti, inf. c. 79. auctoritate.

Vahalem accolæ. Ms. Flor. *Vahalam,* quod immerito probat Gronov. A Cæs. B. G. iv, 10. *Walis* appellatur.

Cap. 7. *Eo duxit.* Mallet Ernest. *ducit.* Nihil mutandum.

Cum legionibus decucurrit. Funebris decursionis ritus describit Virgil. Æn. xi, 188. ‘Ter circum accensos, cincti fulgentibus armis Decurrere rogos: ter mœstum funeris ignem Lustravere in equis, ululatusque ore dedere.’ Fusius adhuc explicat Statius Theb. vi, 213 sq. Anniversariam in honorem Drusi decursionem memorat Suet. Claud. 1. ‘Supremum diem morbo obiit [Drusus] in æstivis castris, quæ ex eo scelerata sunt appellata. Corpus ejus per municipiorum coloniarumque primores, suscipientibus obviis scribarum decuriis, ad Urbem devectum, sepultum est in Martio campo. Ceterum exercitus honorarium ei tumulum excitavit, circa quem deinceps stato die quotannis miles decurreret, Galliarumque civitates publice supplicarent.’ Qui plura volet de decursionibus, adeat Kirchmannum de Funerib. Rom. iii, 3. et Cl. Gori, Museum Etrusc. Vol. ii, p. 376.

Inter castellum Alisonem. Vertran. et Lips. distinguunt, *inter castellum, Alisonem, ac Rhenum.* Castellum quidem Alisonem inter ac Rhenum erat exstructum, at *Aliso* dicebatur, ut patet ex Velleio ii, 120. et Ptolem. ii, 11.

Cap. 8. *Relicta, lævo amne.* Perperam emendat Ursin. *classis Amisiæ relicta, erratumque in eo, quod non subvexit, lævo amne transposuit militem dextras in terras iturum.* Optime cohæret vulgata scriptura, [secundum interpunctionem quam exhibuit Brotier; ut ante *transposuit* subintelligatur *igitur;* cujus particulæ omissio non abhorret a T. oratione. Bibl. Crit. vii, P. vi, 61.]

Cap. 9. *Tum permissum.* Non displicet vulgata scriptura. Muret. tamen delet, *tum.* Heins. emendat, *tum, ut permissum, progressus.* Amicus ap. Ryck. *id tum permissum.* V. Misc. Obs. ix, 383.

Cap. 11. *E numero primipilarium.* Primipilaris aquilam, seu signum legionis, gestabat, si fides habenda Cl. Fabretti, Syntag. Colon. Trajan. vii, p. 188. Certe aquilæ præerat, teste Veget. ii, 8. 'Vetus autem consuetudo tenuit, ut ex primo principe legionis, promoveretur centurio primipili: qui non solum aquilæ præerat, verum etiam quatuor centurias, hoc est, quadringentos milites, in prima acie gubernabat. Hic tamquam caput totius legionis merita consequebatur et commoda.'

Cap. 12. *Incorruptum foret.* Mallet Heins. *ferret.* Nihil mutandum. V. Misc. Obs. ix, 383.

Cap. 14. *Viditque.* Muret. delet *que.* Acidal. et Heins. emendant, *vidit quippe.* Vulgatam scripturam merito defendit Ernest. Sicque Tac. inf. c. 59. *levavitque.* V. Misc. Obs. ix, 383.

Sanguine sacro. Ms. Flor. *sanguine sacri.* Non inepte. At melius libri editi.

Sapientia prævisa. Freinshem. Ryck. Heins. et Ernest. mallent, *provisa.* Nihil tamen mutaverim. Præviderat Germanicus immensa barbarorum scuta, enormes hastas, inter truncos arborum et virgulta, male tractari; densandos ictus, ora mucronibus quærenda. Immo Heins. *sapienter provisa.* V. Misc. Obs. ix, 383.

Enata humo virgulta. *Elata humo virgulta* pro *enata* Heins. legit. V. Misc. Obs. ix, 384.

Densarent ictus. Ms. Flor. *denserent ictus.* Non quidem inusitatum verbum, *denseo.* Nihil tamen mutandum.

Cap. 15. *Onusta vulneribus terga.* Muret. et Acidal. emendant, *onustum vulneribus tergum,* vel *onusta vulneribus terga.* Latine quidem. At verior, et ad Taciti stilum accommodatior Ernesti sententia, intelligendum esse, *sit,* vel *sint.* Cf. Misc. Obs. ix, 384.

Adversis Diis. Ita Ms. Flor. Beroald. aliique vett. Perperam Edit. Gryph. *adversis odiis.*

Nulla boni spe. Ernest. dubitaverat de Latinitate dictionis *spes boni,* malueratque *bona spe.* Cujus opinionem cum vere repudiassent Bipontini, debebant vulgatam tueri, neque ad contortam ratiunculam confugere, qua *boni* sumatur in nominativo pluralis. Bibl. Crit. ii, 6, 61.

Aliud sibi reliquum. Frustra Rhenan. *Nihil,* vel *non aliud.*

Heins. ***haud.*** Lips. ***an.*** Ursin. e fictitio suo Ms. cod. ***quid.*** Grot. ***aliud quid.***

Cap. 16. ***Ripæ fluminis.*** Male Freinshem. ***flumini.*** Ripæ fluminis cedunt, ubi sinuantur.

Ut ordo agminis in aciem adsisteret. Ita edd. vett. Ernest. et recentiores. Alii distinguunt, ***ut ordo agminis, in aciem adsisteret.*** Frustra tentat Lips. ***ut ordo agminis, in aciem adstitere.***

Cap. 17. ***Imperatorem advertere.*** Emendabat Cl. Erric. Memmius, ***imperato rem advertere.*** Quod prorsus inutile, licet a Lambino laudatum in notis ad Æmil. Prob. p. 446.

Romanas aves. Consulatu secundo C. Marii, A. U. C. 650. A. C. 103. aquilæ factæ sunt aves Romanæ. Rem egregie illustrat Plin. x, 3 et 4. 'Negant unquam solam hanc alitem, [aquilam,] fulmine exanimatam: ideo armigeram Jovis consuetudo judicavit. Romanis eam legionibus C. Marius in secundo consulatu suo proprie dicavit. Erat et antea prima cum quatuor aliis: lupi, minotauri, equi, aprique singulos ordines anteibant. Paucis ante annis sola in aciem portari cœpta erat: reliqua in castris relinquebantur. Marius in totum ea abdicavit. Ex eo notatum, non fere legionis unquam hibernasse castra, ubi aquilarum non sit jugum.' Aquilas legionarias exhibent nummi M. Antonii, ubique obvii, aliique plurimi.

Illa rupturus. Muret. et Ursin. mallent ***erupturus.*** Nihil mutandum.

Cap. 22. ***Conscientiam factis.*** Ita Ms. Flor. et edd. vett. Postea emendatum, ***facti.*** Latine quidem. Sed nefas a vett. libris discedere.

Atque illi supplices. Illustr. Huetius emendat, ***statim illi supplices.*** Nihil mutaverim.

Cap. 23. ***In Austrum cessit.*** Somner. Portus Iccius illustratus, p. 56. male arguit Tacitum, quasi Austro tribuat, quod tribuendum Coro. Non hic Corus, *North-West*, esse potest; sed Africus, ***South-West.***

Saxis abruptis. Ita Ms. Flor. edd. vett. et recentiores. In intermediis perperam emendatum, ***abruptas.***

Eodemque quo ventus. Sic Ms. Flor. edd. vett. et recentiores. Intermediæ omisere, ***que.***

Præcipitantur. Mallet Ernest. ***præcipitabantur.*** Recte, sed non necessario.

Alvei manantes. Perperam tentat Lips. ***nantes.*** Heins. ***alternantes latera,*** vel ***innatantes alterno latere.*** V. Misc. Obs. ix, 384.

Cap. 24. ***Tantum illa clades.*** In hoc capite plurima tentat Heins. omnia infeliciter: ut, ***tantum alias illa clades,*** pro ***tantum illa clades. Sine terminis,*** pro ***sine terris. Eodem enisa,*** pro ***eodem elisa. Intentis restibus,*** pro ***intentis vestibus.*** Misc. Obs. ix, 385. 386.

Inauditas volucres. Ernest. mallet, ***invisas*** vel ***invisitatas volucres.*** Melius, ***inauditas;*** recteque de peregrinis ac portentosis volucribus dicitur. Portenta narrant viatores, ac maxime nautæ et naufragi.

Cap. 25. ***Propinquo luco.*** Beroald. aliique vett. ***propinquo loco.*** Optime emendavit Lips. ***propinquo luco.***

Varianæ legionis aquilam. Tres aquilas amiserat Varus. Unam

repertam vidimus sup. An. i, 60. Hic alteram recepit Germanicus. Tertiam, Principe Claudio, recuperavit P. Gabinius A. U. C. 794. ut accipimus ex Dione lx, p. 670. Errat ergo Florus, elegans, sed indiligens, scriptor, iv, 12. ‘ Signa et aquilas duas adhuc barbari possident: tertiam signifer prius, quam in manus hostium veniret, evulsit, mersamque intra baltei sui latebras gerens, in cruenta palude sic latuit.’ Recepta a Germanico signa testatur nummus, de quo dictum in notis c. 41.

Cap. 26. *Se novies.* Boxhorn. emendat, *se toties,* quod sæpe, non tamen *novies* in Germaniam missus fuerit Tiberius. Nihil mutaverim. Et, ut recte conj. Lips., missiones in Illyricum et Pannoniam simul annumerantur.

Consultum esset. Ita optime emendavit Ernest. Perperam in vett. edd. *consultum est.* V. inf. An. vi, 6.

Nullo tum. Mallet Ernest. *nullo dum,* quod hæ non e Taciti, sed Tiberii, persona dicantur. Hac in re sæpe peccarunt librarii.

Cap. 27. *Augusti conjunx fuerat.* Mallet Heins. *fuerit.* Bene; sed non necessario.

Cap. 28. *Qui servi eadem noscerent, reperit.* Heins. *qui e servis eadem,* &c. V. Misc. Obs. ix, 386. Quibusdam, Aurelio Heinsioque placet, *reperti.* Nihil mutandum. Putat præterea Heins. *et qui e servis eadem noscerent reperti.* Misc. Obs. ix, 386.

Poscit: et vocantur patres. Frustra tentat Faern. *poscit, advocantur patres.*

Cap. 30. *C. Vibius.* In Ms. Flor. et vett. edd. *C. Livius.* Ryck. et Ernest. merito emendarunt ex An. iv, 28 et 29. *C. Vibius.* Lips. conjectaverat, *Cluvius.*

Novi juris repertor Tiberius. Jus illud repererat Augustus, teste Dione lv, p. 551. *ὅτι δ' οὐκ ἐξὸν ὂν δοῦλον κατὰ δεσπότου βασανισθῆναι, ἐκέλευσεν, ὁσάκις ἂν χρεία τοιούτου τινὸς γένηται, τῷ δημοσίῳ αὐτὸν, ἢ καὶ ἑαυτῷ πιπράσκεσθαι, ὅπως ἀλλότριος τοῦ κρινομένου ὢν, ἐξετάζηται, οἱ μὲν ᾐτιῶντο, ὅτι ὁ νόμος τῇ τοῦ δεσπότου μεταλλαγῇ καταλύεσθαι ἔμελλεν· οἱ δ' ἀναγκαῖον αὐτὸ ἔφασκον εἶναι, ὅτι πολλοὶ διὰ τοῦτο καὶ ἐπ' αὐτῷ ἐκείνῳ καὶ ἐπὶ ταῖς ἀρχαῖς συνίσταντο.* ‘ Cum non liceret servum contra dominum adhibitis tormentis quæstioni subjicere, isque, [Augustus,] jussisset hujusmodi servum, si usus postularet, vel reipublicæ, vel sibi vendi, ut dominio rei exemtus examinari posset; id a nonnullis culpatum, legem dissolvi ea domini mutatione querentibus; aliis necessario id fieri dicentibus, cum multi hoc freti contra ipsum ac magistratus conspirarent.’ Quomodo jus illud amplificaverit Tiberius, nec servos tantum, sed liberos, et cives tormentis subdiderit, docet Dio lvii, p. 615.

P. Quirinio. Ms. Flor. Edd. vett. Ryck. et recentiores, *Quirino.* Alii, *P. Quirinio,* quos sum secutus. Ejus enim mentio sæpe occurrit in libro sequenti et semper *Quirinius* appellatur; sic etiam a Strab. Joseph. et Dion. sæpe nominatur.

Cap. 31. *Strepebant etiam.* Ita Ms. Flor. Beroald. Pichena et recentiores. Alii, *strepebantque etiam.* Quod inutile et frigidum. Heins. *strepebant jam et in vestibulo.* V. Misc. Obs. ix, 386.

Adpositum mensa. Groslot. mallet, *mensæ.* At potest intelligi præpositio, *in.*

Cap. 32. *Ut dona. Ut* deletum volebat Freinshem. Certe abesse potest; nihil tamen mutaverim.

L. P. et Gallus Asinius. Sic Ms. Flor. et edd. vett. Divinabat Lips. *L. Pætus,* vel *L. Publius et Gallus Asinii;* Freinshem. *L. Publius, L. Plancus, L. Paullus:* Gronov. *L. Piso.* Edidit Ryck. *L. Publius:* ita quoque scribunt optimi interpretes. Vetera literarum compendia retinere debui et volui.

Cap. 33. *Antistent et aliis quæ ad requiem.* In Ms. Flor. *antistent talisque ad requiem.* Beroald. edidit, *antistent, talesque.* Conjectabat Lips. *dignationibus antistent, aliisque, quæ ad requiem,* vel *ita aliis, quæ ad requiem.* Propius ad veterem scripturam accessit Grot. *et aliis quæ ad requiem.*

Confessio vitiorum. Egregie dictum. Perperam tentat Lips. *consensio.* Confessio vitiorum nominibus honestis velata, et similitudo audientium Gallo facilem adsensum dedit.

Cap. 34. *Missus est prætor.* Heins. *An misso prætore.* V. Misc. Obs. ix, 386.

Cap. 35. *Abfuturum se.* Ms. Flor. *Afuturum.* Beroald. *adfuturum.* Ipsa rerum series postulat, *abfuturum:* et plurimis probatum.

Magis agendas. Ita Ms. Flor. Beroald. sine necessitate emendavit, *agendum.*

Senatum et equites posse. Ita Ms. Flor. Perperam emendavit Beroald. *ut absente Principe senatus et equites possent.*

Et adfluentes. Ms. Flor. *et ei adfluentis. Ei* frigidum est, et merito in edd. omnibus omissum.

Cap. 36. *Jam tum prætores.* Ms. Flor. *jam dum.*

Quasi augeretur. Ms. Flor. *auretur.* Optime emendavit Beroald. *augeretur.*

Quinquiplicari. Perperam in Lipsianis edd. *quintuplicari.*

Cap. 37. *Oratoris Hortensii.* De quo Plin. xxxv, 11. 'Fuit et Cydias, cujus tabulam Argonautas HS. 144. [*Angl.* 1200*l.*] Hortensius orator mercatus est, eique ædem fecit in Tusculano suo.' Eum quoque signis Corinthiis ita captum esse, ut secum circumferret, 'Sphingem Verri reo ablatam,' docet idem Plin. xxxiv, 8. Quanta ei fuerit piscinarum ægrotorumque suorum piscium cura, v. ap. Varron. de Re Rust. iii, 17. Non mirum hominis eloquentissimi, sed vanissimi, posteros pauperes fuisse.

Decies sestertii. Ita Ms. Flor. Ryck. et recentiores. Ceteri, *sestertium.*

Cap. 38. *Hic augeamus.* Illustr. Huetius mallet, *agamus.* Eleganter, sed non necessario.

Preces sunt istuc. Ms. Flor. *istut.* Libri editi, *istuc.* Jac. Gronov. mallet, *istud.*

In me transmittere. Corrupte Ms. Flor. *in me transmerei.* Divinant Rhenan. *transumere;* Ald. *transmitti;* Jac. Gronov. *transjicere.* Bene Lips. *transmittere.*

Ad inopiam delaberetur. Ita Ernest. In vulgatis libb. *dilaberetur.* Inf. An. iii, 63. 'in ambitionem delaberentur.'

Cap. 39. *Cosam.* Perperam in vett. edd. *Coram.* Optime Lips. *Cosam. Cosanum littus* memorat Plin. iii, 6.

Cap. 40. *Ostiam.* Ita Ms. Flor. Perperam in vett. editionibus, *Hostiam.*

Servum suum. Frustra tentat Acidal. *statim* pro *suum.* Groslot. *tum.*

Cap. 41. *C. Cæcilio.* De nomine hujus consulis diu disceptatum. Panvinius, Dionem et Cassiodorum secutus, *Cæcilium* appellabat. Alii, *Cœlium* vocabant: sicque in vulgatis Taciti libris nominabatur. Litem diremit vetus lapis, a Cl. Muratori editus, Nov. Thesaur. Inscr. vol. i, p. 301.

C. CÆCILIO RVFO } *Coss.*
L. POMPONIO FLACCO }

Cap. 42. *Rex Archelaus.* Filius Archelai et Glaphyræ; Archelai, qui contra Syllam bellum gessit, pronepos. Scribarum vitio misere deturpata ac luxata, quæ de Archelao et fine regni Cappadociæ habet Riccioli Chronolog. Reform. v, 9. num. 5. Hæc enim accuratiora videas in ejusdem operis parte secunda, p. 33. quod non attendit Em. Noris. Cenotaph. Pis. p. 226. Quod vero observatu dignum magis, nuper prolati a Cl. Pellerin, *Recueil de Médailles de Rois,* Tab. xx, p. 198. Archelai nummi duo argentei. Caput regis diadematum in aversa parte, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΡΧΕΛΑΟΥ ΦΙΛΟΠΑΤΡΙΔΟΣ ΤΟΥ ΚΤΙΣΤΟΥ, i. e. 'Regis Archelai, amici patriæ, conditoris.' In medio clava, cui ad dextram adjacet litera K. Alter omnino similis. Sed ex una parte clavæ M. ex altera B. Unde patet priorem nummum anno 20. Archelai, alterum anno 42. cusum esse. Hactenus nomen ΦΙΛΟΠΑΤΡΙΔΟΣ in regum nummis fuerat ignotum.

Ad precandum veniret. Mallet Ernest. *venisset.* Nihil mutandum.

Cap. 43. *Motum Orientem.* Frustra tentat Lips. *motum Orientis.*

Creticum Silanum. Rectorem Syriæ, de quo sup. c. 4. Ad eum pertinet nummus hoc anno cusus, et ab Harduino Select. Opp. p. 22 et 626. a Vaillantio, Num. Imp. Græc. p. 8. laudatus, ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ. 'Cæsar Augustus' Tiberius 'Augusti' filius. Caput Tiberii laureatum. Ex adversa parte Γ. ΕΠΙ ΣΙΛΑΝΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΖΜ. Anno 'tertio sub Silano' nummus 'Antiochenorum,' anno 47. ab Actiaca victoria. Alium Silani nummum, sed præproperum, affert Harduin. ibid. cum nota ΘΜ, i. e. 49. Antiochenorum.

Plancinæ nobilitate. Dio lviii, p. 635. eam, 'Munatiam Plancinam' appellat. Videtur fuisse filia L. Munatii Planci, quem Augustus censorem fecit A. U. C. 732. Dio liv, p. 521. In veteri lapide ap. Gruter. p. 985.

DIS MANIBVS
L. MVNATI
PLANCINÆ L.
POLYCLITI.

'Polycliti Plancinæ liberti.'

Cap. 44. *Discessu Romanorum.* Frustra tentat Ernest. *decessu.*

Tum et æmulatione. In editis libris, *et tum æmulatione;* quod aures

Latinæ respuunt. Itaque vel emendandum, *tum et*, ut placet Heins. vel omnino delendum, *et*, quod mallet Ernest.

Cap. 45. *Clientium.* Ita Ms. Flor. Beroald. *clientum.*

Adversum nos. Ms. Flor. Beroald. *adversus.*

Romanis derepta. Ms. Flor. Beroald. *direpta.*

Cap. 46. *Discessum: neque pœnitere.* Distinguit Acidal. *discessum, neque pœnitere.* Melior est vulgata distinctio.

Transfugis paulatim nudatus. Mallet Lips. *transfugiis.* Bene. Nihil tamen mutaverim.

Cap. 47. *Nocturno motu terræ.* Luctuosam illam stragem, aliamque, quæ memoratur inf. An. iv, 13. illustrat basis marmorea monumenti, in Tiberii honorem exstructi, Puteolis effossa anno 1693. In ea eversarum, et postea a Tiberio restitutarum, urbium imagines videntur, quas erudito commentario explicarunt Antonius Bulifo, et Gronov. Antiq. Græc. vol. vii, p. 446. Inde lucem plurimam mutuabimur, de singulis urbibus dicturi.

Visa in arduo. Legit Heins. *enisa in arduum.* V. Misc. Obs. ix, 387.

In Sardianos. Sardes, urbs Lydiæ in latere montis Tmoli. Nunc dicitur, *Sardia.* In monumento Tiberiano nomen corruptum. Ex ductu tamen literarum legendum videtur PARTHENIA SARDIUM. Plurimi habentur nummi CAPΔIANΩN. extat in Anthologia, i. Tit. 70. *εἰς πόλεις*, Bianoris epigramma, cum ob urbis ruinam, tum ob Ms. Grotii versionem haud silendum. Br. Anal. Græc. vol. ii. p. 157. xii.

Σάρδιες αἱ τοπάλαι Γύγου πόλις, αἵ τ' Ἀλυάττου
    Σάρδιες, ἁ βασιλεῖ Περσὶς ἐν Ἀσιάδι,
Αἳ Κροίσῳ τὸ παλαίον ἐπλινθώσασθε μέλαθρον,
    Ὄλβον Πακτωλοῦ ῥεύματι δεξάμεναι·
Νῦν δὲ ὅλαι δύστηνοι ἐς ἓν κακὸν ἁρπασθεῖσαι,
    Ἐς βυθὸν ἐξ ἀχανοῦς χάσματος ἠρίπετε,
Βοῦρα καὶ εἰς Ἑλίκην κεκλωσμέναι· αἱ δ' ἐνὶ χέρσῳ
    Σάρδιες, ἐν βυθίαις εἰς ἓν ἔκεισθε τέλος.

Gygiacæ Sardes, Halyattæ regia, quondam
    Persarum dominis altera Persis eras:
Crœseos molita lares, ubi multa micabat
    E Pactoleis dives arena vadis.
At nunc vasta suo tellus te sorpsit hiatu,
    Tot bona seclorum perdidit una lues.
Contigit hoc Buris, Helicæ quoque. Sed maris æstus
    Quos casus aliis, hos tibi terra dedit.

Magnetes a Sipylo. Magnesia ad montem Sipylum posita in Lydia. Nunc *Magnisa.* In monumento Tiberiano MAGNESIA: in nummis ΜΑΓΝΗΤΩΝ ΣΙΚΥΛΟΥ.

Temnios. Temnos, urbs Æolidis, nunc diruta. In monumento Tiberiano TEMNOS. In nummis ΤΗΜΝΟϹ et ΤΗΜΝΕΙΤΩΝ.

Philadelphenos. Philadelphea, urbs Lydiæ, nunc *Allachachere.* In monumento Tiberiano PHILADELPHEA. In nummis ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΩΝ.

Ægeatas. Ægæ, urbs Æolidis interioris, perierunt. Vox quoque detrita in monumento Tiberiano: ultima tantum litera superstes E:

videtur fuisse scriptum AEGEAE. Plin. quidem v, 30. *Ægas* appellavit; sic quoque Strabo, et in nummis ΑΙΓΑΕΩΝ. At in Herodot. i, 149. In Clio Αἰγαῖαι leguntur.

Apollonidienses. Beroald. *Apollonienses.* Ernest. *Apollonidenses.* Emendand. *Apollonidienses*, ut patet ex Plin. v, 30. qui 'Apollonidienses' appellat. In monumento Tiberiano APOLLONIDEA. Euseb. in Chronic. eam vocat 'Apollonidiam:' errore quidem librariorum scriptum *Apolloniam diam*, et gravius errant qui *Diam Hyrcaniam* scribunt. Utrumque corrigendum. Urbs illa Troadis a Strab. xiii, p. 625. Ἀπολλωνὶς dicitur, triginta stadiis a Pergamo et Sardibus distans. Nunc periit. Harduinus, Select. Opp. p. 26. ad Apollonidienses refert nummos ΑΠΟΛΛΩΝΙΕΩΝ a Goltzio laudatos. At Goltzius, auctor sublestæ fidei.

Mosteni. Optime Beroald. et recentiores. Perperam in intermediis quibusdam edd. *Mosceni.* In monumento Tiberiano MOSTENE, urbs Lydiæ, nunc omnino diruta. In nummis ΜΟΣΤΗΝΩΝ. ΜΟϹΤΗΝΩΝ ΛΥΔΩΝ.

Atque Macedones Hyrcani. In editis libris, *aut Macedones Hyrcani*, quasi Mosteni et Macedones Hyrcani unus et idem populus essent; quod decepit Cl. Gordon, qui vertit *the Egeatæans, Apollonians, with those called the Mostenians or Macedonians of Hyrcania.* Cl. Murphy contra, *The inhabitants of Ægæa, and Apollonia, as also the Mosthenians, and the people called the Macedonians of Hyrcania.* Manifestum est ex Corneliana duodecim urbium enumeratione Mostenos et Macedones Hyrcanos esse omnino diversos. Igitur emendandum, *atque Macedones, Hyrcani.* Quam sæpe in Mss. *aut* et *atque* permutentur, abunde docet Cortius ad Sallust. Jug. 82. 'Macedones, Hyrcani cognominati' memorantur Plin. v, 29. In monumento Tiberiano urbs dicitur HYRCANIA. In nummis ΥΡΚΑΝΩΝ.

Hierocæsaream. Urbem Lydiæ, nunc dirutam. Ex plurimis literis superstitibus scriptum quoque in monumento Tiberiano HIEROCAESAREA. In nummis ΙΕΡΟΚΑΙϹΑΡΕΩΝ et ΙΕΡΟΚΑΙϹΑΡ. ΚΟΜΑΝΕΩΝ.

Myrinam. 'Myrina,' inquit Plin. v, 30. 'quæ se Sebastopolim vocat,' urbs Æolidis, servat posterius nomen, nunc *Sebastopoli:* dicitur quoque *Sandali.* In monumento Tiberiano MYRINA. In nummis ΜΥΡΙΝΑΙΩΝ.

Cymen. Urbem Æolidis, nunc *Namourt.* In monumento Tiberiano CYME. In nummis ΚΥΜΑΙΩΝ.

Tmolum. In medio Tmoli montis in Lydia positam. Inde cives Plin. v, 29. dicti 'Mesotmolitæ.' In monumento Tiberiano TMOLUS. In nummis ΤΜΩΛΕΙΤΩΝ. Periit. Tiberii in afflictas istas urbes liberalitas ita accepta fuit, ut plurimis monumentis commendata reperiatur. Eximii habentur nummi ære magno, qui eum laureatum, ac togatum, sedentem exhibent, cum inscriptione CIVITATIBVS ASIAE RESTITVTIS. Ex aversa parte, TI. CAESAR DIVI AVG. F. AVGVST. P. M. TR. P. XXI. I. e. 'tribuniciæ potestatis anno XXI.' Alius est in museo nostro, TR. POST. XXIIII. seu 'tribuniciæ potestatis XXIV.' quo ipso anno Cibyræ et Ægio subvenit Tiberius, ut dictum est An.

iv, 13. Utrum vero hanc ob rem exstructus fuerit Romæ Colossus subdubito; licet id prodiderit Phlegon, de Reb. Mirabil. xiii. *Ἀπολλώνιος δὲ ὁ γραμματικὸς ἱστορεῖ ἐπὶ Τιβερίου Νέρωνος σεισμὸν γεγενῆσθαι, καὶ πολλὰς καὶ ὀνομαστὰς πόλεις τῆς Ἀσίας ἄρδην ἀφανισθῆναι· ἃς ὕστερον ὁ Τιβέριος οἰκείᾳ δαπάνῃ πάλιν ἀνώρθωσεν· ἀνθ' ὧν κολοσσόν τε αὐτῷ κατασκευάσαντες ἀνέθεσαν παρὰ τῷ τῆς Ἀφροδίτης ἱερῷ, ὅ ἐστιν ἐν τῇ Ῥωμαίων ἀγορᾷ, καὶ τῶν πόλεων ἑκάστης ἐφεξῆς ἀνδριάντας παρέστησαν.* 'Apollonius Grammaticus narrat, Tiberii Neronis ætate terræ motum fuisse, quo multæ ac celebres Asiæ urbes funditus deletæ sint; quas deinde Tiberius suo sumtu instauravit. Propterea colossum ei posuerunt prope templum Veneris, in foro Romano, et singularum deinceps urbium statuas subjunxerunt.' Nemini enim alii veterum memoratur iste colossus: et librum *Περὶ κατεψευσμένης ἱστορίας*, 'de Historiæ mendaciis,' scripserat Apollonius, unde forte id hauserit Phlegon, ut adnotat Meursius. Certior colossus Puteolis ab Augustalibus positus anno TR. POT. 32. seu U. C. 783. postea 'reipublicæ,' seu urbis Puteolanæ sumtibus restitutus, ut patet ex inscriptione monumenti marmorei, de quo jam dictum supra.

TI. CAESARI DIVI
AVGVSTI F. DIVI
IVLI N. AVGVSTO
PONTIF. MAXIMO COS. IIII.
IMP. VIII. TRIB. POTESTAT. XXXII.
AUGUSTALES.
RESPVBLICA RESTITVIT.

De hoc monumento vide Cl. Le Beau, ***Mémoires de l'Académie Royale des Inscriptions***, Vol. xxiv, p. 152.

Cap. 49. ***Quam A. Postumius.*** Lips. optime emendavit, ***quam.*** Una erat ædes, non plures.

Cap. 52. ***Auxiliaria stipendia.*** Ita Beroald. et vett. Gronovius et recentiores. Lips. ***auxiliaris*** emendavit. ***Auxiliaria,*** de homine inter ***Auxiliares*** stipendia merito, recte dicitur.

Musulanorum. A Ptolem. iv, 3. appellantur Μισούλαμοι. At cum in Mss. codd. Plin. v, 5. ab Harduino laudatis, ***Musulani*** quoque dicantur, hæc vera scriptura esse videtur.

Etiam tum. Mallet Ernest. ***etiam dum.***

Disciplina et imperiis. Pichena emendat, ***disciplinæ.*** Latine quidem; at æque Latine dicitur, ***disciplina.***

Cinithios. Illustr. Pellicer., veteris Geographiæ peritissimus emendabat, ***Ciniphios.*** Ptolem. iv, 3. ΚΙΝΗΘΙΟΙ populi memorantur: sed ex optimo nostro Ptolemæi Ms. codice ΚΙΝΥΘΙΟΙ scribendum; et forte melius ΚΙΝΥΦΙΟΙ. In his Taciti et Ptolemæi locis ***Cinyphios,*** qui intra minorem Syrtim et fluvium ***Cinyps,*** vel ***Cinyphum,*** habitabant, intelligendum nullus dubito. Nihil tamen mutavi: potuit enim Tacitus scribere ***Cinithios.*** Nec quæritur quid scribere debuerit, sed quid scripserit. Sidon. Apollin. carm. ix, 203. 'Non hic Cinyphius canetur Ammon, Mitratum caput elevans arenis.'

In unum conductos. Frustra tentat Heins. ***condictos,*** vel ***coactos.***

Misc. Obs. ix, 387. Sic adhuc inf. An. iv, 47. 'donec exercitus in unum conduceret.'

Metu eluderent. Male Rhenan. *astu,* pro *metu.*

Quem memoramus. Ita Ms. Flor. teste Jac. Gronov. Perperam Beroald. aliique vett. *memoravimus.*

Cap. 53. *Urbem Achaiæ Nicopolim.* In ea Epiri parte, quæ Acarnania dicitur, urbs erat Nicopolis, quam Plin. iv, 1. appellat civitatem liberam Nicopolitanam. Tacitus illam Achaiæ attribuit, quod ejus præsidi pareret, et commune Achaiæ nomen. Inf. An. v, 10. colonia Romana dicitur.

Dalmatia. Ms. Flor. *Delmatia.* Sic sæpe Mss. et vett. lapides. Recte utrumque scribitur.

Sacratus ab Augusto manubias. De illis Suet. Aug. 18. 'Quo Actiacæ victoriæ memoria celebratior in posterum esset, urbem Nicopolim apud Actium condidit: ludosque illic quinquennales constituit: et ampliato vetere Apollinis templo, locum castrorum quibus fuerat usus, exornatum navalibus spoliis Neptuno ac Marti consecravit.' Hæc adhuc magis illustrant Plin. iv, 1. et Strab. vii, p. 324 et 325. scilicet in ipso more Ambracii sinus fuit ad sinistram civitas libera Nicopolitana: ad dextram vero colonia Augusti Actium; ibi nobile Actii Apollinis templum, et infra campus cum luco et navalibus, in quibus Augustus de hostium manubiis dedicavit decem naves *ἀπὸ μονοκρότου μέχρι δεκήρους,* i. e. 'ab uno remorum ordine ad deciremem.' Hæc visit Germanicus. Postea navalia et naves igni absorpta sunt, ut testatur Strabo, ibid.

Vetera suorum facta dictaque præferentes. Interpretum plurimi de Germanici majoribus locum hunc accepere. Nempe existimant Græcos, ut Germanico magis adularentur, vetera Claudiorum facta, eorumque dicta prætulisse. At eorum explicationem vix patitur Latinitas: neque hæc adulatio Græcos decet. Aliter quidem Cl. Ernestus; et *præferentes* corruptum suspicatur: emendat, *præfantes.* Scilicet opinatur Græcos, cum Germanicum exciperent, præfatos esse quidquid a suis majoribus ad Marathona, ad Salamina, aliaque loca gestum, quidquid ab illustrioribus viris dictum, indeque apparuisse eos non esse, quos deceret, aut qui solerent humiliter adulari, neque spernendum honorem ab iis habitum. Hæc explicatio nondum probabilis videtur. Si quis veterum recentiumque pomparum exempla reputaverit, is sane existimabit obvio sensu, quem in notis exposuimus, hæc accipienda.

Cap. 54. *Sacra Samothracum.* Plin. iv, 12. 'Insula Samothrace, quæ libera.... a Thraciæ ora triginta octo mill.... circuitu triginta duo mill.... vel importuosissima omnium. Callimachus eam antiquo nomine Dardaniam vocat.' A Dionysio Perieget. v. 424. appellatur: *Θρηϊκίη τε Σάμος, Κορυβάντιον ἄστυ.* 'Thracia Samos, Corybantica civitas.' Sacra hujus insulæ quondam celebratissima. Iis enim initiati, credebantur adversa omnia propellere; quod exprimit Aristophanes, Pax v. 275 sq. fusiusque prosequitur ejus Scholiastes: *οἱ ἐν κινδύνοις γενόμενοι ἐπεκαλοῦντο τούτους τοὺς δαίμονας, τοὺς ἐν Σαμοθράκῃ, τούς τε Κορύβαντας καὶ τὴν Ἑκάτην· ἐξ ἧς καὶ διαβόητον ἦν τὸ Ζήρινθον ἄντρον· ἔνθα ταύτῃ ὠργίαζον καὶ ἠλευθεροῦντο.* 'In periculis versati,

invocabant illos dæmonas, qui in Samothrace colebantur, Corybantesque et Hecaten. Ex hac insula præcipue celebrabatur Zerinthum antrum. Ibi sacrificabant et liberabantur.' Deos Samothraces fuisse Castorem et Pollucem docet Varro de L. L. iv, p. 17. Eorum mysteria vocabantur quoque ‘ mysteria Cabiri,' *τὰ μυστήρια τοῦ Καβείρου*, teste eodem Aristoph. Scholiaste. Erant secretissima, nec nisi initiatis revelabantur: iis sæpe adesse præsentes Deos, initiatosque pietate, sanctitate eminere, seque ipsis meliores, periculisque majores fieri ferebatur. Inde observat Diod. Sic. Bibl. v, 49. p. 323. *Καὶ τῶν ἀρχαίων ἡρώων τε καὶ ἡμιθέων τοὺς ἐπιφανεστάτους πεφιλοτιμῆσθαι μεταβαλεῖν τῆς τελετῆς· καὶ γὰρ Ἰάσονα καὶ Διοσκούρους, ἔτι δ' Ἡρακλέα καὶ Ὀρφέα μυηθέντας ἐπιτυχεῖν ἐν πάσαις ταῖς στρατείαις, διὰ τὴν τῶν θεῶν τούτων ἐπιφάνειαν.* ‘ Ex priscis heroibus et semideis omnium illustrissimos hisce ritibus consecrari summopere cupiisse: Jasonem, Dioscuros [ergo Cabiri mysteria Castore et Polluce antiquiora] ipsumque Herculem et Orpheum in omnibus bellis felices fuisse, præsens Deorum illorum auxilium expertos.' A Phœniciis vocibus כביר et כבירים ***Cabbir*** et ***Cabbirim***, ***Divipotens***, ***Divipotentes***, dicti sunt Cabirus et Cabiri. Porro Germanicus, suspicacem Tiberii animum semper veritus, Samothracum sacra visere nitebatur, ut iis initiaretur, malaque sibi imminentia averteret.

Igitur Ilio. Beroald. ediderat, ***igitur aliaque quæ ibi varietate.*** Monuit Pichena legi in Ms. Flor. ***igitur alio:*** unde optime emendavit Freinshem. ***igitur Ilio, quæque ibi varietate.*** Mallet Heins. ***ab Ilio.*** Idem sensus; ***igitur Ilio***, vel ab ***Ilio***, et iis omnibus locis, ***quæ ibi varietate fortunæ, et nostri origine veneranda, relegit Asiam.*** Nec tentandum cum Pichena, ***igitur viso Ilio;*** nec cum Salinerio, ***igitur relegit Asiam, aliaque, quæ ibi varietate***, &c.

Cap. 56. ***Regis Pontici.*** Frustra tentat Lips. ***regis Ponti.*** Cf. An. xiii, 49. Hist. iii, 47.

Ex nomine urbis. Mallet Jac. Gronov. ***ex conditore urbis,*** vel ***ex nomine conditoris urbis.*** Perperam. Urbs enim Artaxata Artaxiæ regi ab Annibale condita est, *Ἀρτάξατά τε, ἣν καὶ Ἀρταξιάσατα καλοῦσιν, Ἀννίβα κτίσαντος Ἀρταξίᾳ τῷ βασιλεῖ*, Strabo xi, p. 528. Ob eam causam, ut videtur, dixit Tacitus, ‘ ex nomine urbis.' In ed. Societ. Bipont. post Freinshem. ad Curt. viii, 12. monetur, populis Asiaticis hunc fuisse morem, ut regibus suis ab urbe primaria nomen adderent. B. C. ii, 6, 61.

Cap. 57. ***Et filios variis modis.*** Male tentat Lips. ***et filium.*** De Pisonis filiis, quos variis modis criminari potuit, v. inf. An. iii, 16.

Ira et dissimulatio. Male Muret. ***iræ dissimulatio.***

Cap. 58. ***Neu proceres gentium.*** Mallent Mercer. et Pichena, ***ne.*** Nihil mutandum. ***Proceres gentium***, de Satrapis gentium, imperio Parthorum subditarum, dici recte monuit Gronov.

Cap. 59. ***Pedibus intectis.*** Ægyptiorum more, qui vel nudis pedibus incedebant, vel crepidis tantum utebantur: unde intecti pedes. Contra vero Romani, Horat. Sat. i, 6, 27. ‘ Ut quisque insanus nigris medium impediit crus Pellibus.' Calceorum illorum formæ exhibentur in præstantissimo, nec unquam satis laudando, opere, ***le Pitture Antiche d'Ercolano***, Vol. i, Tab. xxxv.

Dominationis arcana. Merito quidem inter dominationis suæ arcana Ægyptum seposuerat Augustus, cum non modo frugum esset fertilissima, sed etiam apud eam essent Romanæ 'annonæ claustra,' ut loquitur Tac. Hist. iii, 8. Unde Plin. in Paneg. xxxi. 'Percrebuerat antiquitus Urbem nostram, nisi opibus Ægypti, ali sustentarique non posse. Superbiebat ventosa et insolens natio, quod victorem quidem populum pasceret tamen; quodque in suo flumine, in suis manibus, vel abundantia nostra, vel fames esset.' Juxta Aur. Vict. Epit. i. 'Augusti tempore ex Ægypto Urbi annua ducenties centena millia modiorum frumenti inferebantur.' Longe plura percipiebat Ptolem. Philadelph., siquidem, teste D. Hieronymo in cap. xi. Danielis, 'de Ægypto per singulos annos quatuordecim millia et octingenta talenta argenti, [*Angl.* 3,330,000*l.*] et frumenti artabas quinquies et decies centena millia, [seu 50,000,000. modios] accipiebat.'

Cap. 60. *Canopo.* Canopus ita dicta a Canopo, rectore navis, qui, cum Menelaus, Agamemnonis frater et Helenæ conjux, Troja Græciam repeteret, ad diversum mare, Lycium scilicet, Issicum, Syriacum, Phœnicium, et Libycum dejectus est. Ibi mortuo ac sepulto, urbem cognominem ædificavit Menelaus. De his omnibus vide Dionys. Perieg. v. 9 sq. et Eustathium interpretem, qui hæc fuse prosequitur.

Terramque Libyam dejectus. In Ms. Flor. *delectus.* Beroald. emendavit, *delatus.* Melius Jac. Gronov. et recentiores. V. Liv. xxiii, 34. et notas J. F. Gronov. *Dejici* elegans et legitimum verbum esse de navigantibus, qui ab instituto curru depelluntur, docent interpretes ad Liv. l. cit. et ad xliv, 19. Pro quo Tac. *detrusus* dicit Hist. ii, 8. V. Ruhnk. ad Vell. Paterc. i, 1. p. 4.

Inde proximum amnis. Perperam Acidal. *inde ad proximum amnis.* Intelligendum, *visit*, recte monuit Ernest.

Septingenta millia. Quidam emendant, *septuaginta millia;* sicque Tacitum et veritatem extenuant. Alii existimant septingenta millia ætate militari quondam Thebis habitasse; quod cum pro quarta civium parte accipiant, fuisse Thebis 2,800,000. incolarum contendunt, et exaggeratis numeris historiam deturpant: saniores tamen Catone et Stephano Byzantio, qui verbo Διόσπολις docent eam habuisse, antequam a Persis everteretur, ἀνθρώπων μυριάδας ἑπτακοσίας, hominum 7,000,000. Neque accuratior Pomp. Mela i, 9. hac in re infidus Homeri Il. ix, 383. interpres. Mihi vero verba Taciti, et quid Herodot. ii, 164 et 166. de Ægyptiorum militia scripserit, reputanti, certissimum videtur septingenta hæc hominum millia, non de Thebanis incolis, sed de militibus Ægyptiis esse accipienda: eosque non conditione tantum, verum etiam ætate militari fuisse. Quæ vero fuerit apud Ægyptios ætas militaris minime compertum. Apud Romanos anno decimo septimo et quadragesimo sexto definiebatur, Gell. x, 28. Apud Athenienses, qui ab Ægyptiis plurima sunt mutuati, intra annum decimum octavum et quadragesimum continebatur. Ulpian. in Demosth. Olynthiac. iii, p. 29.

Regem Rhamsen. Rhamses ille idem esse videtur ac Remphis, quem Diod. Sic. Bibl. i, 62. p. 56. ait fuisse superiorum omnium regum ditissimum et argenti ac auri talenta quadringenties mille co-

egisse, *ἀργύρου γὰρ καὶ χρυσοῦ παραδέδοται συναγαγεῖν αὐτὸν εἰς τετταράκοντα μυριάδας ταλάντων*, *Angl.* 90,000,000*l.* Rhampsinitum eum appellat Herodot. ii, 121. et testatur neminem successorum divitias ejus æquavisse, ac ne proxime quidem ad eas accessisse. Rhamsen Josaphat regi Judæ supparem fecit eruditus Marsham, Canon. Ægypt. p. 393. Quod minime probabile. Illum Trojani excidii tempore vixisse, certius colligitur ex Diodor. et Herodot. l. c. Consentit et Plin., qui Ramisen, 'quo regnante Ilium captum est,' memorat lib. xxxvi, 8. successorem Sesostris fuisse docet Manetho apud Joseph. contra Appion. p. 1052.

Vocalem sonum reddens. Saxeam Memnonis effigiem exhibet Pococke, *Description of the East*, vol. i, p. 102. Tab. xxxvi et xxxvii. In utroque ejus crure plurimæ extant inscriptiones eorum, qui sonum audiere; sed a Cl. Pococke pessime descriptæ. Aliquot tamen, haud ita deformes, referre et emendare non pigebit.

ANNO VII IMP CAESARIS
NERVAE TRAIANI AVG
Q. VIBIVS MAXIMVS PRAEF
AVDIT MEMNONEM
HORA II S SECVNDA

I. e. 'hora secunda semis.'

V. NIANAS AAAPTIAS
FELIX AVG CLIBERTVS
PROCVRATOR VSILCVS
HORA PRIMA SEMIS
MEMNONEM
AVDIVIT

I.e. 'Quinto nonas martias Felix, Augusti libertus, (forte *collibertus,*) procurator . . . . . . hora prima semis Memnonem audivit.'

IVNI SVLANA VE
CLELIA AFRICANI
VXOR AVDI MEMNONEM
PR. ID. FEBR. HORA I. S
ANNO I. IMP. DOMITIANI AVG
CVM IAM TERTIO VENISSEM.

I. e. ut opinor, 'Junia Silani Vera Clelia, vel Clælia, Africani uxor, audivi Memnonem pridie Idus Februarii, hora prima semis, anno primo, Imperatoris Domitiani Augusti, cum jam tertio venissem.'

TET TIT LXI
PRAF AEG
AVDIT
MEMNONEM
XIII K APRILIS
VERO III RIAAABIRVIOC
HORA I

Hæc ita corrupta, ut nomen proprium divinare haud liceat. Cetera sic emendanda: 'Præfectus Ægypti audit Memnonem XIII. Kalendas Aprilis Vero III.' i. e. 'tertium. Vario Ambibulo Consulibus, hora prima.' Annius Verus III. et L. Varius Ambibulus, seu ut

placet erudito Muratori, Thes. Insc. Vol. i, p. 323. Eggius Ambibulus, coss. fuere A. U. C. 879. J. C. 126. Juvat quoque Græcam unam aut alteram, subnectere.

ΚΑΙΚΙΛΙΑ ΤΡΕΒΟΥΜΑ
ΔΕΥΤΕΡΟΝ ΑΚΟΥCΑCΑ
ΜΕΜΝΟΝΟC

I. e. 'Cæcilia Trebuma,' (forte *Trebonia,*) 'secundum audiens Memnonem.'

ΛΦΛΔΟΥΙΑΝΟC
ΦΙΛΙΠΠΟC
ΕΚΛΥΟΝ ΜΕ
ΜΝΟΝ ΤΟΥ ΘΕΙΟΤΑΤΟΥ
ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟCΑΔΡΙΑΝΟ

I. e. 'Lucius Flavianus Philippus audivi Memnonem divinissimum Imperatore Hadriano.'

Inde patet quam optandum sit, ut præstantissimum illud antiquitatis monumentum ab eruditis viris adhuc inspiciatur, et accuratissime describatur. Forte ipsius Germanici memoria in illo reperietur.

Cap. 61. ***Disjectasque inter.*** Male tentat Ernest. ***desertasque inter...... arenas.*** Non inepte vertit Amelot de la Houssaie, ***parmi des sables mouvants presque impénétrables.*** Melius Gordon, ***amongst rolling and almost impassable waves of sand.*** Murphy quoque, ***amidst a waste of sands almost impassable.*** Ad augenda miracula, montibus saxeis ac sterilibus, inter disjectas vixque pervias arenas, lapidibus Æthiopicis et Arabicis pyramides exstruxerunt reges, otiosa et stulta pecuniæ ostentatione superbi. Quam hic mobiles sint arenæ constat ex viatorum experientia, ipsisque pyramidibus, quæ haud exigua sui parte sub arenis delitescunt.

Alibi angustiæ. Quid essent illæ angustiæ Taciti interpretibus hactenus incompertum. Eas Σύριγγας appellat Pausan. i, p. 78. in Attic. et accurate describit Ammian. Marcellin. xxii, 15. 'Sunt et Syringes subterranei quidam et flexuosi secessus, quos, ut fertur, periti rituum vetustorum adventare diluvium præscii, metuentesque ne cærimoniarum obliteraretur memoria, penitus operosis digestos fodinis per loca diversa struxerunt: et excisis parietibus volucrum ferarumque genera multa sculpserunt, et animalium species innumeras, quas hierographicas literas appellarunt.' Inde Heliodor. Æthiopic. ii, p. 108. ait: ἄλλος πυραμίδων κατασκευὴν, ἕτερος συρίγγων πλάνην ἐπυνθάνετο, 'alter de pyramidum constructione, alter de angustiorum anfractibus interrogabat.' Angustiæ illæ erant propter Thebas, trans Nilum; nec longe aberat Memnonis statua, teste Pausan. l. c. V. adhuc Dionys. Perieg. v. 259. et interpretem Eustathium.

Nullis inquirentium spatiis. Frustra tentat Heins. ***nulli inquirentium satis penetrabilis,*** vel ***nullis inquirentium spatiis penetrabilis.***

Cap. 62. ***Gothones.*** Beroald. ***Gotones.***

In agrum transtulit. Sic sæpe veteres. Nos dixerimus, ***transtulerat.***

Cap. 63. ***Nam multis.*** Forte, ***tam multis.*** ***Nam*** potest tamen accipi pro ***scilicet.*** Haud ita feliciter innuit Ernest. ***quam multis,...***

prætulisset. De Maroboduo ejusque potentia v. Vell. Paterc. ii, 108 et 109.

Quasi rediturus. Ita optime emendavit Rhenan. In Ms. Flor. et vett. edd. *reditus*. Male tentat Jac. Gronov. *reditui*.

Vibilio. Ryck. mallet, *Vibillio*, quod Cæsari *Vibullius* memoretur. *Vibidius*, in inscriptionibus sæpe laudatus, Ernesto placet. Scriptura vett. libror. retinenda.

Cap. 64. *Filio Cotyi*. Ad Cotyn exul ac miser Ovidius epistolam scripsit, de Pont. ii, 9. ‘Regia progenies, cui nobilitatis origo Nomen in Eumolpi pervenit usque, Coty, Supplicis exaudi, juvenum mitissime, vocem: Quamque potes profugo (nam potes) affer opem.’

Cap. 66. *Veterem stipendiis*. Frustra tentant Pichena, Freinshem. et Ryck. *veterem stipendii*.

Cap. 67. *Trebellienus Rufus*. Mallet Freinshem. *Trebellianus*. At in nominibus nihil audendum sine auctoritate, vel necessitate.

Marcum Lepidum. Ptolemæo Philopatore mortuo A. U. C. 550. Alexandrini, Syriæ regis Antiochi, et Philippi Macedoniæ, ambitionem veriti, legatos Romam misere, qui regi Ptolemæo Epiphani quinquenni tutorem peterent. Senatus, legatione plurimis victoriis clariore superbus, virum amplissimum et integerrimum ‘M. Æmilium Lepidum, Pontificem maximum, bis consulem [misit], ne,’ inquit Val. Max. vi, 6. ‘fides civitatis nostræ frustra petita existimaretur. Cujus beneficio regia incunabula conservata pariter ac decorata incertum Ptolemæum reddiderunt, patrisne fortuna magis, an tutoris majestate gloriari deberet.’ Regiæ hujus tutelæ monumentum extare voluit IIIvir Lepidus in nummo argenteo; caput Alexandriæ turritum exhibet, ALEXANDREA: ex altera parte, Lepidus coronam imponit capiti Ptolemæi, juvenis, dextra scipionem eburneum cum aquila tenentis: M. LEPIDUS PONT. MAX. TUTOR REG. S. C.

Cap. 68. *Specie venandi, omissis*. *Specie venandi*, quidam cum superioribus, *conatus est*, conjungunt. Melius distinxerunt Beroald. et recentiores. Gronov. mallet, *conatus, specie venandi, omissis maritimis locis, avia saltuum petiit*. Non male, si libri suffragarentur. At minime necessario.

Vibio Frontone præfecto equitum. Frustra tentat Cl. Bimardus apud Muratori, Nov. Thes. Inscr. Vol. i, Col. 114. *Julio Frontone*, pro *Vibio Frontone*. At egregie evincit adversus eruditum Steph. Souciet, ‘præfectum equitum’ appellari, qui alæ ex equitum turmis conflatæ præerat. ‘Præfectum equitum’ eumdem esse ac magistrum equitum perperam opinabatur P. Souciet, *Mémoires de Trévoux*, Decembr. 1719. p. 92. Decretorius hac de re locus Frontini, in Strateg. iv, 1. n. 28. ‘Domitius Corbulo in Armenia, Æmilio Rufo præfecto equitum, quia hostibus cesserat, et parum instructam armis alam habebat, vestimenta per lictorem scindi, eidemque, ut erat fœdato habitu, perstare in principiis, donec mitterentur, imperavit.’ Pluribus tamen alis præfectum equitum aliquando præfuisse minime negaverim.

Cap. 69. *Dein Piso*. Nihil deest, licet aliter suspicetur Lips. Forte pro *Dein* scriptum olim *inde*. Acidal. et Ernest. conjiciunt, *denique*. Ex fictitio Ms. Codice Mirandulano laudatur *proin*.

Solo ac parietibus. Muret. frustra conjicit, *parietinis.*

Tabe obliti. Mallet Lips. *tabo.* At, *cadaverum tabem* dixit quoque Suet. Vitell. 10. cum detestabilem Principis vocem efferret, *optime olere occisum hostem, et melius civem.*

Cap. 70. *Haud minus ira.* Male Heins. *iræ.*

Naves solvit. In editis libris *navis* legitur, vetere scribendi modo pro *naves.* Amelot de la Houssaie perperam vertit, *son vaisseau.* De multis Pisonis navibus v. inf. c. 78. 79 et 81.

Quo propius. Male tentat Lips. *quo properius.*

Cap. 73. *Formam, ætatem.* Mallet Ursin. *ob formam, ætatem.* Nihil mutandum, ut recte monuit Ernest. Germanici formam, ætatem, genus mortis, Alexandri Magni fatis adæquabant. Eo proniores in hanc comparationem, quod propinqua essent loca, in quibus Alexander interiisset.

Interpretabantur. Optime emendavit Beroald. Perperam in Ms. Flor. *interpretantur.*

Cap. 75. *Anxia sui, et infelici fœcunditate fortunæ totiens obnoxia.* Ernest. dubio procul aberravit a mente Taciti, cum dividendam putaret vocem *in felici fœc.* Et sane fuit felix Agrippina, quoties olim pepererat. Fuit, inquam; sed jam in infelicitatem versa ejus fœcunditas; quæ viduata præsidio, et Tiberio invisa, toties fortunam tristem subire poterat, quoties olim felix fuisset. Metuendum certe ei erat ex Tiberio, odii suspecto; neque ea, quæ metuebantur, eventu dein caruere. Facit huc quodam modo exclamatio Cic. Philipp. ii, 24. qua Juliæ matris Antonii miseriam deplorat, quæ nunquam id subitura fuisset indignitatis, nisi filium peperisset: 'O miseræ mulieris fœcunditatem calamitosam!' 'Fœcunditatem' vero 'felicem' dicere, supervacuum foret. Sed jam existiment alii, num infelicius conjiciam: *infelix fœcunditate, fortunæ toties obnoxia.*

Luctum amissæ sororis. In luctu funebri nigris, cœruleis, albis vestibus usæ sunt Romanæ fœminæ. Qui color diversis reipublicæ et imperii temporibus invaluerit, definire difficile foret et inutile. De his multa Lips. in Excursu M. Cœruleum colorem omisit, de quo Serv. ad iii Æn. ex Catone. Vestis vero purpurea, aurum, margaritæ, aliaque id luxus ornamenta, erant lætitiæ signa.

Cap. 77. *Huic fasces.* *Huic* ad Pisonem, licet Sentio remotiorem, pertinet: quod optimis scriptoribus non insolens. Sic inf. c. 82. *Illi*, pro *hi.*

Quam justius arma. In Ms. Flor. et ed. Pr. *quem justius arma oppositurum, qui.* Recte emendavit Pichena, *quam justius;* et recentioribus omnibus probatum. Non ita feliciter alii, *quem justius arma oppositurum, quam qui.*

Cap. 78. *Lato mari.* Lips. mallet, *alto mari.* Eleganter, sed non necessario.

Cap. 79. *Diem prædixisset.* Frustra tentat Acidal. *prodixisset.* Utrumque Latine dicitur.

Cap. 80. *Celendris.* Ita Ms. Flor. Pichena et recentiores. Beroald. *Celenderis.* Græce Κέλενδρις et Κελένδερις æque dicitur.

Cap. 81. *Adpugnare.* Ita Ms. Flor. Edd. vett. et recentiores.

In intermediis, *oppugnare.* Inf. Ann. iv, 48. 'Castra Romana adpugnarent.'

Peti aggerem. Freinshem. *aggerem* accipit de terra, cespite, quibus aggeres struuntur, ad oppugnandum. Verius Ernest. aliique de ipsis castelli muris intelligunt. Sic Virg. Æn. x, 23.

'Quin intra portas atque ipsis prælia miscent
Aggeribus murorum, et inundant sanguine fossæ.'

Ad hos versus, muros et munimenta omnia, 'aggerem' dici observat Serv. ab Ernesto laudatus.

Cap. 82. *Dolor, ira: et erumpebant.* Beroald. *adferebantur, dolor, ira, et erumpebant questus.* Lips. *adferebantur: dolor,* &c. Melius distinxit Ernest., quem sumus secuti.

In extremas terras. Boxhorn. frustra tentat, *in externas.*

Cap. 83. *In queis colerentur.* Ita Ms. Flor. Jac. Gronov. et Ernest. Sine auctoritate ac necessitate a Beroaldo emendatum, *in queis coleretur.* Germanici statuæ colebantur: sic de Sejano dicetur inf. An. iv, 2. 'coli per theatra et fora effigies ejus interque principia legionum' permisit Tiberius.

Cum censeretur clypeus. Cur imagines illæ appellentur Clypei docet Plin. xxxv, 3. Scilicet, 'scutis, qualiter apud Trojam pugnatum, continebantur imagines, unde et nomen habuere Clypeorum: non, ut perversa grammaticorum subtilitas voluit, a cluendo. Origo plena virtutis, faciem reddi in scuto cujusque, qui fuerit usus illo.' Appius Claudius, qui consul fuit A. U. C. 259. 'suorum Clypeos in sacro vel publico privatim dicare primus instituit . . . Posuit enim in Bellonæ æde majores suos, placuitque in excelso spectari, et titulos honorum legi . . . quales Clypeos nemo non gaudens favensque aspicit.' Porro non modo inter imperatores, sed etiam inter scriptores collocandæ erant imagines Germanici, qui militiæ ac literaturæ laude perinde floruit. Teste Suet. in Caio 3. 'Oravit causas etiam triumphalis: atque inter cetera studiorum monumenta reliquit et comœdias Græcas.' Extant quoque quædam ejus epigrammata in Anthol. Nec immerito Ovid., cum Fastos Germanico dicaret, ita eum alloquitur, Fast. i, 19.

'Pagina judicium docti subitura movetur
Principis, ut Clario missa legenda Deo.
Quæ sit enim culti facundia sensimus oris,
Civica pro trepidis cum tulit arma reis.
Scimus et, ad nostras cum se tulit impetus artes,
Ingenii currant flumina quanta tui.'

Adseveravit. In Ms. Flor. *adseravit.* Perperam Beroald. aliique plurimi edidere, *adseruit,* quod hoc sensu acceptum minime Latinum est. Optime Jac. Gronov. et recentiores, *adseveravit.* Sic. inf. An. iii, 49. in Ms. Flor. *adsevavit,* pro *adseveravit.*

Cuneum Germanici appellavit, qui Juniorum dicebatur. Ernest. opinatur cuneum *Juniorum* appellatum esse ab equitibus, qui κατ' ἐξοχὴν *juventus* dicebantur: unde *Principes juventutis.* At hic non de tota juventute, seu de equestri ordine, sed de uno tantum cuneo agitur. Itaque multo verisimilius a Juniis dictum esse Juniorum

cuneum: sicque vertunt optimi interpretes. Davanzati, *l'ordine de' Cavalieri, la punta de' cavalli, nomata de' Giunii, nomò di Germanico.* Amelot de la Houssaie, *l'ordre des Chevaliers donna le nom de Germanicus à l'escadron qui portoit celui de Juniens.* Gordon, *the Battalion called after the name of the Junii, was now, by the Equestrian order, entitled the Battalion of Germanicus.* Murphy quoque, *The Equestrian order came to a resolution, that the troop called the youthful squadron should for the future take its name from Germanicus.*

Cap. 84. *Duos virilis sexus.* In Ms. Flor. *viriles.* Inde tentat Jac. Gronov. *duos virile secus.* Non spernendum, si magis faveret Ms. codicis scriptura. V. dicenda inf. An. iv, 62.

Cap. 85. *Exactum et a Titidio.* In vett. edd. *exacta.* Bene Vertran. et recentiores, *exactum.* Faern. tentabat. *exacta ratio.*

Necdum præteriisse. Ita vett. libri; et mox, *interiissent.* In recentioribus edd. *præterisse, interissent.*

Veherentur. Malim *deveherentur.* Misc. Obs. ix, 388.

Vile damnum. Freinshem. incassum tentat, *utile damnum.* Cf. Ruhnk. ad Vell. Paterc. ii, 46. 14.

Cap. 86. *Vestalibus sacris.* Vide *l'Histoire des Vestales, par l'Abbé Nadal,* in the *Mémoires de l'Académie des Inscriptions.*

Discidio domum. Ita Ms. Flor. et libri omnes vett. et recentiores. In intermediis, *dissidio.* At viris eruditis et Mss. codicum peritis merito observatum, *dissidio* de animorum dissensione, *discidium* de corporum disjunctione usurpari.

Decies sestertii. Male emendat Ursin. *decies sestertium.*

Cap. 88. *Senatoresque eorumdem temporum.* Lips. et quidam alii mallent, *senioresque.* Freinshem. aliique plurimi vulgatam scripturam merito tuentur. Id enim reperit Tacitus ap. scriptores, et in diariis senatorum illius temporis.

Caniturque adhuc. Arminius non inter gentis heroas tantum, sed inter ipsos Deos habitus; idemque postea fuit ac Deus Irminus; viaque lactea appellata est, *Irminstrate,* seu *Arminii via.* Ejus statuam, dictam *Irmensulam,* barbaro cultu celeberrimam, Eresburgi, nunc *Stadtberg,* destruxit Carolus Magnus anno 772. Sed manet, manebitque semper, herois, meliore fato digni, memoria. De cultu Arminii vide Cl. Eccard. Orig. German. p. 305. et Commentar. de Rebus Franciæ Oriental. Vol. i, p. 406. 436 et 620. Ejus nummos imaginesque, quæ circumferuntur, spuria esse nemo ignorat.

Haud perinde celebris. Optimi Latinæ linguæ scriptores, *celeber,* pro masculino genere usurpant. At cum inf. An. xiii, 47. xiv, 19. adhuc occurrat, *celebris;* et auctor ad Herenn. ii, 4. dixerit quoque, 'celebris, an desertus?' nihil mutandum merito pronuntiat Ernest. licet ipse conjiciat, *celebratus.*

NOTÆ ET EMENDATIONES

AD LIBRUM TERTIUM ANNALIUM

C. CORNELII TACITI.

Cap. 1. *Ut quique sub Germanico.* Ita libri omnes vett. et recentiores. Perperam J. F. Gronov. et Ryck. *quisque,* emendant.

Fidissimumque. Sic libri vett. & recentiores. In paucis edd. *fidelissimum,* operarum vitio irrepsit.

Proxima maris. Muret. & Freinshem. mallent, *mari.* Nihil mutaverim. Liv. enim, i, 30. 'proximi Etruscorum Veientes.' Vellei. ii, 114. 'M. Lepidus, vir nominis ac fortunæ eorum proximus.'

Non alacri, ut adsolet. Ita libri omnes. Unus Cl. Lallemand edidit, *nec.*

Obvii et recentes in dolore anteibant. Cl. Bongars. *et* ineptum, *in* forte subdititium existimabat. Mihi non displicet vulgata scriptura. Dictum tamen An. i, 41. 'recens dolore et ira.'

Cap. 2. *Tarracinam.* Ita vett. et recentes edd. Aliæ, *Terracinam.* Straboni v, p. 233. Ταρακίνα.

C. Aurelius. Ita Ms. Flor. veteresque edd. *et* recentiores. In intermediis ex consularibus Dionis et Cassiodori indicibus emendatum, *M. Aurelius.* Nihil mutandum, nisi major adsit librorum inscriptionumve auctoritas.

Cap. 3. *Perferre visu non toleravit.* Cl. Ernest. *perferre* insititium esse existimat. Ego vero nec damnare ausim, nec abesse posse sine sensus dispendio opinor.

Ut par mœror. Mallet Heins. *ut pari mœrore.* Plus elegantiæ et Corneliani stili in vulgata scriptura.

Cap. 4. *Per silentium vastus.* Egregie dictum. Male tentat Pichena, *vastum.*

Miles cum armis. Cl. De Harlay emendat, *sine armis.* Perperam. V. quæ de Augusti funere dicta sunt sup. An. i, 8. In funere armati milites, magistratus sine insignibus plurimum habent luctus.

Superstitem iniquorum. Frustra tentat Rhenan. *inimicorum.*

Cap. 5. *Claudiorum Juliorumque.* Ita vett. omnes libri. Muret. Lips. et Freinshem. mallent, *Liviorumque:* recepit Ernest. quem pro more suo secutus est Cl. Lallemand. Ego vero, licet Claudiorum imagines Juliorum imaginibus præposuerit Tacitus, nihil mutaverim. Immo, cum 'cuncta a majoribus reperta, aut quæ posteri invenerint,' in Drusi funere fuerint 'cumulata,' existimo non modo Claudiorum, Liviorum, aliarumque affinium familiarum, sed Juliorum etiam, ob summam Augusti benevolentiam, antelatas esse imagines. Optime vertit Cl. Gordon, *round his head were placed the images of the Claudii and Julii.* Murphy quoque, *the bier was decorated with the*

images of the Claudian and the Livian families. Quinetiam si quis ad Juniæ funus, inf. c. 76. attenderit, Claudiorum Liviorumque imagines hic memorari frigidum illi videbitur.

Quanto prima. Perperam Muret. *quando. Quanto,* pro *quanto magis,* accipe, ut recte observat Ernest.

Præpositam toro. Muret. Grot. et Ryck. emendant, *propositam in.* Placet plurimum: sæpeque, *præ et pro* in Mss. mutantur. Veterem tamen scripturam, non omnino vitiosam, retinui. Male Gronov. *repostam.*

Cap. 6. *Idque et sibi.* Frustra tentat Ernest. *itaque sibi.*

Et cunctis. Pessime Lips. *et functis.*

Si modus adjiceretur. Male Ernest. *adhiberetur. Adjiceretur,* i. e. si ad ceteras laudes modus accederet.

Et imperatori populo, quæ. Ita Ms. Flor. Pichena et recentiores. Perperam Beroald. aliique vett. *et imperatori populoque Modicis domibus, aut civitatibus, convenisse recenti dolori,* Lips. *dolore, luctum.*

Abstruserint. Male Acidal. *absterserint.*

Ludorum Megalesium. Ita Ms. Flor. edd. vett. et recentiores. Perperam aliæ, *Megalensium.* In vet. nostro Ms. Kalendario notantur PRID. NON. mensis Aprilis, LUDI MEGALESIACI et IV. ID. MEGALESIACI. Ludos illos, matri magnæ Idææ sacros, primos scenicos fuisse et 'Megalesia' appellatos, ex Valerio Antiate narrat Liv. xxxvi, 36. Eos more institutisque maxime castos, solemnes et religiosos commendat Tull. in Or. de Haruspicum responsis, xii. 'Megalesia' dicebantur ab ipsa Dea, quæ *μεγάλη θεὰ* et *μήτηρ* vocabatur.

Spectaculum suberat. Incassum Ryck. *subierat.*

Cap. 7. *Petendæ e Pisone.* Conj. Freinshem. *spe petendæ e Pisone ultionis.* Latine et eleganter. At genitivis gaudet Tacitus, quod agnovit ipse Heins. qui tentaverat, *ultioni.* V. inf. c. 9.

Vagus interim. Male Heins. *vagus itinerum.*

Cap. 8. *Erga filios familiarum.* Male Beroald. *familiarium.* Conjunctim scribi potest, *filios familiarum.* Sicque Ms. Flor. approbantibus Pichena et Mercero.

Præscripta ei a Tiberio. Optime emendavit Lips. Perperam libri omnes et Beroald. *præscripta et a Tiberio.*

Cap. 9. *Festa ornatu.* Ita Ms. Flor. Edd. vett. et recentiores. In intermediis male emendatum, *festo ornatu.* Sic sup. An. ii, 69. dixit Tacitus, 'festam Antiochensium plebem,' et Horat. Od. iii, 18. 11. 'Festus in pratis vacat otioso Cum bove pagus.' Festis diebus domorum postes lauro, coronis, fronde ornabantur. Hinc Juvenal. vi, 79. 'Ornentur postes, et grandi janua lauro.' et vs. 226. 'Ornatas paulo ante fores, pendentia liquit Vela domus, vel adhuc virides in limine ramos.' ix, 85. 'Foribus suspende coronas.'

Cap. 10. *Nullas esse partes Trioni.* Muret. mallet, *Trionis.* Utrumque Latine dicitur.

Cognitionem exciperet. Recte. Nec tentand. ut Acidal. placuit, *acciperet,* vel *susciperet.*

Cap. 11. ***Post quæ reo.*** Ita Ms. Flor. et Minutianus. Perperam Beroald. ***postquam.***

T. Arruntium. Nicolaus Faber, Lipsio ob probitatem et eruditionem laudatus, corrigebat, ***L. Arruntium,*** et ad eum, de quo sup. An. i, 13. referebat. Nihil mutaverim, licet verisimiliter excogitatum.

T. Vinicium. In Ms. Flor. ***Fulnicium.*** Beroald. aliique vett. edidere, ***Fulcinium.*** Ryck., quem secuti sunt recentiores, conjecit ***T. Vinicium.*** Probavi ipse: ad literarum ductum, ceterorumque nominum prænomine insignitorum morem nihil accommodatius video. Minime probabiliter Muret. hæc nomina ita refingebat: ***T. Arellium Fuscum, Cneium Asinium Gallum, Æserninum Marcellum, Sex. Pompeium.*** Perperam distinctum in vett. edd. ***Æserninum, Marcellum.*** De Sex. Pompeio, quem Val. Max. ii, 6. num. 8. laudat, 'ut omnibus virtutibus, ita humanitatis quoque laudibus instructissimum...facundissimoque sermone, qui ore ejus quasi e beato quodam eloquentiæ fonte manabat,' dictum sup. An. i, 7. Asinium Gallum, Asinii Pollionis filium, et Marcellum Æserninum, ejus nepotem egregie commendat Seneca, Decl. iv, Præf. V. et stemma Pollionum inf. c. 75.

L. Piso. De quo sup. An. ii, 34. Illum rei fratrem appellat Muret.

Livineius Regulus. De eo inf. An. xiv, 17. Frustra, nec ex Taciti more primam literam, ut sit ***L. Livineius,*** geminandam censet Muret.

An promeret. Ita Beroald. ceterique libri editi præter Antuerpianam editionem anni 1648. in qua hæc omissa. Ms. Flor. ***ac premeret,*** quod ex superioribus repetitum, et deletum vult Pichena. Utroque in loco ***ac premeret*** omittendum censet Gruter. Beroaldina emendatio non displicet, et cum oratione Cæsaris, meditato temperamento habita, egregie stat. Heins. confidenter delevit.

Iis haud alias intentior. ***Iis,*** delet Acidal. Certe expungi potest sine ullo sententiæ dispendio. Forte tamen quondam scriptum, ***iis intentior populus haud alias plus sibi in principem occultæ vocis, aut suspicacis silentii permisit.*** In Ms. Flor. ***is haud alias intentior: populus*** &c. Ita ut, ***intentior,*** ad Tiberium referatur. At tunc disjuncta omnia, hiulca, nec Corneliana: hæc tamen approbavit Cl. Gordon.

Cap. 12. ***Non principis ulciscar.*** Libri omnes vett. ***et privatas inimicitias novi Principis ulciscar.*** Emendavit Faern. ***non Principis,*** quod in optimæ notæ edd. receptum. Tentavit quoque Anton. Augustin. ***non ut Princeps.*** Muret. et Mercer. ***non vi Principis,*** ut inf. An. v, 5. '***paratos ad ultionem vi Principis impediri:***' hoc probavere Freinshem. et Ernest. Displicet tamen ob nescio quid asperum, nec Cornelianum. Optime vertit Gordon, ***And, for domestic injuries, exert domestic revenge, not the revenge of an Emperor.*** Sic Davanzati, ***Leggevasi*** "novi Principis" ***male; fu racconcio*** "non Principis," ***non male; ora veggo,*** "non vi principis," ***benissimo e correggomi*** "***Non da principe con la forza.***"

Si qua in nos adversa finguntur. Aliquid hic excidisse male sus-

picatur Acidal. Haud felicior Gronov. qui tentat *diversa*, pro *adversa*. Adversos rumores lætam sibi esse Germanici mortem, sup. c. 2. perstringit.

Cap. 14. *Adstantium visu*. Heins. legebat *visus*. B. C. 11. vi, 67. V. quoque Misc. Obs. ix, 389.

Scripsissent expostulantes. Ita libri omnes. Idem in omnibus vitium. Verba, *scripsissent expostulantes: quod haud minus Tiberius, quam Piso, abnuere*, loco suo mota existimat Lips. Muret. omnino expungit, *scripsissent expostulantes:* cetera superioribus verbis, *infectos manibus ejus cibos arguentes* subjungit, at minime probabiliter. Mercer. infeliciter tentat, *submisse expostulantes, quod haud minus Tiberius, quam Piso, abnueret*, quasi submissa voce quereretur senatus, quod haud minus Tiberius, quam Piso mortem Germanico esse illatam negarent. Illustr. Huetius, *scripsissent* insititium putat, et ex *interiisse* enatum arbitratur. Ex fictitio Codice Ms. Faern. et Ursin. addunt, *scripsissent: instabant accusatores statim scribi sententias expostulantes.* Absurde Boxhorn. *cur interfecisset expostulantes.* In tantis salebris, Gronov. et Ernest. taciti inhærent. Forte duæ tantum voculæ, *et quæ*, vel *quæque*, excidere. *Judices per diversa implacabiles erant: Cæsar ob bellum provinciæ inlatum: Senatus, nunquam satis credito sine fraude Germanicum interiisse, et quæ scripsissent expostulantes*, ut ex Germanici, Pisonis, ipsiusque Tiberii et Liviæ, qui occulte perstringuntur, chartis veritas pateret: *quod haud minus Tiberius, quam Piso, abnuere*, ne dominationis arcana proderentur. Non ita probabiliter Freinshem. in Paraphrasi Cornel. *Quidam etiam longius provehebantur, exhiberi recitarique literas, quas amici Pisonis ad ipsum scripsissent, expostulantes, cui flagitationi haud minus Tiberius, quam ipse Piso, restitit.* V. Misc. Obs. viii, 290. Sic Murphy vertit, *A motion was made for the production of all letters written to the criminal by Tiberius and Livia.* Davanzati, *Senza le parole* "scripsissent expostulantes" *torna benissimo il sentimento; io le ho lasciate: o elle vi sono frammesse per errore, o altre parole vi mancano che con quelle faceano sentimento. Il Merceri legge* submisse "expostulantes:" *il sentimento torna bene; ma il mutamento è ardito.*

Lacunam, quæ ibi notata est, nemo commentatorum bene explevit: et Lips. nodum magis discidit, quam explicavit, aliunde huc ingesta statuens verba *scripsissent expostulantes; quod haud minus Tiberius quam Piso abnuere:* quibus h. l. omissis cetera satis cohærere videntur. Sed ipsi non liquebat, quo illa, quæ sic superent, remittenda essent. Venerat amico in mentem, posse ea finem facere superiori capiti, subdique accusationi; unde dein melius illud consequatur: *Defensio in ceteris trepidavit.* Sed et sic nova turba exsistit, novaque lacuna, quam ingenio explere temerarium sit. Atque cum sine melioribus argumentis vetitum sit, adversus verba, quæ olim locum possident, vim fieri, probabilius alii vocem *expostulantes* ad *Senatum* per synesin referunt, quasi Patres expostularent, *quæ scripsissent* Piso et Plancina, (cf. II. c. 78.) forsan laudes et grates Tiberio, tanquam ob res novas, quas petiisse Germanicum finxissent, fractas; unde credi potuerit, Pisonem cum uxore auctorem mortis fuisse. Talia scripta negare poterant

uterque, et Tiberius et Piso. Sed locum desperatum, in quem quid alii commentati sint, pariter relinquimus. Bipont. Ed. 1792.

Devellebant. Optime Ernest. Male Beroald. aliique vett. *divellebant.*

Cap. 15. *Comitem exitii.* Illustr. Huetius et Ernest. tentant, *exilii.* Ingeniose quidem. Verum cum mediæ essent spes, nec imminens periculum, potuit Plancina se comitem exitii, sociamque mortis promittere.

Cap. 16. *Apud senatum.* Hic aliquid excidit. Existimo olim fuisse scriptum, *Cæsar, flexo in mœstitiam ore, suam invidiam tali morte quæsitam apud senatum indolet; Pisonis libertum appellat, crebrisque interrogationibus exquirit qualem Piso diem supremum, noctemque exegisset. Atque illo pleraque sapienter, quædam inconsultius respondente,* &c. Aliquid desiderari post *Senatum,* non animadvertit Lips. Sed mutat, *atque illo,* scribendumque putat, *atque filio;* quod perperam probat Ryck. Libertum in senatum fuisse admissum Ernesto vix credibile videtur. Miror equidem: aliter enim sonant ab ipso laudata Suet. verba Tib. 23. 'Illatum deinde Augusti testamentum, non admissis signatoribus nisi senatorii ordinis, ceteris extra curiam signa agnoscentibus, recitavit per libertum.'

Atque illo. Male Heins. *ad quæ illo.*

Quatenus veritati. Mallet Lips. *Quatinus.* Vett. quidem Grammatici observant, *quatinus* pro *quoniam* scribi, et *quatenus* pro *qua parte, quousque.* At vulgo neque in Mss. neque in libris editis, id discriminis reperitur. Nihil ergo mutandum.

Cap. 17. *Proinde venena.* Optime Rhenan. et recentiores. Perperam Beroald. aliique vett. *perinde.* Hæc sæpe mutantur.

Super hac imagine cognitionis. Male Beroald. et vett. *super hæc.* Dicendum foret, *super his;* et adhuc ineleganter. Vere Ryck. *super hac:* idque postulat ipsa rerum series. Frustra tentat Ernest. *biduum per hæc.* Cf. Ed. Bipont. ubi recte explicatur *super hæc* pro *post hæc.* B. C. 11. vi, 61.

Relegaretur. Optime Lips. Pessime Beroald. ceterique vett. *relegatur.*

Cap. 19. *Audita pro compertis.* In Ms. Flor. et vett. edd. *audire pro compertis.* Recte emendarunt recentiores, *audita.* Antiquam scripturam immerito tuetur Gronov.

Cap. 20. *Pagyda flumine.* Ita Ms. Flor. et vett. edd. In recentioribus, *Pagida.*

Simul excepta vulnera. Hæc acclamans, simul adverso corpore vulnera excipiebat, ut recte explicat Freinshem. in Paraphrasi. Nimis argute, nec probabiliter Ernest. simul vulnera, quæ fortiter pugnando exceperat, militibus suis ostentabat. Post *vulnera,* excidisse *ostendit,* existimat.

Cap. 21. *Fusti necat.* Ita Ms. Flor. Pichena et recentiores. Beroald. et vett. *fuste.*

Inligatus præda. Frustra Heins. *inlectatus præda. Inligatus præda,* i. e. copiosiore præda impeditus.

Stativis castris adhærebat. Ita Ms. Flor. et optimæ notæ edd. Beroald. *hærebat.*

Missu patris. Ita Ms. Flor. edd. vett. et recentiores. Voculam addidit Rhenan. *missuque patris.*

Apronius Cæsianus. In vett. edd. *Apronius Cesianus.*

Cap. 22. *Ex P. Quirinio.* Eruditi censent, nec immerito, Quirinium illum eumdem esse ac *Cyrinum*, de quo D. Lucas, ii, 2. In Græcis legitur ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου. A Strab. xii, p. 569. appellatur Κυρίνιος. Consulatum gesserat A. U. C. 742. A. C. 11. In fastis Vindobonensibus ad hunc annum MESSALA et QVIRINO. Extat quoque apud Suet. in Tib. 49. 'Quirini' mentio. In recentioribus Taciti edd. emendatum, *Quirino.* At cum vett. omnes edd. habeant, *Quirinio*, nihil mutandum censui. Ad eum pertinet vetus marmor, quod fuse illustrat Cl. Gori, Inscr. Ant. Vol. iii, p. 114 sq.

Ad proferenda. In Ms. Flor. *profenda.* Inde frustra tentat Gronov. *profunda.*

Quæ velut reticere voluerat. Incassum Acidal. *reticeri.* Muret. *voluerant.* Verba illa duriora esse vixque sana pronuntiat Ernest. cui haud ita assentior.

Cum militari custodia. Rex Ancus Martius, 'ad terrorem increscentis audaciæ, media Urbe' carcerem foro imminentem ædificavit, teste Liv. i, 33. Postea triplex fuit apud Romanos custodia; prima militaris, qua vel intra, vel extra carcerem, reus cum custode milite alligabatur. Inde Seneca Ep. v. 'Eadem catena et custodiam et militem copulat.' Aliquando duo milites cum duabus catenis additi. Ita D. *Petrus*, Act. 12. 6. κοιμώμενος μεταξὺ δύο στρατιωτῶν, δεδεμένος ἁλύσεσι δυσί. Triplices catenas memorat Suet. Ner. 36. De D. Paulo habitante extra carcerem cum custode milite, v. Act. xxviii, 16. Secunda custodia erat apud consules ceterosque magistratus. Infra An. vi, 3. Gallio 'custoditur domibus magistratuum,' quas Sallust. Cat. 47. 'liberas custodias' appellat. Tertia custodia apud vades, seu fidejussores: sic inf. An. v, 8. P. Vitellius et Pomponius Secundus fratres suos vades habuere. Castrenses quoque erant carceres, ut vidimus sup. An. i, 21.

Neque enim cessurum. Male Ferrar. *adsensurum.*

Cap. 23. *Monimenta.* Ita edd. omnes vett. In recentioribus, *monumenta.*

Cap. 24. *In rempublicam fortuna.* Illustr. Huetius et Ernest. mallent, *in republica.* Bene: sed non necessario. De hac varietate fortunæ, quam expertus est Augustus, merito observat Plin. vii, 45. 'Id Divo quoque Augusto, quem universa mortalitas in hac [felicium hominum] censura nuncupat, si diligenter æstimentur cuncta, magna sortis humanæ reperientur volumina.... adulterium filiæ, et consilia parricidæ palam facta,... aliud neptis adulterium....In summa, deus ille, cœlumque, nescio adeptus magis, an meritus, herede hostis sui filio, excessit.'

In quæ tendi. Heins. corrigit, *intendi.* At cum Seneca Herc. Fur. 538. dixerit, 'Et, qua plena rates Carbasa tenderant,' nihil mutaverim, licet Heinsianam emendationem approbem.

Qui per insignem nobilitatem. Tentat Acidal. *qui super insignem nobilitatem et eloquentia præcellebat*, ita ut et pro *etiam* usurpetur. Non ineleganter, sed audacter.

Quia non senatusconsulto. Quadruplex e patria abeundi ratio. Prima, decreto senatus, quo nihil gravius. Ita sævitum in Posthumum Agrippam, An. i, 6. Secunda, lege, cum judices exilio multabant. Tertia, voluntate Principis, cum edicto exilium, vel potius relegationem imperabat. Quarta, voluntate propria, cum quis, ut legum severitatem, iram Principis declinaret, sponte proficiscebatur. De his v. Ovid. Trist. ii, l. 131 sq. a Lips. laudatum.

Cap. 25. *Post Julias rogationes.* Lex 'rogatio' dicebatur, quod, stante republica, omnium legum ferendarum auctor populus rogabatur: cujus quidem rogationis formulam habemus in his verbis Ciceronis pro domo sua, VELITIS IVBEATIS VT M. TVLLIO AQVA ET IGNIS INTERDICATVR. Itaque cum ferretur lex, rogatio: cum lata esset, jussio proprie dicebatur. Quænam sint illæ rogationes, aut leges Juliæ, haud ita compertum. Accipimus quidem a Dione xliii, p. 226. Julium Cæsarem, Urbe civibus exhausta post civilia bella, iis, qui multos liberos procreassent, præmia proposuisse A. U. C. 708. *Πολυπαιδίας ἆθλα ἐπέθηκεν.* Leges etiam hac de re tulisse videtur. A. U. C. 736. Augustus pœnis gravioribus cœlibes multavit, et iterum nuptiarum et liberorum multitudinis præmia constituit. *Τοῖς τε ἀγάμοις καὶ ταῖς ἀνάνδροις βαρύτερα τὰ ἐπιτίμια ἐπέταξε· καὶ ἔμπαλιν τοῦ τε γάμου καὶ τῆς παιδοποιΐας ἆθλα ἔθηκεν,* Dio liv, p. 531. V. et Gell. ii, 15. Statuit quoque ingenuos omnes, modo ne senatores essent, libertinas uxores accipere posse. Hæc est celeberrima lex Julia, 'de maritandis ordinibus' dicta, eruditissimis tum veterum, tum recentiorum Jurisconsultorum commentariis illustrata. At invalidæ erant leges, validioribus ad libidinem Augusti exemplis, Dio l. c. Lex Papia Poppæa, de qua mox dicetur, lata A. U. C. 762. malum latius serpere probavit, non repressit. *Παιδοποιΐα* legibus imperari potest; obtineri non potest nisi patriæ amore, civiumque virtute.

Incitandis cœlibum pœnis. Mallet Lips. *incitandi cœlibes pœnis,* vel *intendendis cœlibum pœnis.* Tentat Heins. *irritandis,* vel *invitandis.* Misc. Obs. ix, 389. 390. Nihil mutandum. Plurimum vis et elegantiæ in *incitandis,* i. e. augendis, promovendis. Vett. omnes edd. habent, *Cælibum;* recentiores *Cœlibum.* Antiquam scripturam, honesta missione, a Galba Principe data, apud Gori, Inscr. Ant. Vol. i, p. 257. in qua scriptum AVT SI QVI CAELIBES ESSENT, confirmatam retinui.

Subverteretur. Ita Ms. Flor. vett. edd. et inter recentiores optimæ. In aliis, *subverterentur.* V. Heins. ad Nason. Fast. iii, 189.

Cap. 26. *Suopte ingenio peterentur.* Acidalio et Mureto placet, *peterent.* Eleganter; at nihil mutandum, libris reclamantibus. *Suopte ingenio,* i. e. sua natura.

Solon. Ms. Flor. *Solo.*

Cap. 27. *Finis æqui juris.* Non de extremo tempore capiam cum Freinsh. sed de absolutione et perfectione juris. Tabulis XII. perfectis absolutum quoddam juris æqui corpus extitit, quam ei laudem Cicero et alii tribuunt: neque ei quicquam accessit magnopere novis legibus. Sic Ciceroni Planc. 25. Consulatus dicitur 'finis honorum populi,' eodemque modo Tuscul. 2. 1. 'finis sperandi' est summum, quod quis sperare potest. Ceterum ea, quæ sequuntur, ex

historiis illustrare, nihil attinere putavi, cum ex omnibus historiæ R. compendiis, Floro, Velleio, &c. cognoscere de iis liceat. *Ern.*

Otium ejus rei. Ita Ms. Flor. edd. vett. et recentiores. In intermediis emendatum sine necessitate, *ei rei.* Sensus est, legum ferendarum finem fecit: at otium illud haud in longum paravit.

Cap. 28. *Deditque jura, queis pace et Principe uteremur.* Opinor, *queis pacem se Principe tueremur.* Heins. Misc. Obs. ix, 390.

Acriora ex eo vincla. Pichena et Lips. mallent, *arctiora.* Nonnihil elegantiæ in voce, *acriora*, quam non mutaverim.

Inditi custodes, et lege. Emendat Muret. *custodes lege:* cetera omittit. Tentat Heins. *arctiora ex eo vincula indi, ac custodes lege.* In his emendationibus nulla utilitas, nulla auctorum laus. Egregia sunt vulgata.

Lege Papia Poppæa præmiis inducti. Post sextum Augusti consulatum acriora fuerunt vincula, ac maxime A. U. C. 762. quo lata est lex Papia Poppæa. Tunc enim inditi custodes, iisque constituta præmia, ut cœlibibus diligenter invigilarent, ac si quis a privilegiis parentum cessaret, statim populus, velut omnium parens, teneret bona, non quidem omnia, sed vacantia tantum; id est, bona testamento relicta, quæ cœlebs adire non poterat, nisi intra diem centesimum, uxorem duxisset. Inde bona illa vacantia dicebantur quoque 'caduca,' quod sub conditionem caderent. Nec in cœlibes tantum, sed etiam in maritos sine liberis animadvertebant leges: unde Juvenal. ix, 85. 'Foribus suspende coronas, Jam pater es; dedimus quod famæ opponere possis. Jura parentis habes: propter me scriberis heres, Legatum omne capis, nec non et dulce caducum. Commoda præterea junguntur multa caducis, Si numerum, si tres implevero.' Itaque si quis pater esset, statim privilegiis parentum utebatur, heres scribebatur, legata caducaque capiebat: si vero numerum impleret, i. e. si tres liberos susciperet, tunc caducis multa jungebantur; scilicet in magistratibus, eorumque insignibus obtinendis, potior habebatur, ut dictum sup. An. ii, 51. V. et Dion. lvi, p. 578. Gell. ii, 15. Anton. Augustin. de legibus Romanis, p. 74 sq. ac maxime Gravinam, Orig. Jur. civil. p. 556 sq. Multa etiam habet Lips. ad hunc Taciti locum in excursu C. Plura et accuratissima Lævinus Torrentius in additamentis ad Horat. p. 755. Postea jus in caducis a populo ad fiscum Principis lege Antonini translatum est, ut docet Ulpian. V. Gravinam, l. c. p. 608. At, cum tam acrem in maritis legibus promovendis diligentiam videas, inde fœdas Urbis libidines argue, ne vero, ut recentioribus quibusdam scriptoribus placuit, cœlibatum reipublicæ bene constitutæ adversari existimes. Suas ipsi virgines habuere Romani: habuere quoque Ægyptii, Græci, ceterique sapientissimi populi. Quid hac in re, tot disputationibus celebrata, sentiam, paucis aperiam. Quatuor ferme sunt cœlibum genera. Alii propter religionem, alii propter utilitatem publicam, alii propter libertatem, alii propter voluptatem, a matrimonio abstinent. Duo priora genera retineat regnum bene constitutum; duo posteriora acerrimis legibus coerceat. Hæc enim in detrimentum et dedecus imperii cedunt: illa imperii majestati et prosperitati inserviunt. Vere enim, nec suspectus testis, Illustr. Baconus, Sermones Fideles,

Serm. VIII. 'Qui uxorem duxit, et liberos suscepit, obsides fortunæ dedit: sunt enim magnorum conatuum impedimenta; sive ad virtutem tendat quis, sive ad improbitatem. Certe præstantissima (ut alibi diximus) in usum reipublicæ opera et merita a viris profecta sunt prole carentibus; qui tam affectu, quam fortunis rempublicam connubio sibi junxerunt, et dotarunt ...... Vita cœlebs Ecclesiasticis bene convenit. Non enim facile quis eriget solum, si prius stagni alicujus receptaculum interveniat.' Hæc vera, hæc philosophica, hæc Christiana. Deliramenta vero, quæ scriptor opiniosissimus (l'Abbé de S. Pierre) excogitavit.

Ut si a privilegiis. Optime emendavit Lipsius. Beroald. aliique vett. *visi a privilegiis*, nullo sensu, ut fatetur ipse Beroald.

Vacantia teneret. Pessime Vertran. *teneretur.*

Cap. 29. *Quæsturam peteret.* Beroald. aliique vett. *quæsituram.* Melius recentiores, *quæsturam.* Passim alibi in Taciti libris occurrit, *quæstura.*

Ac tamen. Mallet Muret. *Hæc tamen.* Eleganter, sed non necessario. Heins. scribit, *jacta* vel *jacti tamen initia fastigii.* Misc. Obs. ix, 391.

Additur Pontificatus. In vet. lapide apud Muratori Thes. nov. Inscr. Vol. i, p. clxxxviii, 3.

NERONI CAESARI
GERMANICI CAESARIS F.
TI. CAESARIS AVGVSTI N.
FLAMINI AVGVSTALI
SODALI TITIO. FRATRI ARVALI
FETIALI QVAESTORI
EX S. C.

In duabus aliis Inscriptionibus a Lips. laudatis, et quarum una post Neronis mortem posita est, appellatur tantum FLAMIN. AVGVSTALIS. non vero PONTIFEX. Unde subveretur Lips. ne Tacitus in cognato nomine aberraverit. Argutior Ryck. qui existimat, primum locum, qui in collegio pontificum vacaret, Neroni decretum: quod cum tardius eveniret, interim factum esse flaminem Augustalem. Lipsio assentior: forte etiam, *pontificatum* pro flaminio usurpare potuit Tacitus.

Aspiciebat. *Adspiciebant* rectius Heins. v. Misc. Obs. ix, 391.

Familiæ videbatur. Beroald. aliique vett. *videbantur.* Bene recentiores, *videbatur*, scilicet Tiberius.

Ultro extulisse. Ms. Flor. et Beroald. *ultra*, quod retinent Jac. Gronov. et Ernest. et explicant, *ultra*, *quam oportuit*, *quam par esset*, *quam illi sperandum esset.* Rhenan. et ceteri recentiores, *ultro*: Latinitati et sententiæ magis convenit. Dureau et Ernest. *ultra.* Sic ille vertit: *Tibère avait beaucoup trop élevé un favori.*

Cap. 30. *Consulatum intulit.* Consulatus ille L. Volusii Saturnini nusquam in Fastis consularibus occurrit. Debet ergo Volusius suffectis consulibus, quorum plurimi desiderantur, annumerari. Consul fuisse videtur post A. U. C. 750. Etenim ab Harduino, Select. Opp. p. 21 et 624. et a Cl. Vaillant, Famil. Rom. Vol. ii, p. 575. Antiochensium nummus laudatur ΕΠΙ ΣΑΤΟΡΝΙΝΟΥ ΟΥΟΛΟ . . . .

ΕΛ. Cusus est 'sub' præside Syriæ 'Saturnino Volusio,' anno 'trigesimo quinto' Æræ Antiochenæ; quæ cum ab Actiacis annis incipiat, nummus ad A. U. C. 758. J. C. 5. referri debet. Hujus Volusii posteros, L. Volusium, et Q. Volusium, videbimus inf. An. xiii, 30 et 25.

Cap. 31. *Tam connexus.* Gronov. conj. *connexis.*

Materiem apiscendi favoris. Ita Ms. Flor. edd. vett. et Gronov. Ceteri, *materiam.*

Cap. 32. *Deligendum proconsulem.* Ms. Flor. Beroald. Gronov. et recentiores, *proconsule.* Alii plurimi, *proconsulem.* Recte quidem. In Mss. enim passim occurrit, *proconsule,* pro *proconsul, proconsulem.* Optimi quique edd. *proconsul, proconsulem* exhibent. Altero scribendi modo scriptores obscurantur, non illustrantur.

M. Lepidum. Ryck. edidit *M. Lepidum,* i. e. *Manium Lepidum.* Male, vett. libris refragantibus.

Missus in Asiam. Cl. Lallemand, *missus est in Asiam;* sine auctoritate ac necessitate.

Cap. 33. *Vinclis exsolutis.* Frustra Acidal. *exsolutæ.*

Cap. 34. *Multa duritiæ veterum.* Ms. Flor. edd. vett. et Ernest. *duritie.* Muret. et Acidal. emendant, *a duritie.* Quidam, *duritie,* pro *duritiei* dictum putant, ut apud Liv. v, 13. *Insanabili pernicie* pro *insanabili perniciei:* si plures Taciti Mss. codices in *duritie* consentirent, retinerem. At cum unus tantum habeatur, et sæpe vitiosus, recepi cum ceteris, *duritiæ.* Heins. *multa duritiæ veteris.* V. Misc. Obs. ix, 391.

In melius ac lætius. Præpositio abest ab edd. vett. in recentioribus recte addita; sic enim Tac. Hist. i, 50.

Revertentibus post laborem. Post laborem, librariorum esse additamentum opinabatur Cl. Bongars.

Cap. 35. *Haud jutus est.* In Ms. Flor. *haud justus est.* Optime emendavit Jac. Gronov. in quo Ernest. et nos acquiescimus, *haud jutus est.* Sic An. xiv, 4. 'solertia, tempore etiam juta.' Pessime et contra Taciti mentem, *auditus est.* Æque infeliciter alii, *adjutus est.* Bipontini quoque ipsi promunt conjecturam suam, *haud nisus est.* B. c. 11. vi, 62.

Cap. 36. *C. Cestius senator.* Tentat Lips. *senior,* vel *senatu.* Leviora, quam ut a Ryck. ita diligenter confutentur.

Et quidam. Mallet Heins. *et quidem.* Nec bene, nec male; sed inutiliter.

Cap. 37. *Diem editionibus.* Beroald. aliique vett. *ædificationibus.* Optime Lips. et recentiores, *editionibus.* Diem spectaculis, noctem conviviis trahebat Drusus. Quantum cruentatis etiam spectaculis gauderet, animadvertit Tac. sup. An. i, 76. V. et Dion. lvii, p. 612. Porro sicut spectacula 'editiones,' sic qui ea edebant, 'editores' appellabantur. Hinc Vopiscus in Carino, xxi. 'Et hæc quidem idcirco ego in literas retuli, quo futuros editores pudor tangeret, ne patrimonia sua proscriptis legitimis heredibus, mimis et balatronibus deputarent.'

Cap. 38. *E primoribus Macedoniæ.* Conjiciebat Muret. *e provincia Macedoniæ;* Petav. *e prætoribus Macedoniæ.* Nihil mutan-

dum. Nomine quidem et origine Romana Antistius Vetus; at potuit degere in Macedonia, et inter primores haberi. Inf. c. 41. dicetur, 'de Galliarum primoribus,' et An. vi, 18. memoratur, 'Laco e primoribus Achæorum.'

Cotye fratris F. interfecto. De hac cæde dictum sup. An. ii, 65. In libris hactenus editis legitur, *Cotye fratre interfecto.* Mendose quidem. Cotys enim non frater erat Rhescuporidis, sed fratris filius, ut ait ipse Tac. ibid. c. 64. et Vellei. ii, 129. 'Rhascupolim, (corrige, *Rhescuporim*) interemtorem fratris sui filii Cotys (corrige, *Cotyis*) consortisque ejusdem imperii, evocavit.' Optime vidit Muret. *Fr. F.* vel potius *Fratr. F.* olim fuisse scriptum: et inde librariorum errore natum, *fratre.*

Cœletæ. Libri omnes editi, *Cœlaletæ.* Corrupte, ut recte animadvertit eruditus Harduin. Cœletas enim appellant Livius, xxxviii, 40. et Plin. iv, 11. Ptolemæus quoque, iii, 2. Κοιλητικὴν στρατηγίαν, præfecturam Cœleticam, memorat.

Odrysæ. In vulgatis libris, *Odrusæ.* At Plin. ceterique 'Odrysas' nominant.

Et Dii. In libris editis, *et alii.* Inepte; sed facili librariorum, aut lectorum errore. Antiquitus enim scriptum, *et Dii.* Qui Mss. codices versant, norunt, quam facile irrepserit, *et alii.* Dios illos, suis legibus viventes et ensiferos, quorum pars maxima Rhodopen incolebat, memorat Thucyd. ii, 96. Παρεκάλει δὲ καὶ τῶν ὀρεινῶν Θρᾳκῶν πολλοὺς τῶν αὐτονόμων, καὶ μαχαιροφόρων, οἳ Δῖοι καλοῦνται, τὴν 'Ροδοπὴν οἱ πλεῖστοι οἰκοῦντες.

A Macedone Philippo. Frustra Freinshem. *Macedoni Philippo.*

Cap. 40. *Majorum bona facta.* Rhenan. frustra conj. *bene facta.*

Cap. 41. *Dubitatione bellum.* Male Heins. *dilatione.* Vide Misc. Obs. ix, 393.

Cap. 42. *Visis militibus.* Perperam Heins. *obvius militibus.*

Cap. 43. *Et nobilissimam.* Pessime Beroald. *occupaverat nobilissimarum Galliarum sobolem liberalibus studiis sibi operatam.* Optime Lips. *occupaverat, et nobilissimam Galliarum sobolem liberalibus studiis ibi operatam.* Male Heins. *nobilissima Galliarum sobole . . . . . operata.* Tricatur Boxhorn. cum emendat, *operantem.*

Crupellarios. Incassum tentat Lips. *clibanarios.*

Cap. 45. *Quanto intolerantior.* Illustr. Huetius emendabat, *tanto.* At acrior vividiorque oratio, si *quanto* retineatur. Mallet Grot. *intoleratior,* ut inf. An. xii, 11. *toleratior:* verum hic etiam in Ms. Reg. *tolerantior.* Latine dici posse, *intolerantior,* jam probatum in notis.

Veteres Gallorum glorias. Hic juvat veteres Gallorum glorias explicare. Egregium argumentum, Gallicarum tamen rerum scriptoribus intactum. Ita apud eos invaluit Francorum nomen, ut Gallorum prorsus obliviscantur. Haud diffiteor post expeditionem Francorum in multis apud Gallos invaluisse Francorum leges. At manet semper Gallica natura, Gallicum ingenium, Gallici mores; idque ita illis insitum, ut, quæ sua ætate de Gallis scripsit Julius Cæsar, apud eos adhuc vigeant, et post tot tantasque seculorum, bellorum, imperiorumque conversiones maneat semper Gallica indoles, cum Gallico sanguine semper mansura.

IN VETERES GALLORUM GLORIAS.

Arctissima erat A. U. C. 140. A. C. 613. sub Tarquinio Prisco Romana res, cum florentissimum jam vigebat Gallorum regnum. Summa imperii tum fuit penes Bituriges, ***Berry***. Ii regem dabant, qui Celtico, seu omni Galliæ, imperitaret; eaque erat regni felicitas, ut in terra frugum hominumque fertilissima abundans multitudo vix regi posse videretur. Ambigatus rex, virtute fortunaque cum sua tum publica præpollens, et magno jam natu, exonerare prægravante turba regnum cupiit. Bellovesum ac Sigovesum, sororis filios, impigros juvenes, monuit, ut sortirentur novas terras, quas quærerent; permisitque quantum ipsi vellent numerum hominum excirent, ne qua gens arcere advenientes posset. Sortes Sigoveso Hercynios saltus, Belloveso Italiam, adsignavere.

Fortunam cum ita essent sortiti, Bellovesus, quod eis ex populis abundabat, Bituriges, Arvernos, Senones, Æduos, Ambarros, Carnutes, Aulercos excivit, nunc ***Berry, Auvergne, the Dioceses of Sens and Auxerre, Burgundy and Nivernois, Maconois and Bresse, Chartrain and Orleanois, Maine and the Diocese of Evreux.*** Profectus ingentibus peditum equitumque copiis, in Tricastinos, ***the Dioceses of Valence and Saint-Paul-trois-châteaux***, venit. Alpes oppositæ erant, nulla dum via (nisi cui de Hercule fabulis credere libet) superatæ. Galli, duce Belloveso, Taurino saltu, ***mount Cenis***, eas transcenderunt; fusisque Tuscis, ***the Tuscans***, qui quidquid est Alpes inter et Padum, ***the Po***, obtinebant, haud procul Ticino flumine, ***the Tesino***, consedere. Audito agrum Insubrium appellari, cognomine Insubribus pago Æduorum, ibi, omen sequentes loci, condidere urbem, et Mediolanum, ***Milan***, appellarunt. Liv. v, 34.

Cenomani, ***people of Maine***, favente Belloveso, duceque Elitovio, eodem saltu secuti, locos occupavere, ubi nunc Brixia ac Verona, ***Brescia*** et ***Verona***, urbes sunt. Salluvii, ***people of Aix in Provence***, exemplo et fortuna invitati, non adeo tamen progressi, circa Ticinum amnem, ***the Tesino***, incoluere. Boii et Lingones, ***part of Franche-Comté and Langres***, Pœnino saltu, ***Great Saint-Bernard***, Alpes transgressi sunt; at cum jam inter Padum atque Alpes omnia tenerentur, Pado ratibus trajecto, non Etruscos modo, ***the Tuscans***, sed etiam Umbros, ***people of Umbria***, agro pellunt: intra Apenninum tamen se tenuere. Tum Senones, ***people of Sens and Auxerre***, recentissimi advenarum, cum cuncta occupata reperissent, ultra progredi coacti sunt, sedesque posuere ab Ufente flumine, ***Aufente***, prope Ravennam, ad fluvium ***Æsim, Esina***, haud procul Ancona. Liv. v, 35.

Huc usque protendebatur Cisalpinorum Gallorum imperium, ducentisque ferme abhinc annis non modo Italiæ dominabantur, sed eam inexhausta fœcunditate oppleverant, cum Senones, quæsitis in Etruria novis sedibus, Clusium, ***Chiusi***, obsedere, Romæ imminentes. Ob commune periculum missi Romanorum legati, a Clusinis acciti, qui quærerent quodnam id jus esset agrum a possessoribus petere, aut minari arma. Respondere Galli se in armis jus ferre, et omnia fortium virorum esse. Cumque legati, contra jus gentium, arma capere essent ausi, Gallorumque legatio Romam missa, ut eam inju-

riam quereretur, indigne fuisset excepta, Galli, ira succensi, Clusinos omittunt, et concitato agmine Romam petunt, Brenno duce, A. U. C. 364. A. C. 389. Victi ad Alliam flumen, *Torrente di Catino*, Romani. Capta Roma: ferme expugnatum Capitolium; et a victoribus Gallis factum populi Romani pretium mille pondo auri: *Angl.* 45,000*l.* Liv. v, 35 sq. Plin. xxxiii, 1. §. 5.

Haud illætior fuerat Sigovesi fortuna. Occupata Hercynia sylva, quæ maximam Germaniæ partem tum obtinebat, Galli, quos inter insignes erant Volcæ Tectosages, *Toulouse*, per strages barbarorum, Illyricos sinus, *Carniola, Sclavonia*, penetravere, consedereque in Pannonia, *Hungary, Austria.* Domitis Pannoniis, per multos annos cum finitimis varia bella gesserunt. Ibi cum gens aspera, audax, bellicosa, numero et fortuna crevisset, novam laudis materiem amplioresque opes quæsivit. Petita, Cambaule duce, Thracia, *Romania:* eaque vastata, Galli spoliis onusti Pannoniam vicinasque sedes repetiere. Pausan. in Phocic. Lib. x, p. 843.

Nec diuturna fuit quies; iterumque recrudescente belli et prædæ cupidine, Galli tres in partes exercitum dividunt, A. U. C. 473. A. C. 280. Pars, Bolgio duce, Macedoniam aggressa est; annoque sequenti, victo acie et interfecto Ptolemæo Ceranno, Macedonum rege, nondum ausi Græciam ingredi, suas in sedes rediere. Pars altera, Brenno (Is Brenno Romanorum victore junior.) et Acichorio ducibus, universæ Græciæ minas intentabat: direpta Ætolia, *Ulakia, in Greece,* Delphos, locum immensis thesauris ob Apollinis religionem clarissimum, petebat. Græcia, religionis, gloriæ, opum discrimine commota, Brenno obviam iit. Ad Thermopylas Parnassumque montem Delphis, *Castri*, vicinum victus est: tanta tamque atrox tempestatum, fulminum, frigorumque vis terræ motu exorta est, ut ingens ejus exercitus deletus occubuerit, vixque superstes fuerit, qui cladis nuntium ferret. Brennus, confectus vulneribus, largius hausto vino, sibi vitæ finem, et cladis solatium fecit, A. U. C. 476. A. C. 277. Pars tertia, Brenno concors, et cum eo in Dardanos, *Servia*, usque profecta, ibi militaribus dissidiis meliorique fato ab eo divulsa, Thraciam repetiit, ducibus Leonorio et Lutario: Byzantium occupavit, oram Propontidis, vectigalem habuit, ejusque urbes obtinuit. Tum audita Asiæ ubertate, cupido invasit in eam transeundi. Lysimachia, *Hexamili*, fraude capta; Chersonesoque omni possessa, ad Hellespontum ventum est. Ibi Lutarius, Macedonibus, quos per speciem legationis Antipater, præfectus ejus oræ, ad speculandum miserat, duas tectas naves et tres limbos adimit: his alios atque alios dies noctesque transvehendo, intra paucos dies omnes copias trajicit, A. U. C. 477. A. C. 276. Jam Leonorius, exoratus a Nicomede Bithyniæ rege ut ipsi opem ferret, a Byzantio transmiserat. Coeunt Lutarius et Leonorius, auxilia Nicomedi dant adversus Zybœam, qui partem Bithyniæ tenebat: eorum maxime opera devictus Zybœa est, Bithyniaque omnis, *the western part of Bursia*, in ditionem Nicomedis concessit. Pausan. l. c. Polyb. Lib. iv, p. 436. Liv. xxxviii, 16.

Victores Galli, et de Nicomede optime meriti, profecti ex Bithynia in Asiam processerunt. Nec plus ex viginti millibus hominum, quam decem millia armata erant; tamen tantum terroris omnibus, quæ cis

Taurum montem incolunt, gentibus injecerunt, ut quas adissent, quasque non adissent, pariterque ultimæ propinquis imperio pa erent. Nova eorum dominatio de eorum nomine Gallogræcia, Galatiave nuncupata est. Vectigalemque Asiam ita inter se divisere, ut Trocmis Hellesponti ora data sit, Tolistoboii Æolida atque Ioniam, Tectosages mediterranea Asiæ sortiti sint, et stipendium tota cis Taurum Asia, *Natolia*, exigebant. Sedem autem ipsi circa Halyn flumen, *Kisil Ermak*, ceperunt: tantusque terror eorum nominis erat, multitudine etiam magna sobole aucta, ut Syriæ quoque ad postremum reges stipendium dare non abnuerent. Immo ita penes Gallos fuit in Oriente belli pacisque arbitrium, ut, cum eorum juventus quam maximæ fœcunditatis Asiam omnem velut examine aliquo implesset, neque reges Orientis, teste Justino, sine mercenario Gallorum exercitu ulla bella gesserint: neque pulsi regno ad alios quam ad Gallos confugerint. Isque erat terror Gallici nominis, et armorum invicta felicitas, ut aliter neque majestatem suam tutam, neque amissam recuperare se posse sine Gallica virtute arbitrarentur. Liv. l. c. Justin. xxv, 2.

Quot quantisque postea in Asia, in Europa, victoriis atque cladibus exercita fuerit virtus Gallica, quas novas terras quæsierit, quomodo cum Hiberis, *the western part of New Castille, and a great part of Arragon*, fortissimis Hispaniæ populis, arma, nomen, sanguinemque sociaverit, quantum inclaruerit Celtiberorum nomen, quæ fuerint Gallorum cum Britannis, cum Germanis commercia, prodere immensum foret, et nostræ dissertationis fines longe egrederetur. At satis sit veteres Gallorum glorias indigitasse. Verum quod in antiqua Historia utilissimum est, ad recentiorem memoriam animum revolvamus, et in tantis rerum seculorumque vicissitudinibus eumdem in Gallis animum recognoscamus. Inde irrequieta illa Caroli Magni virtus, quæ tot bellis periculisque tanta tamque disjuncta terrarum spatia nobilitavit. Inde tantis Gallorum animis quæsitum ac fundatum a Godefrido de Bouillon, Heroum maximo, Hierosolymitanum regnum. Inde toties a Gallicis regibus nobilitateque Gallica tentata Ægyptus, occupatum Constantinopolitanum imperium, Asia Gallicis dominationibus respersa. Inde tot bella per Italiam gesta. Inde cum acerrimis Ferdinandi et Caroli v. judiciis adserta est publica tranquillitas, et politicis ponderibus librata Europa, nec jam ullus superfuit bellicis incursionibus locus, Galli irrequieta sua nobilitate aguntur semper et circumaguntur; atque, licet patriam suam plurimum faciant, externam quamque plerumque spernant, militia tamen, artibus, literis, commerciis, ministeriis denique omnibus utuntur et quandoque abutuntur, ut totum pervagentur orbem, ita ut, maxime in Europa, non urbs, non oppidum, sæpe ne unus quidem sit vicus, in quo Gallus aliquis non occurrat. Inde, si bellici facinoris, bellicæ gloriæ spes uspiam adfulgeat, statim prætervolat Gallus, nec locorum intervallis, nec periculorum difficultatibus deterritus, ut vidimus, cum exiguissima Gallorum manus, duce viro avitis Boiis, *people of Bourbon*, qui totum ferme orbem militaribus suis expeditionibus perlustrarunt, animo et virtute simillimo, Cracoviam expugnavit, et, quod ferme incredibile, tamdiu servavit. Adeo in Gallico sanguine constans et sui similis natura!

Cap. 46. ***Et fugientibus consulite.*** In vett. omnibus edd. ***consilite***, quod explicabat Freinshem. 'fugientes cursu sequimini.' Optime Heins. ***consulite***, i. e. parcite. An. xi, 36. et xiv, 38. V. quoque Misc. Obs. ix, 392. Frigide, nec Corneliane Gronov. qui ait ita consulendum, ut Gallis detrahantur arma, sicque leviores sint ac fugæ paratiores. Illustr. Huetius emendabat, ***et fugientes concidite.*** Minime probabiliter. Virtutis enim Romanæ erat vincere: clementiæ oppidanis inconditis, militiæ nesciis, et fugientibus consulere ac parcere. Inf. c. 52. Beroald. quoque edidit, ***dissimilatis***, pro ***dissimulatis.***

Incensa super villa. Ms. Flor. et edd. vett. ***ingressa.*** Optime Rhenan. et recentiores, ***incensa.*** Male Jac. Gronov. ***ingesta.***

Cap. 47. ***Omissa urbe.*** Emendat Freinshem. ***omisisse urbem.*** Heins. ***omissam urbem.*** Verius vel intelligendum, vel omissum ***ire*** aut ***proficisci.***

Cap. 48. ***M. Lollio.*** Pessime Beroald. aliique vett. ***M. Folio.*** Optime Lips. ex Suet. emendavit, ***M. Lollio.***

Cap. 49. ***C. Lutorium Priscum.*** Corrupte in vett. edd. ***Clutorium Priscum.*** Bene Lips. ***C. Lutorium.*** A Dione lvii, p. 616. Γάϊος Λουτώριος Πρίσκος, ἱππεὺς, ἄλλως τε μέγα ἐπὶ ποιήσει φρονῶν, 'C. Lutorius Priscus, eques et magni nominis poeta' appellatur. Ab illo Lutorio, ut videtur, spadonem emerat Sejanus, de quo Plin. vii, 39. sed locus ipsa Harduini editione mutilus, quem tum ex vett. edd. tum ex optimo nostro Plinii Ms. Codice ita corrigo: ***sed hoc pretium belli, non hominis fuit: tam hercule quam libidinis, non formæ Paronetemes spadonis, Sejano*** IIɪ D̄ ***mercante a Lutorio Prisco. Quam quidem injuriam lucrifecit ille mercatus in luctu civitatis, quoniam arguere nulli vacabat.*** Tum plana omnia. Sejanus, non hominis, sed belli pretio, potiusque ob libidinem quam ob formam, emit a C. Lutorio Prisco Paronetemen, spadonem, quingenties centena millia sestertium, *Angl.* 416,666*l.* 13*s.* 4*d.* Tam immane spadonis pretium fuit injuria patriæ ac moribus illata. Nemo tamen id arguere ausus est in tanto civitatis luctu, et prævalida Sejani potentia. Miror eruditum Harduin. hæc non vidisse, immo alia legisse in ipso suo Ms. codice, quem, ut et ego, præ manibus habebat. Præterea quis unquam credat ab equite Romano spadonem unum emtum fuisse IIɪ D̄, ferme ***Angl.*** 420,000***l.*** Emendationi nostræ adstipulantur Mss. codices Bibliothecæ Regiæ 6802. 6803. 6805 et 6806. Non forte immerito conjectaverim Sejanum, ne sibi periret tanta pecuniæ summa, accusationem Lutorii promovisse.

Cap. 50. ***Vita C. Lutorii in integro est.*** Mallet Lips. ***esto.*** Nihil peccat vetus scriptura: nec ex usu Corneliano, ***esto.*** Ex antiquis edd. in quibus, ***Clutorii***, edidi, ***C. Lutorii.***

Cap. 51. ***Verborum pœnas.*** Vulgatam scripturam probat Lips. conj. tamen, sed frustra, ***reorum pœnas.***

Libertas ad pœnitendum erat. Ita libri omnes, et recte. Unus Cl. Lallemand edidit, ***ad pœnitentiam.***

Cap. 52. ***Immensum proruperat.*** In hac Annalium parte, mox secuturis Tiberii literis nihil illustrius. Ad earum intelligentiam nonnulla de Romanorum luxu dicenda. Utinam in alienis vitiis nostra

erubescamus; saltem si iis adhuc flagraverit animus, nos in tanta paupertate ineptos esse pudeat.

DE LUXU ROMANORUM.

M. Scaurus, Syllæ, tot millium proscriptione funestissimi, privignus, luxu suo funestior, mores civiles ædilitate sua prostravit circa A. U. C. 678. theatrumque temporarium, vix uno mense futurum in usu, posuit. 'Scena ei triplex in altitudinem 360. columnarum—— ima pars scenæ e marmore fuit: media e vitro, inaudito etiam postea luxuriæ genere: summa e tabulis inauratis. Columnæ imæ duodequadragenum pedum. Signa ærea inter columnas fuerunt tria millia numero. Cavea ipsa cepit hominum 80. millia———Reliquus apparatus tantus Attalica veste, tabulis pictis, ceteroque choragio fuit, ut in Tusculanam villam reportatis, quæ superfluebant, quotidiani usus deliciis incensa villa ab iratis servis, concremaretur ad HS. millies,' *Angl.* 833,333*l.* 6*s.* 8*d.* Plin. xxxvi, 2. 6 et 15.

Luxus ille domesticus brevi apud Romanos eviluit. In hac rerum suarum satietate, alienarum avidi, peregrinos odores ex felici Arabia, ex India et Seribus margaritas petiere tam effræna luxuria, ut 'minima computatione millies centena millia sestertium, [*Angl.* 833,333*l.* 6*s.* 8*d.*] annis omnibus imperio' adimerent. 'Tanto' illis 'deliciæ et fœminæ' constabant, Plin. xii, 18.

At quod portentosum magis, post Actiacam victoriam luxus in ingluviem transiit. Pisces hominum, coqui 'triumphorum pretiis' parati: et M. Apicius, inter gulæ proceres maximus, de quo plura dicentur An. iv, 1. immensa re familiari comessationibus exsorpta, cum superesse sibi tantum sestertium centies, *Angl.* 83,333*l.* 6*s.* 8*d.* computasset, vitam veneno finivit, ne in ultima fame viveret. Juvenal. iv, 25. Plin. ix, 17. Senec. Consol. ad Helv. x.

Quid hæc? si cogitemus margaritas ipsas in gulas fuisse conditas. Cleopatram enim, solam se centies HS. *Angl.* 83,333*l.* 6*s.* 8*d.* cœnaturam gloriatam, et margarita, singulari ac vere unico naturæ opere, aceto liquefacta et epota superbam, æmulati sunt, ne hac luxuriæ gloria spoliarentur. Prior id fecit Romæ in unionibus magnæ taxationis Clodius, histrionis 'Æsopi filius:' expertus enim 'in gloria palati quid saperent margaritæ,' atque ut decies HS. *Angl.* 8333*l.* 6*s.* 8*d.* solidum absorpsit, mirumque placuit; 'ne solus hoc sciret, singulos uniones convivis quoque absorbendos dedit:' quod 'Romæ in promiscuum ac frequentem usum' venit. Plin. ix, 35. Horat. Sat. ii, 3. 240. Tali filio dignum patrem, Æsopum non puduerat patinam habere HS centum, *Angl.* 833*l.* 6*s.* 8*d.* taxatam: in qua posuerat 'aves cantu aliquo aut humano sermone vocales, HS sex, [*Angl.* 50*l.*] singulas coemtas, nulla alia inductus suavitate, nisi ut in his imitationem hominis manderet, ne quæstus quidem suos reveritus illos opimos, et voce meritos,' Plin. x, 51.

Quis postea miretur P. Clodium, a Milone occisum, 'sestertium centies et quadragies octies, [*Angl.* circiter 1,170,000*l.*] domo emta,' habitasse, Plin. xxxvi, 15. 'Vasa coquinaria ex argento' Calvum oratorem habuisse; 'et duos scyphos Mentoris artificis' cœlatos sester-

tiis c. *Angl.* 833*l.* 6*s.* 8*d.* 'nunquam his uti propter verecundiam ausum:' inventas 'carrucas ex argento' cœlatas; 'lances e centenis libris argenti' factas; 'lectos mulierum totos' opertos 'argento,' postea 'aureos' fuisse, Plin. xxxiii, 2. Ipsum M. Tullium Ciceronem 'in illa' sua 'paupertate,' et 'illo ævo,' veteris parcimoniæ nondum oblito, mensam citream HS X. *Angl.* 8333*l.* 6*s.* 8*d.* emisse: aliam a Cethegis descendentem HS XIV. *Angl.* circiter 12,000*l.* fuisse permutatam, Plin. xiii, 15. Quid loquar libidinis portenta, et unum spadonem, de quo sup. c. 49. a Sejano HS D̄. *Angl.* 416,666*l.* 13*s.* 4*d.* emtum? Quid dicam tanto acriorem circa tabulas et statuas insaniam, quanto honestiori specie?

At quas ergo opes habebant Romani, ut tanto luxui sufficerent? Illas æstimemus, non ex Crasso, ætatis suæ Quiritium post Syllam ditissimo, qui in agris HS M̄M̄. *Angl.* 1,700,000*l.* possedit; sed ex C. Cæcilio Claudio Isidoro, homine satis ignobili, qui 'Asinio Gallo et Marcio Censorino Coss. [A. U. C. 746. A. C. 7.] VI. Kal. Febr. testamento suo edixit, quamvis multa civili bello perdidisset, tamen relinquere servorum quatuor millia centum sedecim: juga boum tria millia sexcenta, reliqui pecoris CC. quinquaginta septem millia: in numerato HS D̄C̄. [*Angl.* 500,000*l.*] Funerari se jussit HS X̄Ī.' *Angl.* 9,200*l.* Plin. xxxiii, 10. Ipse augur Cn. Lentulus, homo 'ingenii tam sterilis, quam pusilli animi,' ab Augusto, ad quem attulerat paupertatem, ditatus, 'quater millies sestertium,' *Angl.* 3,400,000*l.* congessit. Senec. de Benef. ii, 27.

Observandum adhuc hic luxus initia recenseri; adolevisse sub Caligula; sub Claudio, et Nerone, ita adcrevisse, ut philosophus Seneca, qui præter villas aliaque plurima, quingentas citreas mensas, et HS ter millies, *Angl.* 2,500,000*l.* paraverat, vix locuples appellaretur, et libertinis pauperior esset, Dio lxi, p. 694. Tac. An. xiii, 42. xiv, 55.

Ita luxuriæ pestis grassata est in populo, 'cui' olim 'bina jugera satis' fuerant, nec ullis 'majorem modum' attribuerat Romulus, Plin. xviii, 2. qui arantem quatuor sua jugera, nudum, et pleno pulveris ore, cum Viator dictaturam ei attulit, A. U. C. 296. Quinctium Cincinnatum laudaverat, Plin. xviii, 3. qui 'Cornelium Rufinum, bis consulem, et dictatura functum,' a censore Fabricio senatu motum, 'ob luxuriæ notam, quod decem pondo libras, [*Angl.* 30*l.*] argenti facti' haberet, A. U. C. 479. irriserat, Gell. iv, 8. At devicta Asia, A. U. C. 664. luxuriam in Italiam misit. Lente et verecunde excepta, Scipio Africanus, A. U. C. 571. libras XXXII. argenti, Anglice circiter 90*l.* heredi reliquit. Frater ejus Allobrogicus primus omnium pondo mille, Anglice circiter 2,800*l.* habuit.

Malorum feracior extitit annus Urbis 608. quo eversa Carthago æmulationem, virtutis parentem, sustulit; incensa Corinthus, capta Achaia, signa et tabulas pictas invexere. Donata demum ab Attalo Asia, A. U. C. 621. civitatem paulatim assuetam amare et admirari opulentiam externam, ultroque in insanias, quas memoravimus, ruituram, penitus perdidit.

Verum ne tota hæc disquisitio in admirationem indignationemve

exeat, singularem Cl. de Montesquieu, *Esprit des Loix*, vii, 4. Vol. i, p. 158. de luxu sententiam paucis expendamus. Hæc præcipua ejus, quæ nos spectant, capita: Tiberium existimasse luxum in regnis esse necessarium; illum in literis, quæ capite sequenti leguntur, approbasse. Unde adstruit in regnis luxus necessitatem; nullas in iis debere esse leges sumtuarias: et concludit respublicas luxu, regna egestate perire. *Tibère voyoit bien qu'il ne falloit plus de loix somptuaires——Le luxe est donc nécessaire dans les Etats Monarchiques ——Tout ceci mène à une réflexion: Les Républiques finissent par le luxe; les Monarchies par la pauvreté.*

At 'Tiberius Cæsar, minime comis imperator,' immo 'tristissimus, ut constat, hominum,' teste Plin. xxxv, 4. et xxviii, 2. luxui fuit semper infensissimus, Suet. Tib. 34. In egregiis suis hac de re literis luxum toleravit, non approbavit. Noverat Princeps callidus, et regnatricis artis peritissimus, irrepentibus vitiis cito occurrendum; vigentibus acriter, sed lente obsistendum; insanabilibus, ne crescant, connivendum. Vitia esse atrocia, quæ severitate extermines: esse dulcia, quæ severitate irrites. Luxum dulce esse vitium, extremis reipublicæ exemplis et Augusti libidinibus factum insanabile; igitur dissimulandum, malique remedium, vel ex austeritate Principum, quorum exempla plurimum valent, luxusque infamia, petendum; vel tempori, quod, ut virtutes in vitia, ita quoque, sed raro, vitia in melius mutat, permittendum. Fateor respublicas luxu perire: regna quoque luxu perire contendo. Nec unquam audivi Babylonica, Assyria, Ægyptia, Parthica, aliaque luxu celebratissima regna egestate periisse. Luxu pereunt respublicæ, crescente ambitione: luxu pereunt regna, decrescente virtute. In republica luxus erigit animos: in regno deprimit. Luxu reipublicæ civis, æqualitate exuta, dominationem affectat: luxu regnorum civis, induta æqualitate, dominationem aspernatur. Optima respublica, in qua nullus est luxus: regnum optimum, in quo luxus pro conditionum varietate varius, et in singulis modestus. Vide Misc. Obs. ix, 393.

Remediis sisti posse. In Ms. Flor. *remedii isti posse.* Beroald. aliique vett. *remediis resisti.* Optime Pichena et recentiores, *sisti.* Gronov. ad Liv. iv, 12.

Quod non obtineret. Ita Ms. Flor. vett. edd. Gronov. et recentiores. Rhenan. aliique eum secuti, *obtineretur.*

Cap. 53. *Ac velut deprehenderem.* Ms. Flor. Jac. Gronov. et recentiores, *deprenderem.* In vett. edd. ceterisque scriptoribus vulgatam scripturam, ex Ms. Codice, haud perantiquo, et sæpe mendoso, immutare nolui.

Cap. 54. *Ac nisi provinciarum.* Mallet Ernest. *nam nisi. Ac*, non displicet.

Aut si qui ex magistratibus. Tentat Ernest. *quod si qui.* Retineri tamen posse vulgatam scripturam fatetur.

Laborum meorum partem. Heins. corrigit, *parte*, ut intelligatur, *me* exonerari.

Simultates faciunt, ac mihi relinquunt. Mercer. et Grot. emendant, *simultates faciundas mihi relinquunt.* Bene, si suffragarentur vett. libri. At nihil peccat vulgata scriptura.

Cap. 55. ***Remissa Ædilibus talis cura.*** Talem curam suscipere noluit Princeps; ad ÆDiles remissa est; permissumque ut veteribus uterentur legibus, i. e. divitibus ganeonibus parcerent, in plebem aliquando sævirent. Hæc ita esse accipienda patet ex Suet. Tib. 34. 'dato Ædilibus negotio, popinas ganeasque usque eo inhibendi, ut ne opera quidem pistoria proponi venalia sinerent.' Cumque equites acerrimi essent luxuriæ institores, et dignitate sua defenderentur, equestrem ordinem in arctiorem formam redegit Tiberius, ut minor esset licentia. Id contigit, teste Plin. anno sequente; et miror Tacitum rem adeo gravem in Annalibus suis siluisse. Itaque audiamus Plin. xxxiii, 2. 'Tiberii demum principatus nono anno in unitatem venit equester ordo: anulorumque auctoritati forma constituta est, C. Asinio Pollione, C. Antistio vetere Coss. A. U. C. 775. quod miremur futili pæne de causa, cum C. Sulpicius Galba, dum juvenalem famam apud Principem popinarum pœnis aucupatur, questus esset in senatu, vulgo institores ejus culpæ defendi anulis. Hac de causa constitutum, ne cui jus id esset, nisi cui ingenuo ipsi, patri avoque paterno sestertia cccc. [*Angl.* 3333*l.* 6*s.* 8*d.*] census fuisset, et lege Julia theatrali in 14. ordinibus sedendi.' Nunc vero ***remittere,*** pro ***iterum mittere, permittere,*** dici ita compertum, ut exemplis supersedeam, licet id Latinitati repugnare pronuntiet Ernest. et cum Lips. Freinshem. aliisque plurimis ÆDiles cura coercendi luxus fuisse exoneratos contendat. Sic Dureau, ***dispensa les Ediles de pareils soins.***

Rerum adeptus est. Quidam emendant, ***rempublicam.*** Immerito. Archaismus enim est, ut recte observat Lips. sic inf. An. vi, 45. 'dum dominationis apisceretur.'

Ad senectam pervenirent. Mallet Ernest. ***pervenissent,*** vel ***pervenerant.*** Grammatice. Sed haud ita diligens Tacitus.

Verum hæc nobis. In ed. pr. legitur, ***verum hæc nobis majores certamina ex honesto maneant.*** Sana omnia, et orationem ad majores converti existimant Heins. et Saliner. V. Misc. Obs. ix, 393. Ceteri vitiata putant, et emendare student. Corrigit Lips. ***in majores:*** Rhenan. ***erga majores:*** Faern. ***adversus majores:*** Acidal. ***quorum hæc nobis in majores.*** Viam aliam, et perspicaci suo ingenio dignam, iniit Illustr. Huetius, 'quid si legamus,' inquit, '***verum hæc nobis major res,*** hoc sensu: Verum in pristina honestate retinenda vel recuperanda plus nobis erit laborandum, quod plura luxus et corruptelæ exempla habeamus.' At felicior Boxhorn. egregie distinxit, ***Verum hæc nobis majores. Certamina ex honesto maneant.*** Hæc nobis majores ab Actiaca victoria ad Galbam luxus, a Galba ad nos parcimoniæ exempla reliquere. Non ex luxu, sed ex honesto certamina maneant.

Cap. 57. ***Publicis privativisve monimentis.*** Ita vett. et recentes edd. In mediis quibusdam, ***privatisque.*** Quod Mureto quoque placebat.

At Q. Haterius. Beroald. aliique vett. ***atque Haterius.*** Optime Lips. et recentiores, ***at Q. Haterius.***

Tantum infamia usurus. Frustra tentat Heins. ***ausurus.*** V. Misc. Obs. ix, 394.

Cap. 58. ***Asiam sorte haberet.*** Gronov. emendat, ***Asiæ sortem***

haberet. Nec male, si tamen locus emendatione indigeat. Licet enim duæ illæ provinciæ, Asia et Africa, sorte haberentur, ac proinde, prorogata Asia, nulla jam pro Asia sors esset, potuit tamen Servius postulare, ut, tamquam consularium antiquissimus, Asiam sorte haberet. Eam enim ipsi sors permittebat.

Si hi duxissent provincias. Perperam emendatur, *direxissent, rexissent;* vel *duxissent,* pro *sorte duxissent* accipitur. Melius Rutgers. Venusin. Lectiones c. 25. observat, *ducere* hic usurpari ut a Thucydide ceterisque Græcis *ἡγεῖσθαι, regere.*

Non æmulationi. Optime Muret. Male in vett. edd. *æmulatione.*

Aut privatis adfectionibus. Acidal. omittebat, *aut.* Retineri potest.

Cap. 59. *Huc decidisse.* Ita Ms. Flor. edd. vett. et recentiores. Lips. emendaverat, *recidisse.* Quod magis vulgatum, sed minime necessarium.

Bellum scilicet. Mallet Lips. *bello,* vel *bello eum.* At potest intelligi, *esse.*

Diverso terrarum distineri. Corrigebat Heins. *diversa terrarum distinere.* In quibusdam edd. minime antiquis additum, *diverso terrarum tractu.* Nihil addendum, nihil mutandum.

Cum maxime peragrantem. Ita Ms. Flor. Muret. Pichena et recentiores. Perperam Beroald. aliique vett. *tum maxime.*

Cap. 61. *Et lucum Ortygiam.* Optime emendavit Pichena, quem recentiores sunt secuti. Perperam Beroald. aliique vett. *et locum Ortigiam.* Lucus ille aliæque Ephesiorum fabulæ memorantur a Strabone, xiv, p. 639. Ἐν δὲ τῇ αὐτῇ παραλίᾳ μικρὸν ὑπὲρ τῆς θαλάττης ἐστὶ καὶ ἡ Ὀρτυγία, διαπρεπὲς ἄλσος παντοδαπῆς ὕλης, κυπαρίττου δὲ τῆς πλείστης. Διαῤῥεῖ δὲ ὁ Κέγχριος ποταμὸς, οὗ φασι νήψασθαι τὴν Λητὼ μετὰ τὰς ὠδίνας· ἐνταῦθα γὰρ μυθεύουσι τὴν λοχείαν, καὶ τὴν τροφὸν τὴν Ὀρτυγίαν, καὶ τὸ ἄδυτον ἐν ᾧ ἡ λοχεία, καὶ τὴν πλησίον ἐλαίαν, ᾗ πρῶτον ἐπαναπαύσασθαί φασι τὴν θεὸν ἀπολυθεῖσαν τῶν ὠδίνων· ὑπέρκειται δὲ τοῦ ἄλσους ὄρος ὁ Σολμισσὸς ὅπου στάντας φασὶ τοὺς Κουρῆτας, τῷ ψόφῳ τὴν Ἥραν τῶν ὅπλων ἐκπλῆξαι, ζηλοτύπως ἐφεδρεύουσαν, καὶ λαθεῖν συμπράξαντας τὴν λοχείαν τῇ Λητοῖ. 'In eadem ora paululum supra mare Ortygia est lucus elegans omnis generis arboribus, plurima tamen Cupresso. Interfluit Cenchrius fluvius, quo se abluisse a partu Latonam perhibent. Istis enim in locis partum Latonæ ponunt fabulæ, et Ortygiam nutricem, et adytum in quo enixa fuerit, et proximam oleam, in qua primum soluta doloribus, Dea acquieverit. Supra lucum situs est mons Solmissus: in quo stantes aiunt Curetas armorum sonitu Junonem, rivalitatis causa insidiantem absterruisse, et ut occulte pareret Latonæ adjumento fuisse.'

Cap. 62. *Castigandum e proximo.* V. Misc. Obs. ix, 394. *Magnetes.* Marmora Oxoniensia, opus eruditissimum, Smyrnæorum et Magnetum fœdus exhibent, quod hunc Taciti locum egregie illustrat. Ibi enim, p. 3. num. 85. memoratur templum Dianæ Leucophryenæ, in quo hujus fœderis exemplar fuit consecratum.
ΕΜΜΑΓΝΗΣΙΑΙΤΗΙΠΡΟΣΤΩΙΜΑΙΑΝΔΡΩΙΕΝΤΩΙΤ ΗΣΑΡΤΕΜΙΔ . . . . . ΝΗΣΙΕΡΩΙ, i. e. ἐμ (pro ἐν) Μαγνησίᾳ τῇ πρὸς τῷ Μαιάνδρῳ ἐν τῷ τῆς Ἀρτεμίδος τῆς Λευκοφρυήνης ἱερῷ,

Smyrnæi columnas fœderis consecrant 'Magnesiæ ad Mæandrum in Dianæ Leucophryenæ templo.'

Mithridate. Ita vett. edd. et recentiores. Quædam mediæ, *Mithradate.* Habentur quidem nummi ΜΙΘΡΑΔΑΤΟΥ. Nihil tamen novandum.

Dianæ Leucophryeneæ. Ita Beroald. et edd. omnes vett. Lips. emendavit, *Leucophrynæ.* At nihil mutandum; maxime cum habeantur nummi in quibus appellatur ΛΕΥΚΟΦΡΥΗΝΗ, quam sic vocatam a Leucophryne, in hoc templo sepulta, docet Zeno Myndius apud Clem. Alexandrin. in Protrept. p. 39.

Aphrodisienses. Plurimi extant ΑΦΡΟΔΙCΙΕΩΝ nummi. Cf. D'Orvilii Animad. in Charit. p. 3. At quod nummis pretiosius, et ad illustrandam historiam utilius, extat decretum, quo senatus Romanus concessa a dictatore Cæsare, et triumviris Lepido, Antonio, Octavio, Aphrodisiensibus beneficia confirmavit, anno, ut videtur, U. C. 715. A. C. 38. Egregium illud antiquitatis monumentum, forte idem, ac decretum Augusti, cui postea acta triumvirorum attributa, Aphrodisiade reportavit anno 1716. Cl. Lisle: et inter Antiquitates Asiaticas, p. 152. publicavit eruditus Edmundus Chishull, merito confisus, p. 155. 'non fore abfuturum tam cognatum, tam illustre ornamentum a splendidioribus, quæ post dabuntur, Annalium Taciti editionibus.' Illud accurate et aliquanto melius, ultro dabimus.

MONUMENTUM APHRODISIENSE.

* * * * * * * * * * * * * * * * *

1 ΔΙ] ΚΑΙΑΕΣΘΛΑΤΕ[ΠΑΝΤ]ΑΕΛΕΥΘΕΡΟΥΣΕΙΝΑΙΤΩ[ΤΕ]ΔΙ
ΚΑΙΩΚΑΙΤΑΙΣ[ΝΟΜΟΘΕΣΙΑΙΣΤΑΙΣΙΔΙΑΙΣΤΗΝΠΟΛ
2 ΙΝ] ΤΗΝΠΛΑΡΑΣΕΩΝΚΑΙΑΦΡΟΔΕΙΣΙΕΩΝΧΡΗΣΘΑΙΜΗΤΕΕ
ΓΓΥΗΝΕ[ΙΣΦΕΡΕΙΝΤΟΥΤΟΙΣΚΑΤΑΤΟΠΑΡΟΝΔΟΓΜΑ
3 Κ] ΑΙΚΕΛΕΥΣΙΝΟΜΟΛΟΓΕΙΝΑΤΕΤΙΝΑΕΠΑΘΛΑΤΕΙΜΑΣΦ
ΙΛΑΝΘΡΩ[ΠΑΟΙΤΡΕΙΣΑΝΔΡΕΣΟ]
4 ΙΤΗΣΤΩΝΔΗΜΟΣΙΩΝΠΡΑΓΜΑΤΩΝΔΙΑΤΑΞΕΩΣΤΩΙΔΙΩΕΠΙΚ
ΡΙΜΑΤΙΠΛ[ΑΡΑΣΕΥΣΙΚΑΙΑΦΡΟΔΕΙΣΙΕΥΣ
5 Ι]ΠΡΟΣΕΜΕΡΙΣΑΝΠΡΟΣΜΕΡΙΟΥΣΙΝΣΥΝΕΧΩΡΗΣΑΝΣΥΝΧΩ
ΡΗΣΟΥΣΙΝΤΑ[ΥΤΑΠΑΝΤΑΒΕΒΑΙΑ

Id est,

[Ὕπατοι λόγους ἐποιήσαντο. Ἀρέσκειν τῇ Συγκλήτῳ, περὶ ὧν ὁ Γάϊος Καῖσαρ ὑπὲρ Πλαρασέων καὶ Ἀφροδεισιέων ἔκρινεν, αὐτοὺς κατὰ τὰ δί]καια ἐσθλά τε [πάντ]α ἐλευθέρους εἶναι, τῷ τε δικαίῳ, καὶ ταῖς [νομοθεσίαις ταῖς ἰδίαις τὴν πόλ]ιν τὴν Πλαρασέων καὶ Ἀφροδεισιέων χρῆσθαι, μήτε ἐγγύην ε[ἰσφέρειν, τούτοις κατὰ τὸ παρὸν δόγμα κ]αὶ κέλευσιν ὁμολογεῖν. Ἅ τέ τινα ἔπαθλα, τειμὰς, (pro τιμὰς,) φιλάνθρω[πα οἱ τρεῖς ἄνδρες, ο]ἱ τῆς τῶν δημοσίων πραγμάτων διατάξεως, τῷ ἰδίῳ ἐπικρίματι Πλ[αρασεῦσι καὶ Ἀφροδεισιεῦσ]ι προσεμέρισαν, προσμεριοῦσιν, συνεχώρησαν, συνχωρήσουσιν, τα[ῦτα

[Consules retulerunt. Placere senatui quantum ad ea, quæ de Plarasensibus et Aphrodisiensibus Caius Cæsar censuit; quoad] jura commodaque omnia liberos eos fore; suo quoque jure suisque legibus patriis uti, neve sponsionem aliquam afferre Plarasensium et Aphrodisiensium civitatem; his omnibus per præsens hoc decretum et jussionem consentire. Quinetiam quæcumque præmia, honores, beneficia triumviri reipublicæ constituendæ, propria sua comprobatione Plarasensibus et Aphrodisiensibus largiti sunt, largienturve, concesserunt, concedentve, ea rata

6 Γ]ΕΝΕΣΘΑΙΟΜΟΙΩΣΤΕΑΡΕΣΚΕΙΝΤΗΣΥΓΚΛΗΤΩΤΟΝΔΗΜΟ ΝΤΟΝΠΛΑ[ΡΑΣΕΩΝΚΑΙΑΦΡΟΔΕΙΣΙΕ]

7 ΩΝΤΗΝΕΛΕΥΘΕΡΙΑΝΚΑΙΤΗΝΑΤΕΛΕΙΑΝΑΥΤΟΥΣΠΑΝΤΩ ΝΠΡΑΓ[ΜΑΤΩΝΕΧΕΙΝΚ

8 ΑΘ]ΑΠΕΡΚΑΙΤΙΣΠΟΛΙΤΕΙΑΤΩΚΑΛΛΙΣΤΩΔΙΚΑΙΩΚΑΛΛΙΣ ΤΩΤΕΝΟΜΩΕΣΤΙΝ[ΧΡΩΜΕΝΗΗΑΠΟ

9 ΔΗΜΟ] ΥΤΟΥΡΩΜΑΙΩΝΤΗΝΕΛΕΥΘΕΡΙΑΝΚΑΙΤΗΝΑΤΕΛΕΙ ΑΝΕΧΕΙΦΙΛΗΤΕΚΑΙΣΥ[ΜΜΑΧΟΣ

10 ΟΥΣΑΤΟΔΕ] ΤΕΜΕΝΟΣΘΕΑΣΑΦΡΟΔΙΤΗΣΕΝΠΟΛΕΙΠΛΑΡΑ ΣΕΩΝΚΑΙΑΦΡΟΔΕΙΣΙΕΩ[Ν

11 ΙΕΡΟΝΕ]ΣΤΩΤΑΥΤΩΤΩΔΙΚΑΙΩΤΑΥΤΗΤΕΔΕΙΣΙΔΑΙΜΟΝΙΑΩ ΔΙΚΑΙΩΚΑΙΗΔΕΙΣ[ΙΔΑΙΜΟΝΙΑ

12 ΤΟΕΦΕ]ΣΙΑΣΕΣΤΙΝΕΝΕΦΕΣΩΚΥΚΛΩΤΕΕΚΕΙΝΟΥΤΟΥΙΕΡΟΥ ΕΙΤΕΤΕΜΕΝΟΣΕΙΤ]ΕΙΕ

13 ΡΟΣ] ΤΟΠΟΣΑΣΥΛΟΣΕΣΤΩΟΠΩΣΤΕΗΠΟΛΙΣΚΑΙΟΙΠΟΛΕΙΤ ΑΙΟΙΠΛΑΡΑΣΕΩΝ[ΚΑΙΑΦΡΟΔΕΙΣΙΕ

14 ΩΝΤΩ]ΝΚΩΜΩΝΧΩΡΙΩΝΟΧΥΡΩΜΑΤΩΝΟΡΩΝΠΡΟΣΟΔΩΝΠΡ ΟΣΤΗΝΦΙΛΙΑΝΤΟ[Ε

15 ΦΗΜ]ΙΝΚΡΑΤΩΣΙΝΧΡΩΝΤΑΙΚΑΡΠΙΖΩΝΤΑΙΤΕΠΑΝΤΩΝΠΡ ΑΓΜΑΤΩΝΑΤΕ[ΛΕΙΣΜΗΤΕ

16 ΦΟΡΟΝΔ]ΙΑΤΙΝΑΑΙΤΙΑΝΕΚΕΙΝΩΝΔΙΔΟΝΑΙΜΗΔΕΣΥΝΕΙΣΦ ΕΡΕΙΝΟΦΕΙΛΩΣΙΝ

17 [ΑΛΛΑΥΤ]ΟΙΣΚΑΤΟΥΣΑΝΜΕΤΑΤΑΥΤΑΕΝΕΑΥΤΟΙΣΚΥΡΩ ΣΙΝΧΡΩΝ[ΤΑΙ . . . . .

βέβαια γ]ενέσθαι. Ὁμοίως τε ἀρέσκειν τῇ Συγκλήτῳ τὸν δῆμον τὸν Πλα[ρασέων καὶ Ἀφροδεισιέ]ων τὴν ἐλευθερίαν καὶ τὴν ἀτέλειαν αὐτοὺς πάντων τῶν πραγ[μάτων ἔχειν, καθ]άπερ καί τις πολιτεία τῷ καλλίστῳ δικαίῳ καλλίστῳ τε νόμῳ ἐστὶν [χρωμένη, ἣ ἀπὸ δήμο]υ τοῦ Ῥωμαίων τὴν ἐλευθερίαν καὶ τὴν ἀτέλειαν ἔχει, φίλη τε καὶ σύ[μμαχος οὖσα. Τὸ δὲ] τέμενος Θεᾶς Ἀφροδίτης ἐν πόλει Πλαρασέων καὶ Ἀφροδεισιέω[ν ἱερὸν ἔ]στω ταυτῷ τῷ δικαίῳ, ταυτῇ τε δεισιδαιμονίᾳ, ᾧ δικαίῳ, καὶ ᾗ δεισ[ιδαιμονίᾳ, τὸ Ἐφε]σίας ἐστὶν ἐν Ἐφέσῳ. Κύκλῳ τε ἐκείνου τοῦ ἱεροῦ εἴτε τέμενος, εἴτ[ε ἱερὸς] τόπος ἄσυλος ἔστω· Ὅπως τε ἡ πόλις καὶ οἱ πολεῖται οἱ Πλαρασέων [καὶ Ἀφροδεισιέων τῶ]ν κωμῶν, χωρίων, ὀχυρωμάτων, ὅρων, προσόδων, πρὸς τὴν φιλίαν, τὸ [ἐφ' ἡμ]ῖν, κρατῶσιν, χρῶνται καρπίζωνταί τε, πάντων πραγμάτων ἀτε]λεῖς, μήτε φόρον δ]ιά τινα αἰτίαν ἐκείνων διδόναι, μηδὲ συνεισφέρειν ὀφείλωσιν, [ἀλλ' αὐτ]οῖς κατ' οὖσαν μετὰ ταῦτα ἐν ἑαυτοῖς κύρωσιν χρῶν[ται.

et firma fore. Simili etiam modo senatui placere populum Plarasensium et Aphrodisiensium quoad res omnes libertatem habere et immunitatem, prout quævis alia civitas optimo jure optimaque lege usa, quæ a populo Romano libertatem habet et immunitatem amica sociaque nostra. Templum autem Deæ Veneris in urbe Plarasensium et Aphrodisiensium sacrum eodem jure, eademque religione esto, quo jure quaque religione est Deæ Ephesinæ in Epheso. Quodque in circuitu est istius templi, sive septum, sive sacer locus, jure asyli esto. Ut autem civitas civesque Plarasenses et Aphrodisienses, vicos, castella, munitiones, fines, proventus, amicorum ritu, quantum in nobis est, possideant, utantur, fruanturque, rerum omnium immunes; neve tributum eorum nomine qualemcunque ob causam pendant; neve pecuniam conferre teneantur; sed libere iis utantur juxta propriam post hæc decreta competentem ipsis potestatem. . . .

Decreti proœmium supplevit eruditus Chishull ex simili formula apud Joseph. Antiq. Jud. xiv, 10. n. 10. Consules tunc fuisse *L. Marcium*, et *C. Sabinum* haud temere conjectat ex Dione, xlviii, p. 377. Iis enim consulibus, acta triumvirorum, ex quo ad hos paucos summa rerum pervenerat, auctoritatem a senatu accepere, *τάτε ὑπὸ*

τῶν τριῶν ἀνδρῶν πραχθέντα, ἀφ' οὗ ἐς τὴν ὀλιγαρχίαν ἐσῆλθον, κῦρος παρὰ τῆς βουλῆς ἔλαβε. Ex hoc monumento adhuc accipimus Plarasenses religione, jure ac fœdere fuisse cum Aphrodisiensibus conjunctos. Ap. Stephanum Byzant. memoratur ΠΛΑΡΑΣΣΑ, *πόλις Καρίας*, 'Plarassa, urbs Cariæ.'

Concesso a senatu decreto, Plarasenses et Aphrodisienses ad M. Antonium Triumvirum secundo, i. e. A. U. C. 717. miserunt Solonem, qui exemplaria confirmationis, sibi concessæ, peteret. Antonii hac de re epistolam Aphrodisiade anno 1705. repererat doctissimus Sherardus, hic quoque describendam.

[ΜΑΝΤΩΝΙΟΣΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡΥΠΑΤΟΣΑΠΟΔΕΔΕΙ] ΓΜΕΝΟΣΤΟ
ΒΚΑΙ[ΤΟΓ]ΤΡΙΩΝΑΝΔΡΩΝΤΗΔ . . . . ΤΩΝΔΗΜΟΣΙΩΝ
ΠΡΑΓΜΑΤΩΝΔΙΑΤΑΞΕΩΣΠΛΑΡΑΣΕΩΝΚΑΙΑΦΡΟΔΕΙΣΙΕΩΝΑΡ
ΧΟΥΣΙΝΒΟΥΛΗΔΗΜΩΧΑΙΡΕΙΝΕΙΕΡΡΩΣΘΕΕΥΑΝΕΧΟΙΥΓΙΑΙΝ
ΩΔΕΚΑΙΑΥΤΟΣΜΕΤΑΣΤΡΑΤΕΥΜΑΤΟΣΣΟΛΩΝΔΗΜΗΤΡΙΟΥΥ
ΜΕΤΕΡΟΣΠΡΕΣΒΕΥΤΗΣΕΠΙΜΕΛΕΣΤΑΤΑΠΕΦΡΟΝΤΙΚΩΣΤΩΝΤ
ΗΣΠΟΛΕΩΣΥΜΩΝΠΡΑΓΜΑΤΩΝΟΥΜΟΝΟΝΗΡΚΕΣΘΗΕΠΙΤΟΙΣ
ΓΕΓΟΝΟΣΙΝΟΙΚΟΝΟΜΗΜΑΣΙΝΑΛΛΑΚΑΙΗΜΑΣΠΑΡΕΚΑΛΕΣ
ΕΝΕΙΣΤΟΤΟΥΓΕΓΟΝΟΤΟΣΥΜΕΙΝΕΠΙΚΡΙΜΑΤΟΣΚΑΙΔΟΓΜΑΤ
ΟΣΚΑΙΟΡΚΙΟΥΚΑΙΝΟΜΟΥΑΝΤΙΠΕΦΩΝΗΜΕΝΑΕΚΤΩΝΔΗΜΟ
ΣΙΩΝΔΕΛΤΩΝΕΞΑΠΟΣΤΕΙΛΑΙΥΜΕΙΝΤΑΑΝΤΙΓΡΑΦΑΕΦΟΙΣΕΠ
ΑΙΝΕΣΑΣΤΟΝΣΟΛΩΝΑΜΑΛΛΟΝΑΠΕΔΕΞΑΜΗΝΕΣΧΟΝΤΕΕΝ
ΤΟΙΣΥΠΕΜΟΥΓΕΙΝΩΣΚΟΜΕΝΟΙΣΩΚΑΙΤΑΚΑΘΗΚΟΝΤΑΑΠΕ
ΜΕΡΙΣΑΦΙΛΑΝΘΡΩΠΑΑΞΙΟΝΗΓΗΣΑΜΕΝΟΣΤΟΝΑΝΔΡΑΤΗΣΕ
ΞΗΜΩΝΤΕΙΜΗΣΥΜΕΙΝΤΕΣΥΝΗΔΟΜΑΙΕΠΙΤΩΕΧΕΙΝΤΟΙΟΥΤΟ
ΝΠΟΛΕΙΤΗΝΕΣΤΙΝΔΕΑΝΤΙΓΡΑΦΑΤΩΝΓΕΓΟΝΟΤΩΝΥΜΕΙΝΦΙ
ΛΑΝΘΡΩΠΩΝΤΑΥΠΟΓΕΓΡΑΜΜΕΝΑΑΥΜΑΣΒΟΥΛΟΜΑΙΕΝΤ
ΟΙΣΔΗΜΟΣΙΟΙΣΤΟΙΣΠΑΡΥΜΕΙΝΓΡΑΜΜΑΣΙΝΕΝΤΑΞΑΙΓΡΑΜ
ΜΑΤΑΚΑΙΣΑΡΟΣ

[Μ. Ἀντώνιος αὐτοκράτωρ, ὕπατος ἀποδεδει]γμένος τὸ β καὶ [τὸ γ,]τριῶν ἀνδρῶν τῇ δευτεραίᾳ τῶν δημοσίων πραγμάτων διατάξεως, Πλαράσεων καὶ Ἀφροδεισιέων ἄρχουσιν, βουλῇ, δήμῳ χαίρειν.

Εἰ ἔρρωσθε, εὖ ἂν ἔχοι, ὑγιαίνω δὲ καὶ αὐτὸς μετὰ στρατεύματος. Σόλων Δημητρίου ὑμέτερος πρεσβευτὴς ἐπιμελέστατα πεφροντικὼς τῶν τῆς πόλεως ὑμῶν πραγμάτων, οὐ μόνον ἠρκέσθη ἐπὶ τοῖς γεγονόσιν οἰκονομήμασιν, ἀλλὰ καὶ ἡμᾶς παρεκάλεσεν εἰς τὸ τοῦ γεγονότος ὑμῖν ἐπικρίματος, καὶ δόγματος, καὶ ὁρκίου, καὶ νόμου, ἀντιπεφωνημένα, ἐκ τῶν δημοσίων δέλτων ἐξαποστεῖλαι ὑμῖν τὰ ἀντίγραφα. Ἐφ' οἷς ἐπαινέσας τὸν Σόλωνα μᾶλλον ἀπεδεξάμην, ἔσχον τε ἐν τοῖς ὑπ' ἐμοῦ γινωσκομένοις, ᾧ καὶ τὰ καθήκοντα ἀπεμέρισα φιλάνθρωπα, ἄξιον ἡγησάμενος τὸν ἄνδρα τῆς ἐξ ἡμῶν τιμῆς. Ὑμῖν τε συνήδομαι ἐπὶ τῷ ἔχειν τοιοῦτον πολείτην. Ἔστιν δὲ ἀντίγραφα τῶν γεγονότων ὑμῖν φιλανθρώπων τὰ ὑπογεγραμμένα, ἃ ὑμᾶς βούλομαι ἐν τοῖς δημοσίοις τοῖς παρ' ὑμῖν γράμμασιν ἐντάξαι. Γράμματα Καίσαρος.

M. Antonius, imperator, consul designatus iterum et tertium, triumvir secundo reipublicæ constituendæ, Plarasensium et Aphrodisiensium archontibus, concilio, populo salutem.

Si valetis, bene sit; ego quoque cum exercitu bene valeo. Solon, Demetrii filius, legatus vester, adhibita de rebus civitatis vestræ diligentissima cura, non solum ea, quæ facta est, dispositione contentus fuit, sed et nos rogavit, ut exemplaria confirmationis vobis concessæ, et decreti, et juramenti, et legis, expressa ex publicis tabulis vobis transmitterem. Hanc ob rem collaudans Solonem, familiarius eum accepi, habuique inter mihi cognitos; cui etiam ea, quæ par erat, beneficia impertitus sum; dignum existimans hominem illo apud nos honore. Vobisque congratulor, qui talem habeatis civem. Sunt vero infra scripta beneficiorum vobis indultorum exemplaria; quæ vos inter publica apud vos scripta referre volo. LITERÆ CÆSARIS.

Docet hæc epistola, in decreto supra memorato periisse *ὅρκιον καὶ νόμον, jusjurandum et legem: ὅρκιον* Plarasensium et Aphrodisiensium, qui se in Romanorum fide et amicitia permansuros jurabant: *νόμον* senatus, qua lege cavebatur, ut data Plarasensibus et Aphrodisiensibus promissa servarentur. Periere quoque *γράμματα Καίσαρος, literæ Cæsaris*, quæ vetusta populorum illorum in dictatoris partes merita continerent.

Stratonicenses. Stratonicea Straboni, xiv, p. 660. dicitur *Macedonum colonia, a regibus splendide ornata: Κατοικία Μακεδόνων· ἐκοσμήθη δὲ καὶ αὕτη κατασκευαῖς πολυτελέσιν ὑπὸ τῶν βασιλέων· ἔστι δ' ἐν τῇ χώρᾳ τῶν Στρατονικέων δύο ἱερά· ἐν μὲν Λαγίνοις, τὸ τῆς Ἑκάτης ἐπιφανέστατον, πανηγύρεις μεγάλας συνάγον κατ' ἐνιαυτόν· ἐγγὺς δὲ τῆς πόλεως τὸ τοῦ χρυσαορέως Διὸς κοινὸν ἁπάντων Καρῶν, εἰς ὃ συνίασι θύσαντές τε καὶ βουλευσάμενοι περὶ τῶν κοινῶν. In agro Straoniceno duo sunt templa: unum in Laginis, Hecatæ sacrum, illustrissimum, ubi quotannis magnos conventus agitant. Prope ipsam autem urbem, fanum Jovis Chrysaoris, commune Caribus omnibus: qui eo ad sacrificia et deliberationes de republica conveniunt.* De Stratonicensium Deis eorumque religionibus et asylis egregium apud laudatum Chishull, Antiq. Asiatic. p. 156. extat monumentum ab erudito consule Sherardo, de re literaria egregie merito, Stratoniceæ, anno 1709. inventum: ad Taciti illustrationem, sacrorumque veterum notitiam eo libentius hic edendum, quod rarissimæ sunt hujusce antiquitatis reliquiæ; et eruditorum virorum voluptati ac utilitati plurimum inserviunt.

MONUMENTUM STRATONICENSE.

ΕΠΙΣΤΕΦΑΝΗΦΟΡΟΥΠΤΟΛΕ [ΜΑΙΟΥ . . . . [ΔΙΟΝ] ΥΣΙΟΥ
ΓΡΑΜΜΑΤΕΩΣ [ΣΕΒΑΣ] ΤΗΣΒΟΥΛΗΣΕ
ΙΠΟΝΤΟΣΤΗΝΠΟΛΙΝΑΝΩΘΕΝΤΗΤΩΝΠΡΟΕΣΤΟΤΩΝΑΥΤΗΣΜ
ΕΓΙΣΤΩΝΘΕΩΝ [ΠΡΟΝΟΙΑΧΡΥΣΑΟΡΕΩΣΔΙΟΣΚΑΙΕΚ] ΑΤΗ
ΣΕΚΠΟΛΛΩΝΚΑΙΜΕΓΑΛΩΝΚΑΙΣΥΝΕΧΩΝ
ΚΙΝΔΥΝΩΝΣΕΣΩΣΘΑΙΩΝΚΑΙΤΑΙΕΡΑΑΣΥΛΑΚΑΙΙΚΕΤΑΙΚΑΙΙΕ
ΡΑΣΥΝΚΛΗΤΟΣΔΟΓΜΑΤΙΣΕ[ΒΑΣΤΟΥΚΑΙΣΑΡΟΣΚΑΙ]ΤΗ
ΣΤΩΝΚΥΡΙΩΝΡΩΜΑΙΩΝΑΙΩΝΙΟΥΑΡΧΗΣ
ΕΠΟΙΗΣΑΝΤΟΠΡΟΦΑΝΕΙΣΕΝΑΡΓΕΙΑΣΚΑΛΩΣΔΕΕΧΗΠΑΣΑΝ
ΣΠΟΥΔΗΝΕΙΣΦΕΡΕΣΘΑΙΕΙΣΤΗΝΠΡΟΣ [ΘΕΟΥΣΕΥΣΕΒ] ΕΙΑ
ΝΚΑΙΜΗΔΕΝΑΚΑΙΡΟΝΠΑΡΑΛΙΠΕΙΝΤΟΥΕΥΣΕΒΕΙΝ

Ἐπὶ Στεφανηφόρου Πτολε[μαίου . . [Διο-ν]υσίου γραμματέως [σεβασ]τῆς βουλῆς εἰπόντος, τὴν πόλιν ἄνωθεν τῇ τῶν προεστότων αὐτῆς μεγίστων θεῶν [προνοίᾳ χρυσαορέως Διὸς καὶ Ἑκ]άτης, ἐκ πολλῶν καὶ μεγάλων καὶ συνεχῶν κινδύνων σεσῶσθαι, ὧν καὶ τὰ ἱερὰ ἄσυλα, καὶ ἱκέται, καὶ ἱερὰ σύνκλητος, δόγματι Σε[βαστοῦ Καίσαρος, καὶ] τῆς τῶν κυρίων Ῥωμαίων αἰωνίου ἀρχῆς, ἐποιήσαντο προφανεῖς ἐναργείας. Καλῶς δὲ ἔχῃ πᾶσαν σπουδὴν εἰσφέρεσθαι εἰς τὴν

Sub Stephanephoro Ptolemæo——— sententiam dicente —— Dionysii filio, scriba venerabilis concilii; hanc ab antiquo urbem, maximorum Deorum, ejus præsidum, Chrysaoris Jovis et Hecates providentia, ex multis magnisque et continuis periculis servatam fuisse, quorum et sacra asyla, et confugientes ad ea supplices, quin et sacer senatus, decreto Augusti Cæsaris, æternique dominorum Romanorum imperii, præclara fecere indicia; oportere

ΚΑΙΛΙΤΑΝΕΥΕΙΝΑΥΤΟΥΣΚΑΘΙΔΡΥΤΑΙΔΕΑΓΑΛΜΑΤΑΕΝΤΩ
ΣΕΒΑΣΤΩΒΟΥΛΕΥΤΗΡΙΩΤΩΝΠΡΟΕΙΡΗΜΕΝΩ [ΝΘΕΩΝΕΠ
ΙΦΑΝ] ΕΣΤΑΤΑΣΠΑΡΕΧΟΝΤΑΤΗΣΘΕΙΑΣΔΥΝΑ
ΜΕΩΣΑΡΕΤΑΣΔΙΑΣΚΑΙΤΟΣΥΝΠΑΝΠΛΗΘΟΣΘΥΕΙΤΕΚΑΙΕΠΙΘ
ΥΜΙΑΚΑΙΕΥΧΕΤΑΙΚΑΙΕΥΧΑΡΙΣΤΕΙΑ [ΙΕΙΤΟΙΟΙΣ] ΔΕΟΥ
ΤΩΣΕΠΙΦΑΝΕΣΤΑΤΟΙΣΘΕΟΙΣΚΑΚΤΗΣ
ΔΙΥΜΝΩΔΙΑΣΠΡΟΣΟΔΟΥΚΑΙΘΡΗΣΚΕΙΑΣΕΥΣΕΒΟΥΝΑΥΤΟΥΣ
[ΔΙΑΤΕΛΕΙ] ΕΔΟΞΕΤΗΒΟΥΛΗΑ [ΙΡΕΙΣΘΑΙ] ΝΥΝΕΚΤΙΝΩΝ
ΕΥΓΕΓΟΝΟΤΩΝΠΑΙΔΑΣΤΡΙΑΚΟΝ
ΤΑΟΥΣΤΙΝΑΣΚΑΘΕΚΑΣΤΗΝΤΗΝΗΜΕΡΑΝΜΕΤΑΤΩΝΔΗΜΟΣ
ΙΩΝΠΑΙΔΟΦΥΛΑΚΩΝ [ΑΝΙΕΝ] ΑΙΟΠΑΔΟΥ [ΝΤΑΣΕΙΣΒ] Ο
ΥΛΕΥΤΗΡΙΟΝΛΕΥΧΕΙΜΟΝΟΥΝΤΑΣΚΑΙΕΣΤΕ
ΦΑΝΟΜΕΝΟΥΣΘΑΛΛΟΥΕΧΟΝΤΑΣΔΕΜΕΤΑΧΕΙΡΑΣΟΜΟΙΩΣ
ΘΑΛΛΟΥΣΟΙΤΙΝΕΣΣΥΝΠΑΡΟΝ [ΤΟΣΚΑΙ] ΚΙΘΑΡΙΣΤΟΥΚ
ΑΙΚΗΡΥΚΟΣΑΣΟΝΤΑΙΥΜΝΟΝΟΝ
ΑΝΣΥΝΤΑΞΗΣΩΣΑΝΔΡΟΣΔΙΟΜΗΔΟΥΣΟΓΡΑΜΜΑΤΕΥΣΕΑΝΔ
ΕΤΙΝΕΣΤΩΝΑΙΡΕΘΕΝ [ΤΩΝΠΑΙΔΩΝΕΝΚΡ] ΙΘΩΣΙΝΕΙΣΤΟ
ΥΣΕΦΗΒΟΥΣΗΟΜΗΔΕΙΣΘΕΩΝ
ΒΟΥΛΗΣΕΙΕΝΤΕΛΕΥΤΗΣΩΣΙΝΜΗΕΝΚΡΙΘΕΝΤΕΣΕΙΣΤΟΥΣΕΦ
ΗΒΟΥΣΑΛΛΟΥΣΑΝΘΑΙΡΕΙΣΘΑΙ [ΤΟΣΟΥΤΟΥΣ] ΕΠΙΤΗΝ
ΑΥΤΗΝΥΜΝΩΔΙΑΝΤΩΝΠΑΙΔΟΦΥ
ΛΑΚΩΝΚΑΙΤΟΥΠΑΙΔΟΝΟΜΟΥΦΑΝΕΡΟΝΤΟΥΤΟΕΝΓΡΑΦΩΣ
ΠΟΙΟΥΝΤΩΝΥΠΕΡΤΟΥ [ΙΣΗΝΕΙΣΤΟΝΠΑΝΤΑ] ΑΙΩΝΑΤΗ
ΝΑΥΤΗΝΔΙΑΜΕΙΝΑΙΤΗΣΑΝΘΑΙ
ΡΕΣΕΩΣΤΑΞΙΝΚΑΙΘΡΗΣΚΕΙΑΝΚΑΙΕΥΣΕΒΕΙΑΝΤΩΝΘΕΩΝΟΥΣ

πρὸς [θεοὺς εὐσέβ]ειαν, καὶ μηδένα καιρὸν παραλιπεῖν τοῦ εὐσεβεῖν, καὶ λιτανεύειν αὐτούς. Καθίδρυται δὲ ἀγάλματα ἐν τῷ σεβαστῷ βουλευτηρίῳ τῶν προειρημένω[ν θεῶν, ἐπιφαν]εστάτας παρέχοντα τῆς θείας δυνάμεως ἀρετὰς, δι' ἃς καὶ τὸ σύνπαν (vulgo σύμπαν) πλῆθος θύει τε καὶ ἐπιθυμιᾷ, καὶ εὔχεται, καὶ εὐχαριστεῖ α[ἰεὶ τοιοίσ]δε οὕτως ἐπιφανεστάτοις θεοῖς, κἀκτῆς δ' ὑμνῳδίας προσόδου καὶ θρησκείας εὐσεβοῦν αὐτοὺς [διατελεῖ]. Ἔδοξε τῇ βουλῇ α[ἱρεῖσθαι] νῦν, ἐκ τινῶν εὖ γεγονότων, παῖδας τριάκοντα, οὓς τινας καθ' ἑκάστην τὴν ἡμέραν μετὰ τῶν δημοσίων παιδοφυλάκων [ἀνιέν]αι ὀπαδοῦ[ντας εἰς β]ουλευτήριον, λευχειμονοῦντας, καὶ ἐστεφανομένους θάλλου, ἔχοντας δὲ μετὰ χεῖρας ὁμοίως θάλλους, οἵ τινες, συνπαρόν[τος καὶ] κιθαριστοῦ καὶ κήρυκος, ᾄσονται ὕμνον, ὃν ἂν συντάξῃ Σώσανδρος Διομήδους ὁ γραμματεύς. Ἐὰν δέ τινες τῶν αἱρεθέν[των παιδῶν ἐνκρ]ιθῶσιν εἰς τοὺς ἐφήβους, ἢ, ὃ μηδεὶς θεῶν βουλήσει (corrige βουληθείη), ἐντελευτήσωσιν μὴ ἐνκριθέντες εἰς τοὺς ἐφήβους, ἄλλους ἀνθαιρεῖσθαι [τοσούτους] ἐπὶ τὴν αὐτὴν ὑμνῳδίαν, τῶν παιδοφυλάκων καὶ τοῦ παιδονόμου φανερὸν τοῦτο ἐνγράφως (pro ἐγγράφως) ποιούντων, ὑπὲρ τοῦ [ἴσην εἰς τὸν πάντα] αἰῶνα τὴν αὐτὴν διαμεῖναι τῆς ἀνθαιρέσεως τάξιν, καὶ θρησκείαν, καὶ εὐσέβειαν τῶν θεῶν, οὔσης

autem omnem adhiberi curam de pietate erga Deos, neque ullam omitti occasionem eos colendi supplicandique. Porro in augusta curia dedicata esse prædictorum Deorum simulacra, præbentia divinæ potentiæ manifestissimas virtutes, ob quas universa etiam multitudo, et sacrificat, et thura adolet, et precatur, et gratias agit continuas Diis tam eximie præsentibus, atque ea quæ per hymnodiam fit supplicatione et obsecratione eos colendo perseverat. Placuit concilio, deligi nunc ex clare genitis pueros triginta, eosque singulis diebus una cum publicis puerorum custodibus junctos comites ad curiam procedere albis indutos, et oliva coronatos, ramosque similiter oleaginos manibus gestantes, qui præsente tum citharista, tum præcone, decantabunt hymnum, qualem Sosander, Diomedis filius, scriba composuerit. Si qui autem e pueris sic delectis inter ephebos adsciscantur, eorumve aliqui, moriantur, quod Dii avertant, inter ephebos nondum adsciti, alios eorum loco ad eamdem hymnodiam deligi, puerorum custodibus et pædonomo rem scripto notam facientibus, ut in omne ævum idem permaneat ordo electionis, et obsecrationis, et cultus Deorum; concessa tamen iis licentia, quoties eorum aliqui aut non bene va-

ΗΣΕΞΟΥΣΙΑΣ [ΑΥΤΟΙΣΟΠΟΤΑ] ΝΤΙΝΕΣΑΥΤΩΝΜΗΩΣΙΝ
ΥΓΙΕΙΣΗΠΕΝΘΕΙ
ΟΙΚΕΙΩΚΑΤΕΧΩΝΤΑΙΕΑΝΔΕΤΙΤΟΥΤΩΝΜΗΠΡΑΧΘΗΟΙΜΕΝ
ΑΡΧΟΝΤΕΣΚΑΙΟΠ [ΑΙΔΟΝΟΜΟΣ] ΕΣΤΩΣΑΝΥΠΕΥΘΥΝΟ
ΙΑΣΕΒΕΙΑΟΙΔΕ
ΔΗΜΟΣΙΟΙΠΑΙΔΟΦΥΛΑΚΕΣΔΕΣΜΩ [ΤΗΡΙΩΕΝΕΧΩΝΤΑΙ] ΕΤΙΔ
ΕΚΑΙΤΟΝΚΑΘΕΚΑΣ [ΤΟΝΕΝΙΑΥΤΟΝ] ΓΕΙΝΟΜΕΝΟΝΙΕ
ΡΕΑΤΗΣΕΚΑΤΗΣΚΑΤΑΛΕ
ΓΕΙΝΕΚΤΩΝΕΝΤΩΠΕΡΙΠΟΛΙΩΤΗΣΘΕΟΥΚΑΙΤΩΝΣΥΝΕΓΓΥΣΠ
ΑΙΔΑΣΚΑΘΕΚΑΣΤΟΝ[ΕΝΙΑΥΤΟΝ]ΚΑΙΑΥΤΟΥΣΑΣΟΝΤΑ
ΣΤΟΝΣΥΝΗΘΗΥ
ΜΝΟΝΤΩΘΕΩΚΑΘΩΣΑΝΩΘΕΝΕΓΕΙΝΕΤΟΕΧΟΝΤΑΕΞΟΥΣΙΑΝ
ΚΑΙΚΑΤΑΤΩΝΠΑΤΕΡ [ΩΝΩΤΡΟΠ] ΩΚΑΤΑΥΤΩΝΤΩΝΠΑΙ
ΔΩΝΕΑΝΟΙ
ΜΕΝΠΑΤΕΡΕΣΜΗΠΑΡΕΧΩΣΙΝΑΥΤΟΥΣΠΡΟΣΥΜΝΩΔΙΑΝΚΑΙ
ΕΥΣΕΒΕΙΑΝ [ΟΙΔΕΠ] ΑΙΔΕΣΜΗΠΡΟΣΕΔΡΕΥΩΣΙΝΔΙΚΗΝΕΙ
ΣΑΝΓΕΛΙΑΣΗΑΛΛΗΣΗΣΑΝΒΟΥΛΗΤΑΙΠΟΙΟΥΝΤΑΔΙΔΟ
ΝΤΟΣΤΟΥΙΕΡΕΩΣΚΑΙ [ΤΟΥΠΑΙΔΕΥΤΙ] ΚΟΥΕΥΝΟΥΧΟΥ
ΤΑΟΝΟΜΑΤΑ
ΤΩ [ΠΑΡΕΔΡΩ] ΕΝΓΡΑΦΩΣΜΙΑΤΗΣΒΟΥΛΗΣΚΑΘΩΣΚΑΙΕΠΙΤΩ
ΝΕΝΤΗΠΟ [ΛΕΙΔΙΚΑΣΘΕΝΤΩΝΔΙΗΓ] ΟΡΕΥΤΑΙΕΑΝΔΕΤΙ
ΤΟΥΤΩΝΟΙΕΡΕΥΣ
ΗΟ [ΕΥΝΟΥΧΟΣ] ΜΗΠΟΙΗΣΗΕΝΟΧΟΥΣΑΥΤΟΥΣΕΙΝΑΙΤΟΙΣΑ
ΥΤΟΙΣΟΙΣΚΑΙ [ΑΜΑΡΤΑΝΟΝΤΑΣΤΟΥΣΠΑΙ] ΔΑΣΤΟΝΔΕ
ΤΩΝΠΑΙΔΩΝΜΕ
[ΘΕΙΜΕΝΗΣ] ΤΗΣΥΜΝΩΔΙΑΣΕΝ [ΚΡΙΘΕΝΤΑ] ΕΙΣΤΟΥΣΕΦΗΒΟ
ΥΣ . . ΤΗΣΠΟΛΕΩΣ . . . . .

ἐξουσίας [αὐτοῖς ὁπότα]ν τινὲς αὐτῶν μὴ ὦσιν ὑγιεῖς, ἢ πένθει οἰκείῳ κατέχωνται. Ἐὰν δέ τι τούτων μὴ πραχθῇ, οἱ μὲν ἄρχοντες καὶ ὁ π[αιδονόμος] ἔστωσαν ὑπεύθυνοι ἀσεβείᾳ· οἱ δὲ δημόσιοι παιδοφύλακες δεσμω[τηρίῳ ἐνέχωνται]. Ἔτι δὲ καὶ τὸν καθ' ἕκασ[τον ἐνιαυτὸν] γεινόμενον ἱερέα τῆς Ἑκάτης καταλέγειν ἐκ τῶν ἐν τῷ περιπολίῳ τῆς θεοῦ καὶ τῶν συνεγγὺς παῖδας καθ' ἕκαστον [ἐνιαυτὸν,] καὶ αὐτοὺς ᾄσοντας τὸν συνήθη ὕμνον τῷ (potius *τῇ*) *θεῷ, καθὼς ἄνωθεν ἐγείνετο, ἔχοντα ἐξουσίαν καὶ κατὰ τῶν πατέρ[ων, ᾧ τρόπ]ῳ κατ' αὐτῶν τῶν παίδων, ἐὰν οἱ μὲν πατέρες μὴ παρέχωσιν αὐτοὺς πρὸς ὑμνῳδίαν καὶ εὐσέβειαν, [οἱ δὲ π]αῖδες μὴ προσεδρεύωσιν, δίκην εἰσαγγελίας* (pro *εἰσαγγελίας*), *ἢ ἄλλης ἧς ἂν βούληται, ποιοῦντα, διδόντος τοῦ ἱερέως καὶ [τοῦ παιδευτι]κοῦ εὐνούχου τὰ ὀνόματα τῷ [παρέδρῳ] ἐνγράφως μιᾷ τῆς βουλῆς, καθὼς καὶ ἐπὶ τῶν ἐν τῇ πό[λει δικασθέντων διηγ]όρευται. Ἐὰν δέ τι τούτων ὁ ἱερεύς, ἢ ὁ [εὐνοῦχος,] μὴ ποιήσῃ, ἐνόχους αὐτοὺς εἶναι τοῖς αὐτοῖς, οἷς καὶ [ἁμαρτάνοντας τοὺς παῖ]δας. Τὸν δὲ τῶν παίδων, με[θειμένης] τῆς ὑμνῳδίας, ἐν[κριθέντα] εἰς τοὺς ἐφήβους . . τῆς πόλεως.*

leant, aut luctu domestico impediantur. Horum autem si quid omittatur, archontes, et puerorum rector impietatis rei aguntor : puerorum vero publici custodes in vincula conjiciuntor. Porro placet, ut qui quotannis fuerit Hecates sacerdos quosdam, ex iis qui in sacro Deæ circuitu et in vicinia degunt, pueros quotannis conscribat, qui et ipsi consuetum Deæ hymnum concinent, prout ab antiquo factum est : idemque habeat in puerorum parentes, æque ac in ipsos pueros, auctoritatem ; si parentes quidem ad hymnodiam et supplicationem liberos non submittant, et si pueri non se assiduos sistant ; litem intendendo, seu delatione, seu alia, qua voluerit, via ; exhibente adsessori nomina in scriptis, et sacerdote, et qui pueros instituit eunucho, die concilii prima, sicuti de iis, quæ ad civitatis jurisdictionem attinent, præscriptum est. Sin horum aliquid prætermiserit sacerdos, aut eunuchus, pœnis iisdem fore obnoxios, quibus et ipsi delinquentes pueri. Puerum vero, perfunctum hymnodia, adlectum inter ephebos, ***honores civitatis adsecuturum, aliaque similia de præmiis, quæ excidere.***

Religionem tuebantur. Nonne *religione se tuebantur.*

Hierocæsarienses. Insignem Hierocæsariensium Deæque Persicæ nummum e Cimelio regio, Severi ætate cusum laudat Harduin. Select. Opp. p. 73. Nummus exhibet caput Dianæ cum pharetra retro apposita: inscriptio ΙΕΡΟΚΑΙCΑΡΕΩΝ ΠΕΡCΙΚΗ. Ad magicum, vel potius fraudulentum Persicæ cultum pertinere videntur, quæ habet Pausan. v, 27. in Eliac. p. 448. *Ἄλλο ἐν Λυδίᾳ θεασάμενος οἶδα, . . . μάγων μέν τοι σοφίας οὐδὲ αὐτὸ ἀπηλλαγμένον· ἔστι γὰρ Λυδίοις ἐπίκλησιν Περσικοῖς ἱερὰ, ἔν τε Ἱεροκαισαρείᾳ καλουμένῃ πόλει, καὶ ἐν Ὑπαίποις· ἐν ἑκατέρῳ δὲ τῶν ἱερῶν οἴκημά τε, καὶ ἐν τῷ οἰκήματί ἐστιν ἐπὶ βωμοῦ τέφρα· χρόα δὲ οὐ κατὰ τέφραν ἐστὶν αὐτῇ τὴν ἄλλην· ἐσελθὼν δὲ ἐς τὸ οἴκημα ἀνὴρ μάγος, καὶ ξύλα ἐπιφορήσας αὖα ἐπὶ τὸν βωμὸν, πρῶτα μὲν τιάραν ἐπέθετο ἐπὶ τῇ κεφαλῇ, δεύτερα δὲ ἐπίκλησιν ὅτου δὴ θεῶν ἐπᾴδει βάρβαρα, καὶ οὐδαμῶς συνετὰ Ἕλλησιν· ἐπᾴδει δὲ ἐπιλεγόμενος ἐκ βιβλίου· ἄνευ δὲ δὴ πυρὸς ἀνάγκη πᾶσα ἀφθῆναι τὰ ξύλα, καὶ περιφανῆ φλόγα ἐξ αὐτῶν ἐκλάμψαι.* 'Aliud in Lydia miraculum vidi, ... magorum artis minime expers. Sunt enim in Lydis, qui Persici cognominantur, urbes Hierocæsarea et Hypæpa. In utriusque urbis templo est cella. In cella ara supra quam cinis, vulgari cineri minime concolor. Huc ingressus magus, arida ligna altari imponit: deinde, velato tiara capite, Deos, nescio quos, invocat, carmina barbarica, et lingua Græcis plane ignota, ex libro recitans. Tum nullo igne admoto, ardent ligna, et purissima ex iis emicat flamma.' Lydos illos dictos esse *Persicos* a sacris Persicis, rege Cyro, advectis, verisimillimum est. Quæ de Persica Amazone Harduin. scripserat, l. c. ipse in suo libro, qui hic extat auctior et emendatior, delevit.

Rege Cyro. Mallet Freinshem. *regi Cyro.* Vel a rege Cyro, vel saltem post Lydiacam ejus victoriam, dicatum est delubrum.

Ærias. Nomen illud ab ære Cyprio confictum existimabat Illustr. Huetius.

Cap. 63. *Quorum copia.* Forte scriptum olim, *quarum.* Potest tamen intelligi, *negotiorum* vel *legatorum*, ut monet Ernest.

Stratonicidi Veneri. Inter marmora Oxoniensia habetur, p. 1. fœdus Smyrnæorum et Magnetum de Seleuci Callinici, Asiæ regis, majestate adversus Ptolemæum Evergeten tuenda percussum anno Periodi Julianæ 4470. A. C. 244. Ex hoc præstantissimo monumento sacra Smyrnæorum illustranda.

6 ΟΒΑΣΙΛΕΥΣΣΕΛΕΥΚΟΣΕΥΣΕΒΩΣΤΑΠΡΟΣΤΟ.ΣΘΕΟΥΣΔΙΑ
ΚΕΙΜΕΝΟΣΚΑΙΦΙΛΟΣΤΟΡΓΩΣΤΑΠΡΟΣΤΟΥΣΓΟΝΕΙΣΜΕ
ΓΑ
7 ΛΟΨΥΧΟΣΩΝΚΑΙΕΠΙΣΤΑΜΕΝΟΣΧΑΡΙΤΑΣΑΠΟΔΙΔΟΝΑΙΤ
ΟΙΣΕΑΥΤΟΝΕΥΕΡΓΕΤΟΥΣΙΝΕΤΙΜΗΣΕΝΤΗΜΠΟΛΙΝΗΜ
ΩΝΔΙΑ

Ὁ βασιλεὺς Σέλευκος εὐσεβῶς τὰ πρὸς τοὺς θεοὺς διακείμενος, καὶ φιλοστόργως τὰ πρὸς τοὺς γονεῖς, μεγαλόψυχος ὤν, καὶ ἐπιστάμενος χαρίτας ἀποδιδόναι τοῖς ἑαυτὸν εὐεργετοῦσιν, ἐτίμησεν τὴμ (pro *τὴν*) *πόλιν ἡμῶν διά τε τὴν τοῦ δήμου εὔνοιαν, καὶ φι-*

Rex Seleucus, Deorum cultui religiose deditus, pius erga parentes, magnanimus, et ad beneficia bene de se merentibus rependenda alacris, honoravit civitatem nostram ob benevolentiam et studium, quo populus res ejus procuraverat, tum quod

8 ΤΕΤΗΝΤΟΥΔΗΜΟΥΕΥΝΟΙΑΝΚΑΙΦΙΛΟΤΙΜΙΑΝΗΝΕΠΕΠΟ
ΙΗΤΟΕΙΣΤΑΠΡΑΓΜΑΤΑΑΥΤΟΥΚΑΙΔΙΑΤΟΤΟΜΠΑΤΕ
9 ΡΑΑΥΤΟΥΘΕΟΝΑΝΤΙΟΧΟΝΚΑΙΤΗΜΜΗΤΕΡΑΤΗΝΤΟΥΠ
ΑΤΡΟΣΘΕΑΝΣΤΡΑΤΟΝΙΚΗΝΙΔΡΥΣΘΑΙΠΑΡΗΜΙΝΤΙΜΩ
ΜΕ
10 ΝΟΥΣΤΙΜΑΙΣΑΞΙΟΛΟΓΟΙΣΚΑΙΚΟΙΝΗΙΥΠΟΤΟΥΠΛΗΘΟΥ
ΣΚΑΙΙΔΙΑΙΥΦΕΚΑΣΤΟΥΤΩΜΠΟΛΙΤΩΝΚΑΙΕΒΕΒΑΙΩΣΕΝ
ΤΩΙΔΗΜΩΙΤΗΝΑΥΤΟ
11 ΝΟΜΙΑΝΚΑΙΔΗΜΟΚΡΑΤΙΑΝΕΓΡΑΨΕΝΔΕΚΑΙΠΡΟΣΤΟΥΣ
ΒΑΣΙΛΕΙΣΚΑΙΤΟΥΣΔΥΝΑΣΤΑΣΚΑΙΤΑΣΠΟΛΕΙΣΚΑΙΤΑΕ
ΘΝΗΑΞΙ
12 ΩΣΑΣΑΠΟΔΕΞΑΣΘΑΙΤΟΤΕΙΕΡΟΝΤΗΣΣΤΡΑΤΟΝΙΚΙΔΟΣΑΦΡ
ΟΔΙΤΗΣΑΣΥΛΟΝΕΙΝΑΙΚΑΙΤΗΜΠΟΛΙΝΗΜΩΝΙΕΡΑΝΚΑΙ
ΑΣΥΛΟΝ

λοτιμίαν, ἣν ἐπεποίητο εἰς τὰ πράγματα αὐτοῦ, καὶ διὰ τὸ τὸμ πατέρα αὐτοῦ θεὸν Ἀντίοχον, καὶ τὴμ μητέρα τὴν τοῦ πατρὸς θεὰν Στρατονίκην ἱδρῦσθαι παρ' ἡμῖν, τιμωμένους τιμαῖς ἀξιολόγοις καὶ κοινῇ ὑπὸ τοῦ πλήθους καὶ ἰδίᾳ ὑφ' ἑκάστου τῶμ πολίτων, καὶ ἐβεβαίωσεν τῷ δήμῳ τὴν αὐτονομίαν καὶ δημοκρατίαν· ἔγραψεν δὲ καὶ πρὸς τοὺς βασιλεῖς, καὶ τοὺς δυνάστας, καὶ τὰς πόλεις, καὶ τὰ ἔθνη, ἀξιώσας ἀποδέξασθαι τό τε ἱερὸν τῆς Στρατονικίδος Ἀφροδίτης ἄσυλον εἶναι, καὶ τὴμ πόλιν ἡμῶν ἱερὰν καὶ ἄσυλον.

pater ejus, Deus Antiochus, et mater patris, Dea Stratonice, consecrati apud nos essent, et honoribus egregiis honorati, tum publice a plebe, tum privatim ab unoquoque civium, et stabilivit populo libertatem, et statum popularem: quin etiam scripsit ad reges, principes, civitates, gentesque, dignatus iis notum facere templum Stratonicidis Veneris asylum esse, et urbem nostram sacram et asylum.

In senatu Romano Smyrnæi oraculum Apollinis, non vero Seleuci decretum memoravere, ut sacra sua plus dignationis ac venerationis haberent. Perperam in vett. Taciti edd. *Stratonici Divæ Veneri.*

Milesios Dario rege niti. Optime Pichena et recentiores. Beroald. aliique vett. *uti*, pro *niti*. Quam magnificum apud Milesios fuerit Apollinis templum docet Strabo xiv, p. 634. *Οἱ Μιλήσιοι μέγιστον νεὼν τῶν πάντων κατεσκεύασαν, διέμεινε δὲ χωρὶς ὀροφῆς διὰ τὸ μέγεθος· κώμης γοῦν κατοικίαν ὁ τοῦ σηκοῦ περίβολος δέδεκται, καὶ ἄλσος ἐντός τε καὶ ἐκτὸς πολυτελές· ἄλλοι δὲ σηκοὶ τὸ μαντεῖον καὶ τὰ ἱερὰ συνέχουσιν. Ἐνταῦθα δὲ μυθεύεται καὶ τὰ περὶ τὸν Βράγχον, καὶ τὸν ἔρωτα τοῦ Ἀπόλλωνος. Κεκόσμηται δ' ἀναθήμασι τῶν ἀρχαίων τεχνῶν πολυτελέστατα.* 'Milesii templum omnium maximum construxerunt, quod ob magnitudinem sine culmine mansit: nam ambitus delubri pagi amplitudinem æquat: estque intus et extra lucus pretiosus: alia delubra oraculum et sacra continent. Ibi fabulæ Branchum fuisse dicunt, et amorem Apollinis. Ornatum est templum donariis antiquarum gentium sumtuosissime.' De sumtuosis istis donariis, præter jam laudatam in notis inscriptionem, aliam vide apud eruditum Chishull, Antiq. Asiatic. p. 67 sq. ex qua accipimus Seleucum Callinicum et Antiochum Hieracem, fratres, Asiæque reges, ob salutem suam, prosperitatemque imperii, semel misisse decem vasa aurea pondo drachmarum trium millium, ducentarum quadraginta octo, trium obolorum; duo vasa argentea pondo IXMCCC. drachmarum. Addidere vim magnam thuris, myrrhæ, casiam, cinnamomum, costum, candelabrum grande

æreum; et mandavere ut Deo fieret sacrificium, mille victimæ cæderentur, aræ duodecim ponerentur.

Petere et Cretenses. Ita vett. edd. et recentiores. Lips. et quidam alii, *petiere.*

Figere æra. In Ms. Flor. *fiere æra.* Optime emendavit Pichena, quem recentiores sunt secuti, *figere æra.* Male Beroald. et vett. *facere aras.*

Cap. 64. *Effigiem divo Augusto.* Pro Romanorum more, recuperata sanitate, effigiem divo Augusto dicavit Livia, et forte sic inscripsit;

DIVO AVGVSTO
SACRVM
IVLIA AVGVSTA
TIBERII AVGVSTIM.
V. S. L. M.

Et dissimulata offensione abdidisse. Frustra tentat Ernest. *accepisse.*

Cap. 65. *C. Silanum.* Esse eum, qui consul fuit A. U. C. 763. merito opinantur Lips. et Ryck. Dubitat Rupert. quod, non consul, sed senatorii tantum ordinis fuisse dicatur inf. c. 69.

Propellebat. Faber, Beroald. aliique vett. *propolluebat.* Tentabant Nic. Faber, *perpolluebat;* Acidal. *protollebat;* Jac. Gronov. *provolvebat.* Alii, *propalabat, porro polluebat.* Bene Groslot. quem J. F. Gronov. Ryck. et recentiores omnes secuti, *propellebat.* Perperam in ed. Pichenæ, *prætor polluebat.* V. Misc. Obs. ix, 395.


Cap. 67. *Eo quod.* Mallet Lips. *et eo quod.* Acidal. *eoque quod.* Nihil addendum.

Tormentis interrogarentur. Optime emendavit Lips. Perperam Beroald. et vett. *interrogentur.*

Ausis ad Cæsarem. Faern. corrigit, *missis.* Latine; at minime probabiliter. *Ausus ad Cæsarem codicillos,* placet Ryckio et Ernesto, nec nobis displicet. Sic enim inf. An. xii, 32. *non ausis aciem hostibus;* et Hist. i, 48. *stuprum ausa.* Quis tamen pronuntiet, *ausis,* Latinum non esse? Uti nollem: damnare non audeo. *An ausus codicillos.* Vide Misc. Obs. ix, 396.

Cap. 68. *Quippe alia parente geniti.* Locum hunc mire solicitant interpretes, ut Cn. Lentuli sententiæ causas extricent. Reines. quem Ryck. Amelot de la Houssaie, et Gordon sequuntur, pro *alia* emendant, *Cornelia,* quasi Lentulus, gente Cornelia oriundus, bona illa fisco exemta voluerit, ut Silani filio, suoque consobrino, redderentur. Heins. corrigit, *Ælia,* in Sejani gratiam. Mallet Grot. *Mallia,* vel *Manlia,* quod C. Silanus Torquatam sororem habuerit. Pichena fingit Silano fuisse matrem et novercam. Freinshemius pro *alia* divinat, *Julia,* [vel *Ælia:* posterius verum: occulte innuit, hoc datum Sejano, qui adoptione transierat in gentem Æliam. V. Misc. Obs. ix, 396.] ut id Juliæ familiæ dignitati datum videatur. Eodem recidit Lipsii sententia: conjiciebat, *quippe tali parente,* vel *quippe illa parente geniti,* veluti per admirationem dictum: veterem librum Hispanum laudat, in quo non *alia,* sed *alta* legebatur. Ego vero vulgatam scripturam defendi posse existimo: scilicet ubi quis miser,

illi quacumque de causa nocetur. Piso aqua atque igni Silano interdicendum, ipsumque relegandum censuerat; ut maxima fortunarum parte exturbaretur, Cn. Lentulus dixit separanda Silani materna bona, quippe qui parentem, non Junia, sed *alia*, et ut videtur, Manlia gente genitam haberet. Adnuit Tiberius in austeriora et duriora promtus, maxime cum alii suaderent. Ad majorem historiæ lucem Silani stemma ita concinnandum mihi videtur:



De iis v. stemma Cæsarum, n. 56 sq.

Cornelius Dolabella. Olim consulatus collega, ut patet ex vet. lapide ap. Gruter. 176. 2.

P. CORNELIUS P. F. DOLABELLA
C. IVNIVS C. F. SILANVS FLAMEN. MARTIAL. COS.
EX S. C.
FACIVNDVM CVRAVERVNT. IDEMQVE PROBAVERVNT.

Cap. 69. *Vulgabantur.* Mallet Ernest. *vulgarentur.* Bene, sed non necessario, ut ipse fatetur.

Anteissent. In libris hactenus editis, *antissent.* Illustr. Pellicerius, literariæ antiquitatis et Mss. Codicum peritissimus, vere emendavit, *anteissent.* Nec magis dicendum, *antissent*, quam *antibam, antirem.* Porro passim Tacitus, *anteibam, anteirem* scripsit: sicque ipsi poetæ: Virg. Æn. xii, 84. 'Qui candore nives anteirent, cursibus auras.'

Minui jura. Sic optime emendavit Lips. Perperam Beroald. aliique vett. *minutura quotiens gliscat potestas.*

Cytheram. In Ms. Flor. *Cythenum;* non vero *Cythonum,* ut scripsit Lips. Inde tamen forte suspiceris, *Cythnum,* qua de insula dicetur inf. Hist. ii, 9.

Cap. 70. *Largiretur.* Elegans, sed rarior est hæc verbi potestas. V. Ruhnk. ad Rut. Lup. 58.

Insignitior infamia. Ita Ms. Flor. Pichena et recentiores omnes. Perperam Beroald. aliique vett. *insignior.* Male tentat Heins. *infamiæ.*

Egregium publicum. Legerim, *et gratiam publicam,* vel *gratiam publicam.* Rep. of Lett. for April, 1734. p. 246.

Cap. 71. *Valetudo adversa.* In ed. pr. hic et alibi, sicut et passim in Mss. libris, *valitudo.* Quod sit satis monuisse.

Plusquam binoctium abesset. Ita Ms. Flor. edd. vett. et recentiores. Frustra emendat Rhenan. *ne plusquam binoctium abesset:* Ferret. *dum ne plusquam binoctium abesset: ne diebus, &c.* ætate quidem dictatoris Camilli A. U. C. 364. 'Flamini Diali noctem unam manere extra Urbem nefas' erat, Liv. v, 52. Austeriore hac lege vel antiquata, vel, ut solent humana omnia, saltem paululum remissa, binoctium abesse potuit. Nunc permittitur, ut propter valetudinem adversam, pontificis maximi arbitrio, plusquam binoctium abesse possit: dum ne diebus publici sacrificii, neu sæpius quam bis eumdem in annum. Si ne binoctium quidem Urbe abesse potuisset flamen, sortem Asiæ postulare nunquam ausus esset Servius Maluginensis. V. quæ dicta sunt sup. c. 58.

Cap. 72. *Ab senatu petivit.* Ita Ms. Flor. edd. vett. et recentiores. In intermediis, *a senatu.* Sic mox inf. correctum, *monumenta.* In Ms. Flor. et vett. edd. *monimenta.*

Basilicam Pauli. Cum L. Æmilius Paulus, Æmilii Lepidi triumviri frater, M. D. talenta, *Angl.* 337,500*l.* a Julio Cæsare, ut non adversaretur, accepisset, pecuniam illam in exstruenda basilica impendit, Παῦλος μὲν δὴ τὴν Παύλου λεγομένην Βασιλικὴν ἀπὸ τῶνδε τῶν χρημάτων ἀνέθηκε Ῥωμαίοις, οἰκοδόμημα περικαλλές, Appian. Bell. Civ. ii, p. 443. Eam perfecit et dicavit Æmilius Lepidus Paulus, Pauli filius, A. U. C. 720. quo consul fuit suffectus, Dio xlix, p. 416. Igni absumta fuit A. U. C. 740. ab Augusto et Æmilii amicis restaurata, Dio liv, p. 538. pristinum nomen retinuit; tuncque cusus est nummus, de quo dictum in notis. M. Lepidus in nummo memoratus, Æmilii Pauli, basilicæ conditoris, nepos, postea fuit consul A. U. C. 759. Neroniano incendio iterum exhaustam restituit optimus princeps Trajanus, ut docet nummus olim e cimelio D. Rothelin: ex una parte, velatum caput Vestæ, retro corona, ante simpulum: ex altera parte, AEMILIA REF. S. C. M. LEPIDVS, Basilica, appensis Clypeis, cum inscriptione IMP. CAES. TRAIAN. AVG. GER. DAC. P. P. REST. 'Imperator Cæsar Trajanus Augustus, Germanicus, Dacicus, Pater Patriæ, restituit.' Alia fuit in IV. Urbis regione basilica, seu porticus Æmilia, quam censores Q. Fulvius Flaccus et A. Posthumius Albinus, 'reficiendam curarunt' A. U. C. 580. Liv. xli, 27. Plin. xxxv, 3. Quidam tertiam Basilicam Æmiliam, quæ in VIII. Urbis regione quoque fuerit, obtrudunt, quam umquam extitisse merito negant viri eruditissimi, Havercamp, in n. consul. Morel. p. 641. et le Beau, qui accurate de his basilicis scripsit, *Mémoires de l'Académie Royale des Inscriptions*, Vol. xxiv, p. 205 sq.

Tanta vis. Muret. addidit, *ignium:* male. V. Misc. Obs. ix, 396.

Cap. 73. *Ac tamen.* Ita libri vett. et recentiores. Medii quidam et pauci, *At tamen.*

Sua populique Romani contumelia. Ita Beroald. edd. vett. et recentiores. Operarum vitio in Aldina editione irrepserat, *populique contumelia Romani*, quod, cum nesciret J. F. Gronov. quasi antiquum et magnificum defendebat. Adeo falluntur ipsæ eruditorum aures.

Ingentibus bellis labaret. Mallet Acidal. *laboraret.* In hac vocum similitudine facile errare potuerunt librarii.

Cap. 74. *Tres incessus.* Emendabat Illustr. Pellicer. *tres insessus.* Eleganter, si vox Latina sit.

In Leptitanos. Libri editi, *in Leptinos*, errore librariorum, qui maxime in Tacito voces plurimas detruncarunt. Emendandum, *Leptitanos*, nemo non videt. Idque jam monuere Freinshem. et Ryck. Inf. etiam Hist. iv, 50. 'Leptitani' appellantur.

Tunc tripartitum. Mallet Illustr. Huetius, *tum tripartitum.*

Ac tunc Tiberius Blæso postremum. Ita ex Ms. Flor. Pichena et recentiores. Perperam Beroald. *Blæso postremum obiere.* Ernesto aptius videtur, *at tunc*, quam, *ac tunc.*

Cap. 75. *Asinius Saloninus.* Parentibus æque ac fratribus illustris, quorum ad majorem historiæ lucem stemma hic proponendum.

CN. ASINIUS
Fast. Capit.
Uxor
N

- **C. ASINIUS POLLIO,** princeps, orator et civis, amicitia Augusti, et prima in orbe publicata bibliotheca celeberrimus. Plin. vii, 30. xxxv, 2. Uxor N.
  - **ASINIUS** cui inscriptam iv. Virgilii eclogam falso tradit Servius.
  - **HATERIUS ASINIUS** Senec. Decl. iv. præf.
  - **C. ASINIUS GALLUS** Tac. An. i, 12. Uxor VIPSANIA AGRIPPINA olim Tiberii uxor. Vide stemma Cæsarum, n. 69.
    - **ASINIUS SALONINUS** Drusi Cæsaris frater. Tacit. Annal. iii, 75.
    - **ASINIUS GALLUS** Sueton. in Claud. xiii. Uxor N.
      - **L. ASINIUS GALLUS** Tacit. Ann. xiv, 48.
    - **C. ASINIUS POLLIO** Tac. An. iv, 1.
    - **ASINIUS CELER** Plin. ix, 17. Senec. in Apocol.
    - **CN. ASINIUS** Inscript. apud Capacium Hist. Napl. p. 718.
  - **M. ASINIUS** index Coss. apud Dionem lvii, p. 601. Uxor N.
    - **M. ASINIUS AGRIPPA** Tacit. Annal. iv, 34. 61. Uxor N.
      - **Q. ASINIUS MARCELLUS** Tacit. Annal. xiv, 40.
  - **ASINIA** Conjux ÆSERNINUS.
    - **MARCELLUS ÆSERNINUS** Senec. Decl. iv. præf.
- **ASINIUS MARRUCINUS,** Catull. Carm. xii.

NOTÆ ET EMENDATIONES

AD LIBRUM QUARTUM ANNALIUM

C. CORNELII TACITI.

Cap. 1. ***Raptum ierit.*** In Ms. Flor. ***raptum perit.*** Optime Pichena, ***raptum ierit.*** Male Beroald. ***captaverit.***

Seio Strabone. Patre Sejani, quo nemo unquam extitit fortuna et ruina famosior. Ejus stemma proponendum, ut quid scelera valeant, quæ fata potentiam, non sua vi nixam, maneant, dignoscatur.

SEIUS STRABO
Eques Romanus
Uxor,
ut videtur,
JUNIA.

JUNIUS BLÆSUS
Avunculus, proconsul,
triumphalis,
imperator.

L. ÆLIUS SEJANUS Uxor APICATA	**Fratres consulares. Velleius, II. 127.**	**Consobrini, consulares. Velleius, II. 127.**

N. Filius. Uxor N. Filia Lentuli Gætulici. Tacit. Annal. VI. 30.	**N. Filius. Tacit. Annal. V. 9.**	**Filia. Tacit. Annal. V. 9.**

Veno dedisse. Ita Ms. Flor. Pichena, Gronov. et, recentiores. Perperam Beroald. et vett. ***venum dedisse.***

Cap. 2. ***Metus crederetur.*** In Ms. Flor. ***credetur.*** Emendabant Muret. et Grot. ***cresceret:*** Mercer. ***dederetur*** vel ***dideretur:*** Savil. ***crearetur:*** Faern. ***oriretur.*** Pichenæ non displicet vulgata scriptura. Si quid mutandum, Savilium sequerer. Eadem quoque Freinshemii, Ryckii, et Ernesti sententia. [Bipontini corrigunt ***inderetur***, idque adeo in contextum recipiunt. B. C. ii, vi, 62. Nonne legendum ***cuderetur?***]

Procul Urbis inlecebris. Licet prætoria castra fuerint ad ipsam Urbem, juxta Viminalem portam, milites tamen castris clausi, militari disciplina coerciti, procul Urbis illecebris, severius agere tenebantur.

Aut provinciis ornando. In Ms. Flor. ***ornandi***, quod minime spernit Gronov. quasi ***ambitu ornandi*** non cessasset Sejanus in senatu se venditare, ac gratiosum et potentem reddere. Melior videtur vulgata scriptura.

Cap. 3. ***Corripere intutum.*** Male emendat Cl. de Harlay, ***eripere. Corripere***, elegantius dicitur. Mox frustra delet, ***tamen;*** Gronov. conj. ***tandem.*** Nihil mutandum.

Alia abnuerit. Incassum Freinshem. ***abnueret.*** Faern. ***abnuit.***

Cap. 5. ***Initio ab Syria.*** Emendabat Muret. ***initio ab Syriæ.*** Placet plurimum, nisi forte intelligatur, ***ducto.*** Ernest. existimat,

initio, insititium esse, et corrigit, ***hinc, ab Syria usque ad Euphraten***, &c. quod probabile non videtur. [Bipontini modesta crisi ***regio*** corrigunt, nec tamen statuere volunt. Nobis in mentem venit ***ditio***. B. C. ii, vi, 62.]

Legionibus coercita. Ita Ms. Flor. edd. vett. et recentiores. Emendatum in quibusdam intermediis, ***coercitum***.

Et coloniis. Beroald. ac vett. ***et colonis***. Vere Lips. ac recentiores, ***et coloniis***.

In iis virium. Milite stant imperia. Quænam fuerint militares Romanorum vires Tiberii ætate disquirere supervacaneum haud arbitror.

DE MILITARIBUS ROMANORUM VIRIBUS.

Tiberii ætate militares Romanorum vires constitere quinque et viginti legionibus, quæ, si ex Vegetiana, ii, 6. computatione æstimentur, efficiunt peditum 152,500
equitum 18,150

Cuique legioni sua erat vexillatio, quæ videtur fuisse circiter 1,200 hominum. Numerus itaque vexillariorum 30,000
Novem erant prætoriæ cohortes 9,000
Tres urbanæ cohortes 4,500

Præterea "Romanus populus pro decore et utilitate magnitudinis suæ, non propter necessitatem tumultus alicujus classem parabat ex tempore: sed, ne quando necessitatem sustineret, semper habuit præparatam," Veget. v, 1. Nec unam fingamus classem: sex habuit populus Romanus, quatuor maritimas, duas fluviatiles. Maritimæ triremibus, liburnis, navibus rostratis constabant: fluviatiles, ***lusoriis***, ut eas appellat Veget. ii, 1. Inter maritimas duæ erant primariæ et ***Prætoriæ*** ut in Inscriptionibus nominantur: altera Misenatium, Ravennatium altera: utraque singulis legionibus instructa, teste Vegetio, v, 1. Prætoriarum veluti vicariæ erant duæ aliæ maritimæ classes cum valido remigio; altera Forojulii, seu Gallica: altera in Ponto, seu Pontica, Tacit. Hist. ii, 83. E fluviatilibus classibus, altera in Rheno, quam Germanicam classem appellat Tacitus, Hist. i, 58. In Danubio altera, de qua Tacitus, An. xii, 30. At quot navibus, quot hominibus constarent classes illæ, haud ita compertum. Maritimas imperii vires ex Actiaca pugna æstimemus: ad illam convenere naves 1,200. Plusquam quadringentas habebat Octavius, Antonius octingentas, annumeratis onerariis, Plut. Anton. p. 941. Demus dimidiam tantum partem postea fuisse: sunt 600 naves; quibus si singulis 150 homines attribuamus, dant homines 90,000

Haud multo secus virium in sociorum navibus, alis et auxiliis.

Tota ergo militaris Romanorum res fuit Tiberii ætate hominum 608,300

Computationi nostræ suffragatur Agathias, qui, cum rei militaris incuriam in Justiniano reprehenderet, ait, Hist. Justinian. v, p. 152. Τὰ *γὰρ τῶν Ῥωμαίων στρατεύματα οὐ τοσαῦτα διαμεμενηκότα ὁπόσα τὴν ἀρχὴν ὑπὸ τῶν πάλαι βασιλέων ἐξεύρηται, ἐς ἐλαχίστην δέ τινα μοῖραν περιελθόντα, οὐκ ἔτι τῷ μεγέθει τῆς πολιτείας ἐξήρκουν· δέον γὰρ ἐς πέντε καὶ τεσσαράκοντα καὶ ἑξακοσίας χιλιάδας μαχίμων ἀνδρῶν τὴν ὅλην ἀγείρεσθαι*

δυνάμιν, μόλις ἐν τῷ τότε εἰς πεντήκοντα καὶ ἑκατὸν περιειστήκει. 'Romanorum exercitus non tanti, quanti olim sub veteribus imperatoribus fuerant, permanserant; sed ad minimam quandam portionem redacti, non amplius magnitudini imperii pares erant. Cum enim universæ Romanorum vires sexcentis quadraginta quinque bellatorum millibus constare deberent, ægre tum temporis centum quinquaginta millibus constabant.'

Quæ de militaribus Romanorum viribus hactenus diximus, de pacifica Tiberii ætate sunt intelligenda. Cum gravia enim flagrarent bella, immensa erant sociorum auxilia: legiones quoque multiplicabantur. Ante Mutinensem pugnam, in qua Brutus et Cassius cecidere, XLIII. legiones numerat Appian. Bell. Civ. v, p. 674. XXVIII. habebat Antonius, teste eodem Appiano, ibid. V. et Antonii nummos. Cum latius imperitatum, auctior quoque legionum numerus. Triginta legiones habuit Trajanus: novas adhuc addidere M. Antoninus et Severus, v. Dion. lv, p. 564.

Incertum fuerit. Ita Lips. et recentiores. Male Beroald. et vett. *incertum fuit.*

Cap. 7. *Comi via.* Vere et eleganter dictum. Neque aliter Plin. XXXV, 4. 'Tiberius Cæsar minime comis imperator.' Pessime ergo Acidal. emendat, *cum vi.*

Cap. 8. *Quibus adprehensis.* Ita libri omnes editi. Ms. Flor. *adprensis.*

Sibique et posteris conformaret. Ita Ms. Flor. edd. vett. et recentiores. Lips. *confirmaret.*

Cap. 9. *Attus Clausus.* Sic Ms. Flor. Pichena et recentiores. Beroald. aliique vett. *Appius Clausus.* Idem *Attus Clausus* in plurimis Mss. Codicibus appellatur inf. An. xii, 25. et ap. Liv. ii, 16. *Appius* tamen *Claudius* dicitur in Ms. Reg. Codice Taciti, et in Ms. nostro Livii codice, *Attius Clausus.*

Cap. 10. *Tempusque composita sint.* Ita Ms. Flor. Pichena et recentiores. Beroald. et vett. *composita sunt.* Copulam *que* omiserat Lips.

Cap. 11. *Hæc vulgo jactata.* Et ipsi Orosio, vii, 4. credita. Quod quidem eo ferendum minus, quod ipse Tacitum legerat. Quibusdam autem hominibus commune est, ut, siquis vitiosus sit, eum statim vitiis omnibus contaminatum facile pronuntient, credant facilius. Falsa virtutis specie, veritatem et humanitatem exuunt. Turpe et odiosum in ceteris hominibus ingenium, in scriptoribus pestiferum.

Cura nostra venerit. Ita libri omnes editi, et sup. An. iii, 24. 'Si.... plures ad curas vitam produxero.' Muret. ait quibusdam in libris antiquis legi, *scripta;* et supra, *inania,* pro *immania.* Vereor ne, Ursinum imitatus, antiquos libros hic comminiscatur, ut opiniones suas approbet.

Cap. 12. *Ut superbam.* In libris editis, *ut superbiam.* Emendandum, *superbam,* optime monuit Muret. probavere Gruter. et Ernest. Idque ipsa rerum series postulat.

Atque hæc callidis criminatoribus. Ita Beroald. et vett. edd. Lips. vero aliter distinxit: *Atque hæc callidis criminatoribus*

(inter quos dilegerat Julium Postumum, per adulterium Mutiliæ Priscæ inter intimos aviæ, et consiliis suis peridoneum: quia Prisca in animo Augustæ valida) anum suapte natura potentiæ anxiam, insociabilem nurui efficiebat. Lipsianæ distinctioni Acidalianam conjecturam addidit Ernest., et pro *atque hæc callidis criminatoribus,* edidit, *adque hæc callidis criminatoribus.* Parum probabiliter. Melior est vet. scriptura; eamque egregia animi sagacitate divinaverat Illustr. Huetius.

Mutiliæ Priscæ. Publiam Priscam memorat Dio lviii, p. 623. sed diversa videtur, licet eamdem esse existimaverit Freinshem.

Cap. 13. *Ægiensi apud Achaiam.* In Ms. Flor. *Ægiēnsi.* Unde Beroald. aliique vett. edidere, *Æginensi.* At cum nulla sit urbs Ægina in Achaia, Rhenanus aliique plurimi emendavere, *Ægirensi.* Melius recentiores, *Ægiensi.*

Ob atrocitatem morum. In vett. edd. *ob atrocitatem temporum.* Bene recentiores, *ob atrocitatem morum.*

Carsidius Sacerdos. Ms. Flor. et edd. vett. *Carsius Sacerdos.* Recte emendavit Ernest. *Carsidius Sacerdos.* Idem enim est, qui inf. An. vi, 48. 'Garsidius Sacerdos' perperam dicitur. Hicque, *Sacerdos,* cognomen est, non vero dignitatis appellatio. V. et vet. lapidem ap. Gruter. p. 767. n. 10.

Cap. 15. *Lucilius Longus.* Ita Ms. Flor. et mox, *Lucilius Capito,* ut docet Jac. Gronov. Perperam Beroald. et vett. *Lucillius Longus .... Lucillius Capito.*

Cap. 16. *Confarreatis parentibus.* Confarreationis cærimonias egregie illustrant excerpta e Servio Ms. in i. Georg. ab erudito Petro Pithœo laudata, in Mosaycarum et Romanarum legum collatione, Tit. xvi. "Tribus modis apud veteres nuptiæ fiebant; usu, si verbi gratia, mulier anno uno cum viro, licet sine legibus fuisset: farre, cum per pontificem maximum et Dialem flaminem, per fruges et molam salsam conjungebantur, unde confarreatio appellatur, ex quibus patrimi et matrimi nascebantur." Idem Serv. in iv. Æn. "Quoque omnis iste mos coemtionis et citra nominis nuncupationem dotis datæ taxatione expediretur, quæ res in manum conventio dicitur, subjunxit, 'Dotalesque tuæ Tyrios permittere dextræ.' Quid est enim aliud dextræ, quam in manum convenire? Quæ conventio eo ritu perficitur, ut, aqua et igni adhibitis duobus maximis elementis, natura conjuncta habeatur: quæ res ad farreatas nuptias pertinet, quibus flaminem et flaminicam jure pontificio in matrimonium necesse est convenire." Et paulo post, "mos apud veteres fuit flamini ac flaminicæ, ut per farreationem in nuptias convenirent, sellas duas jugatas ovili pelle superinjecta poni ejus ovis quæ hostia fuisset, et ibi nubentes, velatis capitibus, in confarreatione flamen ac flaminica residerent. Ait igitur, 'locavi,' locata enim uxor dicitur, quod simul cum eo sedeat dum confarreatur. Confarreationes autem tonitru dirimit." Cetera matrimonia, ut observat Pithœus, ex XII. tabulis facile dissolvebantur, muliere domo exacta, et res suas habere jussa, clavibusque ademtis. Farreatæ vero nuptiæ non dirimebantur nisi diffarreatione, id est, solemni sacrificio, libo farreo adhibito, et præsentibus decem testibus. V. Festum v. *diffarreatio,* et eruditum

Brisson. de Ritu nuptiarum, p. 9 et 10. Hic itaque videre est confarreatorum patrum, et farreatarum nuptiarum ritus. Ut vero nihil difficultatis supersit, tota Tiberii oratio paucis explananda. Disseruit itaque Cæsar, "patricios confarreatis parentibus genitos, tres simul nominari, ex quibus unus legeretur, vetusto more; neque jam adesse, ut olim, eam copiam, omissa confarreandi adsuetudine aut inter paucos retenta: plures ejus rei causas esse; potissimam vero, penes incuriam virorum fœminarumque. Accedere ipsius cærimoniæ difficultates, quæ consulto vitantur: præterea eum, qui id flaminium adipisceretur, quæque in manum flaminis conveniret, e jure patrio exire. Veteri quidem, sed durissimæ consuetudini medendum senatus decreto, aut lege. Sic Augustum quædam ex horrida illa antiquitate, ad præsentem usum flexisse."···· Tractatæ sunt religiones: placuit instituto flaminum nihil demutari. Sancitum tamen flaminicam Dialem sacrorum causa in potestate viri futuram, cetera promiscuo fœminarum jure acturam. In oratione Tiberii, 'et quando exiret,' i. e. et quia exiret. Nihilque hic truncum ac mutilum, ut volebat Lips.

Cap. 18. *Silio et, quod.* Ita merito distinxere Acidal. et Ernest. In vett. libris, *Silio, et quod.*

Cap. 19. *Sacrovir diu dissimulatus.* Explicatio Illustr. Huetii, licet minime probabilis, haud tamen silenda. "Vulgo," inquit, "exponunt, objectum est illi quod Sacroviri rebellionem diu dissimulasset. Quid si ita interpretemur, quod adversus Sacrovirum rem præclare gessisset, diu id dissimularunt accusatores, ne favorem reo conciliarent? Tantum arguebant avaritiam in victoria, et Sosiæ uxoris sordes." Hæc quidem ingeniosa esse nemo inficiabitur. Jac. Gronov. ut nescio quid venustatis sectetur, novam distinctionem inducit, *coguntur patres. Silente reo, vel si defensionem cœptaret, non occultante, cujus ira premeretur, conscientia,* &c.

Cap. 20. *Sed liberalitas.* Ryckio videtur hæc fuisse Taciti mens, "Tiberium in hac Silii condemnatione recessisse primum ab imitatione abstinentiæ et liberalitatis Augusti, qui non sustinuerat nec ex bonis illorum, qui damnati erant, capere, si hi liberos haberent; nec ex testamentis amicorum, qui parentes essent." Existimat "igitur senatusconsulto omnia bona Silii confiscata. Cum vero quarta illorum pars, ex lege Julia majestatis, accusatoribus deberetur, hinc in duodecim quasi uncias hæc dividi debebant, ut illis quadrans, seu tres unciæ darentur; dodrans vero, seu novem unciæ redigerentur in fiscum. Quod cum nunc primum fuerit exsecutioni mandatum in casu quo damnatus liberos relinqueret, exclamat Tacitus, 'sed liberalitas Augusti avulsa, computatis singillatim, quæ fisco petebantur.'" In hac explicatione nihil nativum: eamque confutat vel una vox *singillatim.* Nec audiend. Lips. qui ea de *Augusti,* i. e. *Tiberii* liberalitate accipit, quasi tunc *avulsa,* aut ut corrigit, *convulsa* fuerit Tiberii, adversus pecuniam antea satis firmi, liberalitas. Hæc dura, nec ex usu Taciti, qui Tiberium nunquam Augustum appellavit. Potior est vulgata interpretatio, Freinshemio, Huetio, Ernesto, aliisque plurimis probata.

Secundum necessitudinem legis. Quæ sit lex illa haud ita constat. De lege majestatis interpretatur Lips. satis probabiliter. Ab illa

quarta parte bonorum pro accusationis præmio accepta, accusatores dicti sunt quadruplatores. At invalescente accusationum rabie, majoribus præmiis dignitatibusque aucti. Eos tandem undique et quasi latrones nefarie grassantes repressit vel pessimus Princeps Domitianus, cujus hæc meliori Principe digna vox, PRINCEPS, QUI DELATORES NON CASTIGAT, IRRITAT. De delatorum præmiis eorumque coercitione v. eruditum Brisson. Selectæ ex jure civil. Antiq. iii, 17.

Cavendum senatusconsulto. Hac de re legem latam esse quadrienno ante, *Cotta et Messala Coss.* tradit Ulpian. de Offic. procons. At vel errat, vel potius errarunt librarii, et corrigendum, *Cotta Messalino consulente*, ut monuit eruditissimus Cujac. observat. vi, 30. V. quæ dicta sunt sup. An. iii, 33.

Cap. 21. *Pisonem Q. Granius.* Ita Lips. et recentiores. Corrupte Beroald. et vett. *Pisonemque gravius.*

Cap. 23. *Ubi impetrando.* Ita Lips. et recentiores. Male Beroald. *sub impetrando.* In mediis quibusdam edd. *sibi impetrando.*

Raptabat Africam. Sic Beroald. et optimæ notæ edd. In ed. Gryphii et quibusdam aliis, *reptabat.*

Cap. 24. *Primo sui incessu. Sui*, deletum vult Acidal. vel mutatum in *statim.* Bene: sed vulgata scriptura nihil peccat.

Aut tribunis. Ita Ms. Flor. Jac. Gronov. et recentiores. Beroald. *ac tribunis.*

Cap. 25. *Dejectis circum stipatoribus.* Ita Gronov. et recentiores. Beroald. *delectis.* Emendabat Mercer. *disjectis:* Pichena, *deletis.*

Et effusis. Tentat Lips. *et offusis.*

Cap. 27. *T. Curtisius.* Mallet Reines. *Curtilius*, quod quidam *Curtilius* memoretur apud Tull. ad Att. Ep. xix, 6. ap. Tacit. An. xiii, 56. Levior hæc mutationis causa.

Calles evenerat. Ita Ms. Flor. Edd. vett. et inter recentiores Ryck. ac Gronov. Lips. et quidam alii emendant, *Cales*, quasi quæstor Lupus provinciam *Caleticam* obtinuerit. Nota quidem urbs Cales, nunc *Calvi*, de qua inf. An. vi, 15. At de Caletica provincia nihil unquam auditum: nec juvat fingere, cum vulgata scriptura minime sit absurda.

Cœptantem cum maxime. Ita Ms. Flor. Rhenan. et recentiores. Male Beroald. *tum maxime.*

Ob multitudinem familiarum. Scipio Africanus, tot bellorum superstes et victor, missusque ut regna adsignaret, quinque tantum servos habuerat: ipse Julius Cæsar in Britanniam cum mille navibus trajecturus, tres solum servos habere voluit. At Romæ tandem eo prorupit luxus, ut infinita esset familiarum multitudo: ‘inter Romanos plurimi habebant mancipiorum decem aut viginti millia, atque etiam plura; nec utilitatis ac quæstus causa, quam ob rem Nicias Græcorum ditissimus servos olim comparaverat, verum ut anteambulones et pedissequos ostentarent.’ Ῥωμαίων ἕκαστος.... πλείστους ὅσους κεκτημένος οἰκέτας· καὶ γὰρ μυρίους καὶ δισμυρίους, καὶ ἔτι πλείους δὲ πάμπολλοι κέκτηνται, οὐκ ἐπὶ προσόδοις δὲ ὥσπερ ὁ τῶν Ἑλλήνων ζάπλουτος Νικίας· ἀλλ' οἱ πλείους τῶν Ῥωμαίων συμπροϊόντας ἔχουσι τοὺς πλείστους. Athenæus vi, p. 272 et 273.

Cap. 28. *Nomen utrique Vibius Serenus.* Ms. Flor. *nomen virique.* Infeliciter emendaverat Beroald. *nomen viri Q. Vibius Serenus.* Vere Lips. *nomen utrique Vibius Serenus.* Frustra J. F. Gronov. *nomen utrisque Quintis Vibiis Serenis.*

Inducti sunt: ab exilio. Addebat Acidal. *inducti sunt: stabant ab exilio.* Mutabat Ernest. *inducti: stabat ab exilio.* Nihil novandum. Assumta Pichenæ correctione, qua *sunt* mutatur in *senex*, totum locum ita constituunt editores Bipontini:—*in inducti. Senex ······ præparatur. Adolescens ······* cet. Probabilis correc.ionis ratio uberius explicatur in notis adjectis ad calcem secundi voluminis. Dubitatio de verbo *perorare* ita tollitur, ut docte ostendatur, illud nonnumquam idem valere ac simplex *orare.* B. C. ii, vi, 62, 3.

Missos in Galliam. Ita Ms. Flor. edd. vett. et recentiores. In intermediis additum, *missosque.*

Cap. 29. *Arcesserentur.* Beroald. *accerserentur.* De his verbis alias dicetur.

Cap. 30. *Claudendum censere.* In Ms. Flor. et edd. vett. ac recentioribus, *censeret.* Unde emendabat Muret. *cum Gallus···· censeret.* Mallent Illustr. Huetius et Ernest. *censuerat.* Aliquid omissum existimabat Freinshem. et corrigebat, *Gallus Asinius Gyaro, Cotta Donusa claudendum censuere.* Melius Lips. *censere.* Nec, *censeret*, nisi ex librariorum errore, superioreque verbo, *molliret*, profectum.

Cap. 31. *Ob rem judicandam.* Ita edd. vett. et recentiores. In quibusdam intermediis, *judicatam.*

Indicio perculerat. Male Beroald. *judicio.* Vere Lips. et alii plurimi, *indicio*, ut videre est ex An. ii, 27.

Cap. 32. *Veteres populi Romani res.* Mallet Freinshem. *veteris.* Recte utrumque.

Rerum motus oriuntur. Tentat Lips. *rerum monitus oriuntur.* Non displicet vulgata scriptura.

Cap. 33. *Et consociata.* Ms. Flor. *consciata.* Beroald. et vett. *constituta.* Divinabat Jac. Gronov. *concinnata.* Bene Ernest. *consociata.*

Alia re Romana. Beroald. et vett. *alia rerum.* Infeliciter emendabat Ryck. *alio rerum.* Optime Lips. *alia re Romana.* Olim scriptum, *alia re rom;* Inde natum, *alia rerum.*

Easdem exitu causas. Mallet Pichena, *easdem exitii causas*, ut majestatis lex indigitetur. Nec spreverim, nec probaverim.

Pœnam vel infamiam. Beroald. et vett. *infamias.* Recte Lips. *infamiam.* Videtur enim olim fuisse scriptum, *infamiā: s*, ex sequente voce, *subiere*, arcessitum.

Ut nimis ex propinquo diversa arguens. Beroald. et vett. *ut animus ex propinquo:* eamque scripturam retinent, duo literarum decora, Petav. ac Huetius; quam tamen haud satis probabilem faciunt, licet hic de lectorum animo intelligat, ' qui res temporibus suis adeo propinquas, a rebus tamen suis adeo diversas, tamque præcellentes invitus agnoscit:' ille vero comparationem instituat, remque totam ita explicet: ' Etiam gloria ac virtus infensos habet, quemadmodum bonorum virorum, dum vivunt, animus alios offendit, quia vitia illo-

rum ex propinquo oppositus arguit.' Vere Muret. Lips. Gronov. Ernest. et al. *ut nimis ex propinquo.* Aliter verba nihil Corneliani sonant.

Ad incœpta redeo. Ita libri omnes editi, vel *incepta.* Corrupte Ms. Flor. *ancepto.* Tentabat Jac. Gronov. *ad cœpta.*

Cap. 34. *Asinii Pollionis scripta.* Historiarum Romanarum libros xvii. scripsit, teste Suida in Ἀσίννιος.

Rescripta oratione. In qua " magnam criminum vim in Catonem congessit. Libello Anticatoni titulum fecit." Ἔγραψεν οὖν πολλάς τινας κατὰ τοῦ Κάτωνος αἰτίας συναγαγών· τὸ δὲ βιβλίον Ἀντικάτων ἐπιγέγραπται. Plut. Jul. Cæs. p. 753.

Namque spreta exolescunt. Emendabat Muret. *nam quæ spreta exolescunt.* Elegantissime, sed non necessario.

Cap. 35. *Ne victor quidem.* Optime Ernest. In vett. edd. *nec victor quidem,* obvio librariorum errore.

Occultati et editi. Mallet Vertran. *et abditi.* Minime ex usu Taciti, qui nusquam inanibus verbis ludit. Tentat Ernest. *redditi.* Melius, sed sine acumine.

Punitis ingeniis. Servitute deteruntur ingenia, vigent libertate, licentia corrumpuntur, quam nisi arctioribus legum vinculis coerceas, atrocia in scelera erumpit. Inde severissimæ illæ gentium omnium adversus ingeniorum licentiam leges; quas ut nova auctoritate confirmemus, haud piget eam ex Ms. nostro vetere Basilicorum glossario sententiam afferre, Ἰστέον δὲ ὅτι καὶ οἱ τὰ φαμόσα ποιοῦντες, καὶ οἱ εὑρίσκοντες, καὶ οἱ ἀναγινώσκοντες, καὶ μὴ παραχρῆμα διαῤῥηγνύντες, κεφαλικῶς τιμωροῦνται. " Sciendum est eos qui famosos libellos componunt, inveniunt, legunt, nec statim dilacerant, esse capite puniendos." Quæ dicta sint, non in Cremutium Cordum, fortissimum Sejanianæ insolentiæ vindicem, sed adversus licentiosos religionis et humanitatis, patriæ ac Principis hostes. Suidæ quoque memorantur φάμωσσα. Ipsisque XII. Tabulis, quæ perpaucas res capite sanxerant, edictum: ' Si quis occentasit malum carmen, sive condisit, quod infamiam faxit flagitiumve alteri, capital esto.' Egregieque dixit Julius Paulus sentent. v, Tit. 4. ' Interest enim publicæ disciplinæ, opinionem uniuscujusque turpi carminis infamia vindicare.' V. et codicem ix, Tit. 36.

Cap. 36. *Præfectum Urbis.* Ita Ms. Flor. et libri omnes editi. Ursinus ex fictitio suo Ms. codice laudat, *Urbi.*

Objecta publice Cyzicenis. Publice, non ad *objecta,* sed ad *Cyzicenis,* refert Ernest. i. e. *Cyzicenæ civitati.*

Cap. 38. *Ut majoribus meis.* Pro *ut* tentat Ernest. *si* vel *ubi.* At optimis scriptoribus probatum, *ut* pro *dum, dummodo.* Si quid novandum, potius adderem, *ut me majoribus meis dignum. Me* potuit facile excidere; potest quoque intelligi.

Pro sepulcris. Frustra tentat Ernest. *pro sepultis.* Sepulcris destinantur, æque ac sepulcra spernuntur.

Et Deos ipsos precor. In Ms. Flor. *et Deos et Deos ipsos.* Beroald. et vett. edidere, *et Deos et Deas ipsas.* Melius Pichena et recentiores omisere, *et Deas.* Ab oscitante enim librario geminatum, *et Deos:* plurima id genus exempla suppeditant Mss. Codices.

Quantum licet conjicere, *Deos Deasque*, non vero, *Deas ipsas*, dixisset Tiberius.

Quandoque. Ita Ms. Flor. Jac. Gronov. et recentiores. Beroald. et vett. *quandocumque.* Latine quidem. Sed æque Latine, *quandoque.*

Prosperam sui memoriam. Eleganter dictum. Male tentat Cl. Chifflet. *posteram.*

Cap. 39. *Nimia fortuna socors.* Mallet Lips. *vecors.* Nihil mutandum.

Benevolentia. Beroald. *benivolentia.* Recte utrumque: sæpius, *benevolentia*, occurrit.

Cap. 40. *Istum intra locum sistere.* Pessime quidam tentant, *subsistere.*

Qui, te invito, perrumpunt. Vere et eleganter dictum. Frigide et obscure emendat Boxhorn. *qui te inviti præferunt*, i. e. ut ipse explicat, *qui te, reluctante quanquam animo, sibi præferunt, æstimant, colunt.*

Cap. 41. *Non jam de matrimonio.* Ita Muret. et recentiores. Beroald. aliique vett. *non tam.*

Ac ne adsiduos. Mallet Muret. *ac ne aut adsiduos.*

Vera potentia augere. Emendat Rhenan. *augeri.* Muret. *veram potentiam.* Ryck. *vera potentiæ.* Omnes Latine. Sed nec satis antique, nec satis Corneliane. Haud aliter Sallustius, Frag. Hist. p. 947. 'Ceterum illi, qui gentis Æmiliæ benefacta extollebant, et ignoscendo populi Romani magnitudinem auxisse,' i. e. auctam esse, 'nusquam etiam tum Lepidum progressum aiebant.' Et Cato ap. Gell. xviii, 12. 'Eodem convenæ complures ex agro accessitavere: eo res eorum auxit.' Unde merito Gellius, 'Id quoque habitum est in oratione facienda elegantiæ genus, ut pro verbis habentibus patiendi figuram, agentia ponerent: ac deinde hæc vice inter se mutua verterent.'

Cap. 42. *Cunctantem jam Tiberium.* Tentat Muret. *nutantem.* Mallet Ernest. *dubitantem;* at ipse fatetur, *cunctantem*, recte dici pro *dubitantem:* ut ap. Suet. Domit. 2. 'Patre defuncto, diu cunctatus an duplum donativum militi donaret.'

Cap. 43. *Dianæ Limnatidis.* In Ms. Flor. *Liminatidis*, unde Gronov. et recentiores edidere, *Limenatidis.* Beroald. aliique vett. *Limenetidis.* Optime monuit Lips. emendandum *Limnatidis*, ut patet ex Strab. in notis jam laudato, et ex Pausan. iv, 4. p. 287. in Messen. Ἔστιν ἐπὶ τοῖς ὅροις τῆς Μεσσηνίας ἱερὸν Ἀρτέμιδος, καλουμένης Λιμνάτιδος· μετεῖχον δὲ αὐτοῦ μόνοι Δωριέων, οἵ τε Μεσσήνιοι, καὶ οἱ Λακεδαιμόνιοι. 'In Messeniorum finibus est Dianæ cognomento Limnatidis templum, commune solis Doriensium Messeniis et Lacedæmoniis.' De hoc templo sæpe Pausanias, in Laconic. iii, 2. p. 208. in Messen. iv, 31. p. 356. in Achaic. vii, 20. p. 575. Quantum ex Pausania assequi licet, templum illud Dianæ Limnatidis castellumque Limnæ haud procul fuere a loco qui nunc dicitur *Zarnata, near the Gulf of Coron in the Morea.*

Suoque regi Dentheliatem agrum. Corruptissime ediderat Beroald. *suoque recident Heliatem agrum.* Ex vet. scriptura recte emendatum,

regi Dentheliatem agrum. *Delthanii* enim, vel potius Denthalii, ut dictum in notis, 'urbs, una ex iis de quibus inter se pugnabant Messenii ac Lacedæmonii,' *Δελθάνιοι, πόλις, μία τῶν περιμαχήτων Μεσσηνίων καὶ Λακεδαιμονίων,* Steph. de Urbb. Tentaverat Lips. *regi Penthilo Eleatem agrum*, vel *regi Pentheo.* Mercer. *regi dein Thuriatem agrum.* Meurs. *Deltheniatem agrum.*

Quod si vatum, Annalium, ad testimonia. Corrigit Lips. *quod si vatum, atque annalium testimonia.* Gruter. *vatum annaliumque testimonia.* Certe melius esset, *quod si ad vatum annaliumque testimonia vocentur,* vel *quod si vatum, annalium, testimonia advocentur.* Nihil tamen mutatum volui. *Vatum,* de poetarum carminibus, non de oraculis accipe.

Montem apud Erycem. In libris editis, *montem apud Erycum.* Emendandum, *Erycem,* vere monuit Lips. ut patet ex Mela ii, 7. Plin. iii, 8. Ap. Tull. quidem in Verr. ii, 8. legitur quoque, *Erycum.* Sed optimis editoribus minime probatum. Alii emendant, *Erycium;* alii, *Erycinum.*

Vetustate dilapsam. Bene Ernest. *dilapsam.* Male Beroald. et vett. *delapsam.*

Cap. 44. *Innocenter paratæ.* Ita Ms. Flor. Beroald. Pichena et recentiores. In Lipsianis edd. *partæ.*

Ipse electus. Ita Beroald. et vett. omnes. In recentioribus edd. *delectus.* Bene quidem. Sed nec male, *electus.*

Cui minor Antonia. Male emendat Jac. Gronov. *cui minori,* quasi puero adhuc Domitio promissa fuerit Antonia.

Cap. 47. *Donec exercitus.* In libris hactenus editis legitur: at Sabinus, *donec exercitus in unum conduceret, datis mitibus responsis, dum Pomponius Labeo e Mœsia cum legione, rex Rhœmetalces cum auxiliis popularium, qui fidem non mutaverant, veniret, addita præsenti copia ad hostem pergit.* Nemo non videt hæc omnia disjecta esse, nec sibi cohærentia. Idem ferme Flor. Ms. Codicis vitium; ex quo tamen non nihil lucis haurire possis: *datis mitibus responsis, quam Pomponius Labeo e Mœsia cum legione, rex Rhœmetalces cum auxiliis popularium qui fidem non mutaverant, venire.* Si enim, duce Jacobo Gronov. veteris scripturæ vestigia persequamur, patet emendandum, *postquam Pomponius Labeo .... venere.* Deinde si superiora, *donec exercitus in unum conduceret, datis mitibus responsis,* parenthesi concluseris, nihil superest difficultatis: sana omnia, omnia Corneliana.

Magna vis armata, aut incondita. Muret. omittebat, *armata.* Emendabat Rhenan. *at.* Nulla mutandi necessitas.

Persultabant. In Lipsianis edd. *præsultabant.*

Crebra et inulta vulnera. Male in posterioribus Lips. edd. *et multa.*

Cap. 49. *Raptis opulenti.* Ita Ms. Flor. Pichena et recentiores. Male Beroald. et vett. *rapti opulentia.* In Lipsianis edd. *capti.*

Non degrediebantur. Ita Ms. Flor. Pichena et recentiores. Corrupte Beroald. *digrediabatur.* Alii, *digrediebantur.*

Simul equi, armenta. Ms. Flor. *simul eque.* Beroald. et vett. *simul æque.* Melius Lips. et recentiores, *simul equi,* emendavere.

Malum extremum. Mallet Lips. *malorum extremum.*

Cap. 51. *Trusere in summa castelli.* Ita Ms. Flor. Jac. Gronov. Ernest. et recentiores. Beroald. et vett. *ad summa.*

Cap. 52. *Recens Prætura.* Frustra tentat Heins. *recens præturæ.*

Cœlesti sanguine ortam. Male emendat Gronov. *ortos.*

Ideo lædi. Ita Beroald. et vett. At Ms. Flor. *ñ ideo lædi.* Unde divinabat Pichena, *num ideo lædi, quia non regnaret?* At hæc interrogantis sunt, non admonentis. Ernest. et recentiores, *non ideo lædi, quia non regnaret,* nullo sensu. Vel dicendum, *ideo lædi, quia non regnaret;* vel, *non ideo lædi, sed quia non regnaret.* Οὐ διὰ τοῦτο πεινεῖν, ἀλλ' ὅτε μὴ τυραννοῖ.

Morum fama. Ita ed. pr. aliæque vett. Forte operarum vitio, in quibusd. recentioribus irrepsit, *morum forma.*

Cap. 53. *Esse in civitate, qui Agrippinam Germanici conjugem.* Locum hunc ita restituendum, in notis diximus. Aliter Petav. sed minus probabiliter, *neque aliud probis, quam ex matrimonio solatium esse in civitate: Germanici conjugem, ac liberos ejus recipere dignaretur.* Rutgers. Acta erudit. Lipsiens. ann. 1699. p. 370. *ex matrimonio solatium esse. In orbitate Germanici conjugem ac liberos,* &c. Franciscus Malherbe, *habilem adhuc juventam sibi, neque aliud probis quam ex matrimonio solatium in ea ætate. Germanici conjugem ac liberos recipere,* vel *respicere dignaretur:* quæ quidem conjectura, licet Gevartio, Elect. iii, 3. summopere laudata, a primigenia scriptura, Agrippinæ Tacitique mente, plurimum discedit. Verum, cum adseverat Gevartius Agrippinam, mulierem animosam et arrogantem, nunquam adeo demisse et abjecte de se sensisse, ut diceret aliquos forte non defuturos in civitate, qui ejus connubium rejecturi non essent, non adtendit vir eruditus atroces animos et Principibus infensos, esse subditis molles ac faciles: nec conjugem tantum, sed dominationis æmulum, ipsamque rempublicam, peti. Quod apprime sensit Tiberius, princeps perspicacissimus.

Cap. 55. *Distantia inter se.* Ita Ms. Flor. Jac. Gronov. et recentiores. Beroald. et vett. inverso ordine, *inter se distantia.*

Halicarnassii. Ms. Flor. *Alicarnassii,* quod immerito defendit Jac. Gronov.

Cap. 56. *Smyrnam in concionem nuntiatum.* Quidam, *Smyrnæ:* alii, *in concione.* Vet. scriptura retineri potest, si *nunciatum* pro *perlatum* accipiatur, ut animadvertit Pichena.

Prætulere. Ita Ms. Flor. Jac. Gronov. et recentiores. Beroald. ac vett. *prætulerunt.* Hæc quidem minutula pudet scribere: scribenda tamen, ne negligentiæ temeritatisve reus videar.

Cap. 57. *Corporis quoque habitum.* Verborum ordinem e Ms. Flor. bene refinxit Ernest. In vulgatis libris, *quoque corporis habitum.*

Ulcerosa facies. Non faciem tantum, sed totum Tiberii corpus ulcerosum fuisse docet Julian. in Cæsarib. p. 309. Τρίτος ἐπεισέδραμεν αὐτοῖς Τιβέριος, σεμνὸς τὰ πρόσωπα, καὶ βλοσυρὸς, σώφρων τε ἅμα, καὶ πολεμικὸν βλέπων. Ἐπιστραφέντος δὲ πρὸς τὴν καθέδραν, ὤφθησαν ὠτειλαὶ κατὰ τὸν νῶτον μυρίαι, καυτῆρές τινες, καὶ ξέσματα, καὶ πληγαὶ χαλεπαὶ, καὶ μώλωπες, ὑπό τε ἀκολασίας καὶ ὠμότητος ψῶραί τινες, καὶ

λειχῆνες, οἷον ἐγκεκαυμέναι. 'Tertius accessit ad ipsos Tiberius, gravis vultu, et truculentus aspectu, simulque prudens, ac militariter intuens. Quo ad cathedram converso, sese oculis obtulerunt cicatrices a tergo infinitæ, ulcerationes quædam, ac maculæ, plagæ graves et vibices, lepra quædam et lichene ex intemperantia et cruditate quasi inustæ.' Hæc omnia ad cutis vitia, ulcerososque morbos, non vero ad luem veneream, traxerim, ducibus eruditis medicis Ricardo Mead, Medica sacra, p. 6. et Johanne Astruc, de morbis venereis, i, 3 et 4. Libidinis vero, vel in ipsa senectute, ita immodicus fuit Tiberius, ut in Atellanico exodio, plaudente populo, ***hircus vetulus*** dictus fuerit, Sueton. in Tiber. 45. Appellatus quoque a Julian. l. cit. 'senex satyrus,' *ὁ γέρων οὑτοσὶ ὁ Σάτυρος.*

Medicaminibus interstincta. Formula medicamenti, ad illos Tiberii herpetas præscripta, extat ap. Galen. de composit. medicament. per genera v, 12. Vol. xiii, p. 794. Edit. Charterii. *Πρὸς ἕρπητας τοῦ Τιβερίου Καίσαρος, ℥ διφρυγοῦς, μηκονείου, σχιστῆς, ἀκακίας, ἀνὰ οὐγγίας γ' ὄξει ἢ ὕδατι ἀναλαμβάνων, χρῶ.* 'Ad herpetas Tiberii Cæsaris, ℥ Diphrygis, Meconii, Aluminis fissi, Acaciæ, singulorum uncias tres aceto vel aqua diluens, utitor.'

Cap. 59. ***Adsimulabatque.*** Ineleganter Faern. ***adsumebatque.***

Erectum et fidentem animi. Male tentat Pichena, ***animum.*** Intelligend. ***se***, ut jam alias monuimus.

Cap. 60. ***Falsum renidens vultu.*** Optime distinxere Beroald. et Lips. Male plurimi, ***falsum renidens vultu, seu loqueretur, seu taceret. Juvenis crimen ex silentio, ex voce.***

Promtior Neroni erat. Nonnulli mallent, ***pronior.*** Ita quidem vulgo dicimus: an ita quoque Tacitus?

Cap. 62. ***In sordida mercede.*** Mallet Pichena, ***in sordidam mercedem.*** Sic olim scriptum fuisse probabilissimum videtur.

Virile ac muliebre secus. Ita Ms. Flor. Jac. Gronov. et recentiores. Perperam Beroald. et vett. ***virilis ac muliebris sexus.*** Quam multa antiquitatis et Romanæ linguæ monimenta obliteravit hoc insanabile emendandi cacoethes! Minime tamen insolens id dicendi genus. Sic enim Sallust. Frag. Hist. ii, p. 960. 'Magna gloria concurrentium undique virile et muliebre secus, per vias ac tecta omnium visebatur.' Liv. xxvi, 47. 'Liberorum capitum virile secus ad decem millia capta.' Ipseque Priscian. lib. v. de generibus, masculinum est—'sexus, quamvis Plautus et hoc sexus, hujus sexi, neutro genere protulit in Rudente: Virile sexus numquam ullum habui.' Ita libri editi, et antiquissimus noster Ms. Cod. Prisciani.

Præceps trahit. Ita Ms. Flor. vett. edd. et recentiores. In quibusd. intermediis male emendatum, ***in præceps trahit.***

Cap. 64. ***Claudiæ Quinctæ.*** Ita Ms. Flor. Male Beroald. ***Quintiæ. Quincta***, vel ***Quinta*** ex ordine nascendi dicebatur, ut recte observat Lips. ex Cic. de Senect. xi. 'Quatuor robustos filios, quinque filias, tantam domum, tantas clientelas, Appius regebat, et senex, et cæcus.'

Cap. 65. ***Cæle Vibenna.*** Scribend. ***Cæle, mons Cælius***, ut patet ex tabula Lugdunensi, non vero ***Cœle, Cœlius.***

Auxilium ad bella ductavisset. In Ms. Flor. et ed. pr. ***auxilium appellatum tavisset;*** corrupte. Ald. ***appellitavisset;*** male, cum ante,

appellitatum, dictum fuerit. Ceteri libri editi, *appellatum ductavisset;* dure, nec Corneliane: quis unquam ferat, *auxilium appellatum ductavisset?* Frigide etiam diceretur, *appellatus ductavisset;* nec probabiliter, cum superius sit, *appellitatum*. Paulo melius *appellatum* esse insititium et omittendum existimabat Lips. At feliciter emendavit Vertran. *ad bella ductavisset*, obvio scioli librarii, qui *adpella*, mox *adpellatum* scripsit, errore.

Cap. 66. *Adversum casum*. Frustra tentat Muret. *adversis casuum*.

Cap. 67. *Villarum nominibus*. Acquieveramus, cum Gronov. et Ernest. in voce *nominibus*, ut essent villæ celebres pristinis possessoribus vel nominibus Deorum. Neque tamen absurde Bipontini reponere tentant *montibus*. B. C. ii, vi, 63.

Occultos in luxus. Ita optime emendavit J. Fr. Gronov. Perperam in libris editis, *tanto occultior in luxus, et malum otium resolutus*. Posset forte conjici, *tanto occultior in luxus, et in malum otium resolutus*. At potior est Gronoviana emendatio.

Cap. 68. *Silio Nerva*. Mallet Perizon. *Siliano Nerva*, quod patre Silio natus, a Nerva fuerit adoptatus. De his plura, An. xv, 48.

Titio Sabino. Ita quoque Plin. viii, 40. in emendatissima Harduini ed.

Petitius Rufus. Ita edd. vett. Lips. et recentiores, *Petilius*. At cum in antiquis inscriptionibus ap. Gruter. memorentur *Petitius*, *Peticius Rufus*, nihil mutandum.

Cap. 69. *Ortæ suspicionis erat*. Ita Rhenan. et recentiores. In Ms. Flor. et vett. edd. *ortæ suspiciones erant*. Mallet Ernest. *metu* vel *metui visus, sonitus, aut forte ortæ suspiciones erant*. Melius Rhenan.

Tectum inter et laquearia. Domus Romanorum, ut et nunc nostra palatia, ornatæ erant laquearibus, *ceilings;* inter laquearia et tectum est vacuum spatium, ut, si quid est vitii in laquearibus, emendetur; et pro domorum altitudine spatium illud quatuor quinqueve pedes altum est. Tale spatium videre est Parisiis in palatio Luxemburgensi, aliisque. Hæc est turpis latebra, qua sese abstruserunt senatores.

Quanto mæsta. Sic edd. vett. et recentiores. In intermediis, *quando*. Ms. Flor. corrupte, *qaranto*.

Cap. 70. *Kalendis Januariis*. Beroald. et vett. *Kal. Januarias*. Ms. Flor. *Januarius*. Vere recentiores, *Kalendis Januariis*. Kalendæ Januariæ ap. Romanos, ut ap. nos, erant mutuis salutationum officiis celebres. ‘Primum,’ inquit Plin. xxviii, 2. ‘anni incipientis diem lætis precationibus invicem faustum ominamur.’ Jano quoque litabant, ‘Auspiciis epulisque sacris,’ teste Prudent. contra Symm. i, 238.

Non imprudentem. Ita Lips. et recentiores, præter Jac. Gronov. qui ex Ms. Flor. codice, quem per fas et nefas pro more suo defendit, retinet, *non prudentem*.

Punivissent. Non in unum Sabinum, sed in ejus quoque servitia sævitum esse memorabili exemplo tradidit Plin. viii, 40. ‘Super omnia in nostro ævo actis populi Romani testatum, Appio Junio et

P. Silio coss. cum animadverteretur ex causa Neronis, Germanici filii in Titium Sabinum, et servitia ejus, unius ex his canem nec a carcere abigi potuisse, nec a corpore recessisse, abjecti in gradibus gemitoriis, mœstos edentem ululatus, magna populi Romani corona: ex qua cum quidam ei cibum objecisset, ad os defuncti tulisse. Innatavit idem, cadaver in Tiberim abjecti sustentare conatus, effusa multitudine ad spectandum animalis fidem.'

Cap. 71. *Cunctationes Principis operirentur.* Locum hunc non infeliciter vertit Davanzati: *Ma Sejano il mitigò: non per giovare a Gallo, ma perchè il Principe desse fuori mai più que' nomi, sapendo con che tuoni, e folgori di parole, e fatti, da quel nugoloso petto scoppierebbe la sobbollita ira.*

In insulam Trimetum. Ms. Flor. et libri editi, *Trimerum.* Freinshem. *Tremetum.*

Cap. 72. *Postquam non subveniebat.* Ita Ms. Flor. Beroald. vett. plurimi, Gronov. et Ernest. Minutian. vero, Lips. et recentiores nonnulli, *subveniebatur.* Nihil mutandum, tum ob veterum librorum auctoritatem, tum ex sententia Petavii, qui ita scribit. Lips. corrigit vel *subveniebatur*, vel *nemo subveniebat.* Ego, *subveniebat,* retineo, ut questus subaudiatur.

Cap. 73. *Canninefatem.* Sic Ms. Flor. et vett. edd. Recentiores vero, *Caninefatem.* In Inscriptionibus ap. Gruter. Reines. et Gorium appellantur CANNANEFATES. CANONEFATES. CANANIVATES. Memoratur quoque Plinio iv, 15. insula *Cannunefatum.* De his plura Alting Germ. inf. Antiq. p. 25. Forte scripserat Tacitus, *alam Canninefatum,* ut ap. Gruter. p. 385. n. 1.

M. HELVIVS M. F. CLEMENS
PRAEF. EQ. ALAE PRIMAE CANNANEFATVM.

Pellunt turmas sociales. Ita Rhenan. et recentiores. Mallet Jac. Gronov. *pellunt vi;* sic enim habet Ms. Flor. In edd. vett. *pelluntur.*

Alarius eques immissus. Sic emendavit Freinshem. quem recentiores omnes merito sunt secuti. Perperam Beroald. et vett. *acrius eques.* Alarius eques sociorum erat, et diversus ab equitibus legionum, ut patet ex hoc Taciti loco, et ex Liv. xl, 40. qui 'legionarios equites' et 'alarios equites' memorat, ipsosque legionarios, 'Romanos equites' appellat. Eos quidem fuisse equestris ordinis minime dixerim; at cives Romanos esse existimo. Diu quidem legiones equitibus caruere; sed postea, 'proprios et sibi insitos equites legionarios, iisdem matriculis' tenuere, Veget. ii, 2. Nec probabilis videtur Cl. Ernesti sententia, istis temporibus equitatum omnem e sociis constitisse.

Cap. 74. *Degressi sunt.* Ita Ernest. et recentiores. Beroaldus vero et vett. *digressi sunt.* *Digredi* est proprie, alium in locum abire. V. sup. c. 49.

Donec idque vetitum. Forte, *id quoque.*

NOTÆ ET EMENDATIONES

AD LIBRUM QUINTUM ANNALIUM

C. CORNELII TACITI.

Cap. 1. *Rubellio et Fufio Coss.* Male Beroald. *Fusio.* *Rubellius* quoque dictus est *Lucius*, non vero *Caius*, ut vulgo creditur. Sic enim in vet. inscr. ap. Muratori, Nov. Thes. Inscr. Vol. i, p. 301. n. 4.

C. FVFIO GEMINO COS.
L. RUBELLIO GEMINO COS.

Utrique Geminus. Cl. Burmann. emendat, *Geminis.* Latine: sed non necessario. Sup. An. iv, 28. *nomen utrique Vibius Serenus.*

Cum artibus mariti. Dio lviii, p. 662. Πυθομένου τέ τινος αὐτῆς (Λιουΐας), πῶς καὶ τί δρῶσα οὕτω τοῦ Αὐγούστου κατεκράτησεν, ἀπεκρίνατο, ὅτι αὐτή τε ἀκριβῶς σωφρονοῦσα, καὶ πάντα τὰ δοκοῦντα αὐτῷ ἡδέως ποιοῦσα, καὶ μήτε ἄλλο τι τῶν ἐκείνου πολυπραγμονοῦσα, καὶ τὰ ἀφροδίσια αὐτοῦ ἀθύρματα μήτε διώκουσα, μήτε αἰσθάνεσθαι προσποιουμένη. 'Interroganti cuidam Liviam, quomodo Augustum ita sibi obsequentem reddidisset, respondit: exquisita pudicitia, omnia ejus mandata lubenter exsequendo, nullas ejus res scrutando, lusus ejus venereos non tantum non insectando, sed penitus dissimulando.'

Funus ejus modicum. Suet. Tib. 51. 'Toto quidem triennio, quo, vivente matre, abfuit [Tiberius], semel omnino eam, nec amplius quam uno die, ac paucissimis vidit horis, ac mox, neque ægræ adesse curavit, defunctamque, et dum adventus sui spem facit, complurium dierum mora, corrupto demum et tabido corpore funeratam prohibuit consecrari.'

Cap. 2. *Cœlestis religio.* Inde falsitatis arguas nummum æreum, magni moduli, a Morell. Thes. Num. Vol. i, p. 477. editum. S. P. Q. R. DIVAE IVLIAE AVG. DIVI FIL. Bigæ mularum cum thensa. In postica parte. TI. CAESAR DIVI AVG. F. AVGVST. P. M. TR. POT. XXIIII. In medio, S. C. i. e. 'senatus populusque Romanus divæ Juliæ, Augustæ, divi filiæ. Tiberius Cæsar, divi Augusti filius, Augustus, pontifex maximus, tribuniciæ potestatis anno quarto et vigesimo, [U. C. 782.] Senatusconsulto.' Quod negaverat Tiberius, tribuit Claudius, teste Suet. Claud. 11. 'Aviæ Liviæ divinos honores, et circensi pompa currum elephantorum Augusteo similem decernendum curavit.' Tunc cusus Musei Theupolitani, Vol. i, p. 388. nummus: DIVVS AVGVSTVS, capite radiato. Ex altera parte, DIVA AVGVSTA, Livia sedens, dextra ramum, sinistra hastam tenet.

Cap. 3. *Urgens dominatio.* Ita edd. vett. et recentiores. Male Lips. *vergens dominatio.* *Urgens*, i. e. *gravior*.

Et cohibitas. Frustra tentat Acidal. *sed cohibitas.*

CAP. 4. *Componendis patrum actis.* Sunt veluti quædam rerum humanarum vicissitudines, quibus circumactis, iidem ferme hominum, ingeniorum, et eventorum ordines revolvuntur. Nihil igitur ad præsentis futurique prudentiam, præteriti scientia aptius, nihil magis necessarium. Inde ap. gentes omnes invaluit Actorum usus; et, si literarum rudes essent, cantibus aliisve signis veterem memoriam consecravere. Ut mos ille, apud Romanos pervulgatus, illustretur, pauca Lipsii exemplo disserendum.

DE ROMANORUM ACTIS.

Cum adhuc raræ essent literæ, numerus A. U. C. clavo, quem prætor maximus, aut dictator, in æde Jovis figebat, fuit consignatus, Liv. vii, 3. In hac tanta hominum ruditate, necdum enata quævis scribendi, seu mentiendi, libidine, cavebatur tamen ne vetus memoria periret: 'Pontifex maximus res omnes singulorum annorum mandabat literis, efferebatque in album, et proponebat tabulam domi, potestas ut esset populo cognoscendi,' Cic. de Orat. ii, 12. Hæc primæva Acta; ob scriptorum dignitatem 'Annales maximi' appellati, et a rerum Romanarum initio ad Mutii Scævolæ pontificis maximi mortem, seu A. U. C. 672. continuati. Tunc valescentibus vitiis, legum, rogationum, consiliorum multitudine copiosiora fuere Acta. Julius Cæsar, ut animos quadam libertatis et gloriæ imagine ludificaret, 'primus omnium instituit, ut tam senatus, quam populi diurna acta conficerentur, et publicarentur,' Suet. Jul. 20. Augustus Julio, virtute, non dominationis cupidine, inferior, occultisque artibus potius, quam animi excelsitate, imperium retenturus, auctor fuit 'ne acta senatus publicarentur,' Suet. in Aug. 36. Augusti cœpta prosecutus est Tiberius, semper obscurus, et servituti imminens. Forte etiam sanxit ut senator, a se delectus, Acta senatus componeret, Tac. An. v, 4. de rebus quoque in Acta publica referendis omittendisve pronuntiavit, Dio lvii, p. 617. Pristinæ tamen memoriæ retinendæ minime incuriosus, cum Actorum publicorum partes periissent, aut vetustate ferme vanescerent, quæ extarent a tribus senatoribus describi, cetera conquiri jussit A. U. C. 769. Dio lvii, p. 613.

Quatuor itaque fuere apud Romanos Actorum genera. Primum Principis, Suet. Domit. 15. Alterum senatus, Tac. An. v, 4. Duo postrema, populi: publica scilicet, Tac. An. xii, 24. diurna, Tac. An. xiii, 31. Res leviores, ludos, quotidianos Urbis nuntios continebant Diurna; et per provincias, per exercitus a curiosis et otiosis legebantur, Tac. An. xvi, 22. Publicorum Actorum non una species, sed pro rerum varietate et multitudine multiplex. In iis enim scripti dies natales, Suet. Tib. 5. nuptiales, Juvenal. ii, 36. emortuales, Dio xlvii, p. 330. res illustres, artium miracula, Dio lvii, p. 617. casus singulares et inauditi, Plin. viii, 40. Præterea Acta erant 'municipalia,' 'præsidialia,' Brisson. de Verb. signific. 'oppidana' etiam, Suet. Cai. 8. Actis illis conficiendis aderant scribæ, ut patet ex Pisano Lucii Cæsaris monumento, quod emendatissimum edidit Cl.

Gori. Inscr. Antiq. Vol. ii, p. 10. Ap. eumd. Vol. i, p. 308. in marm. vet. memoratur Cn. Sentius patronus DECVRIAE SCRIBAR. CEREARIOR. ET LIBRARIOR. i. e. 'Scribarum, Cereariorum,' qui ceratas tabellas curabant, 'et librariorum.' Iis, ut videtur, præerant Romæ, senatores; in provinciis, magistratus.

Quandoque Germanici. Quanto magis de hoc Taciti loco, ab omnibus conclamatum, tanto magis nostram, si qua valemus, industriam in illo experiri decet ac juvat. Hæc vero ed. pr. ***disserebatque brevibus momentis summa verti posse quandoque Germanicis Titium pœnitentiæ senis....Simul populis,*** &c. Ita quoque Ms. Flor. sed in ***Germanicis*** et ***Titium.*** *G* et *T* non majusculæ, at communes sunt literæ. Malum celavit potius, quam sanavit Rhenan. cum correxit, ***brevibus momentis summa verti posse, dandumque interstitium pœnitentiæ senis. Simul populus,*** &c. Plurima etiam peccat, tum quod, ***interstitium*** vox sit Macrobiana, Corneliani ævi auribus insolens, in novum adhuc sensum detorta; tum quod mutetur, ***quandoque,*** omittatur ***Germanicis,*** lacuna sileatur. Inde sane optimi editores Ryck. Jac. Gronov. et Ernest. cum hæc probare non possent, nec meliora viderent, maluere mutilam et hiulcam Ms. Flor. codicis scripturam retinere. Tentavit tamen Ernest. sed omnino infeliciter, ***dandumque in Germanicis spatium pœnitentiæ senis.*** Quis ferat unquam, ***in Germanicis?*** Nec felicior Heins. ***dandumque domui Germanici interstitium pœnitentiæ senilis.*** Miror hoc placuisse Grævio, qui, mutato ***senilis, senis*** retinebat. Post irritos tot eruditorum virorum conatus veterem scripturam meditanti mihi hæc non modo potior, sed etiam certissima visa est emendatio: ***disserebatque brevibus momentis summa verti posse, quandoque Germanici stirpem, ubi spatium pœnitentiæ senis, resurgere.*** In ea enim plurimum veteris scripturæ; ipsa est Taciti mens ac Latinitas: lacuna expletur. ***Quandoque*** hic usurpatur, ut sup. An. i, 4. ***duobusque insuper adolescentibus, qui rempublicam interim premant, quandoque distrahant.***

Festisque in Cæsarem ominibus. Mallet Acidal. ***faustisque.*** Nihil tamen mutaverim.

Principis ab senatu: descivisse. Ita optime distinxit Lips. Perperam Beroald. et vett. ***principis: ab senatu descivisse populum.***

CAP. 6. ***Ob amicitiam accusari.*** Boxhorn. omittit, ***accusari:*** mox emendat, ***amicum accusari.*** Pessime. V. supplementum, c. 46.

Anteibo periculum. Libri omnes editi, ***antibo periculum.*** De hoc verbo jam dictum sup. An. iii, 69.

Quam læti. Vulgo diceremus, ***vos obtestor, ut memoriam nostri læti potius, quam per mœrorem, retineatis.*** Nihil tamen peccat vulgata scriptura, ut placet Boxhornio.

CAP. 7. ***Ut cuique adsistere.*** Male Vertran. ***ut cuique adstitere.*** Boxhorn. ***ut cuique adstiterat.***

Cum in Blæsum. Mallet Lips. præpositionem, ***in,*** omitti. Eam Gronov. merito tuetur auctoritate Livii xxvii, 1.

CAP. 8. ***Ælii Galli.*** Sic optime emendavit Lips. Æliæ enim gentis cognomen Gallus. Perperam Beroald. ***Velii Galli.***

CAP. 10. ***Elapsum custodiam.*** Beroald. et vett. ***lapsum custodiæ.*** Rhenan. et e recentioribus plurimi, ***elapsum custodia.*** Er-

nest. *elapsum custodiæ.* Recte corrigitur, *elapsum;* excidit, *e*, ob præcedentem vocem, *quippe.* Placet quoque, *custodiam;* sic enim sup. An. i, 61. 'pugnam aut vincula elapsi:' et inf. Hist. iii, 59. 'Custodias Vitellii elapsum.'

Solertius interrogatum....dixisse. Ita Ms. Flor. edd. vett. et recentiores. Male in intermediis, *ibi demum cognoscit. Solertius interrogato, quisnam foret? dixit se M. Silano genitum.*

Neque nos originem finemve. Dio et Zonar. ut oculatiores videantur, fingunt mendacia. Ac primo quidem Dio lviii, p. 637. ait hæc contigisse A. U. C. 787. Vitellio et Persico coss. Drusumque occupaturum fuisse exercitus, nisi si quis eum agnitum detinuerat, et ad Tiberium miserat, *ἐς τὴν Συρίαν προχωρήσας τὰ στρατόπεδα κατέσχεν, εἰ μὴ γνωρίσας τις αὐτὸν κατέσχε, καὶ πρὸς τὸν Τιβέριον ἀνήγαγεν.* Eadem exscribit et mendaciis exornat Zonar. Vol. i, p. 551. *Καὶ ἐδέξαντο αὐτὸν ἀσμένως αἱ πόλεις, καὶ κἂν ἐς τὴν Συρίαν προχωρήσας κατέσχε τὰ στρατόπεδα, εἰ μή τις ἐπιγνοὺς αὐτὸν συνέλαβε, καὶ πρὸς τὸν Τιβέριον ἤγαγεν· ὁ δὲ ἐν Ἀντίῳ τοὺς τοῦ Γαΐου γάμους ἑώρταζεν.* 'Cupide a civitatibus exceptus, et in Syriam usque progressus, legiones etiam subornasset, nisi a quodam agnitus et captus, ad Tiberium, Caii nuptias Antii celebrantem, perductus esset.' Nuptiæ Caii celebratæ sunt A. U. C. 788.

NOTÆ ET EMENDATIONES

AD LIBRUM SEXTUM ANNALIUM

C. CORNELII TACITI.

LIBER VI. In vett. edd. hic liber cum superiore conjungitur.

CAP. 1. *Consulatum inierant.* In appellandis hujus anni consulibus summa scriptorum varietas. Idacius, Fastique Vindobonenses, *Arruntio et Ahenobarbo.* Suffragatur Suet. Oth. 2. 'Otho imperator quarto Kalendas Maii natus est, Camillo Arruntio, Domitio Ahenobarbo consulibus.' Panvinius vero consules ordinarios fuisse *Domitium Ahenobarbum* et *A. Vitellium* perperam existimavit: siquidem Vitellius fuit tantum suffectus, ut patet ex Nolana Tabula apud Gruter. p. 1087. n. 1.

CN. DOMITIVS AHENOBARBVS COS.
SVF. KAL. IVL. A. VITELLIVS COS.

Potior Taciti et Dionis lviii, p. 631. auctoritas, Cl. Norisio in Epist. Consul. Col. 864. Vol. ii, Oper. et eruditis omnibus probata.

In propinqua degressus. Ita Ernest. et recentiores. In vett. edd. *digressus.* De his verbis dictum An. iv, 74.

Cap. 2. *Tamquam referret.* Optime Lips. et recentiores. In Ms. Flor. *tam referret.* Male Beroald. et vett. *tum retulere Scipiones. Hæc et Sillani.* Acidal. omittit, *tum retulere.* Tentat Saliner. *tum referre Scipiones:* Boxhorn. *jam refertur.*

Grates benevolentiæ. Beroald. Gronov. et recentiores, *gratis.* Edidi, *grates,* ne lector offenderetur. De vet. scriptura sæpe dictum sup. Lips. et alii plurimi, *gratias.*

Cap. 3. *Neque dicta imperatoris.* Ita libri omnes. Lips. mallet, *dicta non imperatoris:* Rhenan. *dicta nisi imperatoris.* Grotius delet vocem, *imperatoris.* Nihil peccat vulgata scriptura.

Sextium Paconianum. Beroald. et vett. *Sestium Pagonianum.* At inf. c. 39. memoratur, *Sextii Paconiani exitus.*

Concepta pridem odia. Optime emendavit Lips. Perperam Beroald. et vett. *concepta per idem odia.*

Cap. 4. *Accusator ac reus.* Bene Lips. Male Beroald. *accusator acrius.* In aliis vett. edd. *accusator Acrius.*

Præbebatur. Mallet Muret. *præbebant.* Nihil tamen mutaverim.

Noxiam conscientiæ. Ita Ms. Flor. edd. vett. et recentiores. Rhenan. *noxam conscientiæ.* Mallet Muret. *noxæ conscientiam.* Pichena, *noxiam conscientiam.* Nihil novandum.

Inter ganeam. Ita Ms. Flor. et recentiores edd. Beroald. vero et vett. *ganeum.*

Cap. 5. *Quasi incestæ virilitatis.* C. Cæsar merito dicitur, *virilitatis quasi incestæ:* quippe qui sororem suam *Drusillam vitiasse virginem, prætextatus adhuc,* credebatur, Suet. Cai. 24. Mallet Lips. *quasi incertæ virilitatis;* frigide, et parum Corneliane. Ut jocus in verbis habeatur, existimat Frienshem. Cottam Messalinum argui, quod *Caiam Cæsarem, quasi incestæ virilitatis* dixerit. Sic ferme vertit Cl. Gordon, *as that he had called Caius Caligula by the feminine name of Caia Caligula, and branded him with constuprations of both kinds.* Ego a vet. scriptura sine necessitate minime discesserim.

Querensque de potentia. Ita Ms. Flor. edd. vett. et recentiores. Male Lips. et alii nonnulli, *querentemque.* Frustra quoque tentatum, *dixisset, addidisset,* pro *dixisse, addidisse.*

Neque cuncta a primoribus. Ita Ms. Flor. Jac. Gronov. et recentiores. Perperam Beroald. *neque cunctatus:* Lips. *contatius.* Ridicule tentat Jac. Gronov. *illos quidem senatus, me autem? Tuebitur Tiberiolus meus me: quæ cuncta.* Pichena vero et Freinshem. mallent, *eaque cuncta.* Quod tamen vix probaverim: nec enim ita indiligens Tacitus, ut scripserit, *eaque cuncta....iisque instantibus.* Si quid mutandum, mallem, *atque cuncta.* Græcorum more dictum, *cuncta revincebatur.* Primores civitatis non revincebant cuncta, quæ abjiciebantur, ab eo fuisse prolata.

Cap. 6. *Firmare solitus.* Sic inf. c. 50. 'Macroni firmavit.' Frustra tentat Muret. *affirmare solitus.*

Cap. 7. *C. Cestium patrem.* Mallet Lips. *prætorem.* In vett. edd. *Cæstium.* Inf. c. 31. et a Plin. xxxiv, 8. 'Cestius' appellatur.

Quaqua de re. Ita edd. vett. et recentiores. In intermediis, ***quaque.*** Quam effræna fuerit hæc accusandi rabies docet Seneca de Benef. iii, 26. 'Cœnabat Paulus prætorius in convivio quodam, imaginem Tiberii Cæsaris habens, ectypa, et eminente gemma. Rem ineptissimam fecero, si nunc verba quæsiero, quemadmodum dicam illum matellam sumsisse. Quod factum, simul et Maro, ex notis illius temporis vestigatoribus, notavit. At servus ejus cui nectebantur insidiæ, ei ebrio anulum extraxit. Et cum Maro convivas testaretur, admotam esse imaginem obscœnis, et jam subscriptionem componeret: ostendit in manu sua servus anulum. Si quis hunc servum vocat, et illum convivam vocabit.'

Destinare properat. Muret. ac Lips. tentant, ***poterat.***

CAP. 8. *Sed Claudiæ et Juliæ.* In Ms. Flor. veteribusque edd. ***et Claudiæ et Juliæ:*** forte non vitiose. At clarius, ***sed Claudiæ;*** nec immerito Lipsio et recentioribus editoribus, si Jac. Gronov. exceperis, probatum. Bipontini ***at*** emendarunt, et in contextum receperunt.

CAP. 9. ***Et Vinicianus.*** Ita Ms. Flor. Pichena et recentiores, ipseque Dio lx, p. 674. Perperam Beroald. aliique vett. ***et Vicinianus.***

CAP. 10. ***Qua occupandæ.*** Tentabat Pichena, ***quia occupandæ.*** Melius Illustr. Huetius, ***quæ occupandæ.*** Minime tamen displicet vulgata scriptura.

Vescularius Atticus. Sup. An. ii, 28. 'Flaccus Vescularius' appellatur. Forte, damnato Curtio Attico, novum cognomen sibi adscivit. Certe non hic cum Pichena et J. Fr. Gronov. emendandum, ***Flaccus Vescularius,*** refragantibus Ms. Flor. et vett. omnibus libris.

Rhodum secuti. Mallet J. Fr. Gronov. ***Rhodum secutis.*** Nihil mutand.

L. Piso Pontifex. Lips. et Muret. errorem ex notis suspicantur: scribendumque, ***L. Piso P. V.*** i. e. ***Præfectus Urbi,*** valde probabiliter existimant. Suffragantur Velleius ii, 98. Seneca Ep. lxxxiii. Plin. xiv, 22. Suet. Tib. 42. quibus omnibus ***Præfectus Urbi,*** non ***Pontifex,*** dicitur. Pisonem quemdam, a L. Pisone omnino diversum, post mortem Tiberii Urbi præfectum memorat Josephus Antiq. Jud. xviii, 6. n. 10. si in nomine nihil fuerit erratum.

CAP. 11. ***Viginti per annos.*** Suet. Tib. 62. '***Tiberius*** in castris tiro etiam tum, propter nimiam vini aviditatem, pro Tiberio, Biberius: pro Claudio, Caldius: pro Nerone, Mero vocabatur. Postea princeps in ipsa publicorum morum correctione cum Pomponio Flacco et Lucio Pisone noctem continuumque biduum epulando potandoque consumsit: quorum alteri Syriam provinciam, alteri præfecturam Urbis confestim detulit, codicillis quoque jucundissimos et omnium horarum amicos professus.' Cum Pomponius Flaccus, ex An. ii, 66. non videatur fuisse Syriæ prætor nisi post A. U. C. 782. existimant Lips. Noris. aliique nonnulli, Pisonem non ***viginti per annos,*** sed ***per decem*** tantum Urbi præfuisse. Male tentat Ernest. ***XV. per annos.*** Aut emendand. ***decem per annos:*** aut, ***viginti per annos,*** retinend. et rotunde accipiend. Suffragari mihi videtur Plin. xiv, 22. si quis ad ejus verba, et Tiberii ætatem attenderit.

CAP. 12. *A Quintiliano.* Ita Ms. Flor. et edd. vett. In recentioribus, *a Quinctiliano.*

Caninius Gallus, quindecimvir. In Ms. Flor. *quindecimvirum*, i. e. e numero *quindecimvirorum.* Forma quidem dicendi non omnino insolens, ut patet ex Hist. i, 31. neque tamen ita elegans, ut 'castitatem Taciti susdeque habitam' a Beroaldo aliisque, qui edidere, *quindecimvir*, queratur Jac. Gronov. iræ et convitiorum ridicule intemperans.

Sanxisse Augustum. Suet. Aug. 31. 'Postquam vero pontificatum maximum, quem numquam vivo Lepido auferre sustinuerat, mortuo demum suscepit, *Augustus*, quidquid fatidicorum librorum Græci Latinique generis, nullis vel parum idoneis auctoribus vulgo ferebatur, supra duo millia contracta undique cremavit: ac solos retinuit Sibyllinos: hos quoque delectu habito: condiditque duobus forulis auratis sub Palatini Apollinis basi.' Quam vero privatim haberentur docet Dio liv, p. 533. Καὶ τὰ ἔπη Σιβύλλεια, ἐξίτηλα ὑπὸ τοῦ χρόνου γεγονότα, τοὺς ἱερέας αὐτοχειρίᾳ ἐκγράψασθαι ἐκέλευσεν, ἵνα μηδεὶς ἕτερος αὐτὰ ἀναλέξηται, 'Cum libri Sibyllini vetustate exolescerent, [*Augustus* A. U. C. 736.] pontificibus negotium dedit, ut sua manu eos describerent, ne quis alius eos legeret.'

CAP. 13. *Neque segnius.* Lips. mallet, *neque sequius*, vel *neque secius.* Plus vis et elegantiæ, si retineatur, *segnius.*

CAP. 14. *Sane is repertus.* Optime Mercer. et recentiores. Corrupte Beroald. et vett. *sanus repertus.*

CAP. 15. *Admodum vagis.* Frustra tentat Lips. *vanis.*

Curiam ingrederetur, petivit. Ita ed. pr. et libri omnes editi. Ab Ernesto (forte tamen operarum error est) omissum, *petivit.* Idem Cl. Lallemand, Ernesti assecla, omisit.

Ambigens patriam. Male tentat Rhenan. *ambiens.*

CAP. 16. *Vetus urbi fœnebre malum.* Fœnebre malum, vetus Urbi; imperiis omnibus, nisi sapientissimis legibus coerceatur, commune et luctuosum, nobis, ut hic Taciti locus illustretur, expendendum.

DE FŒNORE ET USURA APUD ROMANOS.

Ex summa conditionum inæqualitate exortum est apud Romanos fœnebre malum, tantoque acrius invaluit, quod auctoritas penes locupletes esset, omniaque ex eorum libidine agitarentur. Laboranti populo subvenere leges; sanctumque duodecim tabulis A. U. C. 303. 'ne quis unciario fœnore amplius exerceret,' Tac. An. vi, 16. atque ut pejorem civem ostenderent fœneratorem, quam furem, 'posuerunt furem duplo condemnari, fœneratorem quadruplo,' Cato de R. R. procem. Ex his Taciti et Catonis verbis, in Tabula III. hanc legem scripsit Cl. Gothofredus, Fragment. XII. Tabul. SI QVIS VNCIARIO FŒNORE AMPLIVS FŒNERASIT, QVADRVPLIONE LVITO.

Hac quidem lege iisque temporibus, satis locupletibus, plurimum pauperibus consulebatur. At cum gravissimis, ac maxime pecuniosis malis difficillima sint remedia, mox abrogatis decemviris, recruduit locupletium aviditas: et populo patientiam indidere, popularia vitia, imbecillitas, egestas, futuri incuria. Tum, pro cupiditate, quæ durius sævit, cum paululum retardata, atrocius exercitum est fœnus.

Populus vero numquam validior, et violentior, quam cum oppressus

magis: ne in seditiones erumperet, lex XII. tabularum renovata est A. U. C. 397. 'C. Marcio, Cn. Manlio consulibus, de unciario fœnore a M. Duilio, L. Mœnio tribunis plebis, rogatio est perlata,' minime læta patribus: eam plebs cupide scivit, cupidius accepit. Liv. vii, 16.

At populus, quanto felicitatis rarior, tanto intemperantior, et locupletibus semper infensus, fœnus adhuc imminutum voluit. Et A. U. C. 407. 'T. Manlio Torquato, C. Plautio consulibus, semunciarium tantum ex unciario fœnus factum,' Liv. vii, 27.

Tum votorum immodicus, et successu ferox, non modo se locupletibus æqualem fecit, sed omnia etiam damna in eos recidere voluit. A. U. C. 412. L. Genucius, tribunus plebis, tulit ad populum, 'ne fœnerare liceret, Liv. vii, 42. De hac quoque lege Appian. Bell. Civ. i, p. 382. Νόμου τινὸς παλαιοῦ προαγορεύοντος μὴ δανείζειν ἐπὶ τόκοις, ἢ ζημίαν τὸν οὕτω δανείσαντα προσόφλειν. Ἀποστραφῆναι γάρ μοι δοκοῦσιν οἱ πάλαι Ῥωμαῖοι, καθάπερ Ἕλληνες, τὸ δανείζειν, ὡς καπηλικὸν, καὶ βαρὺ τοῖς πένησι, καὶ δύσερι, καὶ ἐχθροποιόν· ᾧ λόγῳ καὶ Πέρσαι τὸ κιχρᾶσθαι, ὡς ἀπατηλόν τε καὶ φιλοψευδές· 'Lege quadam vetere imperante ne quis fœneraretur, vel fœneratores multari. Mihi enim videntur prisci illi Romani, sicut et Græci, abhorruisse a fœnore, ut a sordida negotiatione, pauperibus et miseris gravi, atque inimicitiarum fœcunda. Persis quoque visum est fœnus fraudis et mendacii plenum.'

Hæc quidem sancita sunt, cum angustissima esset res Romana, exiguis prædiis, pauco ære contenta, sine peregrinis commerciis, sine auro et argento. At demum, gliscente ambitione, victoria duce, magistra cupiditate, paupertatis rusticæque severitatis puditum est, et Romanas inter artes maxima fuit ars fœneratoria. A. U. C. 654. Valerius Flaccus 'creditoribus quadrantem solvi' jussit, Vellei. ii, 23. Asellio, prætor, a fœneratoribus interemtus est A. U. C. 665. quod legem, 'ne fœnerare liceret,' revocare vellet, Appian. Bell. Civ. i, p. 382.

Gravia olim et odiosa nomina, 'semunciarium,' 'unciarium fœnus,' eviluere. Tritæ vero ac familiares usuræ 'ex quincunce,' 'ex semisse,' 'ex deunce,' 'centesima,' 'centesima quaterna,' atque etiam cum 'anatocismo.' Hæc fœnoris et usuræ portenta genuit respublica, aluit imperium. Et, ut malarum omnium sobolum est natura, in parentum interitum adolevere. Hæc enim unica fuit tum reipublicæ, tum imperii ruinæ causa, venalis libertas, venalis dominatio.

Nunc, ne quid lector desideret, funesta fœnoris nomina superant explicanda.

FŒNUS {
Semunciarium, *a half per cent.*
Unciarium, *one per cent.*

USURA {
Triens, *three per cent.*
Quadrans, *four per cent.*
Quincunx, *five per cent.*
Semis, *six per cent.*
Bes, *eight per cent.*
Deunx, *eleven per cent.*
Centesima, *twelve per cent.*
Centesima quaterna, *forty-eight ver cent.*

ANATOCISMUS, *compound interest.*

Et concedente. Mallet Pichena, *eo concedente.*

Cap. 17. *Duas quisque fœnoris.* Frustra tentat Muret. *patrimonii* pro *fœnoris.* Licet enim Suet. Tib. 48. dixerit, 'cum per senatus-consultum sanxisset, ut fœneratores duas patrimonii partes in solo collocarent, debitores totidem æris alieni statim solverent,' nihil tamen mutaverim. Sed, *patrimonium* et *fœnus* pro pecunia, sub fœnore posita, sunt accipienda.

Mercandis agris condiderant. Salmas. mallet, *in mercandis agris condiderant*, i. e. *collocaverant.* Verior est Pichenæ ceterorumque omnium explicatio, *ut agros mercarentur pecuniam suam condiderant*, s. *abdiderant.*

Præceps dabat. Ursin. Muret. Acidal. corrigunt *in præceps*, male. V. An. iv, 62. 'immensamque vim mortalium spectaculo intentos, aut qui circum adstabant, *præceps* trahit.' 'mox in sublime citatos Cernua subjectum dare *præceps* corpora in amnem.' Auson. Mosel. 271. V. Misc. Obs. x, 192.

Cap. 19. *Aurariasque ejus.* Male emendat Faern. *argentarias ejus.* Muret. delet particulam, *que ;* merito quidem. Certe redundat. Haud ita probabiliter emendat Nic. Heins. *magnitudinem pecuniæ malo vertisse aurariasque, eas, quamquam publicarentur, sibimet Tiberius seposuit.*

Jacuit immensa strages. Huc forte spectant verba Suetonii in Tib. 61. 'Nemo punitorum non et in Gemonias abjectus, uncoque tractus. Viginti uno die abjecti tractique sunt: inter eos pueri et fœminæ.' Corruptum esse numerum, *Viginti*, existimat Lips. substituitque ∞, i. e. *mille:* quod parum probabile videtur. De hac immensa strage v. Dion. lviii, p. 630. Plurimos ab ipsis tribunis plebis et consulibus e Tarpeio saxo fuisse præcipitatos docet. Pudorem simul ac humanitatem exuerant, servilibus animis infames.

Aut aggerati. Ita Ms. Flor. edd. vett. et recentiores. In intermediis, *aggregati.*

Vi metus. Recte dictum. Nec tentand. cum Lips. et Freinshem. *vi, metu.*

Cap. 20. *Qualem in diem Tiberius induisset.* Male libri editi, *qualem diem.* Divinabat Vertran. *qualem die.* Vere illustr. Huetius, *qualem in diem.* Brotier et Bipontini non satis percepisse videntur elegantiam J. F. Gronovii, qui libb. editorum scripturam tuetur observatione imitationis Homericæ, qua Tacitus expressit nobile illud dictum, Od. Σ. 135, 6. *Induisset*, quod nos quidem non repudiamus; non tamen repugnamus, si quis ad exemplum Homericum mutet in *induxisset.* B. C. ii, vi, 64.

Thrasyllum. Vett. libri, *Trasullum.* Bene Dio l, p. 556. *Θράσυλλον.*

Cap. 21. *Super tali negotio.* In Ms. Flor. *super ta negotio.* Libri editi, *super negotio.* Pichena conjecit, *super tali*, vel *super eo negotio.* Melius, *tali.*

Dein pavescere. Ms. Flor. *pavescente.* Inde conjiciebat Jac. Gronov. *pavescens.* Recte quoque, *pavescere.*

Cap. 22. *Creberrime tristia.* Beroald. et vett. *creberrima et tristia.* Omnino emendand. *creberrime tristia*, pronuntiat Freinshem. suffragatur Ernest. Jac. Gronov. tentat, *creberrima tristia.* Gro-

novium secutus est Cl. Lallemand. Plus veteris scripturæ et *εὐφωνίας* esse in *creberrime* existimo.

Quam ubi elegeris. Frustra tentat Ernest. *quam ubi feceris,* vel *quam ubi decreris.* Haud ineleganter, *quam ubi elegeris;* licet prius dictum, *electionem vitæ.*

Non eximitur. Ita Ms. Flor. edd. vett. et recentiores. In paucis Rhenani et aliorum edd. *eximi.*

Et antiqua ætas. Ita Ms. Flor. edd. vett. et recentiores. In intermediis omissum, *et.*

Cap. 23. *Præscriptum fuisse Macroni.* Perperam Rhenan. *descriptum.* In Ms. Flor. et edd. vett. ac recentioribus, *præscriptum.*

Cap. 24. *Filiumque.* Ita Ms. Flor. et optimæ edd. In paucis omissum, *que.*

Et nepotes. Verbum excidisse opinatur Acidal. Nihil periit, sed intelligendum, *oppressisset:* quod recte omissum, ut major sit orationis vis.

Demotis parietibus. Bene Ernest. et recentiores. Ceteri, *dimotis.*

Cap. 25. *Æqui impatiens.* Optime dictum: nec tentand. cum Heins. *obsequii impatiens.*

Quintumdecimum. Ita Ms. Flor. edd. vett. Gronov. et Ernest. Ceteri emendant, *quintodecimo:* quod haud valde improband. cum mox sequatur, *die.* A vet. scriptura, quæ æque Latina est, et forte magis Corneliana, minime discedendum censui. Inf. An. xii, 69. 'tertium ante idus Octobris,' legitur.

Cap. 27. *Satis conlocavi.* Mallet Muret. *commemoravi.* Nihil mutandum.

Cap. 28. *Et ore ac distinctu pinnarum.* Ita libri omnes editi. Mallet Pichena, *colore ac distinctu pinnarum;* nulla mutandi necessitas. De ejus forma et colore Plin. x, 2. 'Ante omnes nobilem Arabia [fert] Phœnicem, haud scio an fabulose, unum in toto orbe, nec visum magnopere. Aquilæ narratur magnitudine, auri fulgore circa colla, cetero purpureus, cœruleam roseis caudam pennis distinguentibus, cristis fauces, caputque plumeo apice honestante.'

Formam ejus definiere. Ita libri omnes editi. In Ms. Flor. *Deffinere.* Unde perperam tentat Pichena, *effinxere.* Bipontini addunt, melius forte fuerit *depinxere.* Melius quidem correctione Pichenæ, non item lectione vulgata. B. C. ii, vi, 65.

Quingentorum spatium. Plin. x, 2. ait Phœnicem 'vivere annis quingentis sexaginta;' ita totidem apicibus, Ms. noster Plinii codex. Ita quoque libri vett. Miror Cl. Harduin. in priore sua ed. *annis* DXL. in posteriore, *annis* DIX. scripsisse.

Sexaginta unum interjici. In quibusd. edd. legitur, suadente Mureto, *sunt qui adseverent, mille quadringentos sexaginta: unum in terris,* i. e. *unum in terris* esse phœnicem. Sic præposteris emendationibus adulterantur veterum scripta. Ait Tacitus quosdam adseverare Phœnicem vivere annos mille quadringentos sexaginta unum: idem ferme tradit Plin. x, 2. 'cum hujus alitis vita magni conversionem anni fieri prodidit Manilius, iterumque significationes tempestatum et siderum easdem reverti.' Quæ quidem de Cyclo solis per Cyclum lunæ multiplicato, et periodo annorum 532. perperam interpretatur Cl. Harduinus. Hic enim agitur de magni anni conversione,

in qua post annos Ægyptios 1460. Julianos vero 1461. primus dies mensis Thoth ad idem caniculæ principium revolvitur. Ab eo deflexerat quotannis horis sex, quia Ægyptii civilem annum habebant dierum 365. sine ullo interkalari. Illa est celeberrima magni anni conversio, et quasi reparatio Zodiaci, *ἀποκατάστασις τοῦ Ζωδιακοῦ*, quam ave Soli sacra, et ex se renascente adumbrabant, unde nata apud Ægyptios Phœnicis fabula. De hac periodo sothiaca, seu caniculari, plurima habet Petav. in Auctuario de Doctr. Temp. v, 6 sq. et Marsham. in Canone Ægypt. p. 9 et 295. Phœnicem adhuc vivaciorem tradit Ægyptius Chæremon apud Tzetz. Chil. v. 395. *Ὡς δ' ὁ Αἰγύπτιος ἱερογραμματεὺς Χαιρήμων Ἔδειξεν ἐν διδάγμασι τῶν ἱερῶν γραμμάτων, Ὁ Φοῖνιξ ἓξ τοῖς ἔτεσι καὶ ἑπτακισχιλίοις Θνήσκει, παραγενόμενος ἐν τόποις τοῖς Αἰγύπτου.* 'Ut autem Ægyptius sacer scriba Chæremon Ostendit in disciplinis sacrarum literarum, Phœnix sex annis et septem millibus Moritur, cum fuerit in locis Ægypti.'

Prioresque alites Sesostride primum. Corrupte in Ms. Flor. ***prioresque aliter esse: Soside primum.*** Ita quoque Beroald. et vett. Merito Muret. ac recentiores emendarunt, ***prioresque alites Sesostride primum.*** Male tentat Jac. Gronov. ***Sesoside.***

Post Amaside. Ita libri omnes. Frustra tentat Cl. Perizon. ***Anysi,*** vel ***Anyside.***

Suis in terris. Emendat Heins. ***surculis e thuris,*** vel ***surculis thureis.*** Satis ingeniose: sed minime probabiliter. ***Suis in terris,*** i. e. ***in Arabum terris.*** Fabulosam Phœnicis generationem siluit Tacitus, generalibus ac communibus placitis contentus, illum 'struere nidum, eique vim genitalem adfundere, ex qua fœtum oriri.' Plin. vero, miraculorum avidus, fuse narrat, x, 2. Phœnicem 'senescentem casiæ thurisque surculis construere nidum, replere odoribus, et superemori. Ex ossibus deinde et medullis ejus nasci primo ceu vermiculum: inde fieri pullum: principioque justa funera priori reddere, et totum deferre nidum prope Panchaiam in Solis urbem, et in ara ibi deponere.' Non verius, sed elegantius Mela iii, 9. 'De volucribus præcipue referenda Phœnix, semper unica. Non enim coitu concipitur, partuve generatur: sed ubi quingentorum annorum ævo perpetua duravit, super exaggeratam variis odoribus struem sibi ipsa incubat, solviturque: deinde putrescentium membrorum tabe concrescens, ipsa se concipit, atque ex se rursus renascitur: cum adolevit, ossa pristini corporis inclusa myrrha Ægyptum exportat, atque in urbem, quam Solis appellant, fragrantibus nardo bustis inferens, memorando funere consecrat.'

Tentatoque per longum iter. Mallet Heins. ***itinere.*** Nihil mutaverim.

Subire patrium corpus. Pessime emendat Salmas. ***subicere,*** quod antiquitus dictum pro, ***subjicere. Subire patrium corpus,*** ut recte explicat Cl. Ernest. est 'dorso efferre:' haud aliter Virg. Æn. iv, 599. 'Quem subiisse humeris confectum ætate parentem.' De hoc quoque usu v. Artemidor. Oneirocritic. iv, 49. nonnulla et nova de Phœnice effutientem.

Atque adolere. Frustra tentat Cl. Ryck. ***atque avolare:*** quomodo Phœnix patrium corpus adolere possit non imaginatur. Neque id imaginandum: inter tot fabulas quid scriptum sit quæritur.

CAP. 29. *Romæ cæde continua.* Bene. Nec tentand. *cædes continua*, vel *continuæ.*

Pretium festinandi. Utinam solas virtutes loquerentur nostræ literæ! At nulla potest esse hominum historia, quin plurima occurrant scelera. Hæc inter numeraverim efferam voluntariæ mortis insaniam, quam cum multis laudatam repererim, hic non silebo.

DE VOLUNTARIA MORTE, *vulgo* 'SUICIDE.'

Ob inauditum scelus, aut numquam nisi virtutis desperatione ausum, ac proinde rarissimum, nullæ in republica Romana leges extitere adversus eos, qui sibi violentas manus afferrent. Humanda corpora, mansura testamenta, properatæ mortis præmia fuere sub Imperatoribus, quorum intererat per fas et nefas dominationem firmare. Firmata licet dominatione, gliscente in dies opum cupidine, sanxit Antoninus, duobus Aspris coss. A. U. C. 965. J. C. 212. bona eorum, 'qui conscientia delati admissique criminis, metuque futuræ sententiæ manus sibi intulerunt,' fisco vindicari. Eorum vero, qui, 'nullo delato crimine, dolore aliquo corporis, aut tædio vitæ, aut furore, vel insania, aut aliquo casu, vitam finisse' constiterint, 'bona tam ex testamento, quam ab intestato, ad successores' pertinere, Cod. ix, Tit. 50. 'de bonis eorum qui mortem sibi consciverunt.'

Apud nos consultius provisum ut in eos, qui sibi mortem conscivissent, nisi si id casu aut morbo contigerat, animadverteretur. Voluntariam enim mortem sanis et ratione utentibus hominibus licitam esse Stoicum et impium est placitum. Nec remedium est animi, sed furor, Plinii, xxviii, 1. sententia: 'ex omnibus bonis, quæ homini tribuit natura, nullum melius esse tempestiva morte: idque in ea optimum, quod illam sibi quisque præstare poterit.'

Verius Philosophiæ proceres, Socrates ap. Plat. in Phædone, p. 62. Vol. i. Μὴ θεμιτὸν εἶναι ἑαυτὸν βιάζεσθαι . . . . Ὡς ἔν τινι φρουρᾷ ἐσμὲν οἱ ἄνθρωποι, καὶ οὐ δεῖ δὴ ἑαυτὸν ἐκ ταύτης λύειν, οὐδ' ἀποδιδράσκειν. 'Non licet sibi violentas manus inferre . . Ut in quadam custodia nos homines sumus; nec decet quemquam ex hac se ipsum solvere, neque aufugere.' Aristot. Ethic. ad Nicom. iii, 11. Τὸ δ' ἀποθνήσκειν φεύγοντα πενίαν, ἢ ἔρωτα, ἤ τι λυπηρὸν, οὐκ ἀνδρείου, ἀλλὰ μᾶλλον δειλοῦ. Μαλακία γὰρ, τὸ φεύγειν τὰ ἐπίπονα· καὶ οὐχ' ὅτι καλὸν, ὑπομένει, ἀλλὰ φεύγων κακόν. 'Mori ob inopiam, aut amorem, aut aliud molestum, non est fortis viri, sed timidi. Mollities enim est, fugere operosa et aspera; neque mortem, ut bonum, sustinet, sed malum fugit.' Pythagoras, laudatus a Cic. de Senect. lxxiii. 'vetat injussu imperatoris,' i. e. 'Dei, de præsidio et statione vitæ decedere.' Ipseque Tull. in somn. Scipion. vii. 'Piis omnibus retinendus est animus in custodia corporis: nec injussu ejus, a quo ille est vobis datus, ex hominum vita migrandum est, ne munus humanum assignatum a Deo defugisse videamini.'

Pudeat ergo nuperos voluntariæ mortis patronos, imbelles homines, pro patria, pro familia, pro se, nihil unquam viriliter ausos, umbraticis tantum in scriptis audaces, Stoicam ἀπάθειαν ridicule ostentare.

Urgebatur. Ita libri omnes. Nec emendand. *arguebatur.*

Sed labefecit. Mallet Ernest. *labefecit, sed.* Nihil mutandum.

Sexitia uxore. Mallet Lips. *Sextia.* In nominibus facilis conjectura, et error.

Cap. 30. *Modicus severitate.* Muret. frustra tentat, *severitatis.*

Cap. 31. *Imposuit.* Cl. Ernest. censet emendand. *imposuerat.* Nihil mutaverim. Summa enim temporum varietas ap. optimos scriptores occurrit.

Cap. 32. *Instituta Parthorum insumit.* Ita Ms. Flor. edd. vett. et recentiores. In Lipsianis edd. *sumit.* Pichena, *resumit.* Nescio quid duri sonant, *insueverat, instituta . . insumit.* Mallem, *resumit.* Sed a veteri scriptura haud facile discedendum.

Cap. 33. *Urbe Artaxata.* Mallet Lips. *urbem Artaxata.* Recte utrumque. At prius in omnibus libris occurrit.

Datque Parthorum. In Ms. Flor. *dat Parthorumque:* quod immerito defendit Jac. Gronov. Ernestus vero existimat emendandum, *datque Parthorum copias, qui auxilia mercede facerent.* Omnino infeliciter. Nihil peccat in vulgata scriptura, *datque Parthorum copias, mittit qui auxilia mercede conducerent.* Artabanus, non modo filium suum Orodem ultorem parat, eique dat Parthorum copias, sed mittit qui Sceptuchos aliosque Sarmatas auxiliares mercede conducerent.

Accire Sarmatas. Beroald. ac vett. *accipere Sarmatas.* Olim scriptum fuisse, *acciere Sarmatas,* conjiciebat Lips. J. Frid. Gronov. quem recentiores sunt secuti, *accire.* Nec certe unquam scripsit Tac. *accipere Sarmatas . . . utrimque donis acceptis.*

Æstas impediret. Ita vett. et recentiores edd. In intermediis, *æstus.*

Cap. 34. *In modum obsidii stationibus cingebat.* Libri omnes præter Cl. Lallemand editionem, *modum obsidii.* Addendum, *in,* et ob sequentem literam *m* excidisse recte monuere Muret. Acidal. Ernest. et alii.

Mercenario milite. Mallet Acidal. *mercenarium militem:* probatque Ernest. Non spernendum, si vett. libri suffragarentur.

Cap. 35. *Falso credita.* Tentat Lips. *dedita,* vel *didita.* Nihil mutand. Adhuc inf. Hist. iv, 34. 'credita per utrumque exercitum fama.'

Cap. 36. *Ultum iit, peritia.* Optime emendavit Lips. Corrupte in vett. edd. *ultimi id peritia.*

Occultos consilii. Male Ms. Flor. et edd. vett. *occultos consilit.* Lips. et alii *consulit.* Infeliciter emendabat Illustr. Huetius, *occulto consulit.* Vere, *occultos consilii,* ut dictum in notis.

Cap. 37. *Auspicium prosperi transgressus.* Bene Rhenan. et recentiores. Male Beroald. et vett. *prospere.*

Paratus nimios adjicit. Vett. edd. *adicit,* nimio vetustatis studio.

Retinerent. Ita Ms. Flor. edd. vett. et recentiores. In quibusdam intermediis, *retinerent.*

Cap. 38. *Quoquo modo dicta.* Sic Ms. Flor. edd. vett. et recentiores. In paucis intermediis, *quoque modo.*

Tatiusque Gratianus. Ita libri omnes editi. In Ms. Flor. *Tarius.*

Cap. 40. *Q. Plautius.* In edd. vett. *Quintius Plautius.*

Vibulenus Agrippa. Dioni lviii, p. 634. Ὠυϊουΐλιος Ἀγρίππας, forte pro Οὐϊβουλῆνος.

Duo Blæsi. Vett. edd. *duo Blæsii.* At cum mox in Ms. Flor. *Blæsis* legatur, et hæc ad Junii Blæsi domum referenda videantur, merito Ryck. et recentiores emendavere, *duo Blæsi.*

Cap. 41. *Clitarum natio Cappadoci Archelao.* Perperam Beroald. aliique vett. *Citarum natio Cappadociæ Archelao.* In Ms. Flor. *Cappadoci.* Recte quoque Lips. et recentiores emendavere, *Clitarum,* ex An. xii, 55. Infeliciter vero corrigebat eruditus Noris. cenotaph. Pis. Dissert. ii, 10. p. 309. *Calitarum.*

Cap. 43. *Oppressa cunctantium dubitatio.* Mallet Freinshem. *oppressa cunctantium dubitatione, omnes in onum cedebant.* Eleganter quidem. Nihil tamen mutaverim: nec displicet vulgata scriptura.

Haud concelebraverant. Ms. Flor. et. vett. edd. corrupte, *haci concelebraverant.* Bene Pichena, *haud.* Rhenan. *non.*

Cap. 44. *Artabano perculsus.* Optime emendavit Rhenan. Corrupte Ms. Flor. et edd. vett. *percussus.*

Ignavus ad pericula. Bene Ms. Flor. Pichena et recentiores. Male Beroald. et vett. *ignarus.*

Cap. 45. *Ædificationibus. Ne publice.* Aliter distinguebat Freinshem. *ædificationibus, ne publice,* &c.

Enniam immittendo. Locum hunc immerito vexat Ernest. quasi insititium esset, *immittendo,* vel emendandum, *instituerat,* pro *impulerant.* Nihil hic vitiosum arbitror. Sed Macro, *uxorem suam Enniam immittendo,* eam *impulerat amore juvenem inlicere.*

In sinu avi. Eruditus Casaubon. ad Suet. in Caio 10. frustra emendat, *aviæ,* ut ad Liviam referat.

Cap. 46. *Et contumelias verterent.* Ita sæpe Tacitus et optimi scriptores, omisso *se.*

In patientia firmitudinem simulans. Mallet Muret. *impatientia.* Melius Ernest. *intemperantia:* idque innuit Suet. Tib. 72. 'In graviorem recidit morbum: sustentavit tamen aliquamdiu, quamvis Misenum usque devectus nihil ex ordine quotidiano prætermitteret, ne convivia quidem ac ceteras voluptates, partim intemperantia, partim dissimulatione.' Nolim tamen vulgatam scripturam, Illustr. Huetio approbatam, damnare.

Cap. 48. *Ludibria et pericula.* Corrupte Ms. Flor. *pericularia,* ultima syllaba ex voce superiore repetita, ut recte monuit Ernest. Nec tentand. cum Lips. *pericula varia;* cum Gronov. *pericula tot.*

Carsidius Sacerdos. In vulgatis libris, *Garsidius.* Bene emendavit Ernest. ut patet ex dictis in not. et em. An. iv, 13.

A lætantibus. Acidal. frustra præpositionem omittit.

Cap. 49. *Luctumque communem.* Male tentat Lips. *lectum.*

Miseranda diu ferret. Ingeniose conjecit Lips. *miseranda differret.* Imo: vir alius, *diu fleret:* quod si quid mutandum, mallem *afferret* vel *efferret,* ut *afferret* significaret idem quod *extolleret, augeret.* V. Misc. Obs. viii, 291. Probant omnes: nemo tamen veterem scripturam mutavit, quod forte hæc diu, muliebri more, jactaverit.

Cap. 50. *Per speciem officii.* Perperam tentat Lips. *per speciem osculi.*

xvii. *Kal. Aprilis.* Ita Ms. Flor. et Ernest. In vulgatis libris, *decimo septimo Kalend. Aprilis.* Ex Corneliano usu potius dicendum, *septimo decimo Kalendas Aprilis*, ut recte monuit J. Fr. Gronov. Sicque emendandum videtur ap. Suet. Tib. 73.

Octavo et septuagesimo ætatis anno. Communis est sententia Tiberium natum esse xvi. Kalendas Decembris, Marco Æmilio Lepido iterum, Lucio Munatio Planco consulibus, A. U. C. 712. V. Suet. Tib. 5. Vixit ergo Tiberius annos septem et septuaginta, menses quatuor. 'Dies novem' addit Dio lviii, p. 639. Errat quoque, cum ait Tiberium mortuum esse die sexta et vigesima Martii, μετήλλαξε τῇ ἕκτῃ καὶ εἰκοστῇ τοῦ Μαρτίου ἡμέρᾳ.

Cap. 51. *Adoptionibus transierit.* Emendand. *transierat*, contendit Ernest. *Transierit*, retineri potest.

Intestabilis sævitia. Male tentat Muret. *inde stabilis sævitia.*

NOTÆ ET EMENDATIONES

AD LIBRUM UNDECIMUM ANNALIUM

C. CORNELII TACITI.

Annalium Liber xi. Ms. Reg. alium præfert titulum, C. Cornelii Taciti Historici illustris xxx. librorum quos ædidit fragmenta incipiunt. Et primo liber tertius decimus. vixitque sub Domitiano. Forte alia fuit olim librorum partitio. In Mss. tamen Vatican. et Oxoniensibus vulgo legitur: *Cornelii Taciti actorum diurnalium Augustæ historiæ Liber* xi.

Cap. 1. *A Lucullo cœptos.* Mss. et Puteolan. In ed. pr. *captos.* Margini Ms. Harl. adscriptum *emtos.*

Non extimuisse concionem populi Romani, fateri. Ms. Flor. et Bud. *concione* (ed. pr. *concionem*) *p. R. fateri.* Sed vulg. inde a Puteol. *in concione.* Illud restituimus potius, recteque distinguimus. Olim (cum milites Cæsaris necem ulturos voce sua deterruisset: '*utinam ego ipsum interfecissem!*' quod Dio l, 59. refert); at nunc apertius *fateri*, se non probatorem modo, sed et suasorem, auctorem, necis fuisse, *gloriamque facinoris ultro* (ultra quam olim professus erat) *petere.* Cf. quæ Cicero similiter ab Antonio insimulatus de nece Cæsaris dicit Philipp. ii, cap. 11 sq. ibique a variis notata. Videant jam intelligentiores, num bene discesserimus a vulgata, quæ Pichenam auctorem habet, *non extim. in concione P. R. fateri* &c. Is quidem ex Cod. Flor. bene restituit *fateri*, (quod Rhenan. omiserat, ut in Cod. Bud. non visum) sed idem revocavit *in concione.* Necdum vero, ista *in concione P. R.* olim vociferans, se auctorem cædis fassus erat.

Cap. 2. *In omni flagitio.* Mallet Rhenan. *in omne flagitium;* probatque Ernest. nec immerito. Ferri tamen potest *in omni flagitio.*

Ac postremum. Mss. Guelf. Harl. et Jes. *ad postremum.* Latine quidem, sed duriter. Mox enim sequitur *ad quod.*

Cap. 3. *Sed consultanti.* Ms. Harl. *consultante.* Mallet Ernest. *consultantibus.* Utrumque Latinum. Emendatione tamen non indiget vulgata lectio. Neque hic omnia hiulca, ut voluit Lips.

Ei mortis arbitrium. Mss. Harl. Bodl. Jes. *liberum mortis arbitrium ei permisit.* Ad aures accommodate.

Quam, quod . . . caderet. Gruter. omissum vellet, *quod . . . caderet.* Rectius expungeretur *quod,* ut visum Gronovio et Ernesto. Haud tamen improbabilis vulgata scriptura.

Cap. 4. *Quibus Petra cognomentum.* In Ms. Reg. *quibus præter cognomen.* Ed. pr. *quibus pet cognomen.* Optime emendavit Puteolan. *quibus Petra cognomentum;* et ita habent Mss. omnes Vaticani. Ab his equitibus cognominata videtur ala Petrina, quæ memoratur inf. Hist. i, 70. et iv, 49. Hujus alæ extat memoria in vet. lapide ap. Brigantas, nunc *Cumberland,* reperto, de quo *Camden's Britannia by Gough,* Ed. 1806. Vol. iii, p. 426.

. . . . . .
GADVNO
VLP. TRAI
EM. AL. PET.
. MARTIVS
F. P. C.

V. et Gruter. dlxxii, n. 3. EM. AL. PETR. I. e. 'Emeritus alæ Petrinæ.'

Valerii et Poppææ. Ita Mss. Harl. Bodl. Jes. Guelf. et edd. omnes vett. Mendose in Ms. Reg. *Vesteris;* et in quibusd. aliis scriptis libris *Nesteris:* unde multi emendavere *Mnesteris.* At hic de Poppææ et Valerii, non vero Mnesteris, congressibus agitur.

Gravitatem annonæ. Ursinus et Muretus mallent *caritatem annonæ;* sicque legitur in Ms. Reg. Nihil tamen mutaverim propter ceterorum librorum consensum, et vocem An. vi, 13. jam usurpatam.

Cap. 5. *Legemque Cinciam.* Pessime in Mss. et vett. edd. *legemque Titiam.* *Cinciam* egregie emendavit Jac. Cujac. Observ. vi, 18.

Cap. 6. *Famam in posteros.* Ms. Bodl. et Jac. Gronov. *famam et posteros.*

Negocia sint. Ita Jac. Gronov. ex Ms. Medic. probaturque auctoritate Taciti, An. i, 28. 'Quin potius, ut novissimi in culpam, ita primi ad pœnitentiam sumus.' In scriptis libris vulgo *negotiantur.* Margini Ms. Bodl. adscriptum *negotia tueantur,* quod in libris omnibus editis legitur. Suspectum tamen; ideoque conjectabat Frid. Gronov. *negotia eant.* Ernest. *negotia curentur.*

Cap. 7. *Quieta republica . . . petere.* Ita Pichena et Recentiores. Nec aliter inf. in Dial. de Orat. c. 36. In Mss. 'qui et a republica nulla, nisi pacis, emolumenta peterent.'

Posuit modum. Senatusconsulto modum posuit, ut optime vidit Cl. Chiffletius, qui etiam hunc locum ita emendatum volebat: *Hæc ita haud frustra dicta Princeps ratus, SC. capiendis pecuniis* posuit

modum. De hoc SC. audiend. Plin. v, Ep. 21. 'Suberat edicto senatusconsultum: Hoc OMNES, QVIDQVID NEGOTII HABERENT, IVRARE, PRIVSQVAM AGERENT, jubebantur, NIHIL SE OB ADVOCATIONEM CVIQVAM DEDISSE, PROMISISSE, CAVISSE. His enim verbis, ac mille præterea, et venire advocationes et emi vetabantur. Peractis tamen negotiis, permittebantur pecuniam dumtaxat decem millium dare.' Decem millia sestertium, et *dena sestertia*, unam et eamdem pecuniæ summam significant.

CAP. 8. *Vectum memoravi.* Ita Mss. Bodl. Harl. Jes. Guelf. et Puteolan. Sic etiam An. xii, 21. 'Vectus Romam.' In Ms. Reg. *perductum.* Ed. pr. et Ernest. *vinctum.*

Properaverat. In Mss. et editis libris *præparaverat.* Emendandum *properaverat* dudum monuere Muret. et J. Fred. Gronov. suadentque Latinitas et historiæ series.

CAP. 9. *Fratris F. patefecit.* Perperam in recentioribus edd. *fratri patefecerat.* Bardanes non erat frater Gotarzis, sed filius fratris ejus, nempe Artabani, teste Josepho, Antiq. Jud. xx, 3. ipsoque Tacito, cap. sup. In Mss. et vett. edd. *patefecit.*

Cunctantur. Ms. Reg. et ed. pr. probatque Ernest. Non ita bene Puteolan. et Mss. Bodl. et Jes. *cunctanter.*

Inter se concedere. Sic emendavit Puteolan. quem omnes sunt secuti. In Ms. Reg. et ed. pr. *concesserunt.* Ms Harl. *concessere.*

CAP. 10. *Reciperare Armeniam parabat.* Bene Mss. Harl. Bodl. Jes. Puteolan. et Beroald. Sic An. ii, 10. 'Trans Albim concedere parabant.' In Ms. Reg. et ed. pr. *habebat.* Miror verbum in recentioribus edd. penitus excidisse.

Ad amnem Erinden. Mss. *Erindem*, vel *Erinden.* Ed. pr. *Eriden.* Mallet Ryck. *Charindam*, Ammiano Marcellino xxiii, 9. memoratum. At nihil juvat in tanta obscuritate divinare.

Ad flumen Sinden. Ita Mss. et ed. pr. vel *Syndem.* Puteolan. quem ceteri sunt secuti, emendavit *Gynden.* Verum cum Gyndes, et Herodoto i, 189. et Senecæ de ira iii, 21. laudatus, sit omnino diversus, nec constet de situ Gyndis, de quo Ammian. Marcell. l. c. vet. scripturam hic mutare nefas.

CAP. 11. *Ludi seculares.* Ludorum secularium rationes expenderat Tacitus in libris, quibus res Domitiani scripserat. Iis deperditis, pauca, quæ amissa suppleant, subdendum.

DE LUDIS SECULARIBUS.

Secularium ludorum originem docet Varro apud Censorin. de die natali, c. 17. 'Cum multa portenta fierent, et murus ac turris, quæ sunt intra portam Collinam et Esquilinam de cœlo essent tacta, et ideo libros Sibyllinos quindecimviri adissent; renuntiarunt, uti Diti patri, et Proserpinæ, ludi Terentini in campo Martio fierent, et hostiæ furvæ immolarentur; utique ludi centesimo quoque anno fierent.' At contra, ut decimo centesimoque anno repetantur, tam commentarii quindecimvirorum, quam D. Augusti edicta testari videntur: adeo ut Horatius in carmine, quod secularibus ludis cantatum est, id tempus

hoc modo designaverit: 'Certus undenos decies per annos Orbis ut cantus referatque ludos Ter die clara, totiensque grata Nocte frequentes.'

Hæc Censorinus; qui varias postea de annis, quibus editi sunt ludi seculares, veterum scriptorum opiniones recenset. Ego quindecimvirorum rationes, quas tradit, utpote probabiliores, sequar.

Primi ludi seculares editi sunt A. U. C. 298. M. Valerio, Sp. Verginio coss.

Secundi ludi seculares fuere A. U. C. 408. M. Valerio Corvino et C. Pætilio coss.

Tertii ludi seculares facti A. U. C. 518. P. Cornelio Lentulo et C. Licinio Varo coss. Sic quoque Fasti Capitolini ad hunc annum, LVDI. SECVLARES. TERT. Vide Cl. Piranesi, *Fasti consulares;* et Notas, p. 19.

Quarti ludi seculares spectati A. U. C. 628. M. Æmilio Lepido et L. Aurelio Oreste coss. Id quoque suadet Horat. sup. laudatus.

Quintos ludos seculares fecere Augustus et Agrippa A. U. C. 737. C. Furnio et C. Junio Silano coss. Nec aliter Fasti Capitolini ad hunc annum, LVDI. SECVLARES. QVINCT. I. e. 'quinctum,' seu quintum.

Sextos ludos seculares fecit Claudius A. U. C. 800. spreta seculari ludorum lege, et prævalida anni ab U. C. octingentesimi celebritate. Factum ut excusaret, edixit seculares ludos 'anticipatos ab Augusto, nec legitimo tempori reservatos' fuisse, Suet. Claud. 21. 'Ipse' tamen 'in historiis suis' prodiderat, 'intermissos eos Augustum multo post, diligentissime annorum ratione subducta, in ordinem redegisse,' Suet. ibid.

Testatur Plin. vii, 48. 'Stephanionem, qui primus togatas saltare instituit, utrisque secularibus ludis saltasse, et Divi Augusti, et quos Claudius Cæsar consulatu suo quarto fecit, quando 63. et non amplius anni interfuere.' Inde, ut tradit Suet. l. c. 'Vox præconis irrisa est, invitantis more solemni ad ludos, quos nec spectasset quisquam, nec spectaturus esset: cum superessent adhuc qui spectaverant, et quidam histrionum producti olim, tunc quoque producerentur.'

De ludis secularibus dicetur adhuc inf. ad an. 841. quo Domitianus septimos seculares ludos edidit.

Miraculis adsimulata. Mss. Reg. Agr. et Puteolan. *assimulata.* Haud ita bene in aliis, *assimilata*, vel *adsimilata*.

CAP. 12. *Amore detinebatur.* Recte Cl. Ernest. ex ed. pr. Perperam Mss. aliique libri editi *distinebatur*.

CAP. 13. *P. Pomponium consularem.* De quo Plin. vii, 19. Idem est ac Pomponius Secundus, quem 'vatem civemque clarissimum' appellat idem Plin. xiii, 12. De eo quoque Quintilian. Inst. Orat. x, 1. 'Eorum quos viderim, longe princeps Pomponius Secundus, quem senes parum tragicum putabant, eruditione ac nitore præstare confitebantur.' V. et Plin. Ep. vii, 17. Pomponius consul fuit, sed ex suffectorum numero. Eumdem esse ac L. Pomponium, de quo inf. An. xii, 27 et 28. haud crediderim, ob prænominis diversitatem.

In mortem parentum. Adolescentes filiosfamilias olim circumscripserat Lætorius, teste Tullio de Offic. iii, 15. et Prisciano, libr.

viii, fol. 47. vetitumque 'minorem annis viginti quinque stipulari.' Grassantem adhuc fœneratorum libidinem coercuit Claudius senatusconsulto Macedoniano, Digest. lib. xiv, Tit. 6. Leg. 1. ex Ulpiano: placuit, 'ne cui, qui filiofamilias pecuniam dedisset, etiam post mortem parentis ejus, cujus in potestate fuisset, actio petitioque daretur: ut scirent, qui pessimo exemplo fœnerarent, nullius posse filiifamilias bonum nomen expectata patris sui morte fieri.' Redivivam licentia temporum Neronianorum fœnerandi cupidinem iterum compescuit Vespasianus, ut dicemus in Suppl. Hist. v, ad ann. 825.

Ab Simbruinis collibus. Claudii magnificentiam in Curtio et Cæruleo fontibus in Urbem perducendis, a Vespasiano et Tito restitutis, testantur adhuc Romæ, ubi nunc *Porta Maggiore*, monumenta plurima, quæ exhibet Cl. Piranesi, *Antichità Romane*, Vol. i, Tabul. XVII. Ibi extant Inscriptiones, quas habet quoque Gruter. 176. n. 1.

TI. CLAVDIVS. DRVSI. F. CAISAR. AVGVSTVS. GERMANICVS. PONTIF. MAXIM[1]. TRIBVNICIA. POTESTATE. XII. COS. V. IMPERATOR. XXVII. PATER. PATRIAE.[2] AQVAS. CLAVDIAM. EX. FONTIBVS. QVI. VOCABANTVR. CAERVLEVS. ET. CVRTIVS. A. MILLIARIO. XXXXV.[3] ITEM. ANIENEM. NOVAM. A. MILLIARIO. LXII. SVA. IMPENSA. IN. VRBEM. PERDVCENDAS. CVRAVIT.[4]

IMP. CAESAR. VESPASIANVS. AVGVST. PONTIF. MAX. TRIB. POT. II. IMP. VI. COS. III. DESIG. IIII. P. P.[1] AQVAS. CVRTIAM. ET. CAERVLEAM. PERDVCTAS. A. DIVO. CLAVDIO. ET. POSTEA. INTERMISSAS. DILAPSASQVE.[2] PER. ANNOS. NOVEM. SVA. IMPENSA. VRBI. RESTITVIT.[3]

IM. T. CAESAR. DIVI. F. VESPASIANVS. AVGVSTVS. PONTIFEX MAXIMVS. TRIBVNIC.[1] POTESTATE. X. IMPERATOR. XVII. PATER. PATRIAE. CENSOR. COS. VIII.[2] AQVAS. CVRTIAM. ET. CAERVLEAM. PERDVCTAS. A. DIVO. CLAVDIO. ET. POSTEA.[3] A. DIVO. VESPASIANO. PATRE. SVO. VRBI. RESTITVTAS. CVM. A. CAPITE. AQVARVM. A. SOLO. VETVSTATE. DILAPSAE. ESSENT. NOVA. FORMA. REDVCENDAS. SVA. IMPENSA. CVRAVIT.[4]

Ne hiulca foret Inscriptio, versus numeris sunt distincti. Erudito Vulpio, Vetus Latium, Vol. x, p. 492 sq. 'Simbruini colles' dici videntur, quod 'simul imbres' in subjectum lacum dimitterent.

CAP. 14. *Per figuras animalium.* Juvat Tacitum sequi, et de literis hic disquirere.

DE LITERARUM ORIGINE.

Gravis intricataque quæstio, quæ prima fuerit apud homines recepta scripturæ forma. Rude adhuc ævum figuris animalium mentis suæ sensus expressisse satis constat. Hujus inventionis laudem, barbaris omnibus, ut opinor, debitam, Ægyptii monumentorum magnitudine et magnificentia soli obtinuere. Agreste istud scribendi genus, quod et difficile est, nec nisi paucos brevissimosque mentis sensus potest exprimere, Assyrios ad expeditiorem et fœcundiorem literarum formam inquirendam excitavit. Hanc tamen gloriam Ægyptii in se derivare

voluisse mihi videntur; idque innuit Tacitus, si ejus verba rite perpenderis: 'Primi per figuras animalium Ægyptii sensus mentis effingebant (ea antiquissima monumenta memoriæ humanæ impressa saxis cernuntur) et LITERARUM SEMET INVENTORES perhibent.' At cum nulla extent Ægyptiarum harumce literarum monumenta, ab Assyriis literis diversa, aut iis antiquiora, quæ tamen multa superesse deberent, non immerito scripsit Plinius, vir immensæ eruditionis, vii, 56. 'Literas semper arbitror Assyrias fuisse.'

Primigenias illas literas, maximum humani ingenii fœtum, omnino diversas fuisse a rotundo illo charactere, quo nunc Hebræa scribimus, certissimum est. Forte etiam Samaritanis, quibus nunc utimur, paulo rudiores fuere.

Inde autem scriptura ad omnes gentes dimanavit, quæ egregium inventum aut rusticitate non neglexere, aut vanitate non sunt aspernatæ. Hac enim superbia laborasse mihi videntur duo populi, quos inter posita Assyria, Ægyptii et Sinenses, vitiis ac virtutibus simillimi. Sed in utriusque pœnam vertit superbia. Stupenda enim Ægyptiorum monumenta ignota obsolescunt. Sinenses in enucleandis suis characteribus semper pueri consenescunt.

Utrum autem veteres inter characteres Sinenses et Ægyptios fuerit similitudo quærunt eruditi. Hanc quidem se deprehendisse existimavit Cl. Needham in Iside Taurinensi et *Lexico* Sinensi *Tchingtsee-tong*. De hac similitudine interrogati Galli, qui inter Sinenses multis abhinc annis degunt, eam sibi incompertam, nec Sinensibus libris satis nixam respondere. Memini quidem me legisse quædam omnino mira de veteribus hieroglyphis Sinensibus, sed quæ neque est hujus loci referre, neque, utpote ab hominibus religione præoccupatis, qui reconditissima Christianæ fidei mysteria vetustissimis Sinensium hieroglyphis adumbrata imaginabantur, conscripta, multum auctoritatis obtinerent, neque obtinere debent.

Dum meliora certioraque a Sinensibus veniant, satius erit legere eruditum opus clarissimorum virorum Warburton et Leonard des Malpeines Parisiis editum anno 1744. *Essai sur les Hiéroglyphes Egyptiens.* Novissimam et egregiam in eruderandis linguarum primordiis posuere Cll. de Guignes et Barthelemy. *Mémoires de l'Académie Royale des Inscriptions*, Vol. xxxii, p. 212. Nunc vero quomodo ex Assyriis literis formatæ fuerint ceterarum gentium literæ, oculis exhibebit tabula Eduardi Bernardi, cui titulum fecit, Orbis eruditi literatura. Hanc meliorem auctioremque Londini anno 1759. edidit Cl. Morton.

Tres literas adjecit. Literas, ab Imperatore Claudio additas, rem levem, disceptandam tamen, hic explanabimus.

DE LITERIS A CLAUDIO REPERTIS

Claudianum inventum testatur Suet. Claud. 41. 'Novas etiam commentus est literas tres, ac numero veterum quasi maxime necessarias addidit. De quarum ratione cum privatus adhuc volumen edidisset, mox Princeps non difficulter obtinuit ut in usu quoque promiscuo essent. Extat talis scriptura in plerisque libris, ac diurnis titulisque operum.'

Ex tribus his literis una occurrit in hujusce ævi inscriptionibus. Sic ap. Gruter. 236. n. 9.

ANTONIAI
AVGVSTAI
DRVSI
SACERDOTI DIꟻI
AVGVSTI
MATRI. TI. CLAVDI.

In eadem inscr. legitur VIIꟻIR EPVLON. I. e. 'septemvir epulonum.' PRINCIPI IVꟻENTVTI. I. e. 'Principi juventutis.'

In alia inscr. quam dabimus inf. in not. et em. ad An. xii, 23.

TI. CLAVDIVS
....
POMERIVM
AMPLIAꟻIT TERMINAꟻITQ

Illud inventum laudat Quintilian. Instit. Orat. i, 7. 'Nec inutiliter Claudius Æolicam illam ad hos usus ꟻ literam adjecerat.'

Altera litera fuit antisigma ɔc, teste Prisciano, fol. 5. 'Huic s præponitur P, et loco Ψ fungitur, pro qua Claudius Cæsar antisigma hac figura ɔc scribi voluit. Sed nulli ausi sunt antiquam scripturam mutare.'

De tertia litera major controversia. Immo Cl. Pitiscus ad locum Suetonii sup. laudatum adnotat: 'In III. litera hæremus, nec auxilio est Grammaticorum manus.' Hac confessione, incitatos nos juvat diligentius inquirere. Ac primo quidem Martian. Capella innuit tertiam hanc literam a Claudio fuisse additam, ut CS Romanorum, aut Ξ Græcorum, exprimeret. Sic enim Capella, lib. iii, p. 55. 'Huic literæ S Divus Claudius P adjecit, aut C propter Ψ et Ξ Græcas, psalterium, saxa.' Hæc valde obscura sunt; nec inde liquet quibus notis PS aut Ψ, et CS aut Ξ Claudius expresserit. In hac tamen obscuritate manifestum est juxta Capellam Claudium tertiam reperisse literam, qua exprimeret CS, aut Ξ. Vacillare tamen mihi videtur Capellæ auctoritas, quod Romani haberent literam X, cui eadem ac literis CS et Ξ vis.

Potior ergo mihi videtur Velii Longi sententia. Porro sic ille Velius, in Orthographia, inter Putschianos rei grammaticæ scriptores edita ap. Wechel. anno 1605. 'De VIRO vero et VIRTUTE ubi I scribitur et pene U enuntiatur. Unde Tiberius Claudius novam quamdam literam excogitavit, similem ei notæ, quam pro aspiratione Græci ponunt, per quam scriberentur eæ voces, quæ neque secundum exilitatem literæ, neque secundum pinguitudinem literæ sonant, ut in VIRO, VIRTUTE, neque rursum secundum latum literæ sonum enuntiarentur, ut in eo, quod est LEGERE, SCRIBERE.' Hactenus Velius; cui nonnihil favet Quintilian. Inst. Orat. i, 4. 'Medius est quidam V et I literæ sonus. Non enim sic OPTIMUM dicimus, ut OPIMUM. Et in HERE, neque E plane, neque I auditur. An rursus aliæ redundent, præter illam aspirationis notam Ⱶ, quæ si necessaria est, etiam contrariam sibi poscit ⱶ.' Nam Quintilian. ut et Velius, agnoscit medium quemdam sonum inter E et I, ut in HERE; inter V et I, ut

in OPTIMUM. Velius expresse ait ad id discriminis exprimendum excogitatam esse a Claudio literam similem ei notæ, 'quam pro aspiratione Græci ponunt.' Ea nota est ⊢, tum ex Quintiliano, tum ex Heracleorum nummis, quos videre est apud Cl. Pellerin, ***Recueil de Médailles de Peuples et de Villes.*** Vol. i, p. 42. ⊢ΗΡΑΚΛΗΙΩΝ. Ergo illa nota ⊢ est tertia Claudii litera. Claudiana autem illa litera, sicut et antisigma, in nullis antiquitatis monumentis, quæ hactenus reperta sunt, occurrit. Nec pœnitenda jactura. In iis enim parum curiositatis, nihil utilitatis.

In ære publicandis plebiscitis. Ita libri omnes editi. Lipsius tamen emendabat ***publicandis scitis,*** hac ratione ductus, quod nulla fuerint sub Imperatoribus plebis scita, aut jussa. Eamdem ob causam corrigebat Grot. ***publicandis plebi Scis,*** i. e. senatusconsultis. Ingeniose quidem ; at durum videtur ***publicare plebi senatusconsulta.*** Nec verum est nulla fuisse sub Imperatoribus plebis scita, seu jussa. Aliud enim suadet ipse Tac. An. xii, 41. 'Sperni adoptionem, quæque censuerint patres, jusserit populus, intra penates abrogari.' Et in lege Regia, de qua nos plura inf. Hist. iv, 6. memorantur LEGES. ROGATIONES. PLEBISVE. SCITA. SENATVSVE. CONSVLTA. Monuerim quoque legi in Ms. Reg. ***Aspiciuntur etiam nunc in ære publico plebiscitis per fova ac templa fixo.*** Quod minime spernendum. Sic enim inf. An. xii, 53. 'Fixum est ære publico senatusconsultum.' Hic recte faciunt, qui emendant ***plebi SCtis,*** cum eo tempore plebiscita nulla fuerint, quos inter est et Hoeschelius, quem jure hic laudamus. Misc. Obs. viii, 291.

CAP. 15. ***Nomine Italicus.*** Bene Cl. Ernest. ex Ms. Agr. ***Italicus.*** Hic Mss. et editi libri habent ***Italus.*** Sed postea ***Italicus.***

Ex Catumero. Ita Puteolan. et recentiores. In ed. ***Actumero.*** Ms. Bodl. ***Caetumero.*** Ms. Jes. ***Cacumero.***

CAP. 16. ***Ac, si····quam parentem.*** In vulgatis libris ***At.*** Restitui ***Ac,*** Mss. Reg. Guelf. et ed. pr. secutus. Ill. Huetius jam viderat ***At*** mendosum esse. ***Parentem*** quoque habet ed. pr. ut et Cll. Ernestus et Lallemand. In Mss. ceterisque edd. ***Parentes.***

CAP. 17. ***Nec patrem rubori.*** Sic Mss. Flor. Agr. et ed. pr aliæque optimæ. In Mss. Harl. Bodl. Jes. et Puteolan. ***nec patrem illi rubori esse.***

Dein secunda. Mss. Bodl. et Puteol. ***dehinc.*** Ceteri et optimi ***dein.***

Langobardorum. Mss. Harl. Bodl. et Jes. ***Longobardorum.***

CAP. 18. ***Auxiliaris, et diu meritus.*** Ita Puteolan. nec male. In Mss. Harl. et Jes. ***Auxiliaris et ex diu meritus.*** In Mss. Bodl. Bud. et Agr. ***Auxiliaris ex diu meritis;*** quod Ryckio placet. In Ms. Flor. ***Auxiliare ex diu meritis.*** Ed. pr. ***Auxiliare esd in meritis;*** unde tentavere Mercer. et Gronov. ***Auxiliare æs diu meritus.*** Alii aliter et infelicius.

Laboris ignavas. Puteolan. ceterique omnes ***ignaras.*** Restitui ***ignavas,*** secutus Mss. Vatic. 1863 et 1864. Medic. Reg. Guelf. et ed. pr. Ignavæ enim legiones, non ignaræ. Præterea hæc dicendi ratio Tacito perfamiliaris passim occurrit. In Ms. Jes. ***laboribus ignavas.*** In Ms. Vatic. 1958. scriptum quidem ***ignaras,*** sed superscrip-

tum *ignavas*. Sic inf. c. 19. in Ms. Harl. scriptum *ignaro Principi*, pro *ignavo*.

An falso jacta. Puteolan. *jacta, vel aucta*. Redundant *vel aucta*. In Mss. et ed. pr. *falso acta*. Ms. Bodl. *falso aucta*. Margini additam *acta*. Recte emendatum *jacta*. Haud enim aliter sup. An. iv, 7. 'Neque raro, neque apud paucos talia jaciebat.'

Cap. 19. *Præsidium immunivit*. Mss. Harl. Bodl. Jes. et edd. vett. *inde munivit*. Tentabat Acidal. *inibi munivit*. Recte Chifflet. Lips. *immunivit*, quod eamdem vim habet ac *ibidem munivit*, probatque Gronov. ex Suet. Tiber. 39. *Incœnante eo*, i. e. ibidem cœnante. Dictum hic *immunivit*, ut sup. An. vi, 32. 'Instituta Parthorum insumit.'

Cap. 20. *Ut tamen miles*. Bene Ms. Reg. et ed. pr. Corrupte in Ms. Flor. *vi*. Perperam Mss. Bodl. Jes. Guelf. et Puteolan. *ne tamen*.

In agro Mattiaco. Ms. Reg. *Matiaco*. Mss. Harl. Bodl. Jes. et Puteolanus *Machiaco*. Recte emendatum *Mattiaco*. In eodem agro fontes erant, de quibus Plin. xxxi, 2. 'Sunt et Mattiaci in Germania fontes calidi trans Rhenum.' Hæc cum ita sint, mirum sane videbitur Tacitum scripsisse in libello de Mor. Germ. 5. se nescire utrum ulla Germaniæ vena argentum aurumve gignat. 'Quis enim scrutatus est ?' Sed vel de Germanis Tacitus hic loquitur, vel cum hæc scriberet, ad Curtium Rufum non attendit. Certe non emendand. *Maciaco*, ut vult Lips. qui de Africa intelligit. Patet ex c. seq. Rufum tunc non fuisse in Africa.

Cap. 22. *De se Novius*. Nullum hic hiatum reperi in tribus Mss. Vaticanis. Sed corrupte admodum *dsononi, de senoni, de se novi*. In Mss. Bodl. Harl. Jes. *de se novius*. Et puto sic scripsisse Tacitum. Casus varietate orationem, more suo, distinxit. Eadem brevitate dixisset, 'de se confessus, conscios non edidit.' Sic Florus i, 1. 'Hoc de se sacerdos gravida confessa est, nec mox fama dubitavit.' Et Tacit. An. xiv, 59. 'De cæde Sullæ Plautique haud confessus.'

Creatique primum. Locus hic mirum in modum ab interpretibus vexatus; et immerito. Nam si ad Taciti narrationem attendatur, nihil culpandum occurrit. Ait Quæstores, imperantibus regibus, fuisse institutos, probatque legis Curiatæ auctoritate, cui sane consentit Ulpian. Digest. libr. i, Tit. 13. 'De officio quæstoris.' Pulsis regibus, mansit consulibus potestas deligendi quæstores ; nec refragatur Plut. in Public. p. 103. Anno 63. post pulsos reges, U. C. 308. quæsturæ honorem mandavit populus. Bene quidem. Sed ante hunc annum quæstores memorare potuerunt Livius ac Dionysius. Non est ergo cur Lips. pro 63. annum 23. emendet. Cl. Heineccius, Antiq. Rom. Jurisprud. Vol. i, p. 246. de quæstorum origine Tacito consentit. Haud invitus sic legerem : 'Creatique primum, qui Romæ curarent. Dein gliscentibus negotiis duo additi, Valerius Potitus et Æmilius Mamercus, 90. anno post Tarquinios exactos, ut rem militarem comitarentur. Mox' &c. Misc. Obs. x, 287, 88.

Cap. 23. *L. Vipsanio*. Ita editiones omnes vett. Muratori in Fastis consularibus et alii. In Mss. *Vipsano* aut *Vipsana*. Unde emendavit Cl. Ernest. *Vipstano*. In vet. fragmento ap. Muratori, Thes.

Inscr. Vol. i, p. 305. C. VIPSTANVS POPLICOL. At incertum an idem sit ac L. Vipsanius Poblicola.

Fœdera et civitatem Romanam. Ut intelligatur quæ sint fœdera, quid civitas Romana, res altius repetenda; ac ne lector in evolvendis Taciti libris usquam hæreat paucis disquirendum.

DE JURE LATII, CIVITATE ROMANA, JURE QUIRITIUM; JURE ITALICO, COLONIIS, MUNICIPIIS, POPULIS LIBERIS, FŒDERATIS, IMMUNIBUS, STIPENDIARIIS.

Romani, inita tandem, post diuturnum bellum, cum Latinis pace, iis tribuere, ut Romanis legionibus immisti militarent, ibique honores capesserent. Negata vero suffragii latio; et magistratibus in Urbe interdictum. Hoc *Jus Latii:* quod, cum sit inter jura antiquissimum, dictum est quoque *Jus antiquum Latii.*

Postea datum jus suffragii et magistratus ineundi; ceteraque juris publici permissa, census, militia, tributa, vectigalia, sacra. Hoc *Jus civitatis Romanæ*, seu *civitas Romana.*

Concessa etiam, quæ juris erant privati, libertas, gens, connubia, jus patrium, jus legitimæ dominationis, dominii, usucapionis. Hoc *Jus Quiritium.*

Non Latini tantum, i. e. Latii incolæ, sed Itali quoque, i. e. qui inter utrumque mare ad Rubiconem usque fluvium incolebant, jus a Romanis consecuti sunt, quod dictum est *Jus Italicum.* Jus illud Italorum videtur primo fuisse aliquanto deterioris conditionis, quam Latinorum: sed tandem eo recidit ut immunitas a censu capitis et soli esset *Jus Italicum.*

Roma, inter arctiores conclusa fines, cives militesve alio deduxit, qui loca sibi adsignata incolerent. Hæ sunt *Coloniæ*, quæ Romanis regebantur legibus. Aliæ erant, quibus jus Italiæ dabatur; aliæ, quæ Latinorum; aliæ, quæ civium Romanorum essent.

Municipia, seu *Municipes*, cives erant Romani, legibus suis utentes, muneris tantum cum populo Romano honorarii participes, a quo munere capessendo appellati videntur: nullis aliis necessitatibus, neque ulla populi Romani lege adstricti, ni populus eorum fundus factus foret.

Liberi populi suis gaudebant legibus: levia tantum et sponte ad expensas publicas contribuebant, sicut et *Fœderati populi*, qui fœdus cum populo Romano inierant. *Immunes* vero *populi*, ab omni publico onere soluti. *Stipendiarii*, vectigal certum solvebant, 'quod stipendiarium dicitur; quasi victoriæ præmium, ac pœna belli.' Cic. in Verr. iii, 6.

Hæc qui fusius explicata reperire voluerit, adeat eruditos viros, Heineccium, Antiq. Roman. Jurisprud. Vol. i, Appendix. capp. 1. 2 et 3. et Florez, *Medallas de España.* p. 85 sq.

Observandum autem hæc omnia, ut donorum natura est, pro arbitrio reipublicæ aut Principum, modo liberalius, modo parcius fuisse concessa. Ita hoc in loco Tacitus memorat primores Gallorum, ci-

vitatem Romanam jam pridem assecutos, jus adipiscendorum in Urbe honorum expetere. Nempe civitas Romana nonnumquam sine hoc privilegio tribuebatur. Unde, teste Liv. ix, 43. 'Anagninis, quique arma Romanis intulerant, civitas sine suffragii latione data: concilia connubiaque ademta, et magistratibus præterquam sacrorum curatione interdictum.'

Juvaret hic animadvertere quam fuerit digna totius orbis imperio gens, quæ tot jura, tam sapienter attemperata, repererit, quibus populos, ut moribus, sic meritis, diversos, quasi familiam unam regeret. At nobis brevitati studendum. Monuisse sit satis.

Senator foret. Emendat Acidal. probatque Cl. Lallemand. 'Quem ultra honorem residuis nobilium, aut si quis pauper e Latio senator, fore?' At melior, et magis Corneliana videtur vulgata scriptura.

Ferro vique. Ita Mss. Puteolanus *ferro ignique.*

Apud Alesiam. Hic reperta IV. idus Decembris, anno 1652. inscriptio, qua nulla extat, ut opinor, in Gallia vetustior et illustrior. Eam ex exemplari, ad se misso, sed properantius descripto, vulgavit Reines. Syntagm. Inscript. class. i, num. 176. quam pariter mancam postea publicavere D. Bouquet, *Historiens de France*, Vol. i, p. 130. et Cl. Danville, *Eclaircissemens sur la Gaule*, p. 494. Lapidem ipsum cum diligentius invisisset Petr. Franc. Chifflet. S. J. animadvertit inferiori lapidis limbo inscriptam esse lineam integram, quæ curiosos hactenus fugerat. Inscriptionem integram, ut in Mss. ejus schedis, reperi, juvat hic edere, ne egregium antiquitatis Gallicæ monumentum integritate sua careat.

TI. CL. PROFESSVS. NIGER. OMNIBVS
HONORIBVS. APVD. AEDVOS. ET
LINGONAS. FVNCTVS. DEO. MORITASGO
PORTICVM. TESTAMENTO. PONI
IVSSIT. SVO. NOMINE. ET. IVLIAE
VIRGVLINAE. VXORIS. ET. FILIARVM
CL. PROFESSAE. ET. IVL. VIRGVLAE
IVL. VIRGVLA. A. SOLO. REPOSVIT

Lapis erat trium pedum et unciarum sex longitudine, duorum pedum latitudine: unciales pulcherrimæque literæ. Quis vero sit Deus ille Moritasgus? Ni me fallat conjectura, ipse est Moritasgus, rex Senonum, de quo Jul. Cæs. B. G. v, 52. Illum vel Romani, vel Galli sacravere: illi, ut Gallorum animos sibi conciliarent: hi, ut Romanorum sacra imitarentur.

Quid si memoria eorum. Nullus in Tacito locus deploratus magis: nec ullam sanitatis spem afferunt scripti codices. Juvat tamen Vaticanorum librorum scripturam, quæ eadem est in ceteris omnibus, exhibere, ut inde eruditis conjectandi sit locus. In Ms. 1864. *Quid si memoria eorum moreretur, qui Capitolio et ara Romana manibus eorumdem per se satis fruerentur.* In Ms. 1958. sup. *moreretur* scriptum *memoretur;* loco *per se satis* scriptum *prostratis;* in marg. *per se satis.* Quam multa inde divinaverint eruditi, longum et inutile foret referre. Absurda silebo: probabiliora tantum referam, ut ea probet, melioravé tentet lector. Puteolan. edidit, *Quid si memoria*

eorum inoriretur. At verbum insolens *inoriretur.* Nec, cum emendantur scriptores, nova verba obtrudenda. Addit Cl. Chifflet. *qui Capitolium et arcem Romanam, Deorum sedem persecuti sunt.* Optime quidem vidit Cl. Chifflet. a librariis perperam scriptum *ara Romana* pro *arce Romana.* Cetera minime sunt Corneliana. Haud felicior J. Fr. Gronov. *quid si memoria eorum inoriretur, qui Capitolium et arcem Romanam, mœnibus eorumdem prostratis?* subauditum putat, *obsederint.* Hæc dura; nec prostrata sunt Capitolii mœnia: Cl. Lallemand monet legendum cum Jac. Gronov. *Quid si memoria eorum moverentur, qui pro Capitolio et arce Romana manibus eorumdem prostrati sunt? pro Capitolio idem esse ac,* ante Capitolium. Sed certe, *memoria eorum moverentur* et *manibus eorumdem prostrati sunt* ab usu stiloque Taciti recedere mihi videntur. Displicet quoque Ryck. *Quid si memoria eorum innovaretur, qui in Capitolio et arce Romana a majoribus eorumdem prostrati.* Nemo a Gallis in Capitolio prostratus, 'cum victoribus Gallis capta tota urbe, Capitolium tamen atque arcem Diique et homines Romani tenuerint, habitaverint,' teste Liv. v, 51. Vossii, Heinsii, aliorumque emendationibus abstineo, quæ Latinitate aut historica veritate satis refelluntur. Cum nihil ergo occurreret, quod placeret, nec quidquam sani ex librorum scriptura extrudi posset, dum meliora succurrerent, suppleri posse existimavi, quæ neque hoc loco, nec Taciti mente, indigna mihi viderentur: *Quid si memoria eorum renovaretur, qui, Capitolio et arce Romana manibus eorumdem fere superatis, pretium populi Romani mille pondo auri fecerint?* Hæc omnia, ut sup. in Notis monuimus, constant ex Liv. v, 39. 47 et 48. Floro i, 13. Plin. xxxiii, 1. §. 5. Loca integra referre supersedeo, quod jam longior fuerim. Hæc consulat eruditus lector.

Cap. 24. *Et statim.* Ita Mss. Flor. Corb. Pichena et Recentiores. In Mss. Harl. Bodl. Jes. et vett. edd. *etiam statim.* Mallem *etiam* vel *et* omitti.

Ita exorsus est. Exemplar hujusce orationis Claudii, ærea tabula, longa pedes quinque, uncias octo, lata pedes quatuor, unciam unam, incisæ, repertum est Lugduni in colle Sancti Sebastiani anno 1528. cum rimandis aquis foderetur terra, ut docet P. De Colonia S. J. *Histoire Littéraire et Antiquités de Lyon*, Vol. i, p. 134. Cum eam accuratissime editam vellem, Cl. Beraud, pro sua humanitate, a se descriptam et cum exemplari collatam ad me transmisit, unde sincerior, quam ap. Gruter. p. 502. ipsumque De Colonia, servata etiam interpungendi ratione, hic repræsentabitur. Periit, ut mihi videtur, altera tabula, aut forte pars superior hujus tabulæ, in qua titulus orationis et aliquot erant orationis lineæ. Ipsa etiam, quæ superest, tabula in duas partes injuria temporum diffracta. Nunc, ut licuit, coagmentata extat in Lugdunensi prætorio.

LÆVA PARS TABULÆ.

MAE. RERVM. NOSTR. .... SII ....

EQVIDEM. PRIMAM. OMNIVM. ILLAM. COGITATIONEM. HOMINVM QVAM. MAXIME. PRIMAM. OCCVRSVRAM. MIHI. PROVIDEO. DE-

PRECOR. NEQVASI. NOVAM. ISTAM. REM. INTRODVCI. EXHORRESCATIS. SED. ILLA. POTIVS. COGITETIS. QVAM. MVLTA. IN HAC. CIVITATE. NOVA. SINT. ET. QVIDEM. STATIM. AB. ORIGINE. VRBIS. NOSTRAE. IN. QVOD. FORMAS. STATVSQVE. RES P. NOSTRA. DIDVCTA. SIT

QVONDAM. REGES. HANC. TENVERE. VRBEM. NEC. TAMEN. DOMESTICIS. SVCCESSORIBVS. EAM. TRADERE. CONTIGIT. SVPERVENERE. ALIENI. ET. QVIDAM. EXTERNI. VT. NVMA. ROMVLO SVCCESSERIT. EX. SABINIS. VENIENS. VICINVS. QVIDEM. SED TVNC. EXTERNVS. VT. ANCO. MARCIO. PRISCVS. TARQVINIVS PROPTER. TEMERATVM. SANGVINEM. QVOD. PATRE. DEMARATHO CORINTHIO. NATVS. ERAT. ET. TARQVINIENSI. MATRE. GENEROSA. SED. INOPI. VT. QVAE. TALI. MARITO. NECESSE. HABVERIT SVCCVMBERE. CVM. DOMI. REPELLERETVR. A. GERENDIS. HONORIBVS. POSTQVAM. ROMAM. MIGRAVIT. REGNVM. ADEPTVS EST. HVIC. QVOQVE. ET. FILIO. NEPOTIVE. EIVS. NAM. ET. HOC INTER. AVCTORES. DISCREPAT. INSERTVS. SERVIVS. TVLLIVS SI. NOSTROS. SEQVIMVR. CAPTIVA. NATVS. OCRESIA. SI. TVSCOS. CAELI.' QVONDAM. VIVENNAE. SODALIS. FIDELISSIMVS OMNISQVE. EIVS. CASVS. COMES. POSTQVAM. VARIA. FORTVNA EXACTVS. CVM. OMNIBVS. RELIQVIS. CAELIANI. EXERCITVS ETRVRIA. EXCESSIT. MONTEM. CAELIVM. OCCVPAVIT. ET. A DVCE. SVO. CAELIO. ITA. APPELLITATVS. MVTATOQVE. NOMINE NAM. TVSCE. MASTARNA. EI. NOMEN. ERAT. ITA. APPELLATVS EST. VT. DIXI. ET. REGNVM. SVMMA. CVM. REIP. VTILITATE OPTINVIT. DEINDE. POSTQVAM. TARQVINI. SVPERBI. MORES INVISI. CIVITATI. NOSTRAE. ESSE. COEPERVNT. QVA. IPSIVS QUA. FILIORVM. EIVS. NEMPE. PERTAESVM. EST. MENTES. REGNI ET. AD. CONSVLES. ANNVOS. MAGISTRATVS. ADMINISTRATIO REIP. TRANSLATA. EST

QUID. NVNC. COMMEMOREM. DICTATVRAE. HOC. IPSO. CONSVLARI IMPERIUM. VALENTIVS. REPERTVM. APVD. MAIORES. NOSTROS QVO. IN. ASPERIORIBVS. BELLIS. AVT. IN. CIVILI. MOTV. DIFFICILIORE. VTERENTVR. AVT. IN. AVXILIVM. PLEBIS. CREATOS TRIBVNOS. PLEBEI. QVID. A. CONSVLIBVS. AD. DECEMVIROS TRANSLATVM. IMPERIVM. SOLVTOQVE. POSTEA. DECEMVIRALI REGNO. AD. CONSVLES. RVSVS. REDITVM. QVID. IN. DECVRIS DISTRIBVTVM. CONSVLARE. IMPERIVM. TRIBVNOSQVE. MILITUM CONSVLARI. IMPERIO. APPELLATOS. QVI. SENI. ET. SAEPE. OCTONI. CREARENTVR. QVID. COMMVNICATOS. POSTREMO. CVM PLEBE. HONORES. NON. IMPERI. SOLVM. SED. SACERDOTIORUM QVOQVE. IAM. SI. NARREM. BELLA. A. QVIBVS. COEPERINT MAIORES. NOSTRI. ET. QVO. PROCESSERIMVS. VEREOR. NE NIMIO. INSOLENTIOR. ESSE. VIDEAR. ET. QVAESISSE. IACTATIONEM. GLORIAE. PROLATI. IMPERI. VLTRA. OCEANVM. SED ILLOC. POTIVS. REVERTAR. CIVITATEM

DEXTRA PARS TABULÆ.

.... SANE
....NOVO.....DIVVS. AVG.....NO.....LVS. ET. PATRVVS. TI CAESAR. OMNEM. FLOREM. VBIQVE. COLONIARVM. AC. MVNI-

CIPIORVM. BONORVM. SCILICET. VIRORVM. ET. LOCVPLETIVM IN. HAC. CURIA. ESSE. VOLVIT. QUID. ERGO. NON. ITALICVS SENATOR. PROVINCIALI. POTIOR. EST. IAM. VOBIS. CVM. HANC PARTEM. CENSVRAE. MEAE. ADPROBARE. COEPERO. QVID. DE EA. RE. SENTIAM. REBVS. OSTENDAM. SED. NE. PROVINCIALES QVIDEM. SI. MODO. ORNARE. CVRIAM. POTERINT. REICIENDOS PVTO

ORNATISSIMA. ECCE. COLONIA. VALENTISSIMAQVE. VIENNENSIVM QVAM. LONGO. IAM. TEMPORE. SENATORES. HVIC. CVRIAE CONFERT. EX. QVA. COLONIA. INTER. PAVCOS. EQVESTRIS. ORDINIS. ORNAMENTVM. L. VESTINVM. FAMILIARISSIME. DILIGO ET. HODIEQVE. IN. REBVS. MEIS. DETINEO. CVIVS. LIBERI FRVANTVR. QVAESO. PRIMO. SACERDOTIORVM. GRADV. POST MODO. CVM. ANNIS. PROMOTVRI. DIGNITATIS. SVAE. INCREMENTA. VT. DIRVM. NOMEN. LATRONIS. ET. ODI. ILLVD. PALAESTRICVM. PRODIGIVM. QVOD. ANTE. IN. DOMVM. CONSVLATVM. INTVLIT. QVAM. COLONIA. SVA. SCLIDVM. CIVITATIS. ROMANAE. CONSECVTA. EST. IDEM. DE. FRATRE. EIVS. POSSVM DICERE. MISERABILI. QVIDEM. INDIGNISSIMOQVE. HOC. CASV VT. VOBIS. VTILIS. SENATOR. ESSE. NON. POSSIT

TEMPVS. EST. IAM. TI. CAESAR. GERMANICE. DETEGERE. TE PATRIBVS. CONSCRIPTIS. QVO. TENDAT. ORATIO. TVA. IAM ENIM. AD. EXTREMOS. FINES. GALLIAE. NARBONENSIS. VENISTI

TOT. ECCE. INSIGNES. IVVENES. QVOT. INTVEOR. NON. MAGIS SVNT. PAENITENDI. SENATORES. QVAM. PAENITET. PERSICVM NOBILISSIMVM. VIRVM. AMICVM. MEVM. INTER. IMAGINES. MAIORVM. SVORVM. ALLOBROGICI. NOMEN. LEGERE. QVOD. SI. HAEC ITA. ESSE. CONSENTITIS. QVID. VLTRA. DESIDERATIS. QVAM. VT VOBIS. DIGITO. DEMONSTREM. SOLVM. IPSVM. VLTRA. FINES PROVINCIAE. NARBONENSIS. IAM. VOBIS. SENATORES. MITTERE QVANDO. EX. LVGDVNO. HABERE. NOS. NOSTRI. ORDINIS. VIROS. NON. PAENITET. TIMIDE. QVIDEM. P. C. EGRESSVS. ADSVETOS. FAMILIARESQVE. VOBIS. PROVINCIARVM. TERMINOS SVM. SED. DESTRICTE. IAM. COMATAE. GALLIAE. CAVSA. AGENDA. EST. IN. QVA. SIQVIS. HOC. INTVETVR. QVOD. BELLO. PER DECEM. ANNOS. EXERCVERVNT. DIVOM. IVLIVM. IDEM. OPPONAT. CENTVM. ANNORVM. IMMOBILEM. FIDEM. OBSEQVIVMQVE MVLTIS. TREPIDIS. REBVS. NOSTRIS. PLVSQVAM. EXPERTVM ILLI. PATRI. MEO. DRVSO. GERMANIAM. SVBIGENTI. TVTAM QVIETE. SVA. SECVRAMQVE. A. TERGO. PACEM. PRAESTITERVNT ET. QVIDEM. CVM. AD. CENSUS. NOVO. TVM. OPERE. ET. IN. ADSVETO. GALLIS. AD. BELLVM. AVOCATVS. ESSET. QVOD. OPVS QVAM. ARDVVM. SIT. NOBIS. NVNC. CVM. MAXIME. QVAMVIS NIHIL. VLTRA. QVAM. VT. PVBLICE. NOTAE. SINT. FACVLTATES. NOSTRAE. EXQVIRATVR. NIMIS. MAGNO. EXPERIMENTO COGNOSCIMVS

Pauca tantum adnotabo. Primo verba illa, 'ne nimio insolentior esse videar, et quæsisse jactationem gloriæ prolati imperii ultra Oceanum,' pertinent ad Britannicam Claudii expeditionem, de qua nos diximus in Suppl. An. ix, 50 sq.

Secundo hæc autem, 'ut dirum nomen latronis taceam, et odi illud

palæstricum prodigium,' P. De Colonia, ***Histoire Littéraire de la Ville de Lyon***, Vol. i, p. 145. refert ad Valerium Asiaticum, bis consulem, a Claudio occisum, tamquam præcipuum auctorem interficiendi Caii Caligulæ, ut dictum est An. xi, 1. Nec improbabilis est conjectura, si Valerius Asiaticus fuerit origine Viennensis, ut ait P. De Colonia.

Tertio, monuerim pro ***ad census*** emendandum esse ***ab censu***. Quis enim Latine dixerit, ***ad census, novo opere et inadsueto Gallis***, pro ***ad census, novum opus et inadsuetum Gallis?*** Præterea ex ipsa verborum consequentia patet Claudium dixisse, ***cum ab censu, novo tum opere, et inadsueto Gallis, ad bellum avocatus esset***. Neque etiam, ut placuit P. De Colonia et Cl. Brossette aliisque, census ille intelligendus est de subsidiis militaribus, ***contributions***, aut de delectu, ***levies of troops***, sed de censu, ***statistical census***, quo personæ et solum describebantur, ut, pro personarum dignitate et soli ubertate atque amplitudine, tributum in capita et solum, ***poll and land tax***, &c. præcriberentur. Talem Galliarum censum Germanicus, Drusi filius, agebat, cum ipse quoque ad Germanicum bellum avocatus est; ut videre est ap. Tac. An. i, 31. Alios ab aliis postea actos census memorat Tac. An. ii, 6. et xiv, 46. Censum autem a Druso actum merito Claudius dixit novum opus et inadsuetum Gallis. Julius enim Cæsar, Galliarum domitor, cum eas lenitate ac moderatione demulcere vellet, non egit censum, sed tantum 'quadringenties, [*Angl.* 325,000*l.*] in singulos annos stipendii nomine imposuit:' teste Suet. Jul. Cæs. 25. Cum nimia felicitate et opibus inquieti essent Galli, Augustus censum egit, quem memorat Liv. in Epit. libr. cxxxiv. Dio quoque, liii, p. 512. Alterum deinde egit Drusus, novum adhuc et inadsuetum Gallis opus, maxime cum, iteratis censibus, tributorum vectigaliumque modus, uti solitum, cresceret.

Quem autem modum tributis et vectigalibus Augustus Drususque primum posuerint, non est a scriptoribus proditum. Sed ex sapientia, benignitate, atque æquitate Augusti, pronum est adfirmare ea non fuisse graviora. Postea crescente Imperatorum avaritia, et præfectorum duritia, adeo auxere, ut ad egestatem redactæ sint Galliæ, quibus tandem subvenit Julianus Cæsar, ut docet Ammian. Marcell. xvi, 2. 'Quod profuerit [Julianus] anhelantibus extrema penuria Galliis, hinc maxime claret, quod primitus, partes eas ingressus, pro capitibus singulis tributi nomine vicenos quinos aureos, (*Angl.* 15*l.*) reperit flagitari: discedens vero septenos tantum, (*Angl.* 4*l.*) munera universa complentes, ob quæ tamquam Solem sibi serenum post squalentes tenebras affulsisse cum alacritate et tripudiis lætabantur.'

Si quis autem voluerit scire quantum tributi persolverit Gallia, antequam Julianus Cæsar in eam veniret anno J. C. 356. haud difficile est duplicem inire computationem. Scilicet si in Gallia tunc eadem fuit populi frequentia, quæ nunc est, et quæ, minima computatione, 3,500,000 capitibus tributorum, *families*, æstimanda est, tunc Gallia tributum persolvit, *Angl.* 50,000,000*l.* Nec mirum tanta exactione Gallias ad extremam penuriam fuisse redactas. At, ut mihi compertum est certissimis Gallicæ antiquitatis monumentis, multum aberat ut acerbissimis iis temporibus eadem foret in Gallia populi frequentia quam nunc videmus, immo vix quarta erat populi, quæ nunc est, quantitas; et tamen adhuc Galli persolvebant tribu-

tum, *Angl.* 12,000,000*l.* Quod quam sit portentosum in ea paucitate hominum facile est cuivis intelligere.

Æque facile intelligitur Gallorum felicitas sub Juliano Cæsare. In eadem enim, quæ nunc est, populi frequentia, Gallia pro tributo omnibusque muneribus tantum persolvisset *Angl.* 13,500,000*l.* Ad eam autem, quæ tunc erat, populi paucitatem redacta, pendebat tantum *Angl.* 3,500,000*l.* Haud mirum ergo Gallos tanta alacritate tantisque tripudiis lætitiam suam sub Juliano Cæsare fuisse testatos.

Nunc vero si quis ad retroacta tempora mentem reducat, et cogitet Julium Cæsarem, domitorem Galliarum quæ tunc magna populi frequentia (non ea tamen, quam finxit Cl. de Montesquieu, *Esprit des Loix*, xxiii, 18 et 24. *Lettres Persanes*, Ep. 112. in quibus se *Arithmeticæ Politicæ* rationum omnino rudem probavit) vigebant, iis tantum imposuisse stipendii nomine *Angl.* 325,000*l.* is sane deprehendet, quibus artibus Romana respublica terrarum orbem in ditionem suam redegerit. Minus certe præpotuit militaribus, quam politicis artibus. Magna enim erant gentibus exuendæ fidei et libertatis incitamenta, sub Romano nomine pax certa atque inconcussa, et tributorum parcitas. Unde haud immerito dixerim a Romanis potius corruptos fuisse, quam debellatos, populos.

Hæc sunt, quæ nemini adhuc aut tentata, aut explorata, explicari volui, ut res in antiquitate Romana politicaque scientia abstrusissima et scitu digna perspiceretur. In ipsa autem Claudii oratione, *in plures* reposuerim. Exemplar ad me transmissum, ipse quoque P. De Colonia, habebant *in decuriis.* Sed tabula ibi extrita, primis ultimisque tantum literis IN . . . RIS superstes, et a Cl. Dotteville suisque diligentius inspecta, non patitur tot literarum, quot sunt *in decuriis* spatium.

Quantum autem Tacitus orationem Claudii immutaverit, patet utramque conferenti. Sunt qui id in Tacito culpent. At Claudii oratio erat antiqua, enervis, ac minime persuasibilis: adlaborandum ergo fuit Tacito, ut re, loco, et Principis majestate digna expromeret.

CAP. 25. *Augustus lege Sænia.* Tacito teste, Dictator Cæsar lege Cassia, Augustus lege Sænia patres sublegere. At leges illæ hic tantum memorantur. Unde quæ sint, et a quibus latæ, haud ita compertum. Possumus tamen nonnihil lucis mutuari a monumento Ancyrano, apud eruditum Chishull, Antiquitates Asiaticæ, p. 173. in quo Augustus ipse scribit:

PATRICIORVM. NVMERVM. AVXI. CONSVL. QVINTVM.
IVSSV. POPVLI. ET. SENATVS. SENATVM. TER. LEGI.

Patet enim jussu populi et senatus Augustum id egisse; ac proinde legem intercessisse. Certe eodem jussu egit quoque dictator Cæsar, cum 'senatum supplevit, patres adlegit,' Suet. Cæs. 41. At lex Sænia nomen habere videtur a L. Sænio, consule suffecto A. U. C. 724. cujus memoria extat in veteri lapide ap. Gruter. 299.

IMP. CAESAR. IIII. M. LICINIVS. *consules*
K. IVL. C. ANTISTIVS.
EID. SEPT. M. TVLLIVS *Ciceronis filius.*
K. NOV. L. SAENIVS.

I. e. 'Kalendis Novembribus' consul suffectus 'L. Sænius,' a quo cognominata lex Sænia. Sic quoque, ut videtur, consule suffecto

Cassio, lata erit lex Cassia: et ob populi et senatus jussum leges illæ a consulibus nomen acceperint. De adlectis patribus v. Cl. Heineccium, Antiquit. Rom. Jurisprud. Vol. i, Append. c. I. n. 32.

Jus exuendi ordinis. In Mss. ***exeundi.*** Optime Lips. ceterique ***exuendi.*** Sic Tac. An. iii, 17. 'M. Piso exuta dignitate,' et Hist. ii, 86. 'Senatorium ordinem exuerat.' Poetæ tamen ***exire*** cum quarto casu dixere: ut Lucret. v, vers. fin. 'Feros exibant dentis adactus;' et Virg. Æn. v, 437. 'Stat gravis Entellus, nisuque immotus eodem, Corpore tela modo, atque oculis vigilantibus exit.'

Civium LVIIII. LXXXIIII. LXXII. Puteolan. ***censa sunt civium*** LXVIIII. ***centena et*** CXLIIII. ***millia.*** Euseb. in Chronico, 'Descriptione Romæ facta sub Claudio inventa sunt Civium Romanorum LXIX. centena XLIV. millia.' Inde in vulgatis Taciti editionibus obrepsit, ***censa sunt civium*** LXIX. ***centena et*** XLIV. ***millia.*** Sed error est, ut patet ex Mss. et censibus ab Augusto actis. Ego sum secutus Ms. Vatic. 1863. et 1864. Ms. Flor. et ed. pr. in quibus expresse, ***censa sunt civium*** LVIIII. LXXXIIII. LXXII. I. e. ut jam in Notis monui, civium 5,984,072. In Ms. Vatic. 1958. omisso intermedio numero, ***censa sunt civium*** LVIIII. LXXII. Ita quoque Mss. Harl. et Bodl. In Ms. Jes. omissum etiam decennium: nam notat tantum LVIIII. LXII. Ex hoc loco, ut ex multis aliis, observavi Mss. Oxonienses descriptos videri ex Ms. Vatic. 1958. Ms. Harl. collatum fuisse cum Ms. Vatic. 1863 aut 1864. Unde hic ejus margini additum LXXXIIII. post numerum LVIIII. Verum, ad lætiora et utiliora progressuri, census lustraque Romanorum expendamus.

DE CENSU LUSTROQUE ROMANORUM.

SERVIUS TULLIUS, rex, circa A. U. C. 180. censum instituit, rem tanto futuro imperio saluberrimam. Populus enim Romanus digestus in classes, curiis atque collegiis distributus; omniaque patrimonii, dignitatis, artium officiorumque discrimina in tabulas relata, ac si maxima civitas minimæ domus diligentia contineretur. Belli pacisque munia, non viritim, ut ante, sed pro habitu pecuniarum facta sunt. Atque ut populus Romanus se Marti devotum sciret, peracto censu, omnes cives Romani, equites peditesque, in suis quisque centuriis in campo Martio aderant; ibique exercitus omnis suovetaurilibus, id est, sue, ove, tauro, Marti immolatis, lustrabatur. Id appellatum ***Lustrum:*** singulis quinquenniis renovandum, ut vivida semper acrisque virtus ardesceret. Liv. i, 44. Florus i, 6.

Census cura primum penes reges, deinde penes consules fuit. At, consulibus ad alias curas bellaque intentis, ne optimum institutum periret, creati sunt A. U. C. 310. censores. Tanto incremento aucta hæc dignitas, ut morum disciplinæque Romanæ penes eam regimen; senatus, equitumque centuriæ, decoris dedecorisque discrimen sub ditione ejus magistratus; publicorum jus, privatorumque locorum, et vectigalia populi Romani, sub nutu arbitrioque essent. Liv. iv, 8.

Hac censura nihil certe melius utiliusque umquam repertum; eaque una semper stetisset Roma, si æterna esse valerent imperia, aut ab optimis institutis ferme ineluctabili vi non desciscerent morta-

les. Verum nonnumquam mutata omissave censura: ipsaque vitia, modo pietatis, modo Urbis splendoris specie, patrocinium quæsiere. Nihil vero censuram ac Urbem æque perditum iit, ac civitas Romana, maximum olim et rarissimum donum, promiscue vulgata. Ut intelligatur quam late sensim irrepserint, lustraque ab Imperatoribus condita illustrentur, haud pigebit lustrorum, quorum extat memoria, indicem breviter subtexere.

A. U. C. 180. Primum a Servio Tullio conditum est lustrum, in quo 'millia 80. civium censa dicuntur.' Liv. i, 44.

A. U. C. 245. Pulsis regibus, Valerio et Lucretio coss. censa sunt 'centum triginta millia.' Plut. Public. p. 103.

A. U. C. 288. A. Quinctio consule 'censa civium capita centum quatuor et viginti millia ducenta quindecim dicuntur præter orbos orbasque.' Liv. iii, 3.

A. U. C. 294. Q. Fabio et L. Cornelio coss. lustrum decimum. 'Censa civium capita centum triginta duo millia quadraginta novem.' Liv. iii, 24.

A. U. C. 310. creati censores L. Papirius Mugillanus, et L. Sempronius Atratinus. Liv. iv, 8. Lustrum XI. fecere. Fast. Capitol.

A. U. C. 364. 'Capta est Roma cum jam capitum liberorum censa essent 152. millia quingenti 72.' Plin. xxxiii, 1.

A. U. C. 459. Censoribus P. Cornelio Arvina et C. Marcio Rutilo 'censa capitum millia ducenta sexaginta duo trecenta viginti duo.' Liv. x, 47. Sed errat Livius, aut potius erravere ejus librarii, cum scripsere *lustrum* hoc fuisse *undevicesimum*. Fuit enim lustrum XXX. seu trigesimum, ut patet ex Fastis Capitolinis.

A. U. C. 473. 'Cn. Domitius censor primus ex plebe lustrum condidit: censa sunt civium capita ducenta septuaginta octo millia, ducenta viginti duo.' Livii Epit. xiii.

A. U. C. 488. Censoribus Cn. Cornelio Blasione et C. Marcio Rutilo II. qui lustrum fecerunt XXXV. 'Inventa sunt civium capita 292. millia 334. quamquam a condita Urbe numquam cessassent bella.' Eutrop. lib. ii. In Fastis Capitolinis,

CENS. CN. CORNELIVS. L. F. CN. N. BLASIO, C.
MARCIVS. C. F. L. N.
RVTILO. II. QVI. L. F. XXXV. IN. HOC. HONORE.
CENSORIN. APPEL. E.
BELLVM. PVNICVM. PRIMVM.

A. U. C. 501. Censoribus Valerio Messala et Sempronio Sopho, lustrum XXXVII. 'Censa sunt civium capita ducenta nonaginta septem millia septingenta nonaginta septem.' Livii Epit. xviii. Fast. Capitol.

A. U. C. 506. Censoribus Atilio Calatino et Manlio Attico, lustrum XXXVIII. 'Censa sunt civium capita ducenta quinquaginta unum millia, ducenta viginti duo.' Livii Epit. xix.

A. U. C. 533. Censoribus L. Æmilio Papo et C. Flaminio, lustrum XLIII. 'Censa sunt civium capita ducenta septuaginta millia ducenta tredecim.' Livii Epit. XX. Cassiodor.

A. U. C. 544. Censoribus Cornelio Cethego et Sempronio Tuditano, lustrum XLIV. 'Censa sunt civium capita centum triginta septem millia centum et octo.' Liv. xxvii, 36. Tantum scilicet Romani sanguinis fuderat Annibal. Præterea in eo lustro censi non videntur cives Romani, qui in exercitibus erant, ut conjicere est ex sequente lustro.

A. U. C. 549. Censoribus Livio Salinatore, et C. Claudio Nerone, lustrum XLV. 'Lustrum conditum serius, quia per provincias dimiserunt censores ut civium Romanorum in exercitibus, quantus ubique esset, referretur numerus. Censa cum iis ducenta decem quatuor millia hominum.' Liv. xxix, 37. Fast. Capitol. Accrevit hic census multitudine sociorum ac Latini nominis, qui Romam commigravere, ut ibi censerentur. Unde exortæ sociorum querelæ, de quibus Liv. xxxix, 3.

A. U. C. 559. Ælio Pæto et Cornelio Cethego censoribus, lustrum XLVII. 'Censa sunt civium capita centum quadraginta tria millia septingenta quatuor.' Liv. xxxv, 9. Fast. Capitol.

A. U. C. 564. Censoribus T. Quinctio et M. Claudio Marcello, lustrum XLVIII. 'Censa civium capita ducenta quinquaginta octo millia, trecenta octo.' Liv. xxxviii, 36. Fast. Capitol. In hoc lustro multi adhuc socii Latinique nominis Romam demigraverant; unde novæ querelæ, et edictum, de quo Liv. xli, 12 sq. xlii, 10.

A. U. C. 579. Censoribus Q. Fulvio Flacco et A. Postumio Albino, lustrum LI. 'Censa sunt civium capita ducenta sexaginta novem millia et quindecim.' Liv. xlii, 10. Fast. Capitolin.

A. U. C. 589. Censoribus L. Æmilio Paulo et Q. Marcio Philippo, lustrum LIII. 'Censa sunt civium capita trecenta viginti septem millia viginti duo.' Livii Epit. XLVI. Fast. Capitol. Plutarchus autem in Paul. Æmil. p. 275. ait censa fuisse civium trecenta triginta septem millia et 452.

A. U. C. 594. Censoribus Cornelio Scipione Nasica et Marco Popillio Lænate, lustrum LIV. 'Censa sunt civium trecenta viginti octo millia, trecenta quatuordecim.' Livii Epit. xlvii. Fast. Capitol.

A. U. C. 599. Censoribus Valerio Messala et Cassio Longino, lustrum LV. 'Censa sunt civium capita trecenta viginti quatuor millia.' Livii Epit. xlviii. Fast. Capit. Ab hoc lustro 'subversam' Romæ 'pudicitiam,' posito nempe theatro, prodit Plin. xvii, 25.

A. U. C. 611. Scipione Æmiliano et L. Mummio censoribus, lustrum LVII. 'Censa civium capita trecenta viginti octo millia, trecenta quadraginta duo.' Livii Epit. liv. Fast. Capitolin. Notat Plin. xxxiii, 3. L. Mummii censura, post Carthaginem eversam, laquearia primo inaurata fuisse in Capitolio. Inde transiere in privatorum 'cameras quoque et parietes, qui jam et ipsi tamquam vasa inaurantur.'

A. U. C. 617. Appio Claudio Pulchro et Q. Fulvio Nobiliore censoribus, lustrum LVIII. 'Censa civium capita trecenta viginti tria millia.' Livii Epit. lvi. Fast. Capitol.

A. U. C. 622. Lustrum LIX. 'Q. Pompeius et Q. Metellus, tunc primum uterque ex plebe facti censores, lustrum condidere. Censa

sunt civium capita trecenta tredecim millia octingenta viginti tria, præter pupillos et viduas.' Livii Epit. lix.

A. U. C. 628. Censoribus Servilio Cæpione et Longino Ravilla, lustrum LX. 'Censa sunt civium capita trecenta nonaginta millia, septingenta triginta sex.' Livii Epit. lx.

A. U. C. 638. Censoribus Cæcilio Metello et Domitio Ahenobarbo, lustrum LXII. 'Censa sunt civium capita trecenta nonaginta quatuor millia trecenta triginta sex.' Livii Epit. lxiii.

A. U. C. 683. Lustrum LXVII. 'Cn. Lentulus et L. Gellius censores asperam censuram egerunt, quatuor et sexaginta senatu motis, a quibus, lustro condito, censa sunt civium capita quadringenta quinquaginta millia.' Livii Epit. [xcviii. Nec audiendus Phlegon, qui ap. Phot. Cod. xcvii. tradit censa fuisse Romanorum nongenta decem millia. Ῥωμαίων ἀπετιμήθησαν μυριάδες ἐνενήκοντα καὶ μία.

HOC LUSTRUM FUIT REIPUBLICÆ SUPREMUM.

A. U. C. 703. Censoribus Appio Claudio Pulchro et Calpurnio Pisone Cæsonino, motus est senatu Crispus Sallustius, scriptor florentissimus. Dio xl, p. 150.

Errat Plutarchus, cum scribit in Cæs. p. 733. Julium Cæsarem censum egisse, et pro trecentis viginti millibus civium, quæ priore censu numerata fuerant, in hoc censa tantum fuisse centum quinquaginta millia. 'Tantam,' inquit, 'cladem inflixit bellum civile, tantamque populi portionem absumsit.' Hæc omnia scatent erroribus, in quos tamen iere, Plutarchum secuti, Appian. Bell. Civ. ii, p. 492. Dio xliii, p. 226. et scriptor Livii Epitomes, CXV. Julius Cæsar non cives Romanos, sed ut 'præfectus moribus,' plebem, cui dabatur e publico frumentum, recensuit, et frumentationem emendavit A. U. C. 708. Unde Suet. Cæs. 41. 'Recensum populi, nec more, nec loco solito, sed vicatim per dominos insularum egit: atque ex viginti trecentisque millibus accipientium frumentum e publico ad centum quinquaginta retraxit.'

A. U. C. 725. Augustus, cum censoria jura, ut cetera omnia, ad se traxisset, anno altero et quadragesimo, postquam lustra desierant, lustrum condidit, censaque sunt civium quadragies centum millia et sexaginta tria millia, i. e. 4,063,000 hominum. Testis lapis Ancyranus ap. erudit. Chishull. Antiquitates Asiaticæ, p. 173. IN. CONSVLATV. SEXTO. CENSVM. POPVLI. CONLEGA. M. AGRIPPA. EGI. LVSTRVM. POST. ANNVM. ALTERVM. ET. QVADRAGENSIMVM. FECI. QVO. LVSTRO. CIVIVM. ROMANORVM. CENSA. SVNT. CAPITA. QVADRAGIENS. CENTVM. MILLIA. ET. SEXAGINTA. TRIA. MILLIA. Hic, ut sæpe, ineptus est Suidas, qui, voce Αὔγουστος, hoc numero omnes orbis Romani incolas contineri existimat. Καὶ εὑρίσκονται οἱ τὴν Ῥωμαίων οἰκοῦντες υι' μυριάδες καὶ χίλιοι ιζ' ἄνδρες. Frustra adlaborat eruditus Riccioli, Geographia reform. in fin. ut Suidam explicet. Scilicet quod in codice suo ab Æmilio Porto emendato legeretur υί cum duplici accentu, contendit non 410 myriadas hic intelligi, sed 41,000 myriadas, ac proinde numerum integrum Suidæ esse 410,001,017 Romanorum, quem numerum tunc Imperio Romano parem exis-

timat. At hæc vana, et ab Augusti censu aliena: absurda adhuc, quod in Imperio Romano numquam fuit, nec umquam esse potuit, hic hominum numerus.

A. U. C. 731. Censores quidem fecit Augustus Paulum Æmilium Lepidum et L. Munatium Plancum. At 'alteri vis censoris, alteri vita deerat,' Vell. Paterc. ii, 95. Ea Augusti arte male et inter discordiam acta est censura; amboque fuere e privatis censores ultimi. Auctoritas mansit penes Imperatores, qui et nomen sæpe usurpavere.

A. U. C. 745. Lustrum alterum ab Augusto conditum. Censa sunt civium Romanorum quadragies centum millia et ducenta tria millia, i. e. 4,203,000 hominum. Lapis Ancyranus, l. c. CONSVLARI. CVM. IMPERIO. LVSTRVM. censumque SOLVS. FECI. CENSORINO. et ASINIO. COS. QVO. LVSTRO. CENSA. SVNT. CIVIVM. ROMANORVM. CApita. QVADRAGIENS. CENTVM. MILLIA. ET. DVCENTA. TRIA. Millia.

A. U. C. 766. Tertium lustrum condidit Augustus. Censa sunt civium Romanorum quadragies centum millia et triginta septem millia, i. e. 4,137,000. Lapis Ancyranus, l. c. CONSVLARI. CVM. IMPERIO. LVSTRVM. CONLEGA. TIB. CAesare feci. SEX. POMPEIO. ET. SEX. APPVLEIO. COS. QVO. LVSTRO. ETiam. Censa sunt. ROMANORVM. CAPITVM. QVADRAGIENS. CENTVM. Millia triGINTA. ET. SEPTEM. MILLIA. Immanem numerum obtrudit Eusebius in Chronico, cum scribit censa fuisse nonagies trecenta millia, i. e. 9,300,000 hominum.

A. U. C. 801. Claudius, censor, lustrum condidit. Censa sunt civium quinquagies novies centena octoginta quatuor millia et septuaginta duo, i. e. 5,984,072. Tac. An. xi, 25. Errat adhuc Eusebius in Chronico, qui tradit inventa fuisse civium sexagies novies centena et quadraginta quatuor millia, i. e. 6,944,000. Circumfertur etiam inscriptio, quæ extat Romæ in porticu S. Gregorii, et ap. Gruter. p. 301. n. 1.

TEMPORIBVS. CLAVDII. TIBERII,
FACTA. HOMINVM. ARMIGERORVM.
OSTENSIONE. IN. ROMA. SEPTIES.
DECIES. CENTENA. MILLIA.
LXXXXVI. MIL. X.

Sed recens est adulterinusque fœtus, nec Latinam, sed Italicam linguam sapit. Recte enim observatum erudito Pignorio, Ep. xxxiv. FACTA. OSTENSIONE. IN. ROMA. mera Italica esse, ***Fatta la mostra in Roma.*** Vidi nummum æreum Claudii, antiquum quidem, in cujus postica parte coronaque laurea hæc mendacia fuerant cœlata. Evidens erat fraus. Novi tamen, qui nummum genuinum esse defenderent.

A. U. C. 827. Vespasianus et Titus censores lustrum septuagesimum quintum et SVPREMVM condidere. Postea lustra 'plane fieri desiere.' Censorin. de die natali c. 18. Quot civium millia in eo lustro censa fuerint nemo prodidit. Plura certe fuere, quam priore lustro, civitate Romana a Claudio et Nerone intemperantius, quam consultius, vulgata.

A. U. C. 1004. Decius censuram restituere voluit, magnoque ap-

paratu censorem fecit Valerianum. Trebellius Pollio in Valeriano, c. 1 et 2. At cura hæc inutilis, cum omnes orbis Romani incolas Antoninus Caracalla cives Romanos fecisset; nec ulla jam esset censoria castigatio, quæ publica delicta emendare posset.

Cum hæc dissertatio Fastis Capitolinis ut plurimum nitatur, eorum computandi rationem sum secutus. Ab his lustris diversum est Augusti edictum, 'ut describeretur universus orbis.' Luc. ii, 1.

Cap. 26. *Facilitate adulteriorum.* Puteolan. et recentiores *adulterorum.* Emendandum *adulteriorum* optime vidit Ill. Huetius. Sic quoque habet ed. pr.; innuitque Dio lx, p. 686. De his vero Messalinæ adulteriis horrenda memorant Juvenal. vi, 115 sq. ejusque Scholiastes, Plin. x, 63. Aurel. Victor: in Claud.

Senectam principis opperirentur. Mss. et Pichena *Senecta Principis opperiretur.* At cum in ed. pr. sit *operirentur,* recte emendavit Puteolan. *Senectam Principis opperirentur.*

Summa adeptus. Errat Cl. Ernest. qui ita legi in edd. omnibus ante Rhenanum scribit. In Mss. et edd. vett. *summam adeptus.* At cum duriora sint *summam adeptus, sperneret adulteram,* cum Beroaldo et recentioribus edidi *summa.*

Cap. 27. *Subisse.* Fortean *nupsisse,* inquit Lips. i. e. solemni luteo flammeo, qui mos novis nuptis, faciem velasse. *Subisse* intelligit Gronov. quasi Messalina *subierit verba,* quæ auspex præivit. Cl. Chiffletio *subisse* idem est, ac *Capitolium ascendisse.* Sed *subisse* videtur esse vox nuptialis; quod postea et Lipsio placuit.

Cap. 27. *Dum histrio cubiculum Principis persultaverit.* Locus omnino corruptus in Mss. Alii *dum instruo cubiculum Principis exultavero;* sic et ed. pr. Alii *dum industria cubiculum Principis occulit adulteros,* ut et Puteolanus. In Ms. Bodl. cum scriptum esset, *dum industruo.* Librarius margini adjecit, *dum intus clauso cubiculo Principis.* Felicior sane Franciscus Medicis, qui cum in Ms. Flor. legeret *dum histrio····exultavero,* melius divinavit, *dum histrio cubiculum Principis persultaverit.* Quod Pichena ceterique recentiores recepere. Pro *persultaverit* tentabat Cl. Chiffletius *insultat.* Si mutandum, mallem *insultaverit.* At æque probabilis Medicea emendatio.

Sed excidium. In Ms. Flor. *Sed et scidium.* Unde Pichena *sed discidium.* Melius ceteri *sed excidium.*

Vi mentis. Ita Mss. Male Puteolan. *juventa.* Supra in plerisque Mss. *dignitate forma.* Bene Lips. et recentiores *dignitate formæ.*

Cap. 30. *Quod ei Titios Vectios.* Nihil in Taciti libris hac oratione corruptius. Mss. Vatic. 1863 et 1864. Ms. Flor. et ed. pr. *Quod eicis Vecticis Plaucio dissimulavisset.* Ms. Bodl. et Puteolan. *Quod ei cis Vectium Plancium dissimulavisset.* Mss. Vatic. 1958. Harl. et Jes. *cis Vectium Plaucium.* Ms. Agr. *Quod Cicios, Vectios Plaucios.* Certe emendand. *Vectios, Plautios.* Sic inf. Tacitus An. xii, 60. 'Matios posthac et Vedios et cetera equitum Romanorum prævalida nomina referre nihil attinuerit.' *Cicios* autem, aut *Cincios,* ut divinabat Heinsius, nemini notos, sanus quisque amandabit. Hæsitandum dumtaxat *Titios* inter aut *Suilios,* Titium nempe Proculum aut Suilium Cæsoninum, Messalinæ libidinibus famosos de quibus inf. c. 35. et 36. *Titios,* quod ad codicum scripturam magis accederet, anteculi.

De *Vectiis* vero et *Plautiis* v. inf. c. 31. et 36. Postea edidi *nec nunc Silio adulteria objecturum.* Hæc enim Silium spectant, non vero Messalinam, ut vulgus interpretum existimavit: eos decepit Puteolan. qui edidit *nec nunc adulteria objecturum.* Deesse vocem unam monet ed. pr. vitiosa licet, in qua *nec non simul adulteria objecturus.* Corrupta sane vox *simul,* cui *Silio* substituendum clamat ipsa narrationis series. *Domum* autem, *servitia, et ceteros* imperatoriæ *fortunæ paratus* Silium a Messalina accepisse dicetur inf. c. 35. Demum ut sana foret reliqua orationis pars, vulgata adhuc hæc fuere emendanda, *Frueretur immo iis, et redderet uxorem,* quæ Puteolan. invexit. In ed. pr. et plerisque Mss. libris *Frueretur immo et his redderet.* Melius Ms. Reg. *et is redderet.* Nam cum librarii sæpe *et* atque *at* confundant, manifestum est, ut orationis conclusio digna sit Tacito, emendand. *Frueretur immo. At is redderet uxorem.* Hæc jam longiora sunt, quam ut, quæ alii obscure falsove commentati sint, huc congeram.

Fortunæ paratus. Ita ed. pr. Mss. Harl. Bodl. Jes. Guelf. et Puteolan. *apparatus.*

CAP. 31. *Potissimum amicorum.* Vel Tacitus omisit *quemque,* ut citatior foret narratio, vel emendand. *potissimos,* ut multi ante nos observavere. Proculdubio legend. *potissimos.* Nam duos nominatim concilio interfuisse refert Tacitus, et paulo post subjungit, *ceteri circumstrepunt.* Rep. Let. xiii, 247.

Certatim ceteri. Ita Ms. Reg. et ed. pr. Male Puteolan. et recentiores *tum certatim.* Abest etiam *certatim* a Ms. Bodl.

Sive ceperat. Mss. Reg. Jes. et edd. vett. *cœperat.* Recentiores *ceperat.* Nec male.

CAP. 32. *Lucullianos in hortos.* Mss. et ed. pr. *Fucillianos.* Puteolan. *Lucilianos.* Melius ceteri *Lucullianos.*

Consilium eximerent. Ita Mss. Flor. Reg. Bodl. Bud. Guelf. Agr. ed. pr. Ernest. et alii. Puteolan. *adimerent.*

Eripiuntur. In Ms. Reg. *expuuntur.* In ed. pr. *reperiuntur,* unde Puteolan. excogitavit *eripiuntur.* Forte melius *excipiuntur,* quod et Ernesto placet.

CAP. 33. *Et P. Largo Cæcina.* Edidi *et,* quod in Ms. Reg. legatur *a P. Largo.* Non crediderim emendand. *C. Largo,* ut hic Largus idem sit ac C. Largus, qui consul fuit cum Claudio A. U. C. 795. At cum L. Vitellius hoc ipso A. U. C. 801. consul fuerit suffectus A. Vitellio, sic quoque P. Largum suffectum fuisse L. Vipsanio opinor; unde metus ne Claudius ad pœnitentiam a consulibus mutaretur.

Sumitque. Ita Ms. Reg. in Mss. Bodl. *insumitque.* Ms. Flor. *is sumit.*

CAP. 34. *Quin multa cum invidia.* Mss. Bodl. Jes. et Puteolan. *quæ* pro *quin.* At in marg. Ms. Bodl. *quin,* quod et in ceteris optimæ notæ scriptis et editis libris. Sic mox Puteolan. edidit *ergo auditurum,* cum alii habeant *igitur.*

CAP. 35. *Quidquid habitum.* Cl. Chiffletius *habitum* non culpabat; sed *avitum* conjiciebat, quod probavit Lips. Nihil mutand.

Ad minas erumpentem. Ita Mss. ed. pr. et Ernest. Frustra Puteolan. *prorumpentem.*

Cohortium clamor dehinc continuus. Sic libri omnes editi. In

Mss. Harl. Bodl. Jes. et Guelf. *Continuus dehinc cohortium clamor.* Ad aures accommodate.

Messalinæ datum. Bene Pichena ex Ms. Flor. Male in ceteris *Silio ac Messalinæ datum.*

Cap. 37. *Prorumpit Narcissus.* Pichena e Ms. Flor. In aliis *prorupit.*

Quam morti decus. Rhenan. *morte.* Melius ceteri e Mss. *morti.*

Cap. 38. *Ictu tribuni transfigitur.* Mallet Lips. *transigitur.*

Levissimum fastigii ejus. Hæc et cetera usque ad libri finem totidem apicibus exhibet Ms. Reg. quem sum secutus. Nec multum abludit ed. pr. Alii aliter. *Fastidii* pro *fastigii* emendavit Ernest. Et quidem *fastidii* habent Mss. Vatic. 1863 et 1864. et Flor. *Fastigii* autem Mss. Vatic. 1958. Harl. Bodl. et Jes. *Supra Pallantem* Ms. Flor. et recte. In Mss. Harl. Bodl. et Jes. *secundum Pallantem.* Demum pro *tristitiis multis,* quidam emendant *flagitiis inultis,* sicque legitur in Mss. Vatic. 1863 et 1864. Alii *flagitiis inultis,* ita quoque Mss. Vatic. 1958. et Bodl. Tamen in Ms. Vatic. 1958. supra *flagitiis* scriptum *tristitiis.* In ed. pr. *tristiciis multis,* quod et Ernest. probavit. Si quis tamen mallet *flagitiis multis,* non multum repugnarem. Multa sane extitere Agrippinæ et Neronis flagitia inde orta, sed quæ non fuerunt inulta; ideoque minime probabile *flagitiis inultis.* Plus tamen sensus in *tristitiis multis,* ut in Notis explicatum.

NOTÆ ET EMENDATIONES

AD LIBRUM DUODECIMUM ANNALIUM

C. CORNELII TACITI.

Cap. 1. *Cælibis vitæ intoleranti.* Mss. Vatic. 1863. Flor. Reg. et ed. pr. *Cælibis vitæ intonanti.* Mss. Vatic. 1864 et 1958. Harl. Bodl. Jes. et Puteolan. *Cælibi vitæ intonanti.* Ms. Agr. *insolenti.* Recte emendavit Pichena *intoleranti.* Sic enim sæpe Tacitus. Jac. Gronov. perperam retinet *intonanti.*

Opes, contendere, ac digna. Ed. pr. *opem.* Mss. *dignam.* Sic forte Tacitus scripserat. *Opem* enim pro *opulentiam* dixere vett. ut patet ex poeta, qui ap. Cic. Tusculan. iii, 19. laudat Priami domum, ‘Ope barbarica, Tectis cœlatis, laqueatis, Auro, ebore instructam regifice.’ Puteolan. emendavit *opes.* In ed. pr. *digna.*

Cap. 2. *Usura in Britannicum.* Ita Puteolan. et Recentiores. In ed. pr. *visura Britannicum.* Mss. Harl. Bodl. et Jes. *usuram;* quod non displicet: sic enim variatur oratio.

Stirpem nobilem····quæ posteros. Quæ redundare opinabatur Muret. Certe, si vox illa abesset, citatior illustriorque foret oratio. Haud tamen vitiosa est. Frustra ergo multi hunc locum vexavere,

quos inter Heins. qui ita emendabat, ***stirpe nobilem*** Agrippinam, ***et familiæ Juliæ Claudiæque posteros conjungere.***

Nec fœmina. Ita Ms. Reg. postulatque narratio. Libri editi ***ne.***

Expertæ fœcunditatis. Ed. pr. ***experta fœcunditati. Experta*** quoque in Mss. Harl. Bodl. et Jes. Unde forte hic legendum ***experta fœcunditate.***

Cap. 3. *Quæ ad eum.* ***Quæ*** abest a Mss. Harl. Bodl. Jes. Guelf. et edd. Puteolani et Beroaldi. Licet non valde arrideat, nolui tamen omittere, quod defendatur auctoritate multorum Mss. codicum et editionis principis aliarumque præstantissimarum.

Alia clarum. Bene Mss. Flor. Vatic. Lips. et recentiores. Haud ita eleganter in Mss. Harl. Bodl. Jes. Guelf. et edd. vett. ***alias.***

Nisi indita. Mallet Muret. ***indicta.*** Minime tamen spernendum ***indita.***

Cap. 4. *Serere crimina.* Bene Puteolan. et recentiores. Ita quoque emendatum in Ms. Vatic. 1958. In Mss. et ed. pr. ***ferre.***

Fratrumque. Sic Mss. Flor. Vatic. Reg. et ed. pr. ceteræque optimæ. Puteolanus ut et multi Mss. ***fratris.*** Ms. Agr. ***fraternum.*** Frater de fratre ac sorore dici jam lexicographis aliisque multis ante nos observatum.

Cap. 5. *Deductæ in domum patrui fratris filiæ.* Lips. e Ms. Farnes. Sic et Flor. In Ms. Vatic. 1864. ***deducte.*** Ceteri Mss. et edd. vett. ***deducta····filia.***

Et consensui imparem. Ms. Reg. et Puteolan. ***consensu.*** Copulam ***et*** deletam immerito vult Lips.

Summamque rempublicam. Ms. Flor. Lips. et recentiores. Alii ***reipublicæ.*** Latine utrumque.

Censoriæ mentis. Male quidam tentant ***Cæsareæ mentis.***

Cap. 6. *Nec diu anquirendum.* Pichena ex Ms. Flor. et recentiores. In Mss. Vatic. Harl. Bodl. Jes. et edd. vett. ***inquirendum.***

Quo uxorem Imperator acciperet. In Ms. Flor. lacuna est inter ***Imperator*** et ***acciperet.*** Forte quod olim scriptum ***quo uxorem Imperator fratris filiam acciperet.*** Mox enim c. seq. Claudius, ***senatum ingressus, decretum postulat, quo justæ inter patruos fratrumque filias nuptiæ . . . statuerentur.*** Conjectabat Lips. ***quomodo uxorem.***

Cap. 7. *T. Alledius.* Lips. ac recentiores. In vett. edd. ***Talledius.*** Alledius forte est gulosus ille, de quo Juven. v, 118. 'Tibi habe frumentum, Alledius inquit, O Libye; disjunge boves, dum tubera mittas.'

Ut Messalinæ. Libri plerique editi, ***ut Messalina.*** Bene in Mss. Reg. Harl. Bodl. et Beroald. ***Messalinæ;*** sicque emendandum viderat Ill. Huetius.

Cap. 8. *Ad spem dominationis uterentur.* Pichena ex Ms. Flor. Haud ita bene in aliis Mss. et vett. edd. ***uteretur.***

Cap. 9. *Promissis inducit.* Sic Mss. Vatic. 1864. Reg. Corb. et ed. pr. in Ms. Vatic. 1863. ***inducunt,*** sed supra emendatum ***inducit,*** quod et Mureto placebat. Melius enim ad Agrippinam, quam ad Agrippinam ejusque fautores referas. Ms. Vatic. 1958. et Puteolan. ***inducunt.***

Oraretur Claudius. Mss. Flor. Vatic. 1863 et 1958. et Bodl. in marg. Non recte in quibusdam Mss. et ed. pr. ***hortaretur.***

Super priorem. Pichena ex Ms. Flor. Ante eum et in multis Mss. *secundum.*

CAP. 10. *Accedere adversus.* Mss. Vatic. Flor. Reg. &c. ed. pr. Ryck. et recentiores. Puteolanus, Ms. Bodl. et in marg. Ms. Vatic. 1958. *accersere.*

Bellis infaustus. In Ms. Vatic. 1958. *Bellisque infaustus.* Sed *que* supra scriptum et recens additum. In Ms. Agr. *Belli infaustus,* quod Modio et Lipsio placet, nimio, ut opinor, antiquitatis studio.

CAP. 11. *Quanto ignara.* Ita Mss. Vatic. Reg. et ed. pr. In Mss. Farnes. et Corb. *ignota.* Ms. Harl. et Puteolanus *ignoratiora.* Ms. Jes. *ignorantia.* Ms. Guelf. *ignorantiora.*

Tanto toleratiora. Pichena ex Ms. Flor. In Mss. Vatic. 1863 et 1864. *tolleratiora.* Mss. Vatic. 1958. Harl. Bodl. Jes. et edd. vett. *tolerantiora.*

Ac tamen ferenda. Ed. pr. *attamen.* Melius disjungerentur, *at tamen.*

Datum post hæc.... Euphratis. Optime Ms. Corb. ed. pr. et recentiores. Male Mss. Harl. Bodl. Jes. et Puteolan. *datam. Post hæc C. Cassio, qui Syriæ præerat, deducere juvenem ripam ad Euphratis jubet.* Pro *post hæc* in ed. pr. *posthac.*

CAP. 12. *Cassius ceteros præeminebat.* Cl. Cellarius in notis ad Plin. vii, Ep. 24. putat Cassium hunc eumdem esse, de quo Pompon. Digest. lib. i, Tit. 2. 'de origine juris,' Leg. 2. Sabino 'successit C. Cassius Longinus, natus ex filia Tuberonis, quæ fuit neptis Servii Sulpicii, et ideo proavum suum Servium Sulpicium appellat. Hic consul fuit cum Quartino temporibus Tiberii. Sed plurimum in civitate auctoritatis habuit, eo usque donec eum C. Cæsar civitate expelleret. Expulsus ab eo in Sardiniam, revocatus a Vespasiano diem suum obiit.' Hic, teste Plin. vii, Ep. 24. 'Cassianæ scholæ princeps et parens fuit.' At, si revocatus est a Vespasiano, diversus est a Cassio, quem Syriæ præsidem hic memorat Tacitus. Ad hunc vero pertinet hoc, aut priore, anno cusus Antiochenorum nummus ex ære mediocri, de quo Harduinus Selecta Opera, p. 22 et 624. IMP. CLA. CAE. AV. GER. Capite Claudii laureato. Ex aversa parte in corona ΕΠΙ ΚΑΣΣΙΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΕΤ. ϟϛ. i. e. 'sub Cassio' Syriæ præside nummus 'Antiochenorum anno' æræ Antiochenæ 'XCVI.' Quæ cum ab Octobri A. U. C. 705. incipiat, annus 96. in A. U. C. 801 et 802. incidit, J. C. 48 et 49. Mss. Harl. Bodl. Jes. et edd. vett. *præeminebat.* Mss. Reg. Vatic. et ed. pr. *ceteris præerat.* A Gronov. et recentioribus editum *præminebat* ex usu Ms. Flor.

Familia Cassia ratus. Forte Tacitus omiserat *ratus.* Certe abest a Mss. Flor. Reg. et ed. pr. Primus edidit Puteolan.

Rexque Arabum Abgarus. In Mss. et edd. vett. *Acbarus,* vel *Æbarus,* aut *Abbarus* appellatur. Emendandum *Abgarus,* ut docent nummi Abgarorum regum, quos videas ap. erudit. Bayerum, Historia Osrhoen. et Edess. nummis illustrata. In iis passim occurrit ΑΒΓΑΡΟΣ ΒΑΣΙΛΕΥΣ 'Abgarus Rex.' Hic vero Abgarus, de quo nunc Tacitus, est *Maanu bar Abgar,* filius Abgari *Vehomo,* i. e. 'Abgari nigri,' fide sua in Christum notissimi, et ab Eusebio in Historia Ecclesiastica, i, 3. celebratissimi. Multa quoque de eo reperias apud Mosen Chorenensem, Historia Armeniaca, ii, 25 sq. Sed neque

ejusdem antiquitatis, neque ejusdem auctoritatis. A virtute paterna degener Abgarus, filius, fuit omnium hominum sceleratissimus, teste Procopio, p. 118. *ἀνοσιώτατος γεγονὼς ἀπάντων ἀνθρώπων.* Nec confundendus cum fratre ac successore suo, paternæ religionis æmulo, de quo Cedren. p. 177. Abgarus autem dicitur 'rex Arabum,' i. e. *Edessenorum.* Cum enim Arabes Scenitæ Mesopotamiæ Australis partem tenuissent, tractus ille terrarum sæpe appellatur *Arabia.* Sic enim Plin. v, 24. 'Arabia, supra dicta, habet oppida, Edessam, quæ quondam Antiochia dicebatur, Callirhoen a fonte nominatam, Carras clade Crassi nobiles.' V. Bayerum, libro cit. p. 35 sq. Harduin. vero minime audiendus, qui in notis ad Plin. vii, 16. pro *Abgarus* emendandum *Gabbarus* conjectat.

Quia hyems occipiebat. Ita Ms. Vatic. 1958. Puteolan. et recentiores. Ms. Vatic. 1864. *quia hyems occupabat.* Mss. Vatic. 1863. Reg. et ed. pr. *quam hyems occupabat.* Placebat quoque Mureto *occupabat.*

CAP. 13. *Rex Izates.* Mss. Vatic. 1863 et 1864. et ed. pr. *Juliates.* Ms. Vatic. 1958. *Hyliates.* At cum in iisdem Mss. c. sq. sit *Ezates,* et Josephus, qui rem totam narrat Antiq. Jud. xx, 2 et 3. principem illum appellet *Izaten,* de ejus nomine minime dubitandum.

Et Arbela. Hæc desunt in Mss. et edd. vett. At cum sint necessaria, ea merito supplevere Ryck. et Ernest. ex Ms. Agr. qui illa, ut videtur, ab eruditi alicujus viri conjectura accepit.

Præcipua religione Herculi. Bene Mss. Flor. Harl. Bodl. Jes. Guelf. Puteolan. et Ernest. Male ed. pr. *præcipue religione Herculis.*

Tempore stato. Pichena ex Ms. Flor. Mss. Harl. Bodl. Jes. et vett. edd. *statuto.*

Ubi pharetras telis onustas. Ms. Vatic. 1958. et Puteolan. In Mss. 1863 et 1864. *telis omissis onustas;* unde quidam tentavere *telis omnigenis* aut *missilibus onustas.* Sed frustra. Pro *ubi* in Mss. Harl. et Jes. *ut.*

Qua····pererraverit. Pichena ex Ms. Flor. et recentiores. In Ms. Reg. et ed. pr. *quas····pererraverit.* Mss. Harl. Bodl. Jes. et Puteolan. *quas····pererraverint.*

CAP. 14. *Hostes emercari.* Ita Mss. Harl. Bodl. Jes. Corb. et edd. omnes vett. Cl. Ernest. *hostem.*

Roma petere reges. Ms. Reg. et Puteolan. In Mss. Jes. Guelf. Herbip. et ed. pr. *Romam.*

Quod unum reliquum. Puteolan. *quod unum erat reliquum.*

Medos tum præsidens. Ita omnes ferme Mss. et edd. veteres. Pichena e Ms. Flor. *Medos.*

CAP. 15. *Mithridates Bosphoranus.* Græcis Βοσπορανός. In Mss. Latinis *Bosphoranus.* Nihil ergo mutaverim ut scribatur *Bosporanus, Bosporus.* Sic, si Græcorum usus obtineret, scribendum foret *Mithradates.* Passim enim in nummis ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΜΙΘΡΑΔΑΤΟΥ. Sæpe etiam in Mss. Latinis *Mithradates.*

Abisse cognoverat. Ita Mss. Vatic. et ex usu vet. Alii *Abiisse.*

Siracorum rex. Perperam in Mss. *Syracusorum rex.* Alias populos illos vocant *Seracos, Soracos.*

Aorsorum genti. Prave appellantur in Mss. *Adhorsci, Adorsi, Adversi.* Sunt *Aorsi* quos memorat Plin. vi, 16.

Cap. 16. *In Siracos pergunt.* Præpositionem omittunt Mss. Vatic. 1863. Reg. et edd. vett.: habent Mss. Vatic. 1864 et 1958. et recentiores.

Cratibus revinctis. Mss. Flor. Vatic. Reg. Cl. Ernest. et Lallemand. *cratibus et vimentis.* At *vimentis* vox est Romanis ignota. Ms. Corb. et ed. pr. *cratibus ac jumentis.* Ms. Bud. *cratibus vinctis ac vimentis.* Mss. Harl. Bodl. Jes. et Puteolan. *cratibus junctis.* In tanta scriptorum et editorum librorum varietate opinor Tacitum scripsisse *cratibus revinctis.* Sic Cæsar B. G. vii, 23. ait muros Gallorum construi trabibus perpetuis directis in longitudinem, 'quæ revinciuntur introrsus, et multo aggere vestiuntur.' Idem Cæsar iv, 17. pontem supra Rhenum extruxit, 'bipedalibus trabibus immissis in contrariam partem revinctis. Hæc directa materia injecta contexebantur, ac longuriis cratibusque consternebantur.'

Cap. 17. *Postero misere.* In Mss. et vett. edd. *postremo.* Melius *postero.*

Corporibus orantes. Sic Ms. Vatic. 1958. et Puteolan. In Mss. Vatic. 1863 et 1864. et ed. pr. *exorantes.*

Incruentum et victorem. Ms. Vatic. 1958. et Puteolan. In Mss. Vatic. 1863 et 1864. et ed. pr. *invictum et victorem.*

Plerisque centurionum. Ita Rhenan. ex Ms. Bud. Mss. Vatic. Oxon. edd. vett. *plerisque consularium:* quidam *consiliarium.* Conjectavere Lips. *auxiliarium,* Pichena *classicorum,* N. Heins. *commanipularium,* J. Gronov. *contubernalium.* Placet *centurionum,* quod, ut Cl. Ernesto observatum, præcipua in cladibus centurionum mentio. Scilicet occisis ducibus, prævaluere barbari.

Cap. 18. *Odiis non infensum.* Modius ex Ms. Agr. Negatio abest a Mss. et edd. vett. J. Gronovio placuit *inoffensum.*

Cap. 19. *Etiam communionem.* Ita fere omnes Mss. et edd. vett., atque ex usu Taciti, qui orationis varietate merito delectatur. In Ms. Vatic. 1864. et quibusd. edd. *ex communione.*

Non regnum. Ernest. ex Ms. Guelf. Ac certe vivide et eleganter. In ceteris Mss. et edd. vett. *neque regnum.*

Cap. 20. *At Claudius.* Ms. et edd. vett. Quædam recentiores *atque.*

Libido vindictæ adigebat. Ms. Vatic. 1958. et Puteolan. In Mss. Vatic. 1863 et 1864. Reg. et ed. pr. *adjacebat.*

Cui inopi. Puteolan. et recentiores. In multis Mss. et ed. pr. *quin inopi.*

Quanta pervicacia in hostem, tanta. Haud defraudandus merita laude Muret., qui hunc locum ita restituit. Ante eum in Mss. et edd. vett. legebatur, *quanta* vel *quantalibet pervicacia in hoc tentata.*

Cap. 21. *Junium Cilonem.* In Mss. et vett. edd. *Colonem.* Recte emendatum *Cilonem* ex Dione, lx, p. 687. Ἰουνίου Κίλωνος. Et in antiquis inscriptionibus sæpe memorantur Cilones, non vero Colones.

Cap. 22. *Cadius Rufus.* Rufum hunc *Claudium, Cordium, Canium* vocitabant. Quam vane, probant nummi duo ærei, dum proconsul erat, Nicææ cusi, quos publicavit Cl. Pellerin, *Recueil de Médailles de Villes,* Vol. iii, p. 227. Alter Claudii Imperatoris, Capite laureato, cum duabus spicis: ΤΙ. ΚΛΑΥΔΙΟΣ. ΚΑΙΣΑΡ. ΣΕΒΑΣ-

ΤΟΣ. ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΣ. 'Tiberius Claudius Cæsar Augustus Germanicus.' In aversa parte Γ. ΚΑΔΙΟΣ. ΡΟΥΦΟΣ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΣ. 'Caius Cadius Rufus proconsul;' et tetrastylon, cujus basi inscriptum ΝΕΙΚΑΙΕΩΝ *Nicænorum*. Eadem omnino aversa pars in altero nummo, cujus antica Messalinæ caput exhibet cum duabus quoque spicis, et inscriptione ΜΕΣΣΑΛΕΙΝΑ. ΣΕΒΑΣΤΗ. ΝΕΑ. ΗΡΑ. 'Messalina Augusta nova Juno.'

CAP. 23. *Sohemo atque Agrippa.* Ne perobscuris Herodum rebus historiæ Romanæ, atque imprimis Tacito, tenebræ offundantur, breve Herodum Stemma proponam, eorumque nummos paucis expendam: quod ad sacros quoque Scriptores illustrandos haud parum juvabit. Nec pigebit de Sohemorum Stemmate nonnulla addere.

HERODUM STEMMA.

ANTIPATER, 1.
Uxor
CYPROS, 2.

HERODES MAGNUS, 3.
Uxores

MARIAMNE, 4. Alexandri filia. — ARISTOBULUS, 5. Uxor BERENICE, 6.
MARIAMNE, 16. Simonis filia. — HERODES, dictus quoque PHILIPPUS, 17. Uxor HERODIAS, 18. — SALOME, 19.
MALTHACE, 20. — ARCHELAUS, Tetrarcha Judææ, 21. HERODES, dictus quoque ANTIPAS, Tetrarcha Galilææ, 22. Uxor HERODIAS, 18.
CLEOPATRA, 23. — PHILIPPUS, Tetrarcha Iturææ et Trachonitidis, 24.

(Aristobulus et Berenice:) AGRIPPA MAGNUS, 7. HERODES, 25. HERODIAS, 18.

AGRIPPA MAGNUS, 7. Uxor CYPROS dicta quoque JULIA, 8.

HERODES, 25. Rex Chalcidis, Uxores BERENICE, 11. MARIAMNE, 26. — ARISTOBULUS, Rex minoris Armeniæ, 27.

(Agrippa Magnus et Cypros:) AGRIPPA II. 9. DRUSUS, 10. BERENICE, 11. DRUSILLA, 12.

DRUSILLA, 12. Uxor AZIZI, 13. FELICIS, 14. — AGRIPPA, 15.

STEMMA HERODUM ILLUSTRATUM.

1. ANTIPATER, Dynasta Idumææ, pater Herodis Magni. Joseph. Antiq. Jud. xiv, 1.

2. CYPROS, ex primoribus Arabiæ oriunda, mater Herodis Magni. Joseph. Antiq. Jud. xiv, 12.

3. HERODES MAGNUS, filius Antipatri et Cyprus, juvenis adhuc, Galilææ, Cœlesyriæ, et Samariæ præfectus, Joseph. Antiq. Jud. xiv, 17. De Bell. Jud. i, 8. Judææ regnum ex senatusconsulto accipit A. U. C. 714. Joseph. Antiq. Jud. xiv, 26. Captis Hierosolymis, cæsoque Antigono, rex iterum a senatu renuntiatur, A. U. C. 717.

Joseph. Antiq. Jud. xiv, 28. Dio xlix, p. 405. Tacit. Hist. v, 9. Petavius Doctrin. Temp. xi, 1. Moritur A. U. C. 750. quadriennio ante vulgatam æram Christianam, Joseph. Antiq. Jud. xvii, 10. Igitur priore anno, si Josepho de morte Herodis habetur fides, natus erat Jesus Christus. Extant nummi ΗΡΩΔΟΥ. ΕΘΝΑΡΧΟΥ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΗΡΩΔΟΥ, i. e. 'Herodis Ethnarchæ, regis Herodis,' cum notis Γ. I. E. I. i. e. 'annorum ejus regni, tertii, decimi, decimi quinti.' Vide P. Frœlich, Notit. Elem. Numism. cap. 10. p. 224.

4. MARIAMNE, Alexandri filia, neptis Hyrcani, Herodis Magni uxor. Joseph. Bell. Jud. i, 10.

5. ARISTOBULUS, filius Herodis Magni et Mariamnes, a patre interfectus. Joseph. Antiq. Jud. xvi, c. ult.

6. BERENICE, filia Costobari et Salomes Idumæorum, uxor Aristobuli, summa necessitudine cum Antonia, Claudii Imperatoris matre, Romæ conjuncta. Joseph. Antiq. Jud. xvi, 1. xviii, 8.

7. AGRIPPA MAGNUS, filius Aristobuli et Berenices, nepos Herodis Magni, D. Lucæ Act. xii, 1. dictus Herodes. A Tiberio in vincula conjectus, mox a Caio regnum accepit, datis ei Philippi, Lysaniæ et Herodis Antipæ tetrarchiis: regnum ejus amplificavit Claudius, additis Judæa et Samaria. Mortuus est Agrippa A. U. C. 797. J. C. 44. cum regnasset quatuordecim annos, imperante Caio, tres sub Claudii principatu. Post ejus mortem, Judæa Syriæ contributa. Joseph. Antiq. Jud. xix, 7. Tacit. An. xii, 23. Nos sæpe in Suppl. An. vii, viii, ix, et x. In nummis, ΑΓΡΙΠΠΑΣ ΒΑΣΙΛΕΥΣ, i. e. 'Agrippa rex.' Multi in Museo Collegii Ludovici Magni habebant tantum literas BA. i. e. 'rex Agrippa,' vel ΒΑΦ cum lilio, i. e. 'rex Agrippa,' nummus 'Phasaëlitarum.' Lilium vero illud est lilium rubens, seu Cynorrhodon, quod in Cant. Cantic. ii, 1. dicitur 'lilium convallium.' 'Laudatissimum' nascebatur 'in Phaselide,' Plin. xxi, 5. Annus regni Agrippæ tertius litera Γ exprimitur, ap. P. Frœlich. l. c. p. 226. Aucta a Claudio fortuna, appellatur in nummis ΒΑΣΙΛΕΥΣ. ΜΕΓΑΣ. ΑΓΡΙΠΠΑΣ. ΦΙΛΟΚΛΑΥΔΙΟΣ, i. e. 'rex magnus Agrippa, amicus Claudii.' Dictus est quoque Julius, ut patet ex Inscriptione de qua num. sq.

8. CYPROS, filia Phasaëli et Salampsionis, uxor Agrippæ Magni. Joseph. Antiq. Jud. xviii, 7. Dicta est quoque Julia in nummo Agrippæ II. Græci, gens adulatrix, in vet. marm. quod Cl. Spon, *Voyage*, vol. iii, Pt. ii, p. 35. Athenis descripsit, eam appellant:

ΙΟΥΛΙΑΝ ΒΕΡΕΝΕΙΚΗΝ ΒΑΣΙΛΙΣΣΑΝ ΜΕΓΑΛΗΝ
ΙΟΥΛΙΟΥ ΑΓΡΙΠΠΑ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΘΥΓΑΤΕΡΑ
ΚΑΙ ΜΕΓΑΛΩΝ ΒΑΣΙΛΕΩΝ
ΕΥΕΡΓΕΤΩΝ ΤΗΣ ΠΟΛΕΩΣ ΕΚΓΟΝΟΝ.

Id est, 'Juliam Berenicen, reginam magnam, Julii Agrippæ regis uxorem, et magnorum regum beneficentissimorum in hanc urbem progeniem.'

9. AGRIPPA II. filius Agrippæ Magni et Cyprus, decimo septimo ætatis anno patrem amisit. Cum nondum regno maturus videretur, Judæa Syriæ contributa est, ut diximus. At quinquennio post, A. U. C. 802. J. C. 49. mortuo patruo ejus Herode, rege Chalcidis, ejus

regno donatus est. Joseph. Antiq. Jud. xx, 5. Post quatuor deinde A. U. C. 806. J. C. 53. ablata Chalcide, Claudius ei dedit Philippi Tetrarchiam et Bataneam; addidit quoque Trachonitidem, cum Abila, quæ Lysaniæ fuerat Tetrarchia, Joseph. Antiq. Jud. xx, 7. Nero primo imperii sui anno regnum ejus adhuc auxit, data parte Galilææ, Juliade, urbe Peræææ, et vicis quatuordecim in ejus vicinia positis: Tiberiadem quoque et Taricheas ei parere jussit, *Τιβεριάδα καὶ Ταριχέας ὑπακούειν αὐτῷ κελεύσας*, Joseph. Antiq. Jud. xx, 8. Coram Agrippa causam dixit Paulus anno Neronis sexto, Luc. Act. xxv et xxvi. Pearson, Annales Paulini, p. 18. Diuturno regno, quod et Vespasianus amplificavit, potitus per annos 51. mortuus est Agrippa, anno Trajani tertio, J. C. 100. Justus Tiberiensis apud Phot. Cod. xxxiii.

In nummo e thesauro regio, quem laudat Harduin. Select. Oper. p. 573. appellatur ΑΓΡΙΠΠΑΣ ΑΓΡΙΠΠΑ ΚΑΙ ΙΟΥΛΙΑΣ ΥΙΟΣ, i. e. 'Agrippa Agrippæ et Juliæ filius.' Prænomen *Marci*, in memoriam sane Marci Antonii, qui regnum dedit Herodi Magno, accepit, ut liquet ex nummo Cl. Pellerin, *Supplément aux Recueils de Médailles de Rois*, p. 1. ΜΑΡΚΟΥ ΑΓΡΙΠΠΟΥ ΒΑCΙΛΕΟC, 'Marci Agrippæ regis.' Ceterorum Agrippæ nummorum pars inscribitur ΒΑ. ΑΓΡΙΠ. L. vel ΕΤΟΥ. ΑΙ. ΙΔ. Kϛ. ΚΘ. i. e. 'regis Agrippæ' anno 'undecimo,' 'decimo quarto,' 'vigesimo sexto,' 'vigesimo nono.' Unum etiam protulit Cl. Pellerin, *Recueil de Médailles de Rois*, p. 176. anni trigesimi quarti, ΕΤ. ΔΛ. Pars altera inscribitur ΕΠΙ ΒΑ. ΑΓΡΙΠ. i. e. 'sub rege Agrippa.' Cum præpositio illa numquam in nummis regum, sed præsidum tantum occurrat, videtur Agrippa quasdam provincias urbesve præsidis imperio rexisse; idque de Tiberiade et Taricheis innuit Josephus supra laudatus. Observandum denique in nummis Agrippæ II. diversas æras signari, quæ initium ducunt a diversis temporibus, quibus regna auspicatus est, ut Chalcidis, Trachonitidis, Juliadis, &c. quæ satis sit monuisse, cum iis immorari haud liceat.

10. Drusus, Agrippæ II. frater, ante pubertatem mortuus. Joseph. Antiq. Jud. xviii, 7. Sic vel filiorum suorum nominibus Romanorum gratiam aucupabatur Agrippa Magnus.

11. Berenice, soror Agrippæ II. nupta Herodi regi Chalcidis et Polemoni regi Ciliciæ, postea Titi amoribus percelebris. Joseph. ibid. Tacit. Hist. ii, 2 et 81. Nos quoque in Suppl. Hist. v.

12. Drusilla, soror Agrippæ II. uxor primum Azizi, regis Emesorum, deinde Felicis, præsidis Judææ. Joseph. ibid. D. Lucas, Act. xxiv, 24. Alia est Drusilla, Cleopatræ et Antonii neptis, quam Felix, qui tribus reginis nupsit, in matrimonium accepit.

13. Azizus, rex Emesorum: de quo plura in Stemmate Sohemorum, n. 5.

14. Felix, dictus Tacito Antonius Felix, frater Pallantis, libertus Claudii, præses Judææ, conjux Drusillæ, trium reginarum maritus. Joseph. Antiq. Jud. xx, 5. Suet. in Claud. 28. Tacit. An. xii, 54. et Hist. v, 9. Coram Felice causam dixit D. Paulus, Act. Apostol. xxiv.

15. Agrippa, filius Felicis et Drusillæ, periit cum matre incendio Vesuviano, Titi tempore. Joseph. Antiq. Jud. xx, 5.

16. Mariamne, Simonis filia, uxor Herodis Magni. Joseph. Antiq. Jud. xviii, 7.

17. Herodes, filius Herodis Magni et Mariamnes, Simonis filiæ. Joseph. ibid. Ille ipse est qui D. Marco vi, 17. dicitur Philippus. Quod cum non attenderet eruditus Frœlich, Notit. Elem. Numismat. p. 223. scripsit Philippum hunc eumdem esse ac Philippum, Tetrarcham Trachonitidis, de quo inf.

18. Herodias, soror Agrippæ i. uxor Herodis Philippi, mox abducta a patruo suo Herode Antipa, ut dicetur postea.

19. Salome, filia Herodis Philippi et Herodiadis, quæ Joannis Baptistæ necem petiit. Joseph. Antiq. Jud. xviii, 7. Matthæus xiv, 3.

20. Malthace, uxor Herodis Magni, Joseph. Antiq. Jud. xvii, 11.

21. Archelaus, filius Herodis Magni et Malthaces, Tetrarcha Judææ, decimo Tetrarchiæ anno Viennam relegatus. Joseph. Antiq. Jud. xvii, 15. Matthæus ii, 22. Nondum reperti ejus nummi.

22. Herodes, dictus quoque Antipas, filius Herodis Magni et Malthaces, Tetrarcha Galilææ, qui morituro Jesu Christo illusit; cum uxore Herodiade in exilium a Caio Caligula Lugdunum missus. Joseph. Antiq. Jud. xviii, 11. Luc. xxiii, 11. Nos quoque in Suppl. An. viii, 17.

In nummis ΗΡΩΔΟΥ ΤΕΤΡΑΡΧΟΥ, i. e. 'Herodis Tetrarchæ,' occurrunt notæ L. ΛΓ. ΛΔ. i. e. 'annorum' ejus regni 'trigesimi tertii,' 'trigesimi quarti.' Jesum Christum quadriennio ante vulgatam æram Christianam natum esse nummis probaretur, si indubitatæ antiquitatis foret nummus, qui circumfertur, cum nota anni L. ΜΓ. i. e. 'anno quadragesimo tertio' regni Herodis. V. Frœlich, l. c. p. 225.

18. Herodias, soror Agrippæ i. uxor primum Herodis Philippi, deinde Herodis Antipæ, quæ Joanni Baptistæ necem, conjugi suo exitium attulit, cum ipso Lugdunum relegata. Joseph. Antiq. Jud. xviii, 7. Matthæus xiv, 3. Nos in Suppl. An. viii, 17.

23. Cleopatra, uxor Herodis Magni. Joseph. Antiq. Jud. xvii, 1.

24. Philippus, filius Herodis Magni et Cleopatræ, Tetrarcha Iturææ et Trachonitidis. Joseph. Antiq. Jud. xvii, 13. Luc. iii, 1. Obiit anno Tetrarchiæ trigesimo septimo, Tiberii vigesimo. Ejus Tetrarchia, quod sine liberis decessisset, Syriæ adjecta. Joseph. Antiq. Jud. xviii, 6. Extant nummi, sed rarissimi, ΦΙΛ. ΤΕΤΡΑΡΧΟΥ, Philippi Tetrarchæ, cum notis L. Kϛ. et ΛΓ. i. e. 'annorum vigesimi sexti,' et 'trigesimi tertii.' Trigesimum hunc tertium annum, non ad Philippi Tetrarchiam, sed ad Augusti Principatus annos, ob hujus Principis caput hoc nummo signatum, refert Cl. Pellerin, *Mélange de Médailles*, Vol. i, p. 54.

25. Herodes, frater Agrippæ Magni, rex Chalcidis, mortuus est octavo Claudii anno. Joseph. Antiq. Jud. xx, 3. Rarissimi adhuc nummi ΒΑCΙΛЄωC ΗΡωΔΟΥ, 'regis Herodis;' in iis notæ L. Γ. Ε. i. e. 'anno' regni ejus 'tertio' et 'quinto.' V. Frœlich, l. c. p. 226. et Cl. Barthelemy, *Mémoires de l'Académie Royale des Inscriptions*, Vol. xxvi, p. 538.

11. Berenice, soror Agrippæ ii. uxor Herodis, regis Chalcidis, de qua jam dictum, n. 11.

26. Mariamne, filia Olympiadis et Josephi, uxor Herodis, regis Chalcidis. Joseph. Antiq. Jud. xviii, 7.

27. Aristobulus, filius Herodis, regis Chalcidis, a Nerone Armeniæ minori præfectus. Joseph. Antiq. Jud. xx, 5. Tacit. An. xiii, 7. xiv, 7 et 26.

18. Herodias, soror Agrippæ Magni, de qua dictum sup. n. 17.

Herodum fabulam contexuit Harduinus, eruditam historiam Noldius.

Sohemorum stemma adumbrare vanum foret, quod multa sileat historia: illustrasse ergo sit satis.

SOHEMORUM STEMMA ILLUSTRATUM.

1. Sohemus i. Ituræus, Herodi Magno fidelissimus, deinde suspectus, ab eo occisus a. u. c. 726. a. c. 27. ob virtutes meliora meritus. Joseph. Antiq. Jud. xv, 10 et 11. xvii, 5. Videtur Tetrarchiam quorumdam locorum circa Libanum habuisse. Joseph. Vita, xi.

2. Tholomæus, filius Sohemi i. incola, et ut videtur, princeps Libani. Joseph. Antiq. Jud. xiv, 14.

Cl. de Boze, *Mém. de l'Acad. Royale des Inscriptions,* Vol. xxvi, p. 377. obtrudit Sohemum ii. filium Sohemi i. fratrem Tholomæi, Ituræe regem, qui patri suo Sohemo i. successit in regno Ituræe, decessit anno secundo Caii Caligulæ principatus. At hæc omnia confinxit vir eruditus, et de re nummaria egregie meritus. Nemo enim novit Sohemum illum ii. nec potuit esse rex Ituræe, cum Ituræam obtineret Philippus, de quo diximus in Stemmate Herodum, n. 24.

3. Varus, nepos Sohemi, qui circa Libanum Tetrarchiam obtinuerat. Joseph. Vita xi.

4. Sohemus ii. rex Ituræe a Caio Caligula creatus a. u. c. 791. Dio lix, p. 649. Nos in Supplement. An. vii, 36. Mortuus est ante a. u. c. 802. Tacit. An. xii, 23.

5. Azizus, filius Sohemi ii. regis Emesorum, qui, ut Drusillæ nuberet, se circumcidi passus est. Primo Neronis anno obiit, et successorem habuit, fratrem suum Sohemum. Joseph. Antiq. Jud. xx, 5. De Drusilla, uxore Azizi, v. Stemma Herodum, n. 12.

6. Sohemus iii. frater Azizi; fratre mortuo, rex Emesorum: ejus regno Nero addidit Sophenen Armeniæ. Joseph. Antiq. Jud. xx, 5. Tacit. An. xiii, 7. Cl. de Boze, l. c. huic nummum æreum tribuit, qui ex una parte habet caput solis radiatum, ex altera victoriam cum palma, et inscriptionem ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΣΑΜΟΥ ΘΕΟΣΕΒΟΥΣ ΚΑΙ ΔΙΚΑΙΟΥ, i. e. 'regis Sami pii et justi;' notam quoque anni ΓΛ, i. e. 'trigesimi tertii;' cujus initium ducit ab a. u. c. 802. quo cœpit regnum Emesorum. Alia est omnino sententia Cl. Belley, et probabilior, quam tamen, cum conjecturis quoque nitatur, et Samosatena, non Romana spectet tempora, expendat, si voluerit, curiosus lector. *Mémoires de l'Académie Royale des Inscriptions,* Vol. xxvi, p. 355 et 380.

Salutis augurium. Ejus usum fuse explicat Dio xxxvii, p. 40. a. u. c. 691. Cicerone et Antonio Coss. 'bellis quiescentibus, augurium salutis, τὸ οἰώνισμα τὸ τῆς ὑγιείας, longo tempore intermissum, repetiere Romani. Est autem quoddam divinationis genus, quo exploratur, concedat ne ipsis Deus, ut populo salutem petant: quasi

nefas esset eam, priusquam concedatur, petere. Ea divinatio celebrabatur singulis annis die, qua nullus exercitus ad bellum esset profectus, nullus contra aciem instrueret, aut pugnaret.' Tunc addubitatum fuisse salutis augurium, ob imminens Catilinæ bellum testatur Cic. De Div. i, 47. Civilibus bellis postea abolitum restituit Augustus, Suet. Aug. 31. Illud aliquandiu retinuit Tiberius, sed postea omisit, harum religionum contemtor. Omissum est autem quinque et viginti annis, teste Tacito; ergo ab A. U. C. 777. quo interfectus est Tacfarinas, ut dictum est An. iv, 25.

Pomœrium Urbis. Tacitum illustraturus, quid sit Urbis pomœrium, quanta fuerit Romæ magnitudo, quis fuerit ejus incolarum numerus, expendam.

DE URBIS ROMÆ POMŒRIO ET MAGNITUDINE, INCOLARUMQUE NUMERO.

Ea fuit Romanorum pietas, ut omnia a religione auspicarentur. Enituit maxime in consecrandis urbium ac potissimum Romæ muris, qui apud eos sancti et 'quodammodo divini juris' erant. Digest. libr. i, Tit. viii, de rerum divisione, Leg. i, ex Caio. Inde legis severitas, 'Si quis violaverit muros, capite puniatur.' Ibid. Leg. ii, ex Pomponio. Ut autem maneret intacta eorum sanctitas, ab injuria hominum defendebantur atque muniebantur, relicta tam intra, quam extra urbem, parte agri, muris vicina, quam 'neque habitari, neque arari fas erat.' Liv. i, 44. Augures, sacris Etruscis usi, effatis, seu precibus, per totius urbis circuitum pone muros agrum illum consecrabant, ut facerent 'finem urbani auspicii:' inde agrum illum 'effatum' vocitabant, Gell. xiii, 14. Varro de L. L. v. Pomœrium quoque dixere, quod pone muros ager 'certis circa terminis inaugurato' consecrabatur; 'et in urbis incremento semper quantum mœnia processura erant, tantum termini hi consecrati proferebantur,' Liv. l. c.

Antiquissimum Urbis 'pomœrium a Romulo institutum, Palatini montis radicibus terminabatur.' Gell. l. c. Mons autem Palatinus quadrata ferme est figura, cujus duo latera, ad Septemtrionem et Occidentem obversa, habent singula 1300. pedes Romanos; latus Meridionale circiter 1400. pedes; latus Orientale circiter 1450. pedes. Tantula Urbs, tanti futuri imperii parens!

Crescente multitudine, montes Capitolinus, Cælius et Aventinus habitari cœpere. Servius Tullius, immensam Romani imperii majestatem præsaga mente complexus, 'addit duos colles, Quirinalem Viminalemque; inde deinceps auget Esquilias: ibique ipse, ut loco dignitas fieret, habitat. Aggere et fossis et muro circumdat Urbem: ita pomœrium profert.' Liv. l. c.

Hic Urbis ambitus tam religiose habitus est, ut, teste Dionysio Halicarnassensi, scriptore diligentissimo, qui Romæ vixit, et Augusti ætate scripsit, 'ad sua usque tempora ambitus ille ulterius non processerit, Deo, ut aiunt, id non permittente.' Προσωτέρω δὲ οὐκ ἔτι προῆλθεν ἡ κατασκευὴ τῆς πόλεως, οὐκ ἐῶντος, ὥς φασι, τοῦ δαιμονίου. Dionys. Halic. iv, 13. p. 218.

Jus tamen proferendi pomœrii penes eos mansit, qui populum Romanum, agro de hostibus capto, amplificaverant. Hanc gloriam quæsiit potius, quam meruit, Sylla, anno circiter U. C. 674. Senec.

de Brevit. vitæ 14. Potiori jure Julius Cæsar, tot devictis gentibus, id honoris sumsit A. U. C. 710. si Dioni xliii, p. 238. crediderimus, aut potius sumere voluit: silent enim Suetonius et Tacitus. Merito quoque Augustus, et ipse imperii propagator, pomœrium protulit A. U. C. 746. Dio lvi, p. 552.

At quomodo pomœrium protulere, si Urbis ambitus non creverit, ut testatur Dionysius supra laudatus? Dionysio dissentire certe non licet. Existimaverim ergo hos pomœrii propagatores, vel violatam pomœrii sanctitatem renovasse; vel, quod verius crediderim, fuisse in Urbis ambitu partes aggere et fossis circumdatas, augurum effatis non consecratas, quæ, cum pomœrium proferebatur, consecrabantur; cippique consecrationis testes ponebantur. Talis cippus, a consulibus Censorino et Gallo positus, cum Augustus pomœrium proferret, extra portam Flumentanam repertus, Tiberim inter et viam Flaminiam:

C. MARCIVS. L. F. L. N
CENSORINVS. ET. C. ASI
NIVS. C. F. GALLVS. COS
EX. S. C.
FIN. POMER. TERMIN

I. e. 'finem pomœrii terminaverunt.' Gruter. cxcvi, n. 2. Porro fuisse in Urbis ambitu partes cærimoniis pomœrii minime consecratas, patet ex monte Aventino, nunc *mount St. Sabine*, quem omnes, qui pomœrium protulerant, 'excluserunt, quasi avibus obscœnis ominosum:' donec Claudius, Britannica sua victoria elatior, quam ut ominosas religiones attenderet, eum recepit, et 'intra pomœrii fines observavit.' Gell. l. c.

Memoria extat in veteri lapide, ad cloacam S. Luciæ, non procul a Campo Floræ, ap. Gruter. cxcvi, n. 4.

TI. CLAVDIVS
DRVSI. F. CAISAR
AVG. GERMANICVS
PONT. MAX. TRIB. POT
VIIII. IMP. XVI. COS. IIII
CENSOR. P. P
AVCTIS. POPVLI. ROMANI
FINIBVS. POMŒRIVM
AMPLIAꟲIT. TERMINAꟲITQ
V V

Similis omnino lapis extat Romæ in Museo Kircheriano Collegii Romani, repertus anno 1730. ad radices Cœlioli montis, nunc *Monte Celiolo*, juxta Urbis mœnia, duos circiter pedes cum dimidio subter terram. In latere Tiburtini hujus lapidis inscripti sunt numeri XV. qui indicare videntur lapidem hunc fuisse terminum, seu cippum, decimum quintum, ut Gruterianus lapis fuit quintus terminus.

De Æolica litera ꟲ dixi sup. in not. et em. ad An. xi, 14.

Post Claudium, Nero, cum Pontum Polemoniacum et Alpes Cottias imperio addidisset; Trajanus, tot gentibus Romanæ ditioni subditis, pomœrium protulere, ut auctor est Vopiscus in Aureliano, xxi Im-

mo, teste P. Galeotti, Fr. Ficoronii Gemmæ antiquæ literatæ, p. 127. anno 1735. Romæ juxta Cœnobium Monachorum Sancti Stephani supra Cacum in fundamentis conductitiarum domorum inventa inscriptio Trajani, quæ Urbis pomœrium ab eo Imperatore auctum fuisse significabat. Inscriptionem hanc Romæ quæsivi. Sed heu! perierat, lapide marmorariis vendito.

Hadrianus, religionum curiosus, pomœrii terminos, continuatis proculdubio ædificiis, ut videre est ap. Liv. et Dionys. l. c. corruptos restituit. Qua de re singularis extat inscriptio ap. Gruter. cxcviii, n. 1.

COLLEGIVM
AVGVRVM. AVCTORE
IMP. CAESARE. DIVI
TRAIANI. PARTHICI. F
DIVI. NERVAE. NEPOTE
TRAIANO. HADRIANO
AVG. PONTIF. MAX. TRIB
POT. V. COS. III. PROCOS
TERMINOS. POMŒRII
RESTITVENDOS. CVRAVIT

Aurelianus, 'adhibito consilio senatus, muros Urbis Romæ dilatavit. Nec tamen pomœrio addidit eo tempore, sed postea.' Vopisc. l. c. Nempe postea in Urbis ambitu terminos addidit, quibus urbana auspicia agerentur.

Nunc vero cum constet de pomœrio, quæ fuerit Urbis magnitudo inquiramus. Omissis falsis opinationibus eorum, qui nihil magnum, nisi immensum, novere; quosque non puduit, duce Vopisco in Aureliano, xxxix. Romam fingere, quæ quinquaginta millia passuum, i. e. plus quam sedecim leucas Gallicas, murorum suorum ambitu contineret, eos rei absurditate revinci sit satis. Melior locupletiorque testis Plinius, iii, 5. 'Mœnia ejus collegere ambitu Imperatoribus censoribusque Vespasianis, A. C. 826. pass. 13,200.' i. e. passuum tredecim millia ac ducentos, seu leucas Gallicas ferme quinque.

At hæc ipsa mensura explicatione indiget. Majorem enim esse jam monuerat eruditus Raphael Fabretti, de Aquis et Aquæductibus, n. 261. Recens monuit Cl. Danville, *Mém. de l'Acad. Royale des Inscript.* Vol. xxx, p. 209 sq. Locorum natura demonstrat Vespasiani ætate Urbis ambitum passuum 8,200. haud esse egressum. Nec exterior ipse ambitus, ab Aureliano auctus, ac proinde multo major, ultra passuum 12,350. excurrit. Unde vir, in rebus Geographicis acutissimus, vitiatos Plinii numeros, et pro *pass.* 13,200. emendandum *pass.* 8,200. contendit.

Certe de Urbis mensura assentior, nec tamen corruptos Plinii numeros opinor. At, qui murorum ambitum ætate Vespasiani collegere, non videntur recta, sed per turrium flexus sinuososque murorum anfractus mensuram accepisse. Inde ex eorum calculis exsurgunt passus 13,200. cum sint reapse circiter 8,200. Sic quoque explices, quæ tradit Olympiodorus apud Phot. Cod. lxxx, p. 198. Ammonem Geometram, mœnia Romæ, cum primum Gothi eam in-

cursionibus infestavere, dimensum, reperisse in ejus circuitu 21,000. pass. *τὸ δὲ τῆς Ῥώμης τεῖχος μετρηθὲν παρὰ Ἄμμωνος τοῦ γεωμέτρου, καθ' ὃν καιρὸν Γότθοι τὴν προτέραν κατ' αὐτῆς καταδρομὴν ἐποιήσαντο, εἴκοσι καὶ ἑνὸς μιλίου διάστημα ἔχον ἀπεδείχθη.* Nam mœnia, quæ Ammon emensus est, sunt ipsa mœnia ab Aureliano structa, quæ 12,350. pass. tantum patebant. Hodieque ambitus Urbis, a summis Pontificibus ac maxime ab Urbano VIII. amplificatæ, patet tantum passus 15,000 ½. Nec potuere ab Ammone 21,000. pass. colligi, quin turrium murorumque flexus et anfractus dinumeraverit. Et certe *κριτικώτερος* foret, qui et Latina Plinii et Græca Olympiodori corrupta contenderet.

At, inquies, si hæc ita sint, haud ita magna fuit Roma, quam nunc in Europa plures urbes æquent superentve. Verum Urbem noscis, Romam nondum nosti. Hæc enim, si propriis utimur verbis, valde diversa, ut accipimus ex Paulo, Digest. libr. 1, Tit. 16. de Verborum significatione, Leg. 2. 'Urbis appellatio muris: Romæ autem continentibus ædificiis finitur,' et Leg. 87. ex Marcello: 'Ut Alfenus ait, Urbs est Roma, quæ muro cingeretur. Roma est etiam, quà continenti ædificia essent.' Leg. quoque 147. ex Terentio Clemente: 'Qui in continentibus Urbis nati sunt, Romæ nati intelliguntur.'

Inde eloquenter pro more suo Plin. l. c. ait, 'Exspatiantia tecta multas' Urbi addidisse 'urbes . . . Quo si quis altitudinem tectorum addat, dignam profecto æstimationem concipiat, fateaturque nullius Urbis magnitudinem potuisse ei comparari.' Nec aliter, et sub ipsa Augusti tempora Dionys. Halicarn. l. c. 'Si quis hæc aspiciens Romæ amplitudinem velit colligere, procul dubio falletur, neque certum ullum signum habebit, quo dignoscat quousque Urbs progrediatur, et ubi Urbs esse desinat: adeo cum urbanis ædificiis ipsa suburbia nexu quodam perpetuo cohærent, et hominibus hæc spectantibus Urbis in infinitam longitudinem porrectæ speciem præbent.' Ἀλλ' *ἔστιν ἅπαντα τὰ περὶ τὴν πόλιν οἰκούμενα χωρία, πολλὰ ὄντα καὶ μέγαλα, γυμνὰ καὶ ἀτείχειστα, καὶ ῥᾷστα πολεμίοις ἐλθοῦσιν ὑποχείρια γενέσθαι.* Καὶ *εἰ μὲν εἰς ταῦτά τις ὁρῶν, τὸ μέγεθος ἐξετάζειν βουλήσεται τῆς Ῥώμης, πλανᾶσθαί τε ἀναγκασθήσεται, καὶ οὐχ ἕξει βέβαιον σημεῖον οὐδὲν ᾧ διαγνώσεται μέχρι ποῦ προβαίνουσα ἡ πόλις ἔτι πόλις ἐστὶ, καὶ πόθεν ἄρχεται μηκέτι εἶναι πόλις· οὕτω συνύφανται τῷ ἄστει ἡ χώρα, καὶ εἰς ἄπειρον ἐκμηκυνομένης πόλεως ὑπόληψιν τοῖς θεωμένοις παρέχεται.*

In tanta urbe quis fuerit incolarum numerus disquirere juvat, maxime cum in enormes et absurdas computationes abeant, qui hac de re scripsere, nulla urbium notitia, suis tantum conjecturis subnixi. Existimat Lipsius fuisse Romæ quadragies centena millia, 4,000,000. hominum. Alii octogies, 8,000,000. hominum volunt. Ne alios quidem puduit scribere hominum centies quadragies, 14,000,000.

Si quis fuerit Romæ singulis annis hominum emortualis numerus esset compertum, de numero ejus incolarum nulla exoriretur difficultas; ille enim numerus, per 32. multiplicatus, foret vitalis hominum numerus, ut ex accuratissimis Cl. Petty, ***Several Essays in political Arithmetic***, aliorumque eruditorum virorum, qui postea rem illam attigere, computationibus stat certum et inconcussum.

At cum emortualem illum numerum nullus veterum scriptorum

prodiderit, alia ineunda est via, indubitatis quoque Cl. Petty, aliorumque computationibus et experimentis certissima. Nempe si in urbe frequentissima ac principe, altitudine tectorum conspicua, ut nunc sunt Parisii, ut olim fuit Roma, numerum domorum noveris, nosti numerum hominum.

Omnes enim domos summatim accipe. In singulis domibus erunt familiæ 3½. Singulæ familiæ constabunt 6. capitibus; ac proinde unaquæque domus habebit incolas 21. Hæc generatim de domibus, dicta. Sed aliæ sunt domus majores, quas vulgo appellamus, ***Hotels***, turba hominum numerosoque famulitio gravidæ. Hæ duplo sunt æstimandæ. Singulæ ergo habebunt incolas 42. Unum autem idemque esse, si incolas ex domibus, vel ex mortuis, æstimaveris, illustri exemplo patebit.

Parisiis moriuntur singulis annis hominum circiter viginti millia .... 20,000.

Ex hoc numero 20,000. multiplicato per 32. sunt Parisiis incolæ .... 640,000.

At Parisiis sunt triginta millia domorum, quas inter numerantur 500. domus majores. Multiplica domos 29,500. per incolas 21. domos majores 500. per incolas 42. invenies incolas...... 640,500.

Quæ summa eadem ferme est, ac ea quæ superius ex mortuis provenit.

Ex his igitur principiis eamdem nobis licet de numero Romæ incolarum rationem inire. At ne ex verbis suboriatur difficultas, prius præmonuerim, ut distinguimus, ***houses***, ***hotels***; sic Romæ fuisse insulas, ***houses***, domos, ***hotels***. Deinde, licet sit generalis regula ut domus duplo æstimentur, eas tamen quadruplo accipiam, ne in Urbis majestatem peccasse videar, tum etiam quod Romæ esset domus Cæsarum, ceterorumque procerum, qui tanta abundabant servorum copia, ut in una domo Pedanii Secundi, præfecti Urbis, sub eodem tecto mansitaverint quadringenti servi, ne numeratis quidem libertis, Tac. An. xiv, 42.

His observatis, adeamus P. Victorem, de Regionibus Urbis. Ipso teste, fuere Romæ INSULAE XLVI MILL. DCII. DOMVS MILL. DCCXXC.

Si insulas, 46,602. per 21. multiplicaveris, erunt incolæ ... 978,642.

In domibus 1780. per 84. multiplicatis sunt incolæ ...... 149,520.

Adde homines circiter 60,000. qui in castris Prætoriis, Urbanis, peregrinis, Vigilum, Misenatium &c. a Victore memoratis, attinebantur.

Fuere ergo

In insulis incolæ	978,642.
In domibus	149,520.
In castris	60,000.
Summa incolarum Romæ fuit	1,188,162.

Ac proinde Roma fuit multo major Parisiis, in quibus sunt tantum incolæ .... 640,000.

Fuit numerosior Londino, in quo cum singulis annis moriantur homines circiter 24,000. incolarum numerus debet esse....768,000.

Romæ magnificentia, aliunde satis perspecta, et in suis ipsis ruinis

hodieque conspicua, apparet adhuc in domorum, ***hotels,*** numero, cum tam paucæ sint Parisiis, multo pauciores Londini.

Cognita autem Romæ amplitudine ac frequentia, difficultates, quas nonnulli de veteribus Orientis urbibus movent, extricandæ. Cum immensa fuerint Ninives ac Babylonis spatia, contendunt singulis urbibus fuisse incolarum octogies centena millia, 8,000,000. Nec attendunt antiquis temporibus ita conditas fuisse urbes, non modo ut habitarentur, sed etiam ut colerentur, et, si bellum ingrueret, ut suis facultatibus copiisque sustentarentur. Id de Babylone aperte prodidit Q. Curt. v, 1. 'Totius operis [muri urbis] 358. stadia complectitur . . . Ædificia non sunt admota muris, sed fere spatium unius jugeri absunt. Ac ne totam quidem urbem tectis occupaverunt, per 90. stadia habitatur: nec omnia continua sunt, credo, quia tutius visum est pluribus locis spargi. Cetera serunt, coluntque: ut si externa vis ingruat, obsessis alimenta ex ipsius urbis solo subministrent.'

Inde Plinium, supra laudatum, intelligas, qui et Ninives, et Babylonis, et Thebarum descriptiones viderat, et tamen confidenter pronuntiabat 'nullius urbis magnitudinem potuisse ei [Romæ] comparari.' Immo ipsius ætate cum Seleucia Babylonem hausisset, in ea fuere tantum 'plebis urbanæ DC. M.' 600,000. teste Plin. vi, 26.

Itaque celeberrimæ illæ Orientis et Ægypti urbes fuere Parisiis quidem aut Londino majores, Romæ autem inferiores, vel ad summum pares. Unam in universo orbe urbem vetere Roma frequentiorem novi, Pekinum scilicet, ***Pekin***, Imperii Sinensis caput, quam ferme tricies hominum, 3,000,000. habitare scribit P. du Halde, ***Description Géograph. Histor. Chronolog. Politique, et Physique de l'Empire de la Chine***, Vol. ii, p. 7. Licet pleræque peregrinarum narrationum amplificationibus intumeant, maxime cum de hominum numero agitur, neque hæc forte eo vitio careat, frequentissimum tamen esse Pekinum, atque ipsa Roma numerosius, libenter profiteor. Idque evicere novissimæ Sinenses literæ, scriptæ Pekino die 12. Novembris, anno 1767. quibus nuntiabatur periisse hac in urbe variolis, ***small-pox***, anno 1766. plusquam centum millia puerorum. Nec magnatum liberi hoc morbo fuere afflati, quia diligentissime contactu sunt prohibiti. Unica hæc fuit adversus sævientem morbum cautio ac medela. Grassanti enim malo iterum cessere et prius habitæ, et olim insertæ, ***inoculation***, variolæ. Hæc Sinenses literæ.

Licet morbus solito acrius hoc anno sævierit, patet tamen maximam esse Pekini frequentiam. Nec miror. Urbs enim illa, ut et imperium Sinense, peste numquam fœdatur: ibi etiam pax pœne immota. Adde incredibilem populi parcimoniam, qui oryza plerumque victitet, nec ipsas sordes, ceteris populis abominatas, equos, canes, feles, mures, senio quoque ac morbo enectos fastidiat, teste eodem P. du Halde, qui id non immerito inter præcipuas Sinensis abundantiæ causas recenset: ***La chair des juments sauvages est fort estimée.... Le peuple s'accommode fort de la chair des chevaux, et des chiens, quoique morts de vieillesse, ou de maladie ; il n'a pas même de répugnance à manger celle des chats, des rats, et d'autres pareils animaux, qui se vend dans les rues :*** du Halde, l. c. p. 138. Sed certe,

et sine ullo amplificationis metu, ut recens accepi ab iis qui Pekini multis abhinc annis degunt, ibi numerantur incolæ circiter, 2,500,000.

quod minime mirum est in imperio, cui est bis millies incolarum,.................................... 200,000,000.

At cum Cl. de Paw, vir multæ lectionis, ritus, mores, aliaque Sinensis populi magno labore coacervavit, ut gentem sibi nec satis, nec diligenter cognitam extenuaret ac deprimeret, operæ pretium duxi quæ obiter attigeram fusius explanare, ut res, qua nulla est in politica œconomia attentione dignior, pro argumenti dignitate evolveretur.

DE POPULI FREQUENTIA APUD SINAS, HUJUSQUE TANTÆ FREQUENTIÆ CAUSIS.

Cl. de Paw, *Recherches Philosophiques sur les Egyptiens et les Chinois,* Vol. i, p. 89. Vol. ii, p. 361. et alibi passim, affirmat Sinarum regionem, sexies Germania majorem, tam exiguo incolarum numero frequentari, ut licet Germania, juxta Cl. Sussmilch, habeat ducenties quadragies incolas, 24,000,000, Sinæ non habeant quingenties sexagies, 56,000,000.

Deceptus est nempe Cl. vir acto familiarum Sinensium censu, cum Tartari Sinense solium occupavere superiore seculo, anno 1644. Tunc numeratæ sunt familiæ 11,052,872. Opinatus est familias illas, ut nostras, juste æstimari, si numerus familiarum per numerum 5. multiplicaretur. Qua multiplicatione confecit apud Sinas tum fuisse tantum incolas 55,264,360.

At Cl. vir non attendit Sinenses familias non æstimari, ut nostras, per numerum 5. sed saltem per numerum 6. ut constat ex multis Sinensium censibus qui familias et personas exprimunt, et complures familiæ numerum illum excedunt. Sed multiplicatio fiat tantum per numerum 6. jam censendi sunt Sinenses incolæ 66,317,232.

Præterea latuit Cl. virum in his Sinensibus censibus non numerari mulieres, non numerari liberos nisi ab anno ætatis suæ quintodecimo, non numerari senes ab anno ætatis suæ sexagesimo, non numerari milites, non numerari Mandarinos, non numerari literatos, non numerari inopia et morbis invalidos, non numerari Principes. Qui omnes si annumerentur, Sinæ habent certe, ut jam monui, circiter bis millies incolas, 200,000,000.

In Europa vero, ut plurimum, numerantur incolæ 130,000,000. Manet ergo certum et indubitatum, maximam esse apud Sinas populi frequentiam, atque etiam majorem non modo quam in Germania, at quoque quam in tota Europa, quæ tamen est Sinis multo amplior.

Hactenus et veritati et curiositati consultum, nunc consulendum publicæ utilitati, quam spectare debent sani cujusque hominis studia. Causas ergo tantæ apud Sinas populi frequentiæ inquiramus. Aliquas quidem attulit P. du Halde, *Description de l'Empire de la Chine,* Vol. ii, p. 7. nempe cœli clementiam, soli fœcunditatem, incolarum sobrietatem, imperii pacem immotam, patriæ amorem et externarum terrarum contemtum. Addideram quoque ibi promiscuos et populo acceptos esse cibos, equos, canes, feles, mures, senio quoque ac morbo enectos, aliasque sordes ceteris populis abominatas. At novas adhuc, easque penitissimas, accepi a viro harum rerum

consultissimo, qui Pekini degit, multumque adlaborat, ut Sinæ accuratissime innotescant.

Præcipuæ illæ causæ sunt: 1. Pervagata per totum imperium pietas filiorum in parentes, et jura parentum in liberos, ita ut liberi sint certissimum et locupletissimum parentum bonum. 2. Inustum homini, qui sine liberis moritur, propudium. 3. Mores ipsius imperii, quibus maxima, gravissima sanctissimaque parentum cura in maritandis liberis reputatur. 4. Honores additi viduabus, quæ secundas nuptias non ineunt. 5. Adoptiones, quæ et prole carentibus, et nimia onustis æque subveniunt. 6. Mulierum solitudo, unde iis major puerperiorum cupido, pauciora in partu pericula, maxima et assidua educandorum liberorum cura. 7. Exheredatio filiarum omnium, qua certa semper et sat ampla filiorum et familiarum patrimonia. 8. Connubia militum. 9. Certa et immota vectigalia, agris inhærentia, quæ mercatorem et artificem indirecte tantum percellunt. 10. Pauca mari, pauca in externas terras itinera. 11. Maxima facilitas, ut ex una provincia in alteram transvehantur homines, prout postulat abundantia, aut sterilitas. 12. Non sobria tantum, sed laboriosa quoque ipsorum magnatum vita. 13. Nulla præjudicata opinio ignobilium nobiliumve nuptiarum. 14. Nobilitas, ex antiquo Sinarum usu, officiis virtutibusque addicta, minime vero hereditaria: homines, non familias distinguit. 15. In publico decus morum, magnusque pudicitiæ honos. 16. Diætica imperii studia, quibus diligenter inquisitum, experimentis exploratum, literisque traditum, quidquid leguminum et radicum edule, sanum, ac salubre, potest in sterilitatibus aliisque temporum necessitatibus frumentum et oryzam supplere.

Has sane causas quicumque attente perpenderit, haud mirabitur tantam esse Sinis populi multitudinem. At id commune est hominibus vitium, ut nihil ferme moderati habeant. Nostra in Europa sæpe non satis consulitur hominum multiplicationi: apud Sinas, nimis consulitur. Unde illa morum portenta, quibus parentes monstrosos liberos et invalidos, sub ipso partu, enecant; filios ac maxime filias, premente inopia, exponunt, et doloribus mortique devovent: ipsa imperii discrimina, cui lugenda imminet ruina, quoties sudum serenumque est cœlum, nec decem pluviæ, quibus oryza, maximum Sinarum alimentum, aliaque germina pullulant, statis suis temporibus non eveniunt.

Nullane ergo certa fixaque datur regula, qua definiri possit, quæ debeat esse in imperiis hominum multitudo? Datur certe, eaque oritur ex ipsa imperiorum natura, quæ condita sunt ut tuti lætique vivant homines. Vera ergo certaque sit imperiis regula, multiplicare populum, quantum sinit securitas et lætitia. Ea est imperii felicitas, quam æque commendant ratio atque religio; quam in Italia fundatam voluit optimus Princeps Trajanus, ut dicemus, cum res ejus sumus tradituri; quam egregie descripsit Isaias, si Hebraica, ut Judæi, Syrusque interpres, legeris: Τὸ *πλεῖστον τοῦ λαοῦ, ὃ κατήγαγες ἐν εὐφροσύνῃ σου· καὶ εὐφρανθήσονται ἐνώπιόν σου, ὡς οἱ εὐφραινόμενοι ἐν ἀμήτῳ, καὶ ὃν τρόπον οἱ διαιρούμενοι σκῦλα.* Isai. ix, 3.

Hæc sunt, quæ in re magni momenti disserere volui. Cetera in

quibus Ægyptios et Sinenses non satis diligenter expressit Cl. de Paw, non nostri est instituti et otii longius prosequi. Id tantum addidero Cl. virum, ut urbium et hominum inopiam Sinensibus exprobret, iis objicere Belgas et Batavos, apud quos tot sunt urbes, tot homines. Id objici posse incredibile est. Non memorabo Sinis esse 1510. urbes muris cinctas, quarum principes, ut *Pekin*, *Nankin*, *Hang-tcheou*, *Canton*, *&c.* habent singulæ amplius decies centena millia incolarum, 1,000,000. præsidia insuper majora, *fortresses*, muris munita, 493. præsidia minora, muris quoque vallata, 2508. Belgis et Batavis, quos in exemplum adduxit Cl. de Paw, non urbes Sinenses objecerim, sed duos tantum pagos *King-te-tching*, et *Fochan*. Hic distat solum quatuor leucas ab urbe *Canton*, et refertus est sericis aliisque opificibus; ille est in provincia *Kiang-si*, ibique degunt figuli vasorum, vulgo *Porcelain:* nec nomen, nec dignitatem urbium obtinent, quod non sunt muris cincti. Singulis tamen sunt incolæ amplius decies, 1,000,000. Belgæ et Batavi habent ferme incolas 4,000,000. quot reperire est in paucis pagis, nedum urbibus, Sinensibus. Non juvat externa minuere, sed recta atque utilia ubivis fuerint æmulari, et nostra in melius mutare.

CAP. 25. *M. Suilio.* Memoratur in nummis Hierapolitarum, apud Harduinum, Select. Opp. p. 71. ΙΕΡΑΠΟΛΕΙΤΩΝ. Μ. ΣΥΙΛΛΙΟΣ, 'Hierapolitarum, M. Suillius.' In parte aversa, templum, cum epigraphe, ΑΓΡΙΠΠΕΙΝΗ ΣΕΒΑΣΤΗ, 'Agrippina Augusta.' Diversus ergo M. Suilius a P. Suilio, de quo sup. An. iv, 31. et sæpe xi et xiii. Marcum autem Suilium eundem esse, ac Suilium Rufum, de quo Plin. vii, 5. opinatur Harduin.

CAP. 26. *Intempestiva.* *Per intempestiva*, ed. Ryck. Clarus erit sensus, si ita corrigas: *puer intempestiva novercæ officia in ludibrium vertebat.* V. *Repub. of Let. for April*, 1734. p. 247.

CAP. 27. *Deduci impetrat.* Sic Mss. et edd. vett. Lips. *imperat.*

Deinde L. Pomponius. Quod ad significationem vocis *deinde* non satis attenderat Lipsius, opinabatur parum cohærere narrationem, ac forte excidisse, quæ de Sulpicii Galbæ et P. Gabinii expeditione adversum Cattos Marsosque Dio narravit, lib. lx. Verum hic nihil deest. Galbæ et Gabinii expeditionem suo loco memoravimus in Suppl. An. ix, 23.

Vangionas. Ita Mss. et edd. vett. Rhenan. *Vangiones.* In Mss. Harl. Bodl. Jes. *Wangionas.*

CAP. 29. *Mox diuturnitate.* Sic Ms. Flor. ed. pr. Ernest. et recentiores. In Mss. Harl. Bodl. Jes. et Puteolan. *diuturnitatem.* Mox pro *mutans*, in ed. pr. *mutatus.* Eleganter dictum *mutans.*

Vibilius. Ed. pr., Mss. Flor. Agr. *Vibillius.* In Mss. Harl. Bodl. Jes. *Jubilius* aut *Jubillius.*

P. Attellio Histro. Ita Mss. Diversus ergo a SEX. PALPELLIO vel PALPEIO. P. [illegible]EL. HISTRO, cujus memoria extat ap. Gruter. 447. n. 4.

Pannoniæ præsidebat. Ita plerique Mss. et edd. vett. Ms. Flor. *Pannoniam.* Utrumque Latine.

Subsidio victis, et terrori. Ita Ms. Bodl. et edd. quam plurimæ. In Ms. Flor. et ed. pr. *terrorem.* Sic quoque Ernest. Puteolan. *terrore.* Mss. Jes. Guelf. *tempore.*

Cap. 30. *Inter se partivere.* Ed. pr. *partiti sunt.* Bene Puteolan. ex Mss. *partivere.* Sic Sallust. Jug. 'Coss. designati provincias inter se partiverant.'

Cap. 31. *Cæsis qui restiterant.* In Mss. et editis libris *restiterunt.* Ex Latino usu recte Ernest. *restiterant.*

Cinctosque castris. Ms. Flor. *cunctaque castris.* Ed. pr. *cunctasque castris.* Mss. Harl. et Jes. *Cinctasque castris.* Altera manu emendatum, *cinctos.* Sic et Puteolan. Lips. aliique hic plurimam difficultatem movent, ut emendetur vel *detrahere arma suspectis, cinctisque: castris Antonam ad Sabrinam fluvium cohibere parat;* vel *cinctosque castris, Antona et Sabrina fluviis.* At eleganter dictum, *cinctosque castris Antonam,* vel potius *Aufonam et Sabrinam fluvios cohibere parat.* Nam perperam aut Tacitus, aut librarii scripsere *Antonam* pro *Aufonam;* quod jam pridem animadvertit erudit. Camden, *Britan. by Gough,* V. i, p. 190. Ed. 1806. suadetque locorum natura. Non ineleganter vertit Cl. Murphy, *He therefore resolved to disarm all who were suspected, and, by extending a chain of forts between the Nen and the Severn, to confine the malcontents between those two rivers.*

Præliis contusi. Mss. Flor. Reg. Farn. ed. pr. Pichena, Ernest. In Mss. Harl. Bodl. et Puteolan. *concussa.*

Cap. 32. *Ductus in Cangos.* Mss. Flor. Vatic. Corb. Harl. Bodl. Jes. Guelf. ed. pr. et Puteolan. *ductus inde Cangos.* Unde forte olim scriptum, *ductus inde in Cangos,* ut Pichenæ et Ernesto placuit.

Apud Brigantas. Sic Ms. Corb. et ed. pr. Puteolan. *Brigantes.* Variant quoque ceteri Mss. De Brigantibus Seneca in Apocolocynt. seu ludo de morte Claudii:

Ille Britannos	Ultra noti
Littora ponti,	Et cœruleos
Scuta Brigantas	Dare Romuleis
Colla catenis	Jussit, et ipsum
Nova Romanæ	Jura securis
Tremere Oceanum.	

Colonia Camulodunum. Ita Mss. edd. vett. et Ernest. Græcis quoque Καμουλόδουνον. In æreo Claudii nummo ap. Camden. *Britan. by Gough,* Vol. ii, p. 122. Ed. 1806. TI. CLAVD. CAES. AVG. GERM. P. M. TR. P. XII. IMP. XIIX. capite nudo. Ex adversa parte colonus duos boves agit, vulgare in nummis coloniæ signum, COL. CAMALODVN. AVG. Idem, V. ii, p. 135. Ed. 1806. ex inscr. memorat Cn. Munatium, qui fuit CENSITOR CIVIVM ROMANORVM COLONIAE VICTRICENSIS QVAE EST IN BRITANNIA CAMALODVNI. Utinam tum nummum, tum inscriptionem ipse inspexisset, ut ex eruditissimi viri testimonio indubitata constaret fides. Nomen urbis ductum videtur a CAMVLO DEO SANCTO ET FORTISSIMO: sic enim gentes illæ Martem vocitavere. Camden, Vol. ii, p. 122. Edit. 1806.

Cap. 33. *Caractaci.* Strenuus ille Britannorum imperator a Zonar. Vol. i, p. 565. Καράτακος appellatur. Sic etiam Ms. Reg. In Ms. Jes. *Carattaci.* Verum Cl. Haym, *Tesoro Britannico,* p. 145. nummum æreum e cimelio Comitis *di Winchilsea* laudat, in quo ex una parte caput nudum Principis: ex altera pedes cum clypeo equum ducit: inf. CARIC. Unde genuinum nomen esse *Carictacum*

adseverat. Eum apud Demetas, nunc *Cardiganshire*, regnasse docet erudit. Camden, *Britan. by Gough*, Vol. iii, p. 157. Ed. 1806.

Sed tum astu, tum locorum fraude prior. Ita Puteolan. et Mss. Harl. Bodl. Jes. In Ms. Flor. *sed tum astu, locorum fraude prior*. Mss. Reg. Agr. et ed. pr. sed *tamen astu*.

Caterva majorum. Ita libri omnes editi et Mss. præter Ryck. qui e Ms. Agr. perperam edidit *catervaque majore*. Nec est cur emendatum velis cum Lips. *catervæque nationum*, aut cum Freinshem. *caterva armatorum*. Absurde Barth. *Caterva Monionum*, qui vicinam insulam Monam, *Anglesey*, habitabant. Non male vertit Cl. Murphy, *On the outside of his fortifications, a vast body showed themselves in force, and in order of battle*.

Cap. 35. *Ardorem exercitus intendebant*. Verbo *intendere* sæpe utitur Tacitus. Igitur immerito hic emendatum *incendebant*. Vett. edd. et Mss. Reg. Harl. Bodl. Jes. Guelf. omnes habent *intendebant;* quod et N. Heinsio placebat.

Conferto gradu. Ita libri omnes editi. Mallet Freinshem. *conserto gradu;* sicque legitur in Mss. Harl. Bodl. et Jes.

Spathis. Spathas veteres in Celtiberia haud procul urbe *Siguenza*, Orientem versus, recens repertas exhibet Serenissimus Princeps Hispaniæ, D. Gabriel, in egregio suo opere, *Sallustio*, p. 303. Æreæ sunt, et capulo tenus paulo longiores palmis quatuor Castiliensibus, i. e. quæ Parisienses pedes duos et semissem æquant. Ibidem exhibet hastilia pariter ærea, haud procul Sagunto, nunc *Murviedro*, et Tortosa reperta. Longa sunt palmum ferme unum. Alia sunt longa sesquipalmum. Ligneis hastis præfigebantur.

Cap. 36. *Cartismanduæ*. Variant Mss. *Cartunanduam, Cartumanduam, Cartimandam, Cartismanduam*, quod magis receptum, appellant.

Suum decus extollit. Pro victoria passim erecta tropæa. In ea Belgarum parte, quæ nunc dicitur *Somersetshire*, repertam oblongam plumbi laminam in tropæum erectam et inscriptam, TI. CLAVDIVS CAESAR. AVG. P. M. TR. P. VIIII. IMP. XVI. DE BRITAN. testatur erudit. Camden, *Britan. by Gough*, V. i, p. 82. Ed. 1806. Obvii quoque nummi aurei, in quibus TI. CLAVD. CAESAR. AVG. P. M. TR. P. VIIII. IMP. capite laureato. Ex adversa parte arcus triumphalis, duobus tropæis, et equestri Imperatoris statua ornatus, cum inscr. DE BRITANNIS. Inde accipimus victum fuisse Caractacum anno priore. Sed plures per annos gesta conjunxit Tacitus, ut ipse monet inf. c. 40.

Castra præjacet. Ita Ms. Harl. Puteolan. et recentiores. In ed. pr. et Ms. Reg. *castris*. Mox emendavi, *tum, incedentibus*, Ernestum et Latinitatem secutus: in edd. vett. et Mss. Harl. et Bodl. *tunc*.

Regiis clientelis. Ita omnes, Lips. secuti: tamen in Mss. Vatic. Harl. Bodl. Jes. aliisque tum scriptis, tum editis libris ante Lips. *clientulis*. Quæ vox recipienda videretur, si vel aliis scriptoribus probata, vel ex usu Corneliano foret; nec *clientelis* elegantius diceretur.

Traducta. Bene Puteolan. et recentiores. In Ms. Reg. et ed. pr. *tradita.*

At non Caractacus. Mallet Ernest. *At Caractacus, non vultu demisso, aut verbis, misericordiam requirens.* Certe sic lætius flueret oratio.

Cap. 37. *Neque dedignatus esses.* Mss. Harl. Bodl. Jes. et Puteolan. *Neque dedignatus essem claris majoribus ortus, pluribus gentibus imperitans, fœdere pacem accipere.* Ms. Reg. et editio princeps ···· *ortum* ···· *imperantem. Fœdera pacis.* Ms. Flor. *imperitantem.* Pichena aliique recte emendavere, *Neque dedignatus esses, &c.*

Non, si vos. Ryck. ex Ms. Agr. quod Mureto et Grotio placuerat. Vulgo in Mss. et vett. edd. *nam;* quod Lips. in *num* mutavit.

Oblivio sequetur. In Mss. et editis libris, *et supplicium mei oblivio sequeretur. Et* redundare manifestum est, ex ultima prioris verbi syllaba repetitum. Pro *sequeretur* emendandum *sequetur* jam monuere Rhenan. et Lips. ediditque Ernest.

Vinclis exsoluti. Lips. e recentiores. Edd. vett. et Mss. Harl. Bodl. Jes. *absoluti.*

Laudibus gratibusque. Edd. vett. *gratiisque.* In Ms. Harl. prima manu *gratibus;* postea emendatum, *gratiis.*

Cap. 38. *Vinctos reges.* Sic ed. pr. et Mss. Flor. Harl. Bodl. Jes. Guelf. Puteolan. *victos.*

Sive hostes. In Ms. Reg. et ed. pr. *sive quod hostes. Quod* omisere Puteolan. et recentiores.

Ni cito vicis et Castellis. In Mss. et edd. vett. *nunciis et castellis;* unde emendand. videtur, *ni cito nunciis e castellis;* vel ut Mureto placuit, *ni cito e vicis et castellis.* Haud ita bene Lips. *ni citis nunciis e castellis.*

Promtissimus quisque manipulus. Mallet Lips. *e manipulis.*

Pabulantes nostros, missasque. Ita Puteolan. et Ernest. In Mss. Flor. et Guelf. *pabulantes nos ipsis.* Ms. Reg. et ed. pr. *pabulatum nos ipsos.* Mss. Harl. et Jes. *pabulantes nostros ipsos.* Unde Ald. et alii, *pabulantes nostros, ipsasque missas.*

Cap. 39. *Sors aut virtus.* Ita libri omnes scripti et editi ante Cll. Ernest. et Lallemand, qui *fors* edidere, forte operarum errore; nullam enim mutationis causam afferunt.

Temere proviso. Pichena e Ms. Flor. Male antea *provisa.*

Cap. 40. *Manlius Valens.* Ms. Reg. *Mallius.* Ed. pr. *Malleus Valens.* Puteolan. *Manlius:* cujus forte memoria extat in vet. marm. ap. Gruter. 918. n. 2.

DIIS MANIBVS
T. MANLI. VALENTIS

Major laus compositis. Mss. et edd. vett. *compositi,* quod probat Jac. Gronov. At melius Lips. et recentiores, *compositis,* ut patet ex sequenti verbo *duravissent.*

Venusius. Hic Mss. et edd. vett. *Venutius.* At inf. Hist. iii, 45. *Venusius;* quod utroque in loco a Lips. aliisque receptum.

E Jugantum civitate. Ms. Reg. *Evigantium civitate.* Ed. pr.

evigantum. Puteolan. *e Jugantum civitate.* At nemini notus ille *Jugantum* populus. Præterea tum ex superiore c. 36. tum ex Hist. iii, 45. certissimum videtur emendandum esse *Brigantum,* ut jam monuit doctissimus Camden, *Britan. by Gough,* Vol. iii, p. 234. Ed. 1806. *Jugantes* tamen retinuit Cl. Murphy, *Venusius, born in the city of the Jugantes.*

Orto discidio, et statim bello. Bene Ernest. e Mss. Flor. Agr. et ed. pr. *discidio.* Puteolan. et Mss. Harl. Bodl. Jes. *dissidio.* Nescio cur Cl. Ernest. omiserit *et,* refragantibus libris scriptis et editis.

Intercepit. Ms. Reg. *intercipit.*

Ad temporum ordinem. Ita Mss. Flor. Guelf. Harl. Bodl. Jes. Puteolan. et Ernest. In Ms. Reg. et ed. pr. *nunc ad temporum.*

CAP. 41. *Ser. Cornelio Orphito.* In marmorea Antiatina tabula,

TI. CLAVDIO AVGVSTO V
COS
SER. CORNELIO ORPHITO

Annus, quo Claudius v. et Orphitus coss. fuere, insignis est vet. lapide, qui fastorum pontificalium partem exhibet, ap. Gruter. p. 300. n. 1.

ADLECTVS. AD. NVMERVM. EX. S. C
Nero Claudius CAESAR. AVG. F
GERMANICVS
Ti. CLAVDIO. CAESARE. AVG. GERMAN. V̅
Ser. CORNELIO. ORFITO. COS
P. R. C. ANN. DCCCIIII

I. e. post Romam conditam anno 804. Nec in eo stetit senatus adulatio. Fuit adhuc Nero 'Sacerdos cooptatus in omnia Conlegia (i. e. Collegia) supra numerum ex senatusconsulto,' ut accipimus ex argenteo nummo, qui olim fuit in Museo Collegii Ludovici Magni: ex una parte, caput Neronis nudum, NERO CLAVD. CAES. DRVSVS GERM. PRINC. IVVENT. ex altera, instrumenta Sacerdotalia, SACERD. COOPT. IN. OMN. CONL. SVPRA. NVM. EX. S. C. Igitur uno eodemque anno *virilis toga* Neroni maturatur, fit *princeps juventutis, consul designatus, proconsulari imperio,* i. e. per omnes Imperii provincias majori auctoritate, quam cuncti provinciarum præfecti, *pontifex adlectus ad numerum pontificum, sacerdos* in omnia collegia cooptatus extra numerum. Quomodo antea inter filios nepotesve Principum pontificatus ac sacerdotia fuerint divisa docebit Cl. de la Bastie, *Mém. de l'Acad. Roy. des Inscr.* Vol. xii, p. 345 sq.

Libens cessit. Ita Ms. Guelf. et ed. pr. Male Puteolan. et Mss. Harl. Bodl. Jes. *liberis cessit.* Sed in Ms. Harl. altera manu emendatum *libens.*

Congiarium plebi. Puteolan. In Mss. Harl. Bodl. Jes. *plebei.* Ed. pr. *plebeis.*

Triumphalium veste. Mallet Freinshem. *triumphali in* aut *cum veste.* Vellent alii, *triumphantium.* Utcumque tamen ferri potest *triumphalium,* cum *triumphales* viros passim memoret Plin.

Simul qui. Male Beroald. *simulque qui,* reclamantibus libris scrip-

tis et editis. Mox *miserabantur* primus edidit Puteolan. In ed. pr. et Mss. Guelf. et Harl. Bodl. Jes. *miserebantur.*

Tali occasione. Obvii. Sic interpunxit Lips.; et recte quidem. Antea conjunctim, *Tali occasione obvii.* Sic tamen edd. vett. et Mss. Bodl. Jes.

Quasi criminibus. Ita Mss. Reg. Corb. ed. pr. aliæque plurimæ. Puteolan. et Mss. Harl. Bodl. Jes. Guelf. *tanquam criminibus.* Mox *Claudius* habent Puteolan. et iidem Mss. Abest ab ed. pr. et Mss. Flor. Reg. Corb. et Agr.

CAP. 42. *Rufius Crispinus.* Mss. Reg. Flor. Corb. In Ms. Harl. *Ruffius.* Puteolan. *Rufus.* Ed. pr. *Ruffus.* In Ms. Jes. An. xv, 71. *Rufius.*

Burrum Afranium. Mss. Flor. Reg. et ed. pr. De alio quoque, sed ejusdem nominis, ap. Gruter. cviii, n. 4. IMP. COMMODO III ET BURRO COS. Puteolan. et Mss. Harl. et Jes. *Burrhum.*

Qui mos. Mallet Ursin. *qui honos.*

Et sacris antiquitus. Ita Mss. Reg. Corb. ed. pr. Lips. et recentiores. Puteolan. *et sacris Druidibus antiquitatis.* In Mss. Harl. Bodl. Jes. et Guelf. *et sacris Druidibus antiquitus.* Hicne memorati Druides, et *antiquitus* additum, quod eos Tiberius Claudiusque sustulissent, ut notabimus inf. An. xiv, 30. Sed verius *Druidibus* redundare.

Aqua atque igne interdiceret. Rhenan. ac recentiores. Ms. Reg. et ed. pr. *interdicat.* Mss. Harl. Bodl. Jes. et Puteolan. *interdiceretur.*

CAP. 43. *Invalidus quisque obtriti.* Pichena e Ms. Flor. In vett. edd. et Mss. Harl. Bodl. Jes. *obtritus.* Idem sup. edidit *prorutæ,* Rhenan. inf. *accipiebatur.* Antea in scriptis editisque libris *proruptæ,* vel *præruptæ,* vel *perruptæ,* et *accipiebantur.*

Vi urgebant. Puteolan. *vi* omiserat; restituit Pichena. Sic et ed. pr.

Militum globo infensos. Ita Mss. Flor. Reg. Agr. et ed. pr. Puteolan. et Mss. Harl. Bodl. *infestos.*

Olim ex Italiæ regionibus. Rhenan. ex Ms. Bud. In ed. pr. et Ms. Flor. *olim Italia regionibus portabat.* Puteolan. *Italiæ . . . portabant.* Miror Cl. Ernest. qui arbitratur Tacitum scripsisse, *Italia,* vel *ex Italia, legionibus . . . commeatus portabant,* vel *portabatur.* Addit, de *legionibus* certe non dubitandum: Ernesto assentitur Cl. Lallemand. Ego vero receptam scripturam minime mutaverim, duce Plin. iii, 5. 'Auctorem nos divum Augustum secuturos, descriptionemque ab eo factam Italiæ totius in regiones XI.' 'Undecim' illas 'regiones' passim memorat Plin.

CAP. 44. *Potentiæ promtæ.* Ita libri omnes. Mallet Lips. *promtum.* Freinshem. *properum,* vel potius *impotentiæ promtæ.* Nihil mutaveris: Pharasmanes metuit juvenem, cui promta erat potentia, et studio popularium accinctum. Sic Tac. Vit. Agr. 35. 'Promta tamen omnibus arma, ac si res poscat, exercitus;' et sic sæpe alias.

Vergentibus jam annis. Ms. Jes. et ed. pr. *urgentibus.*

Et ornante. Ms. Flor. Lips. ac recentiores. In Mss. Harl. Bodl. Jes. et Puteolan. *orante.* Ms. Reg. et ed. pr. *ignorante.*

Cap. 45. *Regressus ad patrem.* Rhenan. et recentiores. In vett. edd. et multis scriptis libris, *regressusque ad patrem.*

Quæ fraude confici potuerint, promta nuntiat. Bene Lips. In Mss. Bodl. Jes. et Puteolan. *qua fraude confici potuerit, promte nuntiat.*

Irruptione subita. Male Pichena e Ms. Flor. *eruptione.*

Scelere et pecunia verterentur. Ernest. ex Mss. Bud. et Agr. quibus suffragantur Ms. Flor. et ed. pr., licet in iis corrupte *uterentur.* Puteolan. ut et Mss. Harl. Bodl. Jes. Guelf. *venderentur.*

C. Ummidium Quadratum. Pessime Ms. Reg. et ed. pr. *tum Midium Quadratum.* Puteolan. *T. Vinidium Quadratum.* Mss. Harl. et Bodl. *Umidium.* Alii aliter: male omnes. Verum nomen ex vet. lapide Casinatis monasterii docuit Em. Noris, Epoch. Syromacedon. Diss. iii, p. 183.

C. VMMIDIO. C. F. TER. DVRMIO
QVADRATO. COS. XV. VIR. S. F
LEG. TI. CAESARIS. AVG. PROV. LVSIT
LEG. DIVI. CLAVDI. IN. ILLYRICO. EIVSDEM. ET
NERONIS. CAESARIS. AVG. IN. SYRIA. PROCOS
PROVINC. CYPRI. Q. DIVI. AVG. ET. TI. CAESARIS
AVG. AED. CVR. PR. AER. X. VIR. STLIT. IVD. CVRAT
TABVLAR. PVBLICAR. PRAEF. FRVM. DANDI. EX. S. C

Extant quoque nummi plurimi ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΕΠΙ ΚΟΥΑΔΡΑΤΟΥ. ΕΤ. ΔΡ. atque etiam ΕΤ. ΕΡ. ϛΡ. ΗΡ. i. e. nummi 'Antiochensium, sub Quadrato' præside, anno 104. 105. 106. 108. æræ Antiochenæ, seu u. c. 808 et 809. 810 et 812. V. Em. Noris, l. c. p. 182. et Harduin. Select. Opp. p. 635 sq.

Cap. 46. *Custode exsolutus.* Male Puteolan. *Custodiæ.*

Et satis cognitam Armeniorum perfidiam. Mss. Harl. Bodl. Jes. Guelf. et ed. vett. *cognita . . . perfidia.* Ferendum, si particula *et* deleretur. Mox *subsidii* ex Mss. Flor. Reg. et ed. pr. Ryck. Mss. Harl. Bodl. Jes. et Puteolan. *præsidii.*

Commeatu egenum. Male Ms. Farnes. *Commeatuum.* Quis ferat *Castellum commeatuum egenum?*

Armis incruentas conditiones malle. Optime Ryck. Vulgo in scriptis et editis libris, *armis, quam incruentas conditiones malle.*

Quoquo modo celerare. Male Rhenan. *accelerare,* repugnantibus libris scriptis et editis.

Præsidio abituros. Puteolan. et Mss. Harl. Bodl. Jes. et Guelf. corrupte in Ms. Flor. *præsidium ammis.* In Ms. Reg. et ed. pr. *præsidium cominus.* Unde Freinshem. emendabat, *præsidium omissuros.* Ms. Agr. sane ex librarii conjectura, *tradituros.*

Cap. 47. *Provisum illic sacrificium imperatum.* Locum hunc alii aliter vexant, quod vel *provisum,* vel *imperatum,* redundare videatur. Conj. Lips. *provisu suo illic sacrificium;* aut *provisum illic ac sacrificium paratum.* Heins. *provisum illic sacrificio imperato. Provisum* in *renisum,* (nempe *trahit renisum,*) mutat J. Fr. Gronov.; Jac. Gronov. in *promissum.* Nihil mutat Ernest. nec male. *Imperatum* videtur sacrificium, cum Mithridates *diem locumque fœderi accepit.*

Nodoque præstringere. In Mss. et edd. vett. *perstringere.* Pla-

cuit tamen recentioribus, *præstringere:* nec immerito. Usitatius est; et in hoc verbo sæpius variant errantque Mss.

In artus extremos se effuderit. Ms. Jes. et recentiores post Rhenan. In Mss. Reg. Agr. et edd. vett. *in artus extremos suffuderit.* Sic et Ms. Bodl. Sed margine adscriptum, *se effuderit.* Mallet N. Heins. *artus extremos suffuderit,* omissa præpositione.

Invicem lambunt. Ms. Reg. *ad invicem.*

Ac compede. Ms. Reg. et ed. pr. *injiciuntur catenæ ad compedes.* Puteolan. et recentiores, *ac compedes.* Jac. Gronov. *ac compedes. Quo dedecore, barbaris trahebatur.* Cll. Chifflet. et Jens. *ac compedes, et quod dedecorum,* &c. Simplicius veriusque Lips. *ac compede.* Hoc enim servile ac pecuarium. Juvenal. iv, 80. 'Quæ nunc Squalidus in magna fastidit compede fossor.'

Erant contra. Ita Mss. Harl. Bodl. Jes. Guelf. et Puteolan. In Ms. Flor. et ed. pr. *erant econtra.* At barbara est vox illa *econtra,* nec nisi sequiori ætate, in qua descripti sunt codices, recepta.

Fortunæ commutationem. Male Puteolan. et Mss. Harl. Bodl. Jes. *commotionem.* In marg. Mss. Harl. et Bodl. emendatum, *commutationem.*

Abduntur. Mss. Harl. et Jes. *abducuntur.*

Cap. 48. *Omne scelus externum.* Recte Lips. In Mss. et edd. vett. *Omnes scelus.* Vellet Gronov. *monentes scelus.* N. Heins. *disserunt in commune, scelus.* Ernest. *quippe,* vel *immo scelus.*

Cap. 49. *Juxta despiciendus.* Ms. Reg. et ed. pr. In Mss. Harl. Bodl. Jes. Guelf. et Puteolan. *conspiciendus.* At in Mss. Harl. et Bodl. emendatum quoque, *despiciendus.*

Cum privatus olim conversatione scurrarum. Nihil umquam felicius emendavit Lips. In scriptis et editis libris, *cum privatis,* vel *privatas olim conversationes,* vel *concursationes, curaret.* Mox in ed. pr. *objectaret.* Bene Puteolan. et Mss. Flor. Reg. Guelf. et Harl. Bodl. Jes. *oblectaret.*

Is Pelignus. Recte abesset *Pelignus,* ut visum Freinshemio.

Ne ceteri quoque. Erudit. Petav. arbitrabatur forte emendand. *ne ceteri quoque ex Peligno contingerentur,* i. e. *contage tentarentur.* At id a librorum omnium scriptura remotius videtur.

Cap. 50. *Deinde atrox.* Ita Mss. et edd. vett. Nescio unde postea irrepserit *dein.*

Perpellunt Vologesen. Rhenanus et recentiores, præter Cl. Lallemand, qui *percellunt* edidit; Mss. et vett. edd. secutus.

Rebellaturos. Bene Rhenan. Antea, *bellaturos.*

Regiam circumveniunt. Ms. Reg. et ed. pr. *circumvenerunt.* Ms. Bodl. et Puteolan. *cicumeunt.* Bene Mss. Agr. Guelf. *circumveniunt.* Ita quoque emendatum in Ms. Bodl.

Cap. 51. *Ubi quati uterus.* Heins. emendabat, *quatitur.* At nihil mutand. recte monuit ex usu Taciti An. xv, 27. et Hist. iii, 31.

Ripam ad Araxis. Ryck. e Mss. Flor. Reg. et Agr. Vulgo, *ad ripam.*

Trahit, flumini tradit. Duriusculum, *trahit, tradit.* Unde Ernest. putat Tac. scripsisse, *vulneratamque ripam ad Araxis flumini tra-*

dit. In Mss. Harl. Bodl. Jes. Guelf. ***trahit, flumini traditam, ut corpus etiam auferretur.***

Placida illuvie. Mallet Gronov. *eluvie.*

CAP. 52. ***Quod stirpem.*** Sic Mss. Flor. Harl. Bodl. Jes. Guelf. et ed. pr. Puteolan. *qui.*

CAP. 53. ***Inter quæ refertur.*** Puteolan. et recentiores. Ed. pr. *refert.*

Ignaro domino, ad id prolapsa. Bene Ryck. e Ms. Agr. ***Ignaro domino, ad id prolapsa, in servitute: sin consensisset, pro liberta haberetur.*** Probabat quoque Lips. e Ms. Farnes. qui eadem omnino habet, præter quam quod pro ***sin*** habet ***si.*** Ita quoque Ms. Corb. In Ms. Flor. et ed. pr. ***ignaro domino, ad id prolapsa in servitute sui consensisset: pro libertis haberentur.*** Mss. Harl. Bodl. Jes. et Puteolan. ***ignaro domino ad id prolapsa: in servitutem sui consensisset: et qui nati essent pro libertis haberentur.*** Quot inde natæ sint conjectationes immensum foret dicere. Has vide, si lubet, ap. Taciti interpretes: novasque, nec meliores, in Actis eruditorum Lipsiensium reperies, Annis 1732. p. 290. 1733. p. 431. 1741. p. 718. Accuratam autem esse, quam sequimur, Mss. codicum Agr. et Farnes. scripturam probat Paulus lib. iv, Tit. 10. Ad Senatusconsultum Orfitianum, Leg. 2. 'Ad filiam ancillam, vel libertam ex senatusconsulto Claudiano effectam legitima matris intestatæ hereditas pertinere non potest: quia neque servi, neque liberti matrem civilem habere intelliguntur.' Ea fuit ergo Claudiani senatusconsulti severitas, ut fœmina, quæ se cum alieno servo, ignaro ejus domino, conjunxerat, si id resciret dominus, et prætori denuntiaret, in servitutem redigeretur, et fieret domini ancilla. Quæ Paulus lib. ii, Tit. 21. 'de mulieribus, quæ &c. vel ad senatusconsultum Claudianum,' Leg. 1. explicate significat: 'Si mulier ingenua, civisque Romana, vel Latina, alieno se servo conjunxerit, si quidem invito et denuntiante domino in eodem contubernio perseveraverit, efficitur ancilla.' Plures hac de re leges ibidem vide. Si autem consentiret dominus, tunc minor erat pœna; fœmina pro liberta habebatur, omniaque libertinitatis onera subibat. Si quis vero hujus legis severitatem miretur, cogitet fœminarum illarum turpitudinem, quam notat ipse Petron. Sat. 'Quædam fœminæ sordibus calent, nec libidinem concitant, nisi aut servos viderint, aut statores altius cinctos. Arena aliquas accendit, aut perfusus pulvere mulio, aut histrio, scenæ ostentatione traductus.' Ex hac infamia, et manuscriptorum codicum auctoritate, legisque necessitate patet omnino improbabilem esse conjecturam Cl. Gravinæ, Orig. Jur. Civ. p. 543. qui verba illa ***pro liberta haberetur,*** aut potius, ut in corruptioribus libris legitur, ***pro libertis haberentur,*** levi, ut rebatur, mutatione, in ***pro liberis haberentur*** transformabat. Saluberrimam legem sustulit Justinian. suos in usus vertere veteres Franci: unde in Legibus Salicis, cap. xxix, Leg. 5. 'Si quis Francus alienam ancillam sibi publice junxerit, ipse cum ea in servitute permaneat.'

Fixum est ære publico. Ita Puteolan. In Mss. Reg. Agr. et ed. pr. ***fixum est publice.*** In Ms. Flor. lacuna est ante ***publico.*** Alia, sed antiqua, manus supplevit, ***ære.*** Minime audiendus Cl. Ernest. qui suspecta habet ***fixum est ære publico,*** et emendat, ***fixum est foro D. Ju-***

lii Cæs. Liquet ex ipsa Plinii viii, 6. epistola, quam laudat, optimam esse vulgatam scripturam. Sic enim ipse Plin. 'Placuit ÆRE signari omnes honores fastidiosissimi mancipii .... Incisa et insculpta sunt PUBLICIS æternisque monimentis prætoria *Pallantis;* sic, quasi fœdera antiqua; sic, quasi sacræ leges.'

CAP. 54. *Jam pridem Judææ impositus.* Hoc in loco summa est Josephum inter et Tacitum dissensio. Joseph. enim Antiq. Jud. xx, 6. 7. et Bell. Jud. ii, 12. scribit Felicem in Judæam non venisse, nisi damnato Cumano. At quæ narrat Tac. adeo sunt propria, ita conjuncta cum Cumani ruina, ut hac in re fallere non possit. Hic igitur ei magis credendum, quam Josepho, licet Judæus Judaicas res scribat. Adde D. Paulum Tacito suffragari. Nam si vera esset Josephi narratio, dicere non potuisset Paulus, cum Felicem alloqueretur, Act. xxiv, 10. Ἐκ πολλῶν ἐτῶν ὄντα σε κριτὴν τῷ ἔθνει τουτῷ ἐπιστάμενος. 'Ex multis annis te esse judicem genti huic sciens.' Constet ergo Cumanum ac Felicem impositos fuisse Judææ anno Claudii septimo, aut octavo; Judæam ita divisam fuisse inter eos, ut Galilææ Cumanus, Felix Samariæ procurationem gereret. Felicem in Judæam missum ob exortas Judæos inter et Christianos dissensiones innuit Suid. v. Κλαύδιος. Στασιασάντων τῶν Ἰουδαίων κατὰ Χριστιανῶν, ἄρχοντα ἐπέστησεν αὐτοῖς Κλαύδιον (corrige Κλαύδιος, ut et ap. Joseph. Antiq. Jud. xx, 7.) Φήλικα, κελεύσας αὐτῷ τιμωρεῖσθαι τούτους. 'Cum Judæi seditionem adversus Christianos movissent, Claudius Felicem eis præfecit, eosque punire jussit.' Male Suidas Felicem cognominat Claudium, cui ap. Tac. cognomen est Antonio, ut videre est inf. Hist. v, 9. De Felice jam dixi sup. c. 23. in Stemmate Herodum, n. 14. Si plura de Cumano et Felice volueris, adi Petav. Doctrin. Temp. xi, 11. Cl. Pearson, Annal. Paulin. p. 8 et 12. ceterosque sacrarum rerum enarratores. Hoc dissidium erudite componit Cl. Gibert, in veterum scriptorum difficultatibus explicandis extricandisque sagacissimus. Observat Josephum, ut Judæum et sacerdotem, Judæam a Samaria accurate distinxisse. Tacitum vero, utpote Romanum, Samariam Judææ nomine appellasse: Felicem, Samariæ procuratorem, fuisse impositum Judææ et Galilææ, cum Cumanus flagitiorum damnatus est A. U. C. 805. J. C. 52. Quinquennio post Felicem D. Paulus adlocutus est; tumque potuit dicere: Ἐκ πολλῶν ἐτῶν ὄντα σε κριτὴν τῷ ἔθνει τουτῷ ἐπιστάμενος. 'Ex multis annis te esse judicem genti huic sciens.'

Orta seditione. Ed. pr. *Sane præbuerant Judæis speciem motus orta seditione, postquam, cognita cæde ejus, haud obtemperasset. Monebat metus, ne quis Principum eadem imperitaret.* Puteolan. *haud obtemperatum esset. Sed manebat metus. Sed* abest a Mss. Harl. et Corb. reperitur in Mss. Bodl. et Jes. in Ms. Jes. *obtemperatum est.* Interpretes, ut huic loco medicinam facerent, varias in sententias abiere. Primum, duce Rhenano, pro *cæde ejus* emendavere *cæde Caii,* repugnantibus libris scriptis et editis. Deinde post *cæde Caii* lacunam esse monuit Lips. quam supplevit Gronovius, mutata etiam vet. scriptura in hunc modum, *quamquam, cognita cæde Caii, edicto ejus haud obtemperatum esset.* Alii alias, pro arbitrio, minusque probabiles conjecturas protulere. Quam in Notis proposui, ea mihi

videtur cum codicum scriptura menteque Taciti omnino consentire. Sic enim Tac. Hist. v, 9. Judæi 'jussi a C. Cæsare effigiem ejus in templo locare, arma potius sumsere: quem motum Cæsaris mors diremit.' Hæc brevissime narrat Tac. quod fusius ea fuerat prosecutus in libris Annal. deperditis. Nos supplevimus in Suppl. An. viii, 57 sq.

Ita divisis. Bene Puteolan. In ed. pr. *divisit.* Mallet Gronov. *divisæ.*

Cap. 55. *Trosobore duce.* Puteolan. et recentiores. Ms. Flor. *Troxobore.* Mss. Vatic. 1863 et 1864. *Arosobore;* postea emendatum, *Arosoboro.* Ms. Vatic. 1958. *Aroxobore.* In ed. pr. *Areseboro.*

Et oppidanis. Mss. et ed. pr. Male Puteolan. *ac.*

Cap. 56. *Navale prælium adornatur.* Nonnulla, quæ navale hoc prælium illustrent habet Suet. Claud. 21. 'Quin et emissurus Fucinum lacum, naumachiam ante commisit. Sed cum proclamantibus Naumachiariis, Ave Imperator, morituri te salutant, respondisset: Avete vos: neque post hanc vocem, quasi venia data, quisquam dimicare vellet, diu cunctatus, an omnes igni ferroque absumeret, tandem e sede sua prosiluit: ac per ambitum lacus, non sine fœda vacillatione, discurrens, partim minando, partim adhortando ad pugnam compulit. Hoc spectaculo classis Sicula et Rhodia concurrerunt, duodenarum triremium singulæ, exciente buccina Tritone argenteo, qui e medio lacu per machinam emerserat.' De numero navium aliter Dio lx, p. 687. ait enim utrimque stetisse quinquaginta naves. *Οἱ δὲ δὴ ναυμαχήσαντες, θανάτῳ δὴ καταδεδικασμένοι ἦσαν. Καὶ πεντήκοντα ναῦς ἑκάτεροι εἶχον, οἱ μὲν Ῥόδιοι, οἱ δὲ Σικελοὶ ὀνομασθέντες.* 'Quibus depugnandum prælio navali fuit, ii morte damnati erant. Utrinque naves quinquaginta habebant: partium alteri Rhodiorum, alteri Siculorum nomen.' Certe si quis attendat undeviginti hominum millia armata fuisse, haud diffitebitur potius fuisse in his classibus centum naves, quam viginti quatuor, ut scribit Suet. sed videtur majores tantum numerasse, omissis minoribus. Nec crediderim in Tac. emendand. *Claudius centum triremes,* quod vult Lips.

Ut quondam Augustus. Memoria extat in marm. Ancyrano, quod accuratissimum ex Cl. Pitton de Tournefort exemplari edidit Cl. Chishull, Antiq. Asiat. p. 175. NAVALIS. PROELI. SPECTACVLVM. POPVLO. DEDI. TRANS. TIBERIM. IN. QVO. LOCO. NVNC. NEMVS. EST. CAESARVM. CAVA*to solo in longitudinem mille* ET. OCTINGENTOS. PEDES. IN. LATITVDINE. *mille erant et* DVCENTI. IN. QVO. TRIGINTA. ROSTRATAE. NAVES. TRIREMES. *et quadrireme*S. PLVRIS. AVTEM. MINORES. INTER. SE. CONFLIXERVNT. *Atticis et Persicis* CLASSIBVS. PVGNAVERVNT. PRAETER. REMIGES. MILLIA *hominum trigin*TA. CIRCITER. At pro *triginta,* nam hac in parte male lectum suppletumque vet. marmor existimo, emendand. *duodeviginti* mihi videtur: siquidem, Principe Claudio, cum et majores essent naves, et major copia, pugnavere tantum undeviginti hominum millia. Quanta fuerit spectantium multitudo paucis docet Suet. Aug. 43. 'Item [fecit Augustus] navale prælium circa Tiberim cavato solo, in quo nunc Cæsa-

rum nemus est. Quibus diebus custodes in Urbe disposuit, ne raritate remanentium grassatoribus obnoxia esset.'

Minore copia ediderat. Novum locuplesque exemplum, quam magnifici fuerint in edendis ludis Romani. Augustus, excavato stagno pedum mille et octingentorum in longitudinem, mille et ducentorum in latitudinem, derivata aqua Alsetina, navale prælium ediderat, in quo triginta rostratæ naves, triremes et quadriremes, plures autem minores, inter se conflixerant: pugnaverantque, præter remiges, millia hominum triginta, aut potius duodeviginti circiter. Ad spectaculi voluptatem magnarum rerum memoria intendendam, ita divisæ adornatæque classes ut celeberrimam Athenienses inter et Persas navalem pugnam referrent. Claudius pari, et magnificentiore spectaculo, lacus Fucini emissionem, per undecim annos inenarrabili impendio præparatam, nobilitare voluit. Plures, majoresque naves, quam in Augusti naumachia, visæ. Præter remiges armata undeviginti hominum millia, quæ, Rhodiis Siculisque classibus, duas gentes, imperio maris olim potitas, repræsentarent. Adfuit multitudo spectatorum innumera, tum visendi cupidine, tum officio in Principem. Incuria operis non potuit totus emitti lacus; altius effossi sunt specus. Perfecto opere, contracta est rursum multitudo, et ut nova esset voluptas, gladiatorum spectaculum editum est, inditis pontibus pedestrem ad pugnam.

Cl. Oiselius, Thesaurus Select. Numismat. Tab. CI. n. 7. nummum Claudii edidit cum naumachia et epigraphe, ΝΙΚΑ. ΝΑΥΚΡΑΤΩΝ. ΚΑΠΙΤΩΛ. I. e. 'victoria classiariorum Capitolinorum:' contendit id haud dubie pertinere ad Claudii naumachiam, de qua modo egimus. At, vel spurius est hic nummus, vel ad aliam Claudii naumachiam pertinet. Cum enim in lacu Fucino pugnaverint tantum Rhodiæ et Siculæ classes, non potuit nomen victorum esse ΝΑΥΚΡΑΤΩΝ. ΚΑΠΙΤΩΛ.

Ac tamen spatium. Mss. edd. vett. et Ernest. Rhenan. *attamen.*

Tectis navibus. Ita Mss. et edd. vett. Male Beroald. *rectis.*

CAP. 57. *Convulsis ulterioribus.* Ita libri omnes editi. In Mss. Harl. et Jes. *convulsis ulterioribus sublicüs:* in margine Ms. Bodl. *sublicüs ulterioribus.*

Sonitu exterritis. Puteolan. et recentiores. In Ms. Reg. et ed. pr. *exterriti.*

CAP. 58. *Gloria nitesceret.* Ms. Reg. et edd. vett. In Ms. Flor. et Cl. Lallemand, *enitesceret.* Frustra tentat Groslot. *notesceret.*

Iliensium. Causam magnitudinemque eorum immunitatis paucis recenset Callistrat. Digest. libr. XXVII, Tit. 1. de Excusationibus, Leg. 17. 'Iliensibus et propter inclytam nobilitatem civitatis, et propter conjunctionem originis Romanæ, jam antiquitus et senatusconsultis et constitutionibus Principum plenissima immunitas tributa est, ut etiam tutelæ excusationem habeant: scilicet eorum pupillorum, qui Ilienses non sint. Idque Divus Pius rescripsit.' Et Ulpian. Digest. libr. l, Tit. 1. ad Municipalem et de Incolis, Leg. 1. 'Iliensibus concessum est, ut qui matre Iliensi est, sit eorum municeps.'

Vetera facunde. Rhenan. et vulgo recentiores. In Mss. Reg. Harl. Jes. et ed. pr. *vera facunde.* In Ms. Bodl. *vera facundie;* unde

forte Puteolan. *vera facunditate.* In marg. Ms. Bodl. et in Ms. Agr. *verum facunde*, quod secutus est Ryck. nec displicet. At probabiliora videntur, *vetera.*

Perpetrat ut Ilienses. Ita Mss. Flor. Reg. Harl. Jes. Guelf. ed. pr. Ernest. Sic quoque emendatum in Ms. Bodl. ubi primo scriptum, *impetrat*, quod Puteolanus aliique multi retinuere.

Redditur Rhodiis libertas. Huc refer nummum e Cimelio Regio ab Harduino prolatum, Select. Opp. p. 144. ΚΛΑΥΔΙΟΥ. ΥΠΕΡΙΩΝ. ΣΕΒΑΣΤΟΥ, 'Claudii Augusti Sol,' Rhodiorum numen; capite Rhodi turrito. In aversa parte, ΔΙΔΡΑΧΜΟΝ, i. e. nummus 'duarum drachmarum.' Alium Neronis v. ap. Cl. Tristan, *Commentaires Historiques*, Vol. i, p. 225. Nummos et Tacitum illustrat elegans Antiphili epigramma, Anthol. lib. i, Tit. 58. n. 5. [Brunck. Anal. Gr. V. ii, 174. xix.] Ὡς πάρος ἀελίου, νῦν Καίσαρος ἡ Ῥοδος εἶμι Νᾶσος, ἴσον δ' αὐχῶ φέγγος ἀπ' ἀμφοτέρων. Ἤδη σβεννυμέναν με νέα κατεφώτισεν ἀκτὶς, Ἄλιε, καὶ παρὰ σὸν φέγγος ἔλαμψε Νέρων.. Πῶς εἴπω; τίνι μᾶλλον ὀφείλομαι; ὃς μὲν ἔδειξεν Ἐξ ἁλὸς, ὃς δ' ἤδη ῥύσατο δυομέναν. Quod elegantissime vertit Cl. Grotius in Ms. Anthol. 'Solis eram quondam, nunc Cæsaris insula magni Sum Rhodos: ex æquo lux ab utroque juvat. Namque extincta forem, nisi sol mihi surgeret alter, Et jubar ex Latia tolleret arce Nero. Plus mihi præstat uter? dedit ille emergere ponto, Hic me restituit, cum prope mersa fui.'

Apamensibus. Mss. Flor. Reg. Guelf. Agr. et ed. pr. Male Puteolan. *Apamiensibus.*

Cap. 59. *Indignasque sordes perpessus.* Ita emendabat Heins. quem Cll. Ernest. et Lallemand sunt secuti. In Mss. Reg. Agr. et ed. pr. *indignasque sortes.* Mss. Harl. Bodl. Jess. et Puteolan. *indigna sorte.* Unde forte emendand. *indignamque sortem.*

Cap. 60. *Quæ vicerant.* Bene Ernest. ex Mss. et edd. vett. Lips. *qui.*

C. Oppius et Cornelius Balbus. De Oppio Suet. in Jul. Cæs. 52. Cornelius Balbus, Gadibus ortus, vel ille est qui Garamantas vicit, et de iis triumphavit, Plin. v, 5. vel patruus ejus Cornelius Balbus major, qui tantis opibus valuit, ut moriens populo Romano viritim legaverit vicenos quinos denarios, *Anglice* circiter 15*s.* fere cum semisse, Dio xlviii, p. 376. Sin autem fuerint ducenta millia hominum, quos hæc largitio spectaverit, ut augurari licet ex marmore Ancyrano, quod edidi in not. et em. ad An. i, 11. Balbus populo Romano legavit ducenties sestertium, *Angl.* 165,000*l.*

Cap. 61. *Vel Cœum Latonæ parentem.* Non defraudandus merita laude J. Mercer. qui h. l. felicissime emendavit. Antea in scriptis et editis libris vulgo *vel cum Latonæ parente.* In Ms. Flor. *parentum.* Pro *vel* mallem *et*, ni forte *vel* accipias pro *atque etiam.*

Ipse uteretur. Quænam esset Xenophontis, medici, merces annua æstimare possumus ex Plin. xxix, 1. §. 5. Docet enim Stertinium, medicum, a Claudio H.S. quingena annua accepisse, *Angl.* 4,100*l.* Frater ejus Q. Stertinius eamdem mercedem a Principibus accipiebat, et in Urbe H.S. sexcenorum quæstum faciebat, *Angl.* 5000*l.* Licet census suos exhausissent, ut operibus Neapolim exornarent, heredi H.S. $\overline{\text{CCC}}$. *Angl.* 250,000*l.* reliquere. Quæ animadvertisse non

fuerit inutile, ad hujusce ætatis mores dignoscendos. Tam immani pretio vita morsve constabat in Urbe, quæ per 600. annos non aliam, quam brassicas, Anglice *cabbage*, medicinam noverat. Plin. xx, 9.

Et tantum Dei ministram. Sic Mss. Flor. Reg. Bud. Farnes. et ed. pr. Mss. Harl. Jes. et Puteolan. ***tanti.*** Ita quoque emendatum in Ms. Bodl. in quo prius erat ***tantum.*** Volebat nempe Claudius ut insula, tributis vacua, sacra foret, et uni Æsculapio serviret.

Cap. 62. ***Nobiscum icerant.*** Sic Mss. Bodl. Jes. Lips. et recentiores. In Mss. Flor. Guelf. et edd. vett. ***jecerant.***

Memorabant; quæque Sullæ. Male in Mss. et vett. edd. ***memorabantque quæ Sullæ.***

Cap. 63. ***Vis piscium innumera Ponto erumpens.*** Mss. et vett. edd. ***vis piscium in Metapontum erumpens.*** Viri eruditi emendarunt, ***vis piscium innumera Pontum erumpens.*** Optime quidem restitutum ***innumera.*** Sed adhuc corrigendum erat ***Ponto.*** Sic enim Sallust. ap. vet. Schol. Juvenal. iv, 42. 'Itaque tempestate piscium vis Ponto erupit.' Hunc Taciti locum egregie illustrat Plin. ix, 15. 'Sed in Pontum nulla intrat bestia piscibus malefica, præter vitulos et parvos delphinos. Thynni dextra ripa intrant, exeunt læva. Id accidere existimatur, quia dextro oculo plus cernant, utroque natura hebete. Est in Euripo Thracii Bosphori, quo Propontis Euxino jungitur in ipsis Europam Asiamque separantis freti angustiis, saxum miri candoris, a vado ad summa perlucens, juxta Chalcedonem in latere Asiæ. Hujus aspectu repente territi, semper adversum Byzantii promontorium, ex ea causa appellatum Aurei cornus, præcipiti petunt agmine. Itaque omnis captura Byzantii est, magna Chalcedonis penuria mille passuum medii interfluentis Euripi. Opperiuntur autem Aquilonis flatum, ut secundo fluctu exeant e Ponto, nec nisi intrantes portum Byzantium capiuntur. Bruma non vagantur: ubicumque deprehensi, usque ad æquinoctium, ibi hibernant. Iidem sæpe navigia velis euntia comitantes, mira quidam dulcedine per aliquot horarum spatia et passuum millia a gubernaculis spectantur, ne tridente quidem in eos sæpius jacto territi . . . Multi in Propontide æstivant: Pontum non intrant.' Eadem ferme tradunt Strabo vii, p. 320. et Ælian. ix, 42. Cum thynnorum captura Byzantiis quæstuosissima esset, inde in eorum nummis sæpe occurrunt thynni, et hami quibus capiuntur.

Obliquis subter undas saxis. Cl. Franciscus Medicis emendabat, ***albis*** vel ***albidis, subter undas saxis.*** Ingeniosissime quidem. Plin. enim, supra laudatus, ait thynnos terreri saxo ***miri candoris*** a vado ad summa perlucenti. Straboni quoque memoratur, l. c. ***λευκίτης πέτρα.*** Nemo tamen hactenus veterem scripturam mutavit, ob scriptorum et editorum librorum auctoritatem, nec absurdam vocem, ***obliquis.***

Cap. 64. ***Signa ac tentoria.*** Ita Mss. Flor. Reg. ed. pr. et Ernest. In Mss. Harl. Bodl. Jes. et Puteolan. ***signa enim ac tentoria.***

Fœtum editum . . . inessent. Mss. et vett. edd. Postea emendatum ***fœtus editus . . . erant.*** Latine quidem, sed sine ulla necessitate, cum possit intelligi, ***ferebatur, nuntiabatur,*** ut recte observat Ernest. nec quidquam vitiosi habeat, ***inessent.***

Domitia Lepida muliebribus causis. In Ms. Flor. ***Domitiale muliebribus.*** Ita et ed. pr. sed in ea editum ***mulieribus*** pro ***muliebribus.***

Mss. Harl. Bodl. Jes. et Puteolan. *Domitia levibus et muliebribus.* Recte a Freinshemio et recentioribus emendatum, *Domitia Lepida.* Nec displicet repeti, *quia Lepida*, ob orationis claritatem, quæ facile obscuratur.

Cneii mariti ejus. Ed. pr. per literarum compendia, *Cn. mariti ejus.* Unde Puteolan. *Cnei.* Scribend. *Cneii*, ut patet ex Suet. in Ner. 1. 'prænomina . . . Cneii et Lucii:' et 11. 'Cneius Domitius.' Ryck. edidit, *Cnæi. Ejus* abest a Ms. Guelf.

Infamis, vinolenta. Mallet Lips. *violenta.* Utrumque veteribus libris defenditur. Mss. Flor. Guelf. et Puteolan. *violenta.* Mss. Reg. Harl. Jes. et ed. pr. *vinolenta.* Sic quoque in marg. Ms. Bodl. Placet tamen magis *violenta.* Placuit et Cl. Gordon, cujus tamen interpretatio a Corneliana brevitate multum recedit: *Neither were they much differing in beauty, age, or wealth, both prostitutes in their persons, infamous in their manners, and violent in their tempers.*

Cap. 65. *Conjugium Principis.* Mss. Flor. et Reg. *conjugem.* Libri omnes editi, *conjugium.* Sic quoque *conjugio* pro *conjuge* usus est Virg. Æn. iii, 296. 'Hic incredibilis rerum fama occupat aures, Priamiden Helenum Graias regnare per urbes, Conjugio Æacidæ Pyrrhi, sceptrisque potitum, Et patrio Andromachen iterum cessisse marito.'

Mors indicta. Ed. pr. Rhenanus et recentiores. Mss. Reg. Harl. Bodl. Jes. et Puteolanus, *indita.*

Certam sibi perniciem. In hac oratione summa scriptos inter et editos libros concordia. Tantum in Ms. Flor. legitur, *ad novercæ* pro *ac novercæ.* Mendose, nisi exciderit *hæc*, ut notat Ryck. *Regno* abest a Ms. Jes. additum margini Mss. Harl. et Bodl. Octavius Ferrarius pro *meritum* legebat *metum*, *ac* mutabat in *at*, et post *flagitio* interjiciebat *sileri.* Explosa interjectione, cetera probabat Ryck. ut sensus sit, *Pares iterum accusandi causas esse, si Nero imperitaret*, i. e. destinaretur successor, *Britannico successore, nullum Principi metum. At novercæ*, &c. Contra Ill. Huetius, sic distincta oratione, *Pares iterum accusandi causas esse; si Nero imperitaret, Britannico*, &c. explicat: *Si Neronem patiar imperium adipisci, rejecto Britannico, legitimo successore, male de Claudio meritus sim.* Cl. Ernesto displicet, *nullum Principi meritum*, et Latinitatem desiderat: hac in re, ut puto, austerior, cum frequentissimus sit optimis scriptoribus dativorum usus, et forte scripsit Tacitus, *nullum in Principem meritum; in* et *m* facile excidere potuere, deinde emendatum librariis *Principi.* Pro *viliora habere*, Grotius emendat *haberi.* Elegantissime. Non tamen peccat, *habere.*

Cap. 66. *Sceleris olim certa.* Ms. Jes. *scelerum.*

Occasionis propera. Ms. Agr. *Præpropera.*

Cap. 67. *Socordiane Claudii, an vinolentia.* Ita Puteolan. et recentiores. In Ms. Flor. *Socordiane, an Claudii vi, an vinolentia.* Ms. Agr. *secordia mentis a Claudio bili an vinolentia.* Mendose in ed. pr. *socordiam necis ad Claudii hi an vinolentia.* Unde forte vera est codicis Florentini scriptura.

Soluta alvus. Mss. Bodl. Jes. et Guelf. *solutam alvum.*

Cap. 68. *Vocabatur interim.* Male ed. pr. *vexabatur.*

Dum res firmando Neronis imperio. Ita Puteolan. et recentiores. In Ms. Flor. *dum res forent firmando.* Ms. Reg. et ed. pr. *dumque res forent firmando Neronis imperium.* Ms. Agr. *dum quæ res forent firmando.* Inde emendabat Jac. Gronov. *dum res foris firmando:* Heins. *dum, quæ e re forent firmando;* Ernest. *dum, quæ forent firmando.* Bene omnes. Bene quoque Puteolan. cui suffragantur Mss. Harl. Bodl. Jes. In Ms. Jes. *Neroni* pro *Neronis.*

Ex monitis Chaldæorum adventaret. Mss. Flor. et in marg. Ms. Harl. Sic quoque edd. vett. Rhenan. e Ms. Bud. *attentaret.* Idem habent Mss. Harl. et Jes. In Ms. Bodl. *attentarent.*

Cap. 69. *Tertium ante idus Octobris.* Mss. Flor. Jes. et ed. pr. In Ms. Bodl. *Octobres.* Rhenan. primus edidit, *tertio.*

Ad cohortem. Bene ed. pr. Rhenan. et recentiores. In Mss. Harl. Bodl. Jes. et Puteolan. *a cohorte.*

Ubi Britannicus esset. Esset abest a Ms. Jes.

NOTÆ ET EMENDATIONES

AD LIBRUM DECIMUM TERTIUM ANNALIUM

C. CORNELII TACITI.

Cap. 1. *Per dolum Agrippinæ paratur.* Mallent Freinshem. et Ryck. *patratur.*

Exitium inritaverat. In scriptis et editis libris, *exitum.* Bene Ernest. *exitium.* In ed. pr. et plerisque aliis, *irritaverit.* Melius Puteolan. et Mss. Harl. Bodl. Jes. Guelf. atque Ernest. *irritaverat.*

L. Silano. Puteolan. et Mss. Harl. Bodl. Jes. In ed. pr. et Mss. Corb. Reg. *C. Silano.*

Quod tunc spectaretur. Mallet Ernest. *spectabatur.*

P. Celer. Inf. Hist. iv, 40. *P. Celerem.* Male ergo edd. vett. et Mss. *P. Celerius.*

Helius libertus. Ita Suet. Ner. 23. Dioni lxiii, p. 723. Ἥλιος. Vulgo in scriptis et editis libris, *Ælius*, vel *Elius.*

Cap. 2. *Et, rarum in societate potentiæ, concordes.* Corrupte in Ms. Flor. *Et parum in societate potentia et concordes.* Mss. Vatic. 1863 et 1864. Reg. et Agr. *et parum in societate et potentia.* Mss. Vatic. 1958. Harl. Bodl. Jes. Guelf. et Puteolan. *et pari in societate potentiaque.* Boxhorn. optime atque ex usu Taciti pro *parum* vel *pari* emendavit *rarum.* Voluit quoque *potentiæ*, idque omnibus probatum. Forte tamen scripserat Tacitus *societate et potentia:* rara enim in utraque concordia. Infeliciter Lipsius, *paris in societate potentiæ.*

Comitate honesta. Ut viris in Gallica re literaria summis, qui id

operæ desideravere, morem gererem, et Corn. Taciti, quem *maximum antiquitatis pictorem* appellitant, famam illustri exemplo consecrarem, a suscepti operis instituto haud alienum duxi pauca hic disserere de clarissimi *Racine* tragœdia, quam *Britannicum* inscripsit.

De BRITANNICO, Tragœdia Cl. RACINE.

Ea fuit semper optimorum Scriptorum maxima laus, ut apud posteros irent in exempla, et, circumactis diu ætatibus, inter gentes, moribus et eloquio dissimiles, animos sui simillimos efformarent, dubiamque ingenii lauream facerent. Hac gloria apud Romanos enituit Homerus, cum altos Virgilii spiritus exsuscitasset. Hac inclaruit apud nos Tacitus, cum duos poetas, quos in arte sua summos suspicimus, Petrum *Corneille* et Joannem *Racine*, Principum Romanorum arcana eorumque dominationis instrumenta ita docuisset, ut, eo duce et auspice, in rei politicæ præceptores regumque doctores statim evaserint.

De *Othone*, cujus nomen illustravit Petrus *Corneille*, dicam in not. et emend. ad Hist. i, 22. cum splendidam hanc Historiarum partem explanabo.

Britannicum vero sibi seposuit Joannes *Racine*, ut pullulantia, nondum autem adulta, quod odiosum fuisset et incredibile, Neronis scelera infamaret. Nobile argumentum, poetæ arte nobilissimum; plurimorum quidem censuræ primo obnoxium, quod ars exquisitior foret, omnium deinde laudibus cumulatissimum; crescetque admiratio, dum egregios versus legere, mores hominum artemque tragicam noscere gratum ac decorum habebitur.

Juvaret hic singulas hujus tragœdiæ personas expendere; et, quod a multis efflagitatum, loca omnia, quæ a Tacito vel interpretatione, vel imitatione, mutuatus est Cl. *Racine*, congerere; præstantissimumque historicum cum præstantissimo poeta conferre. At, quam maximam possum in omnibus brevitatem professus, exscribendorum locorum multitudine (cum vix sint in tota tragœdia trecenti versus, qui ex Annalium Taciti fontibus non profluxerint) deterritus, immenso labore abstinebo: atque equidem tanto libentius, quod magnam hujus curæ partem subiit recens Cl. *Racine* operum editor. Ne tamen nostra hac in re opella, jam supra in notis promissa, penitus desideretur, quædam exempla, eaque brevissima, proponam potius, quam seligam, ut genuina decoraque veteres scriptores exprimendi imitandive ratio illustribus experimentis innotescat.

TACITUS ANNAL. XIII. 5. 12. et 2.

'Adversante Agrippina····obtinuere patres; qui in Palatium ob id vocabantur, ut adstaret abditis a tergo foribus velo discreta, quod visum arceret, auditus non adimeret. Quin et legatis Armeniorum causam gentis apud Neronem orantibus, escendere suggestum Imperatoris et præsidere simul parabat; nisi, ceteris pavore defixis, Seneca admonuisset, Venienti matri occurreret. Ita specie pietatis, obviam itum dedecori····Infracta paulatim potentia matris····Certamen utrique, [Burro et Senecæ,] unum erat contra ferociam Agrippinæ.'

RACINE, BRITANNICUS, ACT. I. SC. 1.

Agrippina, stans cum Albina, potentiam suam infringi queritur.

Non, non, le tems n'est plus que Néron jeune encore
Me renvoyoit les vœux d'une Cour qui l'adore,
Lorsqu'il se reposoit sur moi de tout l'Etat,
Que mon ordre au Palais assembloit le Sénat,
Et que derriere un voile invisible et présente,
J'étois de ce grand corps l'âme toute-puissante.
Des volontés de Rome alors mal assuré,
Néron de sa grandeur n'étoit point enyvré.
Ce jour, ce triste jour, frappe encor ma mémoire,
Où Néron fut lui-même ébloui de sa gloire,
Quand les Ambassadeurs de tant de Rois divers
Vinrent le reconnoître au nom de l'Univers.
Sur son trône avec lui j'allois prendre ma place;
J'ignore quel conseil prépara ma disgrace;
Quoi qu'il en soit, Néron, d'aussi loin qu'il me vit,
Laissa sur son visage éclater son dépit.
Mon cœur même en conçut un malheureux augure;
L'ingrat d'un faux respect colorant son injure,
Se leva par avance, et courant m'embrasser,
Il m'écarta du trône où je m'allois placer.
Depuis ce coup fatal, le pouvoir d'Agrippine
Vers sa chute, à grands pas, chaque jour s'achemine:
L'ombre seule m'en reste, et l'on n'implore plus
Que le nom de Sénèque, et l'appui de Burrhus.

TACITUS, ANNAL. XII. 41. XIII. 15.

'Libertorum si quis incorrupta fide depellitur....Ut proximus quisque Britannico, neque fas, neque fidem pensi haberet, olim provisum erat.'

RACINE, BRITANNICUS, ACT. I. SC. 4.

Britannicus Narcissum alloquitur.

Que vois-je autour de moi, que des amis vendus,
Qui sont de tous mes pas les témoins assidus,
Qui choisis par Néron pour ce commerce infâme,
Trafiquent avec lui des secrets de mon âme?
Quoi qu'il en soit, Narcisse, on me vend tous les jours;
Il prévoit mes desseins, il entend mes discours.
Comme toi dans mon cœur il sait ce qui se passe.

TACITUS, ANNAL. XIII. 2. et 14.

Agrippina 'habebat in partibus Pallantem....Pallas tristi arrogantia modum liberti egressus tædium sui moverat....Nero infensus iis, quibus superbia muliebris innitebatur, demovet Pallantem cura rerum, queis a Claudio impositus velut arbitrum regni agebat.'

RACINE, BRITANNICUS, ACT. II. SC. 1.

Nero cum Burro colloquens.

N'en doutez point, Burrhus, malgré ses injustices,
C'est ma mere, et je veux ignorer ses caprices.
Mais je ne prétens plus ignorer ni souffrir
Le Ministre insolent qui les ose nourrir.
Pallas de ses conseils empoisonne ma mere ;
Il séduit chaque jour Britannicus mon frere ;
Ils l'écoutent tout seul, et qui suivroit leurs pas
Les trouveroit peut-être assemblés chez Pallas.
C'en est trop. De tous deux il faut que je l'écarte.
Pour la derniere fois, qu'il s'éloigne, qu'il parte.
Je le veux, je l'ordonne ; et que la fin du jour
Ne le retrouve pas dans Rome, ou dans ma Cour.

TACITUS, ANNAL. XIII. 14.

Demoto cura rerum Pallante, 'præceps post hæc Agrippina ruere ad terrorem et minas, neque Principis auribus abstinere, quominus testaretur, adultum jam esse Britannicum, veram dignamque stirpem suscipiendo patris imperio, quod insitus et adoptivus, per injurias matris exerceret. Non abnuere se, quin cuncta infelicis domus mala patefierent, suæ imprimis nuptiæ, suum veneficium. Id solum Diis et sibi provisum, quod viveret privignus. Ituram cum illo in castra. Audiretur hinc Germanici filia, inde debilis Burrus et exul Seneca, trunca scilicet manu, et professoria lingua, generis humani regimen expostulantes. Simul intendere manus, aggerere probra; consecratum Claudium, infernos Silanorum manes invocare, et tot inrita scelera.'

RACINE, BRITANNICUS, ACT. III. SC. 3.

Agrippina muliebriter infremit, Burrum alloquens.

Pallas n'emporte pas tout l'appui d'Agrippine,
Le Ciel m'en laisse assez pour venger ma ruine.
Le fils de Claudius commence à ressentir
Des crimes, dont je n'ai que le seul repentir.
J'irai, n'en doutez point, le montrer à l'Armée,
Plaindre aux yeux des soldats son enfance opprimée,
Leur faire à mon exemple expier leur erreur.
On verra d'un côté le fils d'un Empereur,
Redemandant la foi jurée à sa famille,
Et de Germanicus on entendra la fille.
De l'autre l'on verra le fils d'Enobarbus,
Appuyé de Sénèque, et du Tribun Burrhus,
Qui tous deux de l'exil rappelés par moi-même,
Partagent à mes yeux l'autorité suprême.
De nos crimes communs je veux qu'on soit instruit.
On saura les chemins par où je l'ai conduit.
Pour rendre sa puissance et la vôtre odieuses,
J'avoûrai les rumeurs les plus injurieuses.

Je confesserai tout, exils, assassinats,
Poison même........

TACITUS, ANNAL. XIII. 15.

'Urgentibus Agrippinæ minis, quia nullum crimen, neque jubere cædem fratris palam audebat, occulta molitur: parari venenum jubet.'

RACINE, BRITANNICUS, ACT. IV. SC. 3.

Nero, stans cum Burro, ait sibi certum fixumque esse, ob Agrippinæ ferociam, Britannicum interficere.

C'en est trop. Il faut que sa ruine
Me délivre à jamais des fureurs d'Agrippine.
Tant qu'il respirera, je ne vis qu'à demi.
Elle m'a fatigué de ce nom ennemi,
Et je ne prétens pas que sa coupable audace
Une seconde fois lui promette ma place.

TACITUS, ANNAL. XIII. 15. et 16.

Veneficis 'promittentibus tam præcipitem necem, quam si ferro urgeretur....adfunditur venenum, quod ita cunctos ejus artus pervasit ut vox pariter et spiritus raperentur. Trepidatur a circumsedentibus, diffugiunt imprudentes. At quibus altior intellectus, resistunt defixi, et Neronem intuentes. Ille, ut erat reclinis, et nescio similis, solitum ita, ait, per comitialem morbum, quo primum ab infantia afflictaretur Britannicus, et redituros paulatim visus sensusque....Ita post breve silentium, repetita convivii lætitia.'

RACINE, BRITANNICUS, ACT. V. SC. 5.

Burrus Agrippinæ nuntiat mortem Britannici.

Par les mêmes sermens Britannicus se lie.
La coupe dans ses mains par Narcisse est remplie:
Mais ses lèvres à peine en ont touché les bords,
Le fer ne produit point de si puissans efforts;
Madame, la lumiere à ses yeux est ravie,
Il tombe sur son lit sans chaleur et sans vie.
Jugez combien ce coup frappe tous les esprits,
La moitié s'épouvante et sort avec des cris:
Mais ceux qui de la cour ont un plus long usage,
Sur les yeux de César composent leur visage.
Cependant sur son lit il demeure panché,
D'aucun étonnement il ne paroît touché.
Ce mal dont vous craignez, dit-il, la violence,
A souvent sans péril attaqué son enfance.

Hic certe vel ipsa poesis pressum vividumque Taciti stilum haud æquat. Merito ergo addit Burrus. Act. V. Sc. 7.

Son crime seul n'est pas ce qui me désespere;
Sa jalousie a pu l'armer contre son frere.
Mais s'il vous faut, Madame, expliquer ma douleur,
Néron l'a vu mourir sans changer de couleur.

Ses yeux indifférens ont déja la constance
D'un Tyran dans le crime endurci dès l'enfance.

Ista quoque suggessit Tacitus, Annal. xiii. 17. 'Plerique etiam hominum ignoscebant, antiquas fratrum discordias et insociabile regnum æstimantes.'

Sed sufficiant hæc artis specimina, egregia quidem, non tamen præcipua. Scenam secundam Actus iv. quam totam, quanta quanta est, ex Annalium libris xii et xiii. mira arte contexuit Cl. Racine, hic penitus omisi, quod integra fuisset exscribenda. Quin etiam, ut Agrippinæ ferocia notesceret, quæ de priore Agrippina a Tiberio fuerant dicta, huc retraxit:

Mais, si vous ne régnez, vous vous plaignez toujours.

'Ideo lædi, quia non regnaret.' Tac. An. iv, 52.

Verum antequam dicendi finem faciam, observaverim ad summam præstantissimæ fabulæ perfectionem id unum desiderandum mihi videri, ut Juniæ, cujus personam, fabulæ necessitate ductus, excogitavit Cl. Racine, præter nomen, mores quoque adumbrasset ipse Tacitus. Omnia enim in ceteris personis sunt naturæ, loco, ætati, ac fortunis consona. In una Junia aliquanto plus est Gallicæ, quam Romanæ indolis.

Cunctis malæ dominationis. Bene ed. pr. et sic emendatum in Ms. Harl. Perperam Puteolan. et Mss. Harl. Bodl. Jes. et Guelf. ***cunctis malis dominationibus cupidinibus.***

Cap. 3. ***Temporis ejus auribus.*** Ita Mss. Vatic. 1863 et 1864. Flor. Reg. ed. pr. Jac. Gronov. et recentiores. In Mss. Vatic. 1958. Harl. Bodl. et Puteolan. ***temporis illius.***

Quibus otiosum est. Mss. Vatic. 1958. Flor. Harl. Bodl. Jes. Guelf. Puteolan. Pichena et recentiores. In Mss. Vatic. 1863 et 1864. Reg. et ed. pr. ***quibus otium est.*** Margini Ms. Vatic. 1863. additum ***otiosum.***

Aut consulto ambiguus. Ita Rhenan. e Ms. Bud. quod recentioribus omnibus probatum. In Mss. Vatic. Oxon. Guelf. et edd. vett. ***ac.*** Nec ita spernendum.

Dissereret. Ms. Flor. et ed. pr. ***dissererentur.*** Puteolan. et alii, ***dissereret.***

Cælare, pingere. Hæc aliaque id genus in Annalibus de Nerone sæpe memorata expressit Cl. Racine, Act. iv, Sc. 4.

Pour toute ambition, pour vertu singuliere,
Il excelle à conduire un char dans la carriere,
A disputer des prix indignes de ses mains,
A se donner lui-même en spectacle aux Romains,
A venir prodiguer sa voix sur un théâtre,
A réciter des chants qu'il veut qu'on idolâtre.

Quæ cum audisset Ludovicus xiv, adhuc juvenis, saltatione publica, sed majestatis plena, qua delectabatur, in posterum abstinuit, ne quid in decus regium peccaret. Tantum valet apud bene moratas mentes alienorum vitiorum exprobratio! Puteolan. edidit, ***cælare et pingere.*** Ernest. copulam omisit, Ms. Flor. et ed. pr. secutus.

CAP. 4. *Capessendi egregie imperii.* Bene Rhenan. In Mss. et edd. vett. *egregii.*

CAP. 5. *Abditis a tergo.* Frustra tentat Lips. *obditis.* Male Gronov. *obdito a tergo foribus velo discreta.*

Auditus non adimeret. Lips. et recentiores. Vulgo in Mss. et edd. vett. *aditus.* Ms. Jes. *additus.* In marg. Ms. Bodl. *auditum;* quod et Ernesto placebat.

Escendere suggestum. Ita Lips. e Ms. Farnes. Sic quoque legitur in Ms. Flor. et in Ms. Vatic. 1864. qui mihi idem, ac Farnesianus, esse videtur. In ceteris Mss. Vatic. aliisque et edd. vett. *ascendere.*

CAP. 6. *Anquirebant.* Sic Ms. Flor. et in marg. Vatic. 1958. In Ms. Vatic. 1863. *anquirebat*, forte pro *anquirebatur.* Non ita bene in ceteris Mss. et vett. edd. *inquirebant.*

Evenisse disserunt. Bene Pichena e Ms. Flor. In vett. edd. *dixerunt.*

Multarum rerum experientia. Ms. Corb. *multa.* Ibi quoque abest *et* ante *Imperatori.*

Pleraque in summa. Ita Mss. Vatic. Bodl. Corb. ed. pr. Lips. et recentiores. In Mss. Harl. Jes. et in marg. Ms. Bodl. *pluraque.* Sic et Puteolan. quod nobis quoque placet plurimum.

CAP. 7. *Admovere.* Mallet Pichena, *admoveri.* Cum mox sequatur *collocari.*

Et Antiochum. Male Mss. Vatic. 1958. et Flor. *et Jocchum.* In Mss. Vatic. 1863 et 1864. et ed. pr. *Jocchium.* Mss. Harl. et Guelf. *Locchum.* Merito recepit Ryck. *Antiochum,* Lipsio jam ceterisque probatum.

CAP. 8. *Apud Ægeas.* Mss. Harl. Bodl. Jes. *Egeas.* Male in multis libris, *Ægas.*

Specie inanium validus. Miror Lips. quod id *restituerit, suo animo, vere,* sibi gratulantem. Hæc gloria ad Puteolan. pertinet. Ita etiam ediderat Beroald. Male ed. pr. *spem inanimum validus.*

CAP. 9. *Ex commodo pararet.* In Mss. Flor. et Reg. *ex quo modo:* unde in vett. edd. *ex æquo modo,* ut et in Mss. Harl. Bodl. Jes. Mureto, Mercero ac recentioribus merito placuit, *ex commodo.*

Centurio Histeius. Ita Ms. Flor. Ryck. et Ernest. In Mss. Reg. Harl. Bodl. Jes. et edd. vett. *Histerius.* Ryck. margini ed. suæ addiderat, *Insteius:* probavit ediditque Cl. Lallemand. Minime tamen probabile centurionem *Histeium* eumdem esse ac *Insteium Capitonem,* castrorum præfectum, de quo inf. c. 39.

Forte prior, ea de causa. Ex Mureto Lips. et recentiores. In Mss. Vatic. 1863 et 1864. Harl. Bodl. Jes. *forte priore de causa.* In Ms. Vatic. 1953. *prior.*

Reciperare obsides. Ms. Flor. et ed. pr. In Mss. Harl. Bodl. Jes. et multis aliis libris, *recipere.*

CAP. 10. *Consularia insignia.* Puteolan. et recentiores. In Ms. Reg. et ed. pr. *et consularia.*

Inter reos. Ita Mss. Flor. Guelf. et Puteolan. In Ms. Reg. et ed. pr. *inter eos.* Unde Lips. emendaverat, *in reos.*

CAP. 11. *In acta Principum.* Lips. et recentiores. Sic quoque Ms. Bodl. prima manu. Altera emendatum, *Principis:* ut in plerisque Mss. et edd. vett.

Clementiam suam. Nero, præceptore Seneca, clementiam suam obstringebat; atque ut a virtute, quæ maxime Principes decet, numquam recederet, duos libros de Clementia scripsit Seneca, sub finem hujus anni, aut initio sequentis, ut patet ex i, 9. 'Cum hoc ætatis esset *divus Augustus*, quod tu nunc es, duodevicesimum egressus annum.' Quam læta fuerint Neronis initia docet cap. 1. 'Potes hoc, Cæsar, prædicare audacter, omnium quæ in fidem tutelamque tuam venerunt, nihil per te, neque vi, neque clam reipublicæ ereptum. Rarissimam laudem, et nulli adhuc Principum concessam concupisti, innocentiam. Non perdis operam: nec bonitas ista tua singularis, ingratos aut malignos æstimatores nacta est. Refertur tibi gratia. Nemo unus homo, uni homini, tam carus unquam fuit, quam tu populo Romano, magnum longumque ejus bonum. Sed ingens tibi onus imposuisti. Nemo jam divum Augustum, nec Tiberii Cæsaris prima tempora loquitur: nemo quod te imitari velit exemplar extra te quærit. Principatus tuus ad anni (Mallem *omnium*) gustum exigitur.' Hæc juvat legentium oculis subjicere, ut Principatus Neronis rationem melius intelligant, ab optimis orsam, in immania posthac delapsam.

Vel jactandi ingenii. In edd. vett. et in omnibus ferme Mss. *causa jactandi ingenii.* Abest tamen, *causa* a Ms. Vatic. quem vidit Lips. et Ms. Flor. *Vel* merito addidit Rhenan.

CAP. 12. *Cui vocabulum Acte.* Forte illa ipsa est Neronis pellex, quam a D. Paulo salutatam refert D. Chrysostom. Homil. xlvi. in Act. Apostolor. Hariolantur qui ex D. Pauli Ep. ad Philipp. iv, 22. Ἀσπάζονται ὑμᾶς πάντες οἱ ἅγιοι, μάλιστα δὲ οἱ ἐκ τῆς Καίσαρος οἰκίας. 'Salutant vos omnes sancti, maxime autem qui de Cæsaris domo sunt;' Acten Christiana religione fuisse imbutam pronuntiant. Reperti sunt Puteolis, nunc *Pozzuolo*, tubi aquæductuum inscripti CLAVDIAE. AVG. L. ACTES. I. e. 'Claudiæ' Claudii 'Augusti libertæ Actes.' V. erudit. Philippum a Turre, Monumenta veteris Antii, p. 121 sq. Recens Romæ in vinea prope Ecclesiam S. Cæsarii, ut accepimus ex diurnis literariis, *Gazette Littéraire de l'Europe,* 26. *Septembre* 1764. n. 36. p. 63. repertæ pulcherrimæ duæ urnæ sepulcrales lapide basalte. In una conditum fuerat viri corpus, in altera fœminæ, ditissima veste. Verum ut aer subiit, corpus vestisque in cineres abiere. Ex veste tamen superfuere unciæ octo auri optimi. Apud urnas inventus lapis inscriptus:

D. M.
VLPIAE
AVG. LIB. ACTE
CONIVGI
OPTIMAE
CALLISTVS AVGV
DISPESATOR

Dextro lapidis latere scriptum:

DECESSIT
IIII IDVS
DECEMBRES
ORF.

Forte Acte, Neronis pellex, matrem habuit hanc Ulpiam Acten, uxorem Callisti, dispensatoris Claudii Augusti, quæ decessit Orfito consule, A.U. C. 805. ut dictum sup. An. xii, 41.

Inrepserant per luxum. In multis Mss. et edd. vett. *irrepserat ;* quod ortum videtur ex pessima interpungendi ratione. In Ms. Jes. *irrepsere.* Merito Lips. emendavit, *irrepserant ;* frustraque Cl. Ernest. revocavit, *irrepserat.*

Ne severioribus quidem. Ita Ms. Bodl. et Puteolan. ac recentiores. Vulgo in Mss. et ed. pr. *ne senioribus.*

CAP. 13. *Nurum ancillam.* Hauffius 'nurum' Octaviam interpretatur. Sic quoque vertit Dati: *Si lamentava ch' una liberta dovesse essere padrona, è la nuora constretta ad esser serva.* Quanto melius breviusque Davanzati: *Sbuffava Agrippina d'avere una liberta per compagna, una servente per nuora.* Nec aliter Cl. Gordon: *Now Agrippina stormed, that a manumised slave was become her competitress, a handmaid her daughter-in-law.* Murphy quoque, *Agrippina was fired with indignation. She complained aloud that an enfranchised slave was put in competition with the Emperor's mother, and a wretch of mean extraction was to be treated as her daughter-in-law.* Ita etiam Sucyro: *Bramava Agrippina, de aver de sufrir el tener por emula a una liberta, y por nuera una esclava.* Amelot de la Houssaie: *Agrippine crioit avec la violence ordinaire à son sexe qu'il fesoit beau voir une servante devenir sa bru et sa rivale.* Denique Dureau: *Agrippine se récria sur ce qu'on lui donnait une affranchie pour rivale, une esclave pour bru.* Neronem voluisse Acten uxorem ducere docet Suet. in Ner. 28. 'Acten libertam paulum abfuit quin justo matrimonio sibi conjungeret: submissis consularibus viris, qui regio genere ortam pejerarent.' Si quis tamen adhuc velit nurum esse Octaviam, non multum contendam. Utroque sensu pro jure suo usus est Cl. Racine. Agrippina queritur, Britannicus, Act. iii, Sc. 3.

A son épouse on donne une rivale.
On affranchit Néron de la foi conjugale.

Et Sc. 4.

Quoi, tu ne vois donc pas jusqu'où l'on me ravale,
Albine? c'est à moi qu'on donne une rivale.

Et paulo post:

Une autre de César a surpris la tendresse,
Elle aura le pouvoir d'épouse et de maîtresse:
Le fruit de tant de soins, la pompe des Césars,
Tout deviendra le prix d'un seul de ses regards.

Quam eloquenter hunc locum suos in usus vertit poeta!

Seque Senecæ permitteret. In Mss. Reg. Farnes. et ed. pr. *seque neci permitteret.* In Ms. Vatic. *seque permitteret:* supra additum *neci.* In Ms. Flor. *seque nece.* In Mss. Harl. Bodl. Jes. et Puteolan. *Senecæque permitteret.* Merito emendatum, *seque Senecæ,* quod Lips. Ryck. et recentioribus placuit.

Summa fortuna. Male Beroald. *summa forma.*

Orabantque cavere. Ita Mss. Flor. Guelf. et ed. pr. Puteolan. *caveri.* Pichena et Rhenan. mallent, *caveret.* At infinitivo jam usus est Tac. An. vi, 2. xi, 1 et 32.

CAP. 14. *Superbia muliebris.* Mss. Harl. Jes. et Guelf. *ferocia muliebris ;* ac sic sæpe Tac. cum de Agrippina loquitur.

Arbitrum regni. Ita Mss. Vatic. 1863 et 1864. et ed. pr. Lips. ac recentiores. In Ms. Vatic. 1958. Flor. Reg. Guelf. Harl. Bodl. Jes. et Puteolan. *arbitrium.* In Mss. Harl. et Jes. pro *agebat,* scriptum *gerebat.* Sed margini Ms. Harl. additum, *agebat.*

Degrediente eo. Mss. Vatic. 1863 et 1864. et Flor. Non ita bene alii, *digrediente.*

Inde debilis rursus Burrus. In Mss. Flor. Reg. Bodl. et ed. pr. *indebilis rursus.* In Ms. Agr. et Puteolan. *inde vilis. Vilis* quoque margini Ms. Bodl. additum. In Mss. Harl. et Jes. *inde Mancinus rursus.* Ernest. quem secutus est Cl. Lallemand, omisit *inde,* ratus ejus vice fungi *rursus.* Probabilissimum tamen ex Mss. scriptura, et Taciti usu, olim scriptum fuisse, *inde debilis Burrus ;* vel, *inde vilis Burrus. Rursus* irrepsisse videtur, cum corrupta fuit scriptura, aliique legerent *indebilis,* alii *Mancinus,* alii *bilbil,* ut in Ms. Vatic. Crediderim autem veram lectionem esse, *inde debilis Burrus :* idque suadent quæ sequuntur, *trunca scilicet manu. Debilitati* enim dicebantur, qui hoc corporis vitio laborabant. Unde in Digest. libr. xlix, Tit. 16. Leg. 4. ex Arrio Menandro, n. 12. 'Eum, qui filium debilitavit, dilectu, *id est,* delectu, per bellum indicto, ut inhabilis militiæ sit, præceptum divi Trajani deportavit.' Epitheta omisit Cl. Gordon, ut vividius verteret: *with him she would repair to the camp, where, on one side, would be heard the daughter of Germanicus, on the other, Burrhus and Seneca, the first with his maimed hand, the second with the style of a pedagogue, both engaged in a contest with her about the sovereign rule of human kind.* Murphy ita vertit, *with that young prince she would join the army: in the camp should be heard the daughter of Germanicus ; Burrhus, and Seneca, the famous exile, might present themselves before the prætorian soldiers ; the first with his maimed hand, and the second, armed with his tropes and flowers of rhetoric ; both worthy ministers, fit, in their own opinion, to govern the Roman world.*

CAP. 15. *Ut quidem experimento.* Mallet Freinshem. *levi quidem ;* cui assentitur Dureau. In Ms. Harl. altera manu emendatum *et* pro *ut.* Freinshemio suffragantur quæ sequuntur, *quo tamen.*

Ruborem allatura. In Ms. Reg. et ed. pr. *oblatura ;* quod laudat Cl. Ernest. At melius vulgo Mss. Puteolan. et opt. edd. *allatura.* Ignoratur unde Lips. acceperit, *illatura.*

Rebusque summis. A Mss. Harl. Bodl. Jes. abest *que.* Frustra tentat Cl. Ernest. *rebusque suis.*

Neque jubere cædem. Forte *jubere* redundat, ut Acidalio et Ernesto placuit. Mox enim sequitur, *jubet.*

Occulta molitur. Mallet Heins. *occultam.* Eleganter. Sæpe in Mss. concurrentibus literis *m,* una omittitur. Diversitate tamen delectatur Tacitus.

Pararique venenum. Ernest. e Ms. Flor. A vett. edd. et Mss. Harl. Bodl. Jes. abest *que.*

Securitatem morarentur. Male in Mss. Reg. Bodl. Jes. et ed. pr. *securitate.* Securitatem enim Principis morabantur et impediebant.

Cap. 16. *Delectus ex ministris.* Hæc suspecta habet Ernest. Minime tamen indigna sunt brevitate Corneliana.

Adfunditur venenum. Ita Ms. Flor. In Mss. Harl. Bodl. Jes. et Puteolan. *infunditur.*

Frigida in aqua. Errat ergo Ælian. v, 29. cum Britannicum, ut et Claudium cibo, non vero potu enectum tradit. Καὶ ἐσθίοντες, ὡς Κλαύδιος ὁ Ῥωμαῖος, καὶ Βριταννικὸς ὁ τούτου παῖς.

Et spiritus raperentur. Ita Ms. Reg. Vulgo in libris scriptis et editis, *et spiritus ejus raperentur.* At certe numquam Tacitus scripsit, *potusque ejus . . . ejus artus . . . . et spiritus ejus.* In Ms. Jes. *raperetur.*

Trepidatur a circumsedentibus. Rhenan. *trepidatum.* In Ms. Jes. *circumstantibus.*

Primum ab infantia. Mallet Freinshem. *plurimum.* Alii tentant *prima.* Nihil mutaverim. Sic ferme adhuc Itali, *infin da fanciullo.* Suspecta Mureto vox *Britannicus.* Nec immerito.

Ac sororem Britannici Octaviam. Omnino displicet *Octaviam.* Certe omisissem, si vel unus liber favisset. Hæc omnia, *ejus . . Britannicus . . . Octaviam,* sunt librariorum additamenta. *Octaviam* redundare patet ex sequentibus, *Octavia quoque.* In Ms. Reg. et ed. pr. *Britannici sororem Octaviam,* omissa particula *ac.* Mss. Harl. Jes. *atque Octaviam sor. Brit.* Ms. Bodl. et Puteolan. *ac Octaviam.* Male, cum *ac* veteres scriptores ante vocalem non posuerint.

Octavia quoque. Frustra emendat Lips. *Octaviæ.*

Cap. 17. *Funebri paratu.* Ms. Flor. ed. pr. Pichena et recentiores. In Mss. Harl. Bodl. Jes. et Puteolan. *apparatu.*

In campo tamen Martii. Mss. Flor. Harl. Jes. Pichena et recentiores. In Ms. Bodl. et edd. vett. *Martio.*

Insociabile regnum æstimantes. Ita Ms. Vatic. 1958. et Puteolan. atque Ernest. In Mss. Vatic. 1863. Agr. Guelf. Jes. et ed. pr. *extimantes.* In Mss. Vatic. 1864. Flor. Reg. et Rhenan. *existimantes.*

Inlusum isse. In Mss. et edd. vett. *illusum esse;* vitio librariorum, qui id elegantiæ non caperent. Male emendaverat Rhenan. *illusisse.*

Ad complexum sorori dato. In Ms. Reg. et ed. pr. *sororum.* Britannico duæ erant sorores Octavia et Antonia. V. Stem. Cæs. n. 36 et 105. Sed hic de Octavia agitur, cujus erat morientem fratrem amplecti.

Acerba funera. Ap. Antiquos moris non fuit pueros, eosque, qui ante sumtam virilem togam moriebantur, lugere. Qua de re insignis extat locus Plutarchi in Consol. ad Uxor. p. 612. Τοῖς γὰρ νηπίοις ἀποθανοῦσιν οὔτε χοὰς ἐπιφέρουσιν, οὔτ' ἄλλα δρῶσι περὶ αὐτὰ, οἷα εἰκὸς ὑπὲρ θανόντων ποιεῖν τοὺς ἄλλους· οὐ γὰρ μέτεστι γῆς οὐδὲν οὔτε τῶν περὶ γῆν αὐτοῖς· οὐδ' αὐτοῦ (corrige αὐτῶν) περὶ ταφὰς καὶ μνήματα, καὶ προθέσεις νεκρῶν φιλοχωροῦσι καὶ παρακάθηνται τοῖς σώμασιν, οὐ γὰρ ἐῶσιν οἱ νόμοι τοὺς τηλικούτους, ὡς οὐχ' ὅσιον εἰς βελτίονα καὶ θειοτέραν μοῖραν ἅμα καὶ χώραν μεθεστηκότας. 'Infantibus enim mortuis neque inferias libant, neque aliud quidquam faciunt eorum, quæ fieri mortuis apud alios solent. Neque enim terræ, aut terrestrium infantes

ullam partem percipiunt; neque circum eorum sepulcra et monimenta ac cadaverum expositionem commorantur, aut adsident. Talia enim non permittunt leges. Nefas enim lugere eos qui in meliorem ac diviniorem conditionem simul ac locum concesserint.' Britannico, meliora merito, liceat parentare versibus Senecæ in Octav. i, 165. 'Extinctus jaces, Deflende nobis semper infelix puer, Modo sidus orbis, columen Augustæ domus, Britannice: heu me! nunc levis tantum cinis, Et tristis umbra; sæva cui lacrymas dedit Etiam noverca; cum rogis artus tuos Dedit cremandos, membraque et vultus Deo Similes volanti flamma fervens abstulit.'

Cap. 18. *Nec defuere.* Mss. Flor. Reg. ed. pr. et recentiores. In Mss. Harl. Bodl. Jes. et Puteolan. *defuerunt.*

Domos, villas. Sic Mss. Harl. Bodl. Jes. Flor. Reg. Guelf. ed. pr. et recentiores. Puteolan. *villasque.*

Quasi prædam. Mss. Flor. Reg. Guelf. ed. pr. et recentiores. In Mss. Harl. Bodl. Jes. et Puteolan. *prædas.*

Solitum, et matri. Bene Ryck. e Ms. Agr. Mss. Harl. Bodl. Jes. et Puteolan. *solitum et ut matri.* Cl. Ernest. alios Mss. codd. secutus, edidit, *solitum, ut matri:* quod profecto durissimum est.

Cap. 19. *Non sua vi nixæ.* Mss. Vatic. Oxon. Reg. Guelf. et edd. vett. *nixa.* Placet quoque Ernesto. Lipsio et recentioribus omnibus receptum, *nixæ,* quod *sua vi* defensum videtur.

An odio incertum. Bene Puteolan. In Mss. Reg. Bodl. Bud. et ed. pr. *incertas.*

Forma, lascivia. Mss. Flor. Guelf. edd. vett. Sic quoque emendatum in Ms. Harl. Rhenan. ut et Ms. Jes. *lasciva.*

Opibus et orbitate. Tentat Cl. Ernest. *ex orbitate.*

Spe ultionis oblata. Vulgo in Mss. *speculationis causa oblata.* Irrepsit *causa* ob corruptam vocem *speculationis.* Puteolan. recte emendavit, *spe ultionis.* Male autem retinuit, *causa.*

Audita deferens. Ms. Flor. *differens.*

Conjugioque ejus potiri, ac rempublicam. Ita Mss. Harl. Bodl. Jes. Guelf. Perperam in Ms. Reg. et edd. vett. *conjugioque ejus etiam imperio rempublicam rursus invadere.* In Ms. Flor. *perio* pro *imperio.* Unde frustra tentabat Heins. *conjugioque ejus ceu imperii pretio rempublicam.* J. F. Gronov. *conjugioque ejus clam petito.*

Cap. 20. *Per vinolentiam.* Ita ed. pr. et recentiores. In Mss. Reg. Jes. et Puteolan. *violentiam.*

Lusus Principis. Ita Rhenan. Lips. et Ernest. quod, inquit, histrionis est *lusus intendere.* Minime tamen displicet *luxus,* ut legitur in Mss. Harl. Bodl. Jes. Reg. et edd. vett.

Consensum auctorem secuti. Ita Ms. Reg. ed. pr. et recentiores. Mss. Bodl. Jes. et Puteolan. *secuturi.*

Differri potuit. Bene Puteolan. In Ms. Reg. et ed. pr. *differre.*

Vocem unius ex inimica domo. Mallet Lips. *vocem mimi ex mimica domo.* At audacior conjectura: nec puto Tacitum umquam scripsisse, *mimi ex mimica.*

Refutare tenebras. Felicior Lips. qui conjicit, *reputaret tenebras.* Haud tamen necessaria emendatio.

Cap. 21. *Vel pœna lueret.* Ita Ms. Reg. ed. pr. et Ernest. In

Mss. Harl. Bodl. Jes. Puteolan. aliique plurimi, *pœnas.* Exquisitius dictum, *pœna.*

Deinde a Burro. Ms. Bodl. et Puteolan. *Deinde et a Burro.*

Piscinas extollebat. Ita Mss. Vatic. 1863. 1864. 1958. Harl. Bodl. Jes. Flor. Guelf. et edd. vett. Male emendatum, *excolebat.*

Aut existat. Rhenan. emendavit, *At.* *Aut*, fortius esse recte observat Ernest.

Vel libertos. Ms. Jes. *et.*

Potiente rerum. Mss. Harl. Reg. et ed. pr. *potito.* Puteolan. et recentiores, *potiente.* In Ms. Jes. *potentie.*

Rempublicam judicaturus. Optime et ad rem dictum, *judicaturus.* Miror Lips. tentasse, *judicatusve*, h. e. *judicia:* Rodolph. Agricolam, *rempublicam invasurus:* Grot. *judicia dictaturus:* Jan. Rutgers. Venusinæ lect. c. 31. *rempublicam vindicaturus.* Si Nero, si Britannicus non imperarent, Agrippina a quovis, qui rempublicam obtinuisset, judicanda erat, nec absolvenda.

Nisi a filio absolvi non possim. Ms. Flor. et ed. pr. Ms. Vatic. 1864. *non possum.* Male Puteolan. *a filio mater absolvi non possim;* vel ut in Mss. Harl. et Jes. *non possit.*

Quasi diffideret. Bene. Nec emendand. ut placuit Rodolph. Agricolæ, *defenderet.*

Nec beneficiis. Ernest. vellet addi, *de.* At intelligi potest, *pro.*

Cap. 22. *Fenio Rufo.* In Mss. Harl. Bodl. Jes. et edd. vett. male, *Senio.* Passim inf. appellatur, *Fenius.*

Arruntio Stellæ. In tabella ænea ap. Gruter. p. 642. n. 2. SVB. L. ARRVNTIO. STELLA. Cl. Piranesi, *Antichità Romane*, Vol. ii, splendidum monumentum sepulcrale, anno 1736. via Appia repertum, quod L. Arruntius, libertis et familiæ posuerat, tabulis novem expressit. Inter ceteras Inscriptiones, hæc fronti cellarum sepulcralium posita:

LIBERT. ET
FAMILIAE
L. ARRVNTII. L. F
TER

Et variis. Vellet Gronov. *qui variis.* Melius Heins. et Ernest. *sed* vel *at.* Cum mox sequatur, *At Silano*, ferri potest, *et.*

Relegantur. In Taciti libris sæpe memorantur exilium, relegatio, deportatio: quæ cum sint diversa, de singulis dicere haud erit inutile.

DE EXILIO, RELEGATIONE ET DEPORTATIONE.

Inter optima instituta, quibus viguit respublica Romana, illud mihi potissimum videtur quo Patriam, sanctissimam parentem, liberis seque ipsis cariorem, venerabantur: pro qua vivere, pro qua mori, cui se totos dedere, in qua sua omnia ponere, et quasi consecrare debebant. Cum tanta forent patriæ nomina, merito statutum erat ut nemo civis Romanus civitatem posset amittere, nisi ipse auctor esset. Inde, si quem, rei capitalis damnatum, ejectum vellent Romani, tecto, igne, aqua, interdicebatur. Tunc, cum in aliam civitatem se recepisset, nec duas simul habere posset, civitate Romana

amissa, redigebatur in peregrinitatem. Hæc pœna *exilii*. Exul civitatem, patriam in liberos potestatem, testamenti factionem, bona et omnia omnino jura sua amittebat, ut videre est in Digest. lib. xlviii, Tit. 1. de Publicis Judiciis. Tit. 22. de Interdictis, Relegatis et Deportatis. Apud Caium Institut. lib. i, Tit. 6.

Relegatio ab exilio erat penitus diversa. Relegatus civitatem, patriam potestatem, testamenti factionem, omnia sua jura et bona retinebat; ni forte bona, parsve bonorum, speciatim adimerentur: tantum ab urbe Roma, aliove loco abesse tenebatur. Inde Ovid. Trist. v, 2, 59. 'Ira quidem moderata tua est; vitamque dedisti: Nec mihi jus civis, nec mihi nomen abest.' Et 11, 15. 'Nec vitam, nec opes, nec jus mihi civis ademit; Quæ merui vitio perdere cuncta meo. Sed quia peccato facinus non adfuit illi, Nil nisi me patriis jussit abesse focis .... Ipse relegati, non exulis, utitur in me Nomine: tuta suo judice causa mea est.'

Deportationem reperit Augustus, specie clementiæ, quasi servarentur homines, qui perire debuissent; re, ut exilii pœna intenderetur, neve exulum libertas, aut consensus, Principatui noceret. Deportatione civitas, patria potestas, testamenti factio, bona, jura omnia sublata. Quod autem exilio terribilius, circumscriptus est habitandi locus; sæpe quoque addita infamia, cum vincti compedibus, et servis publicis traditi, deportarentur.

Verum licet exulum et deportatorum bona publicarentur, noli tamen eos omnino inopes existimare. Vel reorum inopiam non ferebat Imperii luxus. Ideo cum eorum opes adhuc formidaret Augustus, "vetuit ne quis eorum quibus aqua et igni esset interdictum, in continenti degeret, aut in insula ulla, nisi quæ ultra quinquaginta millia passuum ab continente distaret; solis tamen insulis Co, Rhodo, Sardinia, et Lesbo, exceptis....neve quis eorum alio trajiceret, aut plures naves, quam unam onerariam, mille amphoras capientem, et duas actuarias, neve servos aut libertos super viginti, neve plus quingentis millibus nummum, *Angl.* 4166*l.* 13*s.* 4*d.* possideret." Ἀπηγόρευσε μηδένα πυρὸς καὶ ὕδατος εἰρχθέντα, μήτε ἐν ἠπείρῳ διατρίβειν, μήτε ἐν νήσῳ τῶν ὅσαι ἔλαττον τετρακοσίων ἀπὸ τῆς ἠπείρου σταδίων ἀπέχουσι· πλὴν Κῶ τε καὶ Ῥόδου, Σαρδοῦς τε καὶ Λέσβου....Ἐκεῖνά τε οὖν αὐτοῖς προσέταξε, καὶ τὸ μήτε περαιοῦσθαί πη ἄλλοσε, μήτε πλοῖα πλείω φορτικοῦ τε ἑνὸς χιλιοφόρου, καὶ κωπήρων δύο κεκτῆσθαι· μήτε δούλοις, ἢ καὶ ἀπελευθέροις, ὑπὲρ εἴκοσι χρῆσθαι· μήτ' οὐσίαν ὑπὲρ δώδεκα καὶ ἡμίσειαν μυριάδα ἔχειν. Dio, lvi. p. 587. Merito ergo Sen. Cons. ad Helv. xii. exclamat: 'Eo temporum luxuria prolapsa est, ut majus viaticum exulum sit, quam olim patrimonium principum fuit.'

Cap. 23. *Vanitatis manifestus.* In Ms. Reg. et edd. vett. *vanitatibus.*

Monimenta retrahebat. Mallet Fr. Gronov. *nomina:* Jac. Gronov. *emolumenta.* Cl. Lallemand recepit, *nomina.* *Monimenta* retinui ob Mss. et editorum librorum auctoritatem.

Cap. 25. *Q. Volusio, P. Scipione.* Perperam Mss. Harl. Bodl. Jes. Guelf. et Puteolan. *P. Cepione.* Extat Neapoli horum consulum memoria, ap. Gruter. p. ix, n. 4.

Q. VOLVSIO. SATVRN
P. CORNELIO. SCIP. COS
AVGVSTALES
QVI Neroni CLAVDIO
CAESARI. AVGVST. ET
Agrippinæ AVGVSTAE
I. O. M. ET. GENIO. COLONIAE
LVDOS. FECER. XIII. XII. K. MART. &c.

His coss. Romæ hominem peperisse observat Phlegon, de rebus mirabilib. c. 27.

Ad venditionem. Puteolan. et recentiores omnes. *Ad* abest a Ms. Flor. unde Gronov. conjiciebat, *venum.* In ed. pr. *venditioni.*

Exciperet ictus. Ita Mss. edd. vett. J. Gronov. et recentiores. Lips. *acciperet.*

Et ore præferret. Vitiose in Mss. Harl. Jes. Bodl. *et fore se Cæsarem præferret;* quibus consentit Ms. Bud. Inde conjiciebat J. Gronov. *et ore cicatricem præferret.*

Augebantur injuriæ. In Mss. et libris editis, *augebanturque.* Redundat copula, ut patet legentibus.

Fœminasque insignes. Mss. Farnes. et Agr. *illustres.*

Permissa semel licentia. Sic Ms. Flor. ed. pr. Pichena, Ryck. et recentiores. In Mss. Harl. Bodl. Jes. et Puteolan. *Quidam simili licentia.*

Inulti, propriis. Pichena e Ms. Flor. In Mss. Harl. Bodl. Jes. et edd. vett. *multi.*

In modum captivitatis. Mallet Lips. et merito, *in modum captæ civitatis;* ea enim, inquit, facies potius, quam carceris custodiæve.

Julius quidem Montanus. Ita Ms. Reg. et edd. vett. Lips. *quidam;* quod non convenit cum hominis dignitate. A Mss. Harl. Bodl. Jes. Bud. et Guelf. abest, *quidem;* et abesse potest. Forte hujus Montani pater fuit Julius Montanus, 'tolerabilis poeta, et amicitia Tiberii notus et frigore;' de quo Sen. Ep. 122.

Nondum honorem capessisset. Juvenis erat Julius Montanus, et, ut videtur, ejusdem ferme ætatis, ac Nero; curiæ intererat, nondum honores petierat, aut erat consecutus. De hoc usu Plin. Ep. ii, 9. 'Ego Sexto latum clavum a Cæsare nostro, ego quæsturam impetravi:' et viii, 23. Junius Avitus 'latum clavum in domo mea induerat; suffragio meo adjutus in petendis honoribus fuerat.' Augustus autem, teste Suet. Aug. 38. 'Liberis senatorum, quo celerius reipublicæ assuescerent, protinus virilem togam, latum clavum induere, et curiæ interesse permisit.' Hinc vero Tiberii verba intelligas, An. vi, 2. 'Honoribus perfunctos, an juvenes?'

Quia vi attentantem. J. Gronov. et recentiores e Ms. Agr. In Mss. Flor. Reg. Bud. et ed. pr. *via temptantem.* Mss. Bodl. Jes. Guelf. *avia tentantem.* Puteolan. *via tentantem.*

Deinde agnitum. Mss. Bud. et Agr. *adagnitum.* Unde vellet Gronov. *deinde et agnitum.*

Plerosque gladiatores. Ernestus e Ms. Flor. et ed. pr. In Mss. Bodl. Jes. et Puteolan. *gladiatorum.* Latine utrumque.

Arma inserebant. Ita Ms. Reg. et ed. pr. In Mss. Harl. Bodl. Jes. Guelf. *inferebant.* Puteolan. *inferrent.* Unde tentabat Muret. *sererent.* Elegantius probatiusque, *inserebant.*

Cap. 26. *Jus patronis daretur. Patronis* abest a Ms. Reg. et ed. pr.

Relationem incipere. Ms. Reg. *recipere.*

Ille jam auctor. Ita Ms. Reg. In Mss. Harl. Bodl. Jes. Guelf. Bud. et edd. vett. *ille an auctor.* Lips. omisit, *an.* In Ms. Agr. *illi, an auctor;* quod recepere Ryck. et Ernest. At, ut opinor, numquam scripsit Tac. *perscripsere tamen consensum senatus illi: an auctor,* &c. Id enim omnino durum, auresque offendit.

Et sententiæ adversos. Mallet Freinshem. *ei sententiæ.* Placuitque Ryckio et Ernesto: nec improbabile. Potest tamen intelligi, *ut inter paucos, et sententiæ* ac consensui senatus *adversos.* Vel, quod potius crediderim, *et* redundat.

Ut æquo cum patronis jure. In edd. vett. *vine an æquo cum patronis jure agerent: sententiam eorum consultarent: ac verberibus manus ultro intenderent: impulere vel pœnam suam dissuadentes.* Nihil juvant Mss. æque, vel magis, corrupti. Observaverim tamen in Ms. Jes. pro *sententiam* legi *sententia.* In Ms. Corb. pro *impulere, impudente,* et in Ms. Agr. *impudentes.* Magna inde conjecturarum vis: præcipuas retulisse sit satis. Lips. *ut jam nec æquo cum patronis jure agerent. Sententia eorum consultari, an verberibus manus ultro intenderent, impune vel pœnam suetam dissuadentes.* Gronov. *vine an æquo cum patronis jure agerent? sententiam coram confutarent, an verberibus manus ultro intenderent? impellere pœnam suam dissuadentes.* Vir erudit. in ed. Gryph. *Ut nec æquo cum patronis jure agerent, sed jam coram insultarent, ac verberibus manus ultro intenderent, impune vel pœna sua gaudentes.* Cl. Chifflet. *ut jam æquo cum patronis jure agerent, salutem eorum,* vel *sententiam Chaldæorum, consultarent, ac verberibus manus ultro intenderent impune, vel pœnam suam despicientes.* Ryck. pro *consultarent* vellet *conculcarent. Impune* approbat Ernest. Ego vero, Ill. Huet. secutus, emendavi *ut æquo.* Id enim postulat *eo prorupisse:* nec excogitatum *ne an,* quam cum *ut* in *vi* mutatum: edidi *impudenter,* quod proximum est Mss. in quibus *impudentes, impudente* legitur. Certe *impulere* vitiosum est; et infeliciter a multis emendatum *impellerentve.*

Vicesimum ultra lapidem. Multi putant hic erratum esse in numero, et emendandum *centesimum,* quod intra centesimum milliarium cognosceret præfectus Urbis, et Campania ferme centum millibus ab Urbe distaret. At hic non agitur de præfecti Urbis, sed patronorum, jure. Atque minus ad determinandum locum, quam ad augendam invidiam memoratur ora Campaniæ, de qua Plin. iii, 5. 'Qualiter Campaniæ ora, per se, felixque illa ac beata amœnitas.'

At criminum. Ernest. ex Mss. Flor. Guelf. et ed. pr. Ms. Reg. et Puteolan. *ac.*

Ad servitutem. Mss. Harl. Jes. *ad serviendum.*

Non mutavissent. Mss. Harl. Bodl. Jes. Guelf. *non commutavissent.*

Cap. 27. *Si separarentur.* Mss. Flor. Bodl. et Puteolan. In Ms. Reg. et ed. pr. *separantur.* Rhenan. *separentur.*

Non liberaverit. Mss. Harl. Bodl. Jes. *non liberavit.*

Quod datum non adimeretur. Posterioribus temporibus data libertas ademta est, et ex Principum rescripto patroni extra ordinem libertos *in servitutem* revocabant. V. Gravinam, Origg. Jur. Civil. p. 529.

Scripsitque Cæsar senatui. Ita libri omnes scripti et editi. Unus Cl. Ernest. omisit, *senatui*, forte operarum errore.

Expenderent causam. Mss. Bodl. Corb. *expedirent.*

Nihil derogarent. Bene Muret. et Ernest. Mss. et edd. vett. *derogent.*

Cap. 28. *Vibullium.* Mss. Reg. Bodl. et edd. vett. *Bibulium.* Mss. Harl. et Jes. *Bibulum.* Lips. et recentiores, *Vibullium.* Nomen nonnumquam occurrit in vett. Inscrr.

Et a prætore. Et abest a Ms. Jes. potestque omitti.

Comprobavere patres. Muret. mallet, *non probavere.* Sane durum est, *comprobavere*, licet intelligas Vibullium ejusque severitatem.

Obultronium Sabinum. Mss. Flor. et Bud. In Mss. Harl. Bodl. Jes. *Obultronum.* Ms. Reg. et edd. vett. *Obutronium.* In Inscrr. vett. memoratur, *Obultronius Eucarpus.*

Cap. 29. *Ejus rei forma.* Variam ærarii dispensationem opesque paucis exponam.

DE ÆRARIO POPULI ROMANI.

Ærarium populi Romani fuit in æde Saturni, in imo Capitolini montis clivo: ejus cura demandata erat quæstoribus. At, vigente republica, penes senatum erat ærarii et pecuniæ publicæ dispensatio. Nec quæstores, ni consul imperasset, inde quicquam, vel ad minimos sumtus, injussu senatus, proferre poterant.

Julius Cæsar, reipublicæ potitus, certusque invalidam esse potentiam, quæ militum ac pecuniæ vi non niteretur, providit A. U. C. 708. ut sibi soli milites et pecuniæ publicæ demandarentur, ac ne cui horum alterutro, injussu suo, uti liceret. Στρατιώτας τε μόνον ἔχειν, καὶ τὰ δημόσια χρήματα μόνον διοικεῖν ἐκέλευσαν· ὥστε μηδενὶ ἄλλῳ μηδετέρῳ αὐτῶν, ὅτῳ μηδὲ ἐκεῖνος ἐπιτρέψειεν, ἐξεῖναι χρῆσθαι. Dio xliii, p. 236. Tum non quæstoribus, sed duobus præfectis Urbis, δύο τῶν πολιανομούντων, data ærarii cura. Dio ibid. p. 237.

Augustus, dominationis certus, et libertatem affectans, permisit senatui deligere præfectos ærario. Deinde, ambitu suffragiorum suspecto, sorte ducti ex numero prætorum, qui præessent. Postea sors ipsa displicuit, quod sæpe deerraret ad parum idoneos, prætoresque ærarii ab imperatoribus creati.

Claudius, antiqua nomina revocandi avidus, quæstores rursum imposuit, iisque ‘curam ærarii Saturni reddidit, quam medio tempore prætores, aut utique prætura functi sustinuerant,’ Suet. Claud. 24. Nec quæstores illos, ut ante, annuos fecit; sed per triennium præesse voluit; ac ne segnes munere fungerentur, re gesta, eos prætura aliave mercede munerabatur, Dio lx, p. 680. His quæstoribus, primum magistratum vigesimo quinto ætatis anno capessentibus, robur deerat: Nero prætura perfunctos et experientia probatos delegit, curamque ærarii ac tabularum publicarum a quæstoribus ad præfectos transtulit. Conjicere licet ex Plin. eos per biennium fungi solitos

'officio laboriosissimo et maximo,' ut loquitur Plin. ipse præfectus ærarii, imperante Trajano. Plin. Paneg. 91.

Hæc enarranda fuere, ut explanaretur Tacitus. Nunc vero juvat opes ærarii, tum stante republica, tum imperantibus Principibus, expendere.

ÆRARII OPES, STANTE REPUBLICA.

A. U. C. 459. Cos. Papirius, devictis Samnitibus, triumphum egit. In triumphi pompa 'æris gravis transvecta xx [*i. e.* vicies, *s. quod id. est*, vicies centena millia] et quinquaginta tria millia: id æs redactum ex captivis dicebatur. Argenti, quod captum ex urbibus erat P. M. CCCXXX. Omne æs argentumque in ærarium conditum,' Liv. x, 46. Sic enim hic Titi Livii locus legendus est, nec audiendi, qui cum Sigon. *vicies centies millies*, quod omnino absurdum, legere aut edidere.

Porro æris gravis 2,053,000. sunt Anglice .... 55,500*l.*
Argenti pondo 1330. sunt Anglice .... 3,990*l.*

Summa .... 59,490*l.*

A. U. C. 586. superato Perseo, Macedonum rege, ærario 'intulit Æmilius Paulus e Macedonica præda HS. MM.CCC.' Plin. xxxiii, 3.

Sestertium 230,000,000. sunt Anglice .... 1,916,666*l.*

A. U. C. 597. cum Carthagini excidium pararetur, 'auri in ærario populi Romani fuere, Sexto Julio, L. Aurelio coss. septem annis ante bellum Punicum tertium, pondo XVI. DCCCX. argenti XXII. LXX. et in numerato LXII. LXXXV. CCCC.' Plin. xxxiii, 3.

Auri pondo 16,810. sunt Anglice .... 756,450*l.*
Argenti pondo 22,070. sunt Anglice .... 66,210*l.*
In numerato, seu sestertium, 6,285,400. sunt Anglice 52,380*l.*

Summa .... 875,040*l.*

A. U. C. 663. 'Sexto Julio, L. Marcio coss., hoc est belli socialis initio,' teste Plinio, xxiii, 3. fuere in ærario pondo *auri* XVI. XX. DCCCXXIX.

Auri pondo 1,620,829. sunt Anglice .... 72,937,305*l.*

A. U. C. 705. 'Caius Cæsar, primo introitu Urbis in civili bello suo, ex ærario protulit laterum aureorum XV. M. argenteorum XXXV. et in numerato HS. CCCC. Nec fuit aliis temporibus respublica locupletior,' Plin. xxxiii, 3. Sic enim legend. Nam hoc in loco bis erravit erudit. Harduin. primo quod edidit *laterum aureorum* XXV. Inspexi in Bibliotheca Regia illum ipsum Plin. cod. quem laudat, et in eo non XXV. sed XV. scriptum. Erravit secundo, quod ita distinxit *in civili bello, suo ex ærario*, ut ad Julii Cæsaris ærarium referret, quod de populi Romani ærario dixit Plin. teste ipso Floro, iv, 2. 'Caius Cæsar ærarium quoque sanctum, quia tardius aperiebant tribuni, jussit effringi: censumque et patrimonium populi Romani ante rapuit, quam imperium.

Nunc vero in numerato sestertium 40,000,000. sunt Anglice .... 333,333*l.*

Aureorum autem et argenteorum laterum pondus cum Plinius non

prodiderit, incomperta est summa. At quoniam numquam respublica fuit locupletior, reputari potest, sine erroris formidine, opes reipublicæ tunc temporis æquasse circiter Anglice······ 84,000,000*l.*

Tantas opes a Julio Cæsare raptas animose queritur, earumque originem facunde docet Lucan. iii, 154. 'Tunc rupes Tarpeia sonat, magnoque reclusas Testatur stridore fores: tunc conditus imo Eruitur templo multis intactus ab annis Romani census populi, quem Punica bella, Quem dederat Perses, quem victi præda Philippi: Quod tibi, Roma, fuga Pyrrhus trepidante reliquit, Quo te Fabricius regi non vendidit auro, Quicquid parcorum mores servastis avorum, Quod dites Asiæ populi misere tributum, Victorique dedit Minoïa Creta Metello, Quod Cato longinqua vexit super æquora Cypro, Tunc Orientis opes, captorumque ultima regum, Quæ Pompeianis prælata est gaza triumphis, Egeritur: tristi spoliantur templa rapina; Pauperiorque fuit tunc primum Cæsare Roma.'

ÆRARII OPES, IMPERANTIBUS PRINCIPIBUS.

Mansit ærarii nomen; ac, quasi aucta fortuna, etiam geminatum: nam Ærarium Militare ex vicesima hereditatum instituit Augustus. At perierant opes publicæ, et in privatam Cæsarum fortunam cesserant. Nec immerito, a Græcis historiæ Romanæ scriptoribus ærarium, non Ταμεῖον, aut Δημόσιον, sed Βασίλειον, aut Βασιλικὸν, plerumque postea nuncupatum est.

A. U. C. 726. 'adeo egens erat ærarium, ut mutuo sumtas pecunias in id intulerit' Augustus. 'Επειδὴ χρημάτων τῷ δημοσίῳ ἐδέησεν, ἐδανείσατό τινα, καὶ ἔδωκεν αὐτῷ. Dio liii, p. 497.

Nec puduit Augustum, cum, sub finem imperii, breviarium rerum suarum ære inscriptum ubique terrarum legendum proponeret, gloriari: QVATER. PECVNIA. MEA. IVVI. AERARIVM. ITA. VT. SESTERTIVM. MILLIENS. ET. QVINQVIENS. AD. EOS. QVI. PRAEERANT. AERARIO. DETVLERIM. ET. M. Æmilio ET. L. ARVNTIO. COS. IN AERARIVM. MILITARE. QVOD. EX. CONSILIO. constituTVM. EST. EX. quo PRAEMIA. DARENTVR. MILITIBVS. QVI. viginti stipendia EMERVISSENT. HS. MILLIENS. ET. SEPTINGENTIens nomine Tiberii Cæsaris et MEO DETVLI. Marmor Ancyranum, ap. erudit. Chishull, Antiquitates Asiaticæ, p. 174.

Sestertium 100,500,000. sunt *Angl.* ·············· 837,500*l.*

Sestertium 170,000,000. sunt *Angl.* ·············· 1,416,666*l.*

A. U. C. 786. Tiberio imperante, maxima fuit Romæ inopia rei nummariæ, quod signatum argentum, divenditis reorum damnatorumve bonis, fisco, vel ærario, attinebatur. Necessitati, quam fecerat, opem tulit Tiberius, ut vidimus An. vi, 17., 'disposito per mensas millies sestertio, [Angl. 833,333*l.*] factaque mutuandi copia sine usuris per triennium.' Ipse moriens, A. U. C. 790. reliquit, teste Suet. in Caio, 37. 'vicies ac septies millies sestertium,' *Angl.* 22,499,910*l.*

A. U. C. 810. ita exhaustæ opes publicæ, ut, teste Tac. An. xiii, 31. Nero ærario 'intulerit sestertium quadringenties,' *Angl.* 353,333*l.*

Postea Neronis libidinibus, Galbæ, Othonis, et Vitellii discordiis, malum ita adcrevit, ut sub finem A. U. C. 822. prætores ærarii pub-

licam paupertatem quererentur, et modum publicis impensis postularent. Tac. Hist. iv, 9 et 40.

Eodem A. U. C. 822. cum Vespasianus imperium capessisset, professus est, teste Suet. Vespas. 16. opus esse, ut respublica stare posset, 'quadringenties millies,' *Angl.* .... 333,333,333*l.*

Tanta summa fuit funditus exhausti imperii Romani argumentum, non vero ingens illud politicæ artis arcanum et instrumentum, quo viget exultatque Britannica res, ære alieno adeo valida ac formidanda, ut debitum suum, singulis annis ultro profiteatur, et, exeunte anno 1810. debuerit libras Anglicas fere .... 800,000,000.

Grande anteactis ætatibus miraculum, præsentibus meditamentum, futuris exemplum!

Imperium vero Romanum, non his superbis fortunæ pignoribus elatum, sed pudendis necessitatibus fractum, quadringenties illud millies numquam potuit ærario inferre, ruinasque suas reparare. Id tantum valuere optimi Principes Vespasianus, Titus, Nerva, Trajanus, et Hadrianus, ut prope afflictam ac nutantem rempublicam fulcirent et suffultam adornarent.

A. U. C. 914. Antonino Pio laudi datum est, auctore Dione, lxxiii, p. 833. quod, ut et Tiberius, moriens reliquerit vicies ac septies millies sestertium, Anglice .... 22,499,910*l.*

A. U. C. 946. auctore eodem Dione, ibid. Pertinax, cum succederet Commodo, ad summum reperit decies sestertium, πέντε που καὶ εἴκοσι μυριάδας δραχμῶν εὑρών. Id est, Anglice .... 8,333*l.*

Sic Roma, vigente republica, assiduis bellis, e maxima paupertate ad summas opes evecta, imperantibus Principibus, diuturnaque triumphati orbis pace, e summis opibus ad maximam paupertatem recidit. Proh imperiorum fata!

Honores promisit. In Mss. Harl. Bodl. Jes. edd. vett. ac Ernest. *permisit.* Pichena aliique e Ms. Flor. *promisit.* Quod verius meliusque hic videtur.

Prætura perfunctos. Libri scripti et editi, *præfectura.* Pichena et recentiores recte emendarunt, *prætura.* Suetonio enim *prætura functi* dicuntur, ut modo vidimus, cum de ærario diceremus.

CAP. 30. *Velut infimam nationum.* Non infima nationum erat Italia. Contra vero 'terra, omnium terrarum alumna, eadem et parens, numine Deum electa, quæ cœlum ipsum clarius faceret, sparsa congregaret imperia, ritusque molliret, et tot populorum discordes ferasque linguas, sermonis commercio contraheret: colloquia et humanitatem homini daret: breviter una cunctarum gentium in toto orbe patria fieret,' Plin. iii, 5. De Ravennatium classe dictum est in not. et em. ad An. iv, 5.

C. Aminius Rebius. In Ms. Reg. et ed. pr. *Caminius Robius.* Mss. Harl. Bodl. Jes. et Puteolan. *Aminius Rebius.* Mss. Flor. Corb. Pichena aliique multi, *C. Aminius Rebius.* In Ms. Agr. *C. Annæus Rebius.* Cl. Lallemand edidit, *Caninius Rebilus,* ut et volebat Lips. Certe Sen. de Benef. ii, 21. memorat quemdam Rebilum divitem et infamem. Sed nondum satis auctoritatis, ut mutetur nomen.

Inoffensa tot imperatorum malitia. Male Rodolph. Agricola *mi-*

litia. Suspicabatur Lips. *amicitia*, quod placet Ernesto. At hic dicitur, *imperatorum militia*, ut inf. xv, 21. *Magistratuum malitia.* Latine quoque ac eleganter dicitur, *inoffensa malitia.*

CAP. 31. *Cæsar exstruxerat.* Ita Mss. Flor. Reg. Agr. Harl. Bodl. Guelf. ed. pr. aliæque optimæ. In Ms. Jes. et Puteolanus, *extruserat.* Perperàm quoque alii, *adstruxerat.* Mallet Ernest. *extruxerit;* ut dictum sup. c. 20. *prodiderint.*

Res inlustres annalibus. Ms. Reg. et ed. pr. addunt, *scribendas.* Puteolan. aliique merito omisere.

Quadringeni nummi. Bene Mss. Bodl. et Jes. 400. *nummi.* Male ed. pr. et Mss. Flor. Reg. Guelf. *quadrigeni.* Pejus emendatum, *quadrageni; divisis populo viritim quadringenis nummis*, teste Suet. Ner. 10.

Quintæ et vicesimæ. Jam ab A. U. C. 397. C. Marcio, Cn. Manlio coss. in castris tributim lata lex 'de vicesima eorum, qui manumitterentur. Patres, quia ea lege haud parvum vectigal inopi ærario additum esset, auctores fuerunt,' Liv. vii, 16. Hanc vicesimam memorat Cic. ad Att. ii, 16. 'Portoriis Italiæ sublatis, agro Campano diviso, quod vectigal superest domesticum præter vicesimam.'

Augustus, A. U. C. 759. ut ærarium militare, jam tentatum rursum institueret ac dotaret, vicesimam hereditatum et legatorum reperit, teste Dione LV. p. 565. De ea multa habet Plin. Paneg. 37.

Anno sequenti, Metello et Nerva coss. idem Augustus, tum ad belli usus, tum ad nocturnorum Urbis vigilum stipendia novum vectigal instituit, 'mancipiorum nempe venditorum quinquagesimam:' *τέλος τὸ τῆς πεντηκοστῆς ἐπὶ τῇ τῶν ἀνδραπόδων πράσει ἐσήγαγε.* Dio lv, p. 569.

Alterum ærarii militaris subsidium fuit 'centesima rerum venalium post bella civilia instituta,' Tac. An. i, 78. Cappadocia in provinciam redacta, Tiberius 'centesimæ vectigal' levavit, 'ducentesimam statuit,' Tac. An. ii, 42. Ducentesimam ipsam sustulit Caius Caligula, teste Suet. in Caio 16. V. quoque quæ diximus in Suppl. An. vii, 26.

Ærarium sane hac indulgentia, et magis prodigalitate atque stultitia principum, inops factum est. Tum forte crevit mancipiorum venalium vectigal, et pro quinquagesima quinta et vicesima instituta.

Neque, ut Cujac. et Lips. placuit, in Tacito pro *quinta et vicesima* emendandum *quinquagesima*, ut Dioni consentiat. Si quid foret mutandum, potius in Dione corrigendum *πέντε εἰκοστῆς*, 'quintæ et vicesimæ,' pro *πεντηκοστῆς*, 'quinquagesimæ:' nam hac in re facilis fuit librariorum error. At cum de diversis temporibus locuti sint Dio ac Tacitus, non mirum eos diversa retulisse vectigalia, ut recte observat Petr. Burmann. de Vectigalib. pop. Rom. c. v, p. 95. In Inscr. vett. et nummis memorantur XX. HEREDITATIVM. XX. XXV. XXXX. CC. I. e. 'Vicesima hereditatum. Vicesima. Quinta et vicesima. Quadragesima. Ducentesima.'

Provinciam obtineret. Male Mss. et edd. vett. *in provincia.*

Ambitu propugnant. Ita Ms. Vatic. 1864. et ed. pr. In Mss. Vatic. 1958. Bodl. et Puteolan. ***propugnabant.*** In utriusque cod. marg. ***propurgabant, propugnant.***

CAP. 32. ***Lurius Varius.*** Ita Mss. Flor. Reg. Harl. Bodl. Guelf. et edd. vett. In Ms. Jes. ***Lurus.*** In Ms. Agr. ***L. Varius,*** quod Ursino et Mureto placebat. Rhenan. edidit ***Lusius.***

De Britanniis. Ita libri omnes editi. In Mss. Harl. Bodl. Jes. Guelf. ***Britannis.***

Superstitionis externæ. Nempe, ut creditur, religionis Christianæ.

Insontem nuntiavit. Sic libri omnes. Ursinus tamen unum cod. laudat in quo ***pronuntiavit.*** Forte, ***nuntiavit*** Neroni, inquit Cl. Ernest. aut legend. ***judicavit.***

Per quadraginta annos. Perperam emendabat Lips. ***per quatuordecim annos;*** quod edidit Pichena. Non hic agitur de tempore, quo Julia interfecta est, sed quo mortua est Græcina.

CAP. 33. ***Pro Eprio Marcello.*** Erudit. Harduin. Select. Opp. p. 90. nummum Cypriorum laudat, qui ex una parte exhibet ΘΕΟΝ ΣΥΝΚΛΗΤΟΝ, 'Deum Senatum.' In altera, ΕΠΡΙΩ ΜΑΡΚΕΛΛΩ. Γ. ΑΝΘΥ. Stat ipse Eprius militari habitu ac vestitu; læva hastam; pateram, ut videtur, dextra gerit. In medio nummo ΚΥ. i. e. 'Cyprii,' posuere statuam pedestrem 'Eprio Marcello tertium proconsuli.' Opinatur Harduin. hunc nummum visum Tacito, qui ΛΥ. i. e. 'Lycios,' pro ΚΥ. i. e. 'Cyprios,' legerit. Hæ sunt eruditissimi viri fabulæ. Postea, et ut ex alio nummo patet sub Titi imperio, Cypriorum proconsul fuit Eprius Marcellus, nobis sæpe in Hist. libris memorandus.

CAP. 34. ***Avitas opes.*** Ita Lips. et recentiores omnes. In Mss. Harl. Bodl. Jes. et edd. vett. ***habitas;*** facili librariorum errore.

Prolatatum inter. Bene. In Mss. Jes. Agr. et Guelf. ***prolatum.***

Ad hæc. Ms. Bodl. ***ad hoc.***

Illuc magis. Sic libri omnes. Frustra tentavere Rhenan. ***illic;*** Lips. ***illud. Illuc,*** ad Parthos, seu ad servitium, referri recte observat Ernest.

CAP. 35. ***Munia Romanorum.*** Emendabat Freinshem. ***armorum.*** Jac. Gronov. ***Ro. armorum,*** i. e. Romanorum armorum. Probabiliter uterque. Non tamen ita peccat, ***Romanorum.***

Brachiis deciderent. Ms. Jes. ***decidissent.*** Male Ms. Bodl. et Puteolan. ***reciderent.***

CAP. 36. ***Ne pugnam priores auderent prædicit.*** Bene Lips. et Pichena e Ms. Vatic. Sic ferme Ms. Flor. in quo, ***audirent.*** In Mss. Bodl. Jes. Harl. Agr. Guelf. et edd. vett. ***adirent;*** quod retinuit Cl. Ernest. Pro ***prædicit,*** mallet Lips. ***edicit;*** et ita habet Ms. Agr. At veterem scripturam Gronov. defendit auctoritate Liv. xxiii, 19. 'Gracchus, adsidens tantum Casilino, quia prædictum erat dictatoris, ne quid, absente eo, rei gereret, nihil movebat.'

Pactio Orphito. Mallet Muret. ***P. Attio.***

CAP. 37. ***Huc quoque et illuc volitans.*** Lips. et Gronov. mallent, ***hucque et illuc.*** At cum jam dicta essent, ***que, et,*** hic Tac. potuit scribere, ***quoque.***

Pugna exterrere. Ita Pichena. Sic quoque Mss. Flor. Harl. Bodl.

Jes. Guelf. et edd. vett. Male Rhenan. e Ms. Bud. *extrahere*. In Ms. Corb. *exercere;* quod minime displicet.

Proditore sui. Ita Lips. et recentiores. In Mss. Harl. Bodl. Jes. Reg. et edd. vett. *suo*. Forte melius omitteretur, *sui*. Vox enim abest a Ms. Flor.

Tuncque primum. Ita Mss. Flor. Guelf. Pichena et recentiores. In Mss. Reg. Harl. Bodl. Jes. et edd. vett. *Tunc quoque*.

Isichi. Pichena e Ms. Flor. et Vatic. *Insechi*. In Mss. Vatic. 1864. Reg. et ed. pr. *Insichi*. In Mss. Vatic. 1958. Bodl. et Puteolan. *Isichi*. In marg. utriusque cod. Ἰσιχοί. Unde hoc nomen probabilius videtur. In Mss. Harl. et Jes. *Ischi*.

Haud alias socia. Bene Lips. et recentiores. In Mss. et edd. vett., *ante alias*.

In contrarium vertebant. Ita Mss. Flor. Reg. Guelf. Agr. ed. pr. et recentiores. Sic quoque volebat Muret. In Mss. Harl. Bodl. et Puteolan. *vertebantur*.

Agere mallent. Pichena et recentiores e Ms. Flor. De Tiridate et Vologese agitur. In Mss. Harl. Jes. et edd. vett. *mallet*.

Sæpius jam. Ita ed. pr. Ms. Corb. et in margine Ms. Bodl. Puteolan. omisit, *jam:* restituit Ernest.

Cap. 38. *In summam pacis proficiebatur*. Mss. et edd. vett. *in summa*. Tentabat Muret. *in summam*. Melius Faern. *in summam pacis*, quod recepit Ernest. Sic Liv. iii, 61. 'Parvaque certamina in summam totius profecerant spei.' Et Plin. xvi, 36. 'proficiunt in aucupatoriam quoque amplitudinem.' Pariter emendatum inf. Hist. ii, 16. *in summam profutura*, licet libri omnes haberent, *in summa*.

Hinc majorem offerri. Ita Ryck. e Ms. Agr. quod Danesio et Acidalio jam placuerat. In Mss. et edd. vett. *afferri*. Unde conjiciebat Gronov. *hinc majorem ferri*, quod probat Ernest. Vitiose in ed. pr. *ideo artum non numerum finiri, et huic majorem afferri*. Recte Puteolan. *arctum inde numerum . . . . et hinc*. Sic supra bene adhuc emendaverat, *affore*, ubi ed. pr. habebat, *afferre*.

Ut dolus pararetur. Mss. Flor. Reg. Bud. Harl. Bodl. Jes. Guelf. et ed. pr. Puteolan. *patraretur*.

Nam equiti. *Nam* abest a Mss. Harl. Bodl. Jes.

Dissimulato tamen intellectu. Ita libri omnes. Frustra tentant Lips. *intellecta:* Acidal. *intellectum*.

Quasi eadem legio. *Eadem* abest a Ms. Guelf. et suspecta Ernesto vox. In Ms. Harl. *legio eadem*.

Cap. 39. *Quod validissimum*. *Quod* abest a Ms. Guelf.

Cognomento Volandum. Ita Mss. Reg. Bud. ed. pr. et recentiores. In Mss. Harl. Bodl. Jes. et Puteolan. *vallandum*.

Insteio Capitoni. Mss. Flor. Reg. ed. pr. et recentiores. Puteolan. *Isteo Capitoni*. Mss. Harl. Bodl. *Instello*. Ms. Jes. *Vistello*.

Confitentem. Ms. Agr. *perfidia et ignava fuga confidentem*.

In testudinem conglobatos. Cum hic et sæpe in Historiarum libris testudo memoretur, haud inutile erit luculentum Dionis locum, longiorem licet, afferre, qui rem, quæ quibusdam recentioribus scriptoribus incredibilis videtur, oculis subjiciat.

DE TESTUDINE ROMANA.

Ἡ δὲ δὴ χελώνη τοιάδε τις ἐστι, καὶ τόνδε τὸν τρόπον γίγνεται· τὰ μὲν σκευοφόρα καὶ οἱ ψιλοὶ οἵ τε ἱππεῖς ἐν μέσῳ τοῦ στρατεύματος τετάχαται· τῶν δ' ὁπλιτῶν οἱ μὲν ταῖς προμηκέσιν ἀσπίσι ταῖς κοίλαις ταῖς σωληνοειδέσι χρώμενοι, περί τε τὰ ἔσχατα, ὥσπερ ἐν πλινθίῳ τινὶ, τάσσονται, καὶ τοὺς ἄλλους ἔξω τε βλέποντες, καὶ τὰ ὅπλα περιβεβλημένοι, περιέχουσιν· οἱ δ' ἕτεροι οἱ τὰς πλατείας ἀσπίδας ἔχοντες, ἔν τε τῷ μέσῳ συσπείρονται, καὶ ἐκείνας καὶ ὑπὲρ ἑαυτῶν καὶ ὑπὲρ τῶν ἄλλων ἁπάντων ὑπεραίρουσιν· ὥστε μήτ' ἄλλο τι πλὴν ἀσπίδων διὰ πάσης ὁμοίως τῆς φάλαγγος ὁρᾶσθαι, καὶ ἐν σκέπῃ τῶν βελῶν πάντας αὐτοὺς ὑπὸ τῆς πυκνότητος τῆς συντάξεως γίγνεσθαι. Οὕτω γάρ τοι δεινῶς ἰσχυρίζεται, ὥστε καὶ βαδίζειν τινὰς ἐπάνω αὐτῆς, καὶ προσέτι καὶ ἵππους, καὶ ὀχήματα, ὁσάκις ἂν ἐν κοίλῳ τινὶ καὶ στενῷ χωρίῳ γένωνται, ἐνελαύνεσθαι. Τοιοῦτο μὲν δὴ τὸ σχῆμα τῆς τάξεως ταύτης ἐστὶ, καὶ διὰ τοῦτο καὶ τὴν τῆς χελώνης ἐπίκλησιν, πρός τε τὸ ἰσχυρὸν καὶ πρὸς τὸ εὐσκέπαστον αὐτῆς, εἴληφε. Χρῶνται δὲ αὐτῇ διχῇ. Ἢ γὰρ φρούριόν τι προσμίσγοντες προσπορεύονται, καὶ πολλάκις καὶ ἐπ' αὐτὸ τὸ τεῖχος ἀναβιβάζουσι τινὰς, ἢ ὑπὸ τοξοτῶν ποτε περιστοιχισθέντες, κυπτάζουσι πάντες ἅμα (καὶ γὰρ καὶ οἱ ἵπποι ὀκλάζειν καὶ κατακλίνεσθαι διδάσκονται) κἀν τούτῳ δόκησιν σφίσιν ὡς καὶ κεκμηκότες παρασχόντες, ἐξεγείρονταί τε, πελασάντων αὐτῶν, ἐξαίφνης, καὶ ἐς ἔκπληξιν σφᾶς καθιστᾶσιν. 'Testudo autem talis est, et hoc modo fit. Impedimentis et levis armaturæ militibus, equitibusque in medio exercitus collocatis, gravis armaturæ pedites, hi qui oblongis clypeis cavis, ac in morem tubi incurvatis, utuntur, in extremis partibus velut in latericio quodam opere quadrato, ita collocantur; ut foras spectantes, et armis tecti, ceteros undique contineant: alii, qui lata gestant scuta, in medio conserti, ea supra se et reliquos omnes tollunt, ita ut nihil aliud quam clypei per totam phalangem conspiciantur, omnesque propter densitatem aciei a telis protecti sint. Est enim hæc clypeorum densatio adeo firma, ut et super ea ingredi aliquot homines possint, imo equi et currus agi, si in cavo ac angusto loco constipetur. Hæc figura est illius aciei, nomenque illa testudinis propter firmitatem, ac quod tam egregie exercitum contegit, invenit. Usus porro ejus duplex est. Nam aut in oppugnando aliquo castello, facta testudine, succedunt ad murum, ac sæpe numero in ipsum murum quosdam ea attollunt: aut a sagittariis circumdati, omnes genu nituntur simul, (nam et equi in genua inclinare adsuefacti sunt) opinione de se, tanquam confectis, præbita hostibus, accedentibus eis, repente, nec sine terrore eorum, insurgunt,' Dio xlix, p. 409. Imaginem testudinis adhuc videre est Romæ in Trajani columna.

Mirum vero quam hæc cum Tacito consentiant. Ex iis enim intelligas quomodo, An. xiii, 39. Hi 'in testudinem conglobati subruendo vallo' inducuntur. Hist. iii, 27. Ad Brixianam portam, 'alii falces, scalasque convectant: tum elatis super capita scutis densa testudine succedunt. Romanæ utrimque artes: pondera saxorum Vitelliani provolvunt: disjectam fluitantemque testudinem lanceis contisque scrutantur, donec soluta compage scutorum, exangues aut laceros prosternerent multa cum strage.' Hist. iii, 28. 'Non

jam sanguis, neque vulnera morabantur, quin subruerent vallum, quaterentque portas, innixi humeris, et super iteratam testudinem scandentes, prehensarent hostium tela brachiaque, integri cum sauciis, semineces cum expirantibus volverentur.' Hist. iv, 23. 'Invasere vallum, appositis plerique scalis, alii per testudinem suorum.' Alia plurima ex aliis scriptoribus, congerere facile foret, quæ Dionis descriptionem confirmarent. At satis sit historici prudentissimi, in ipsa militari arte exercitati, res ætate sua gestas narrantis, auctoritatem adduxisse, ut quæ adversus testudinem Romanam nuper commentus est recens et ingeniosus scriptor, sed παραδόξων paulo amantior, literatus quisque dijudicet. In testudine Romana, qualem Dio, Tacitus, aliique scriptores Græci ac Latini, et columna Trajani, exhibent, omnia arti militari et mechanicæ legibus sunt consona. Contra vero octo pluresve scansiles militum armatorum ordines, aliaque id genus, fabulæ sunt, quas cum ingenioso scriptore nos quoque ultro ac libenter explodimus.

Libratoribus funditoribusque. Ita Mss. Harl. Bodl. Jes. Guelf. edd. vett. aliæque optimæ. Jac. Gronov. ex Ms. Flor. edidit, ***libritoribus***, ut An. ii, 20. ***libritores. Libratores***, non ***libritores***, passim in omnibus scriptoribus memorantur.

Pari undique motu. Ita libri omnes scripti et editi ante Lips. qui edidit, ***metu ;*** eleganter quidem. At J. Gronov. et Ernest. merito reposuere, ***motu.*** Sine librorum auctoritate non amandanda vox, quæ nihil peccat.

Escensu munimenta. Mss. Harl. Bodl. Jes. et edd. vett. ***ascensu.*** Lips. et recentiores omnes, ***escensu.*** Antiqua enim vox, nec Tacito insueta. V. sup. c. 5.

Cap. 40. ***Si concessisset obsidioni.*** Ita Puteolan. et recentiores omnes. In Ms. Reg. et ed. pr. ***si consensisset.***

Dato die. Frustra tentat Pichena, ***claro die ;*** amicus Ryckii, ***nato die.*** Jam sup. An. iv, 40. ***datoque tempore.***

Mediis decumanorum delectis. Emendabat Grotius ***delecti.*** Latine quidem. Sed Latine quoque, ***medii . . delecti ; mediis . . delectis.*** Potior ergo veteris scripturæ auctoritas.

Pedites sagittariique. Ita Ms. Reg. et ed. pr. In Ms. Corb. ***pedes sagittariique.*** Mss. Harl. Bodl. Jes. Puteolan. et recentiores, ***pedes, sagittarius.*** Copulam addebat Muret.

Productior cornu in sinistro. Mss. Reg. Flor. et edd. vett. ***productiore.*** Ms. Agr. ***productiore eorum sinistro.*** Mss. Harl. Bodl. Guelf. Rhenan. et recentiores, ***productior.*** Ms. Jes. ***productor.*** Emendabat Lips. ***productiore cornuum sinistro.*** At elegantius dicitur, ***productior cornu in sinistro :*** nempe, ***cetera manus equitum, productior erat in cornu sinistro per ima collium ;*** quod equitibus expedit.

Tum minitans. Ita edd. vett. Lips. ***cum. Tum*** abest a Ms. Jes.

Cap. 41. ***Obsidioque circumdaret.*** Ita Mss. Flor. Corb. ed. pr. et recentiores. In Mss. Harl. Bodl. Jes. et Puteolan. ***obsidioneque circumdaret.*** Ms. Reg. ***obsidioque cluderet.***

Concessisse illuc. Ms. Corb. ***ibi.***

Solo adæquata sunt. Ita Ms. Reg. ed. pr. et recentiores. Sic sæpe Tac. et ipse Liv. i, 29. 'publica privataque omnia tecta adæquat solo.' In Mss. Harl. Bodl. Jes. et Puteolan. *æquata.*

Quia nec teneri. Puteolan. et ceteri omnes. In Ms. Reg. et ed. pr. *non teneri.* Mallet Grotius *nec tenere*, ut intelligatur *erat.* At æque intelligitur *poterant.*

Velut numine oblatum. Ms. Farnes. *velut Deum numine.* Par vis in *numine.*

Tectis tenus. Mss. Reg. Harl. Bodl. Jes. et edd. vett. *tecta hactenus.* In Ms. Flor. *tectis.* Unde optime emendatum, *tectis tenus*, ut habent recentiores omnes. In Ms. Harl. *sole illustri.*

Ex senatusconsulto. Ms. Guelf. ed. pr. et recentiores. In Mss. Reg. Harl. Bodl. Jes. Guelf. et Puteolan. *et senatusconsulto.*

Eoque oportere. In Ms. Reg. *ut æque ;* ed. pr. *et æque.* Puteolan. ac ceteri omnes, *eoque.*

Divina colerent. Ita Mss. Flor. Harl. Bodl. Jes. Guelf. et edd. vett. ac recentiores. Rhenan. *colerentur.*

Cap. 42. *Et mutatione.* Ms. Reg. *ex.*

Juvenum imperitiæ suetum. Puteolan. primus edidit, *imperitiæ suetum :* Rhenan. *juvenum.* Vitiose in ed. pr. *juvenem imperitiæ suæ : cum.* Ms. Bodl. *a juvene ;* in margine, *a juventute imperita*, ut in Mss. Harl. Jes. Guelf.

Livere his. Ita Ms. Flor. Pichena et recentiores. In Ms. Reg. *livide.* In ed. pr. *lividæ his.* Ms. Corb. *libere his.* Mss. Harl. Bodl. Jes. Guelf. et Puteolan. *invidere iis.*

Sponte litigatoris. Mss. Harl. Jes. Guelf. *sponte a litigatoribus.*

Cubicula principum. Mss. Harl. Bodl. Jes. *cubiculum.*

Fœnore hauriri. Mss. Harl. Jes. *exhauriri.*

Ac olim partam. Ita Puteolan. aliique plurimi. In Ms. Corb. et ed. pr. *ac Deo partam.* Mss. Harl. Bodl. Jes. Guelf. *a Deo.* Ms. Flor. *ac do.* Certe displicet *ac olim*, quod *ac* veteres ante vocalem non usurpavere. Itaque placet vel *ac diu*, vel *ac domi portam ;* quod jam quidam edidere.

Submitteret. Bene Lips. et recentiores. Mss. et vett. edd. *submittere.*

Cap. 43. *Aut versa in deterius.* Sic libri omnes editi. *Aut versa* absunt a Mss. Harl. Bodl. Jes. Bud. et Guelf.

Inquisitionem annuam impetraverant. Ita e Ms. Flor. Pichena et recentiores. In Mss. Reg. Harl. Jes. et edd. vett. *impetraverat.* Sed accusatorum erat poscere et impetrare inquisitionem. Sic inf. c. 52. 'Silvanum magna vis accusatorum circumsteterat, poscebatque tempus evocandorum testium.' Plin. Ep. iii, 9. 'Addiderunt Bætici, quod simul socios ministrosque Classici detulerunt : nominatimque in eos inquisitionem postulaverunt.' Idem passim occurrit in juridicis actionibus.

Suburbana crimina. Sub Ernesto suspectum est, mallet *urbana crimina*, i. e. in Urbe perpetrata, ut provincialibus opponantur. At *suburbana* dici puto, non de criminibus tantum in urbe, sed intra centesimum ab urbe lapidem, quo præfecti urbis jurisdictio definiebatur, patratis.

Ii, acerbitate. Mss. Harl. Jes. Guelf. et ed. pr. *hi.*

Nihil ex his. Ms. Bodl. *iis.*

Alium delectum. Ita Mss. Flor. Reg. Agr. Corb. ed. pr. J. Gronov. et recentiores. In Ms. Bodl. et Puteolan. *electum.*

Aut aviæ acceperant. Emendabat Mercer. *acceperat.* Freinshem. conjiciebat, *aviæ ceperant,* quod edidit Cl. Lallemand. *Aviæ* recepi e Ms. Medic. Vulgo in Mss. et edd. vett. *avi.* Separata materna bona, et filio reddita, jam vidimus sup. An. iii, 68.

Nerulinum. Sic Ms. Vatic. 1958. et libri omnes editi. In Mss. Vatic. 1863 et 1864. Jes. Corb. *Verulinum.*

Cap. 44. *Mulieris nuptæ.* *Nuptæ* abest a Ms. Jes. Alia manu additum in Ms. Harl.

Contra modo conqueri. *Modo* abest a Ms. Bud. *contra modo* a Ms. Guelf.

Quæ sola reliqua esset. Mss. Harl. Bodl. Jes. et Puteolan. *relicta esset.* In marg. Ms. Bodl. *reliqua,* ut in ed. pr. et aliis.

Libidine seposita. Emendand. *libidini* censent viri eruditi: sic enim inf. c. 54. *Militum usui sepositos.* Nemo tamen veterem scripturam mutavit; nec mutaverim, omnibus libris adversantibus.

Et questu incensus. Ita Puteolan. et ceteri omnes libri editi. In Ms. Flor. *et quastim census.* In Mss. Reg. Corb. et ed. pr. *et quesiti census.* Inde conjiciebat Gronov. *et quasi incensus;* Ernest. *atque ita infensus.* Ego vero existimo fuisse olim scriptum, *et pars tenebrarum libidini seposita: qua statim incensus nihil metuentem ferro transverberat.* Hæc enim Corneliana dictio; atque horride repetita copula *et* vanescit.

Cubiculoque prorumpit. Ms. Jes. *prorupit.*

Ultum esse. Mallet Lips. *ultum isse.*

Lege de Sicariis. Ita Mss. Flor. Reg. Bud. Corb. Harl. Bodl. Jes. Guelf. J. Gronov. et recentiores. In vett. edd. *lege Cornelia de Sicariis.*

Cap. 45. *Magnorum reipublicæ malorum.* Mss. Flor. Corb. ed. pr. Pichena et recentiores. In Mss. Harl. Bodl. Jes. et Puteolan. *majorum.*

Rufii Crispini. Mss. Harl. Bodl. Jes. et edd. vett. *Rufi Crispi.* Lips. *Crispini;* Ryck. *Rufii,* ut sup. An. xii, 42. Crispinum ejusque filium memorat Poppæa ap. Senec. Octav. 728. 'Venientem intuor Comitante turba conjugem quondam meum Gnatumque: properat petere complexus meos Crispinus, intermissa libare oscula.'

Cap. 46. *Sibi concessam dictitans.* Aperta sententia; incerta tamen verba ob variam codicum scripturam, et diversas eruditorum conjecturas. In Ms. Reg. et ed. pr. *ubi concessam dictitans,* unde conjiciebat Acidal. *uni concessam.* Perizon. Animadvers. Histor. p. 273. verbum *dictitans* redundare existimabat; atque hic intelligendum, ut sæpe alias in Tacito, ac maxime An. iii, 34. In Mss. Bud. Corb. *ubi concessam dictitaret;* inde Ernest. emendatum volebat *Sæpe auditus est, cum surgens e convivio Cæsaris, se ire ad illam, sibi concessam dictitaret.* Pariter N. Heins. *cum consurgens····uni concessam dictitaret.* In Mss. Harl. Bodl. Jes. Guelf. et Puteolan. *ibi concessam dictitans;* hinc Ursin. emendavit *sibi concessam dictitans,* quod hactenus omnes edidere.

Accepto aditu. Muret. ut hæc cum præcedentibus conjungeret, malebat *hoc cæpto aditu.* Heins. *arrepto.* At æque convenit *accepto,* ut recte observat Ernestus.

Cupidini se. *Se* omissum vellent Heinsius et Græv. Abest a Ms. Corb. Deest quoque in Ms. Reg. et ed. pr. Sed in iis vitiose, *in partem cupidinis.*

Et forma. *Et* abest a Mss. Harl. Bodl. Jes.

Matrimonium amittere. Ms. Agr. *omittere;* quod probat Græv. Haud absurdum tamen, *amittere.*

Cultu magnificum. Mss. Harl. Jes. Guelf. *magnifico.*

Fortuna digna. Mss. Bodl. Jes. Guelf. et Puteolan. *dignam.* Ed. pr. Rhenan. et recentiores, *digna.* Pro *visere* mallet Græv. *videre.* Bene utrumque. In Ms. Corb. *videri.*

Et ad postremum. Ita Mss. Medic. Harl. Bodl. Jes. Reg. edd. vett. et J. Gronov. sicque inf. Hist. i, 39. Rhenan. aliique *postremo.*

Æmulatus ageret. Ita libri omnes scripti et editi. Melius foret *æmulus ageret,* ut volebat Grotius. Aliis placet *æmulator.*

Et potestatis temperantior. Ms. Corb. *egestatis.* Idem e libro Pontificali laudat probatque Vertran. In Ms. Harl. *temperatior.*

Cap. 47. *Graptus.* Muliebre nomen *Grapte* sæpe occurrit in vett. inscr. ap. Gruter.

A Tiberio usque domum. Sic Puteolan. et libri omnes postea editi. In Mss. Vatic. Flor. Guelf. Agr. Corb. ed. pr. *Tiberio avo usque ad domum.* Vere conjecit Lips. legend. *Tiberio abusque domum,* &c.

Pons Milvius. Ita Mss. Harl. Bodl. Jes. et libri omnes editi ante Ernest. qui edidit *Mulvius,* ut et Cl. Lallemand; falso laudata Ms. Oxon. auctoritate.

Quo solutius. Ed. pr. *solutus.* Et paulo ante *ventabat* pro *ventitabat.*

Maximeque despecta. Ita Mss. Flor. Guelf. ed. pr. Pichena et recentiores. Puteolan. omisit, *que.* Abest quoque a Mss. Harl. Bodl. Jes.

Cap. 48. *Quas diversas.* Mss. Harl. Jes. Guelf. *quas divisas.*

Ordo plebesque. Mss. Harl. Jes. Guelf. et Puteolan. *senatorius ordo plebesque.* *Senatorius* abest a Mss. Flor. Bud. Agr. Corb. et ed. pr. in qua etiam legitur, *plebs et ordo.* *Plebs* quoque in Mss. Flor. Jes. et Corb.

Ad saxa et minas. Ms. Bud. *ad saxa, ad minas.*

Arma perliceret. Ms. Reg. et ed. pr. *pelliceret.* Mss. Harl. Bodl. Jes. Guelf. Puteolan. et recentiores, *perliceret.*

Cap. 49. *Civitati.* Ms. Reg. et ed. pr. *civitatem.*

Permittebatur. Ms. Corb. *prohibebatur.*

Et legibus, quibusque. Mss. Harl. Jes. *aut legibus.* Ms. Harl. *quibuscumque.*

Res Romana continetur. In Ms. Reg. et ed. pr. *Romana continetur.* Ms. Guelf. et Puteolan. *Romana continentur.* Ms. Corb. *continerentur.* Bene emendavit Lips. *res Romana.*

Quam si non Nero. Ms. Reg. et ed. pr. *quasi non Nero;* ut volebat Acidalius.

Quod si summa. Ita Mss. Flor. Reg. Harl. Bodl. Jes. Guelf. ed. pr. et recentiores. Puteolan. aliique emendaverant, *quæ,* quod legerent, *quæ si summa dissimulatione.* At *summa* opponuntur *inanibus,* ut recte observavit Ernestus.

Cap. 50. ***Pulcherrimum donum.*** Pulcherrimum sane foret Principis donum, cuncta omitti vectigalia. At tum pulcherrimum quoque ac necessarium populi munus, ea solvere tributa, quibus respublica sustineatur. Nunc vero ut constet utrum cuncta vectigalia a Nerone omitti potuerint, de tributis ac vectigalibus imperii Romani agemus.

DE TRIBUTIS AC VECTIGALIBUS IMPERII ROMANI.

Apud Romanos fuere tributa ac vectigalia, ut ferme apud nos sunt tributa, *direct taxes*, et vectigalia, *duties*. Plures tamen apud Romanos, quam apud nos vectigalium formæ; ut videre est apud Petrum Burmannum, de Vectigalibus populi Romani: et in libro Gallico, *Traité des Finances des Romains:* at in quo tamen sæpe diligentiam, et in intelligendis vett. scriptoribus perspicacitatem desideres.

Populus Romanus tributum solvit, donec A. U. C. 586. 'ærario intulit Æmilius Paulus, Perseo victo, e Macedonica præda *HS MM. CCC.* [Angl. 2,000,000*l.*] a quo tempore populus Romanus tributum pendere desiit.' Plin. xxxiii, 3. Cic. de Offic. ii, 22.

Tum sane visum maximum pulcherrimumque victoriæ monumentum. Duravit usque ad A. U. C. 711. quo, Hirtio et Pansa coss. tributum renovatum est. Plut. in Paul. Æmil. p. 275.

Vectigalia, vigente republica, pauca fuere, nec gravia. Nam A. U. C. 693. cum Pompeius Magnus, M. Pisone et M. Messala coss. imperium maris populo Romano restituisset, Asiamque, quam ultimam provinciarum acceperat, eamdem mediam patriæ reddidisset; ex Asia, Ponto, Armenia, Paphlagonia, Cappadocia, Cilicia, Syria, Scythis, Judæis, Albanis, Iberia, insula Creta, Basternis, et super hæc de regibus Mithridate atque Tigrane triumphavit. Inter ceteros triumphi titulos is enitebat: 'Ante hæc bella, vectigalia populi Romani fuisse bis millies,' Angl. 1,700,000*l.* Ex iis vero, quæ ipse Urbi addiderat, esse ter millies quadringenties,' *Angl.* 3,000,000*l.* Πρὸς δὲ τούτοις, ἔφραζε διὰ τῶν γραμμάτων ὅτι πεντακισχίλιαι μὲν μυριάδες ἐκ τῶν τελῶν ὑπῆρχον, ἐκ δὲ ὧν αὐτὸς προσεκτήσατο τῇ πόλει μυριάδας ὀκτακισχιλίας πεντακοσίας λαμβάνουσιν. Plut. in Pomp. p. 642.

Novum grandeque incrementum accessit, devictis Galliis. Iis enim Julius Cæsar, victor, circa A. U. C. 703. 'quadringenties [Angl. 350,000*l.*] in singulos annos stipendii nomine imposuit,' Suet. in Jul. 25. Quod, actis censibus, ita postea accrevit, ut plus quam *Angl.* 2,720,000*l.* solverint. Id enim innuit Vell. Paterc. ii, 39. Galliæ Caii Cæsaris 'ductu auspiciisque infractæ, pœne idem, quod totus terrarum orbis, ignavum conferunt stipendium' . . . Divus Augustus 'pœne idem, facta Ægypto stipendiaria, quantum pater ejus Gallia, in ærarium reditus contulit.'

An. erat U. C. 724. cum Augustus Ægypto potitus est, quam statim ipse, post Tiberius aliique Principes, inter præcipua regni instrumenta et arcana habuere. Quantum autem reditus Romanis contulerit Ægyptus, conjicere possumus ex Strab. xvii, p. 798. Ait enim Ptolemæo Auletæ, Cleopatræ patri, quotannis pendi solitum tributum 12,500. talentorum, *Angl.* 2,750,000*l.* Κατ' ἐνιαυτὸν τῷ τῆς Κλεοπάτρας

πατρὶ τῷ Αὐλητῇ προσφέρεσθαι φόρον ταλάντων μυρίων καὶ δισχιλίων πεντακοσίων. Addit idem Strabo, 'si tanta solverentur regi, qui pessime et segnissime regnum administrabat, quid censendum putes de præsentibus reditibus, qui tanta diligentia a Romanis administrantur, additis etiam Indicis et Troglodyticis commerciis? Superiore enim tempore, ne viginti quidem navigia in Arabicum sinum transire audebant. Nunc maximæ classes usque in Indiam et extrema Æthiopiæ transmittuntur. Inde pretiosissimæ merces in Ægyptum advehuntur, ac rursum ex Ægypto in alia loca circumferuntur; postquam duplicia soluta fuerint vectigalia: unum cum merces importantur, alterum cum exportantur.' *Ὡς τὰ τέλη διπλάσια συνάγεσθαι, τὰ μὲν εἰσαγωγικὰ, τὰ δὲ ἐξαγωγικά.*

Hactenus Strabo, cui si Plinium addideris, mutua luce illustrabuntur: quantumque reditus hæc duplicia commerciorum vectigalia conferrent intelliges. Plin. enim, vi, 23. cum totum navigationis cursum ab Ægypto in Indiam diligentius exposuisset, addit: 'Digna res nullo anno imperii nostri minus HS. quingenties, *Angl.* 410,000*l.* exhauriente India, et merces remittente, quæ apud nos centuplicato, *Angl.* 41,000,000*l.* veneunt.'

Si ex commerciis Troglodyticis et Æthiopicis idem erat reditus, ut conjicere licet, cum hac navigatione percelebratum Ophir, hodie *Sofala*, peteretur, indeque aurum, smaragdi, odores, aliaque id pretii afferrentur, geminabuntur duplicia hæc vectigalia. Ac nemo, ut opinor, diffitebitur Romanos ex una Ægypto, seu tributis, seu vectigalibus, percepisse *Anglicè* circiter 4,200,000*l.*

Qui ex ceteris provinciis reditus obvenirent, non prodidere veteres scriptores; aut potius ignoramus, quod ea historiarum Appiani pars perierit, qua id erat prosecutus. Utendum ergo universalibus regulis, quibus tum veterum, tum recentiorum imperiorum opes certissime et expeditissime cognoscuntur. Iis enim cognitis, facile erit tributa ac vectigalia æstimare.

Porro in magnis imperiis, si annuas eorum incolarum expensas universe supputaveris, eas pro singulis æquare *Angl.* 5*l.* comperies. Per hos ergo numeros, multiplica incolarum numerum. Inde exsurgens numerus demonstrabit annuas incolarum expensas, ac proinde annuos imperii reditus. Alia est regula, quæ eodem ferme recidit. Imperii incolas numera. Cum pars una alterius impendiis vivat, dimidium incolarum numerum accipe. Dimidium hunc numerum in tres partes divide, quarum duæ erunt hominum, qui vulgari operarum stipe, seu *Angl.* 8*s.* 4*d.* victitent, tertia eorum qui duplo carius vivant. Hanc expensam per anni dies multiplica. Summa erit annua incolarum expensa, annuus quoque imperii reditus.

Nunc vero imperium Romanum, quod ab extrema Lusitania Oruron usque, hodie *Horur*, Euphrati vicinum, patebat, erat decuplo majus regno Galliæ. Minime dixerim eamdem fuisse in imperio Romano, ac nunc est in Gallia, populi frequentiam. Plurima enim adversarentur, ac maxime Livii, vi, 12. Plutarchi, de Oracul. n. 6. atque ipsius Taciti in eloquentissima Galgaci oratione, Vit. Agr. 30. auctoritas. Iis enim testibus, sæpissime victores Romani vastitatem

ac solitudinem fecere, idque pacem appellabant. Adde immanem imperii Romani luxum, quo nihil est populorum frequentiæ hominumque multitudini adversum magis.

Si quis autem nunc attenderit conditionem naturamque Romani imperii: non modo urbes plurimas, sed et multos populos, vel a tributo soli, vel a tributo capitis, vel ab utroque, fuisse immunes: alios, fœderatos tantum, nullis necessitatibus subjacuisse: in publicis calamitatibus magnas diuturnasque remissiones fieri solitas; quasdam etiam veterum aut recentium benefactorum gratia fuisse concessas, videbitur sane annuas imperii Romani exactiones non superasse *Angl.* 62,500,000*l.* aut *Angl.* 83,350,000*l.* in summis imperii necessitatibus difficillime æquasse *Angl.* 125,000,000*l.* illud vero 'quadringenties millies,' seu *Angl.* 333,333,333*l.* quibus, teste Vespasiano, uti diximus supra p. 462. opus erat, 'ut respublica stare posset,' exigi minime potuisse.[1] Summa autem illa *Anglicè* 70,000,000*l.* aut 80,000,000*l.* quæ solita imperii Romani exactio haberi potest, numquam potuit ex solis tributis confici. Immo pars multo major debuit vectigalibus inniti.

Magnificum ergo, sed minime possibile fuit Neronis consilium, quo cuncta vectigalia omittere agitabat. Plus in eo consilio erat ostentationis, quam prudentiæ. Merito ergo Neronis impetum attinuere senatores, fore dissolutionem imperii docendo. Simul usurpatam in his Neroniani imperii initiis exactionem egregie commendant, cum profitentur in vectigalibus ita provisum esse, 'ut ratio quæstuum et necessitas erogationum inter se congruerent.'

Nerone modestior, sed prudentior meliorque Tiberius, qui, 'præsidibus onerandas tributo provincias suadentibus,' rescripsit: 'Boni pastoris esse tondere pecus, non deglubere.' Suet. *Tiber.* 32. Immortalitate vero digna fuit Imperatoris Hadriani vox, tanto laudabilior, quanto in hac, quam supra diximus, imperii primum severitate, deinde luxu, rarior, aut potius numquam ante audita, AMPLIARI IMPERIVM HOMINVM ADIECTIONE POTIVS, QVAM PECVNIARVM COPIA, MALIM. Paulus in Digest. lib. xlviii, Tit. 20. de Bonis damnatorum, leg. 7. Hæc enim vera imperiorum magnificentia: hæc opulentia.

His breviter cursimque observatis, locus nunc foret animadvertere, quam diligentes, quam expediti, fuerint Romani in peragendo censu,

[1] Nec mirum sane est. Aliquid stupendum magis, et quod antiquitati prorsus incredibile fuisset visum, in Britannia nunc videmus, cujus annua pro administrando Britannico suo regno expensa hodie æstimatur 80,000,000*l.* Quam mutata tempora! Tantula nunc est Roma: tanta vero Britannia. Neronis temporibus Britannia, acrioribus philosophi Senecæ usuris ob creditum quadringenties sestertium, *Angl.* 333,333*l.* vexata, ad rebellionem adigebatur, nunc potens florensque ad immensas expensas sufficit.

Inde autem intelligere est Vespasianum non exaggerasse imperii Romani necessitates, sed potius providentissime judicasse, cum diceret, teste Suetonio, in Vespasian. cap. 16. opus esse ut respublica stare posset 'quadringenties millies,' i. e. *Angl.* 333,333,333*l.* At tantis opibus par esse nunquam potuit imperium Romanum, cum nondum comperta esset mira illa commerciorum vis, quæ nunc efflorescit. Quanta autem in his commerciis sit utilitas, vel una Britannia, luculenter ostendit, quæ, teste Cl. Pownall, ex solis lanarum mercibus octavam percipit annuarum suarum expensarum partem, scilicet libras 8,000,000.

novis provinciis regnisve imperio suo additis: quanta solertia aliis tributa, aliis stipendia imponerent: quos et quibus legibus, agros vectigales fecerint: quot vectigalium species ac nomina repererint: quæ essent publicanorum, quibus vectigalia per quinquennium conducebantur, societates: quænam essent portoria, quæ monopolia: quos reditus ex metallis, lapicidinis, salinis perciperent: quam varii in his omnibus reipublicæ et imperii usus. At hæc singillatim persequi longius foret; nec pro rei gravitate, nisi singulari libro, possunt explicari.

Id unum observaverim, nihil in œconomica re imperii Romani fuisse umquam mirabilius, quam in peragendis censibus dexteritatem ac facilitatem. Vulgo apud nos receptum est, censum in tota Gallia peragi non posse nisi intra duodecim quindecimve annos, nec sine expensa Angl. 800,000*l.* aut 900,000*l.* Minus certe temporis ac pecuniarum impendebant Romani, alioquin non ita frequens apud eos fuisset censuum confectio aut repetitio. Quanta autem in recte institutis censibus sit imperiis utilitas, quantum populis levamentum, norunt omnes.

Tum libertate. ***Tum*** omisit Puteolanus. In Mss. Harl. Jes. ***cum.***

Erogationum. Puteolan. ***irrogationum.*** In ed. pr. ***errogationum.***

Cap. 51. ***Quadragesimæ quinquagesimæque.*** Bene Puteolan. Perperam in ed. pr. et in Mss. Vatic. 1863. 1864 et 1958. pro ***quadragesimæ,*** scriptum ***quadringentesimæ.*** In Mss. Harl. Bodl. Jes. ***quadragintesimæ.*** Quinquagesima autem illa forte fuit venalium eduliorum. Id enim portorium induxerat Caligula. In gratiam plebis remissum fuisse macelli portorium testatur Plin. xix, 4. 'Ex horto plebei macellum ... Itaque hercule nullum macelli vectigal majus fuit Romæ, clamore plebis incusantis apud omnes Principes, donec remissum est portorium mercis hujus.'

Exactionibus. Ita Rhenan. et recentiores omnes. In edd. vett. ***ex auctionibus.*** In Ms. Jes. ***ex auctione.*** In Ms. Bodl. ***ex auctoribus.***

Cap. 52. ***Imperium illic habuerant.*** Lips. et recentiores. In vett. edd. ***habuerunt.*** Sic et Mss. Harl. Bodl. Jes.

Pomponium Silvanum. Ita libri omnes. Unde hic Silvanus diversus videtur a Silvano, sene divite, de quo inf. Hist. ii, 86.

Valuitque. ***Que*** abest a Ms. Vatic. 1864.

Ultra vitam eorum. Ita ed. pr. Mss. Flor. Corb. et Ernest. Puteolan. et Mss. Harl. Bodl. Jes. ***ultra eorum vitam.***

Cap. 53. ***Et L. Vetus.*** Ernest. ex ed. pr. et Mss. Flor. Guelf. ***Et*** omisere Puteolan. ac Mss. Harl. Bodl. Jes.

Tres et sexaginta annos. Videtur Ryckio emendand. ***sex et sexaginta annos.*** Tot enim numerantur anni a morte Drusi. At hæc hoc anno gesta non scribit Tacitus. Aliquot ante annis fieri potuere: immo facta sunt, ut patet ex Avito et Mancia, utriusque Germaniæ legatis, de quibus inf. c. 56. In Ms. Corb. ***tres et quadraginta annos;*** quod cur Mureto placuerit, nescio.

Exin Oceanum. Bene Puteolan. et recentiores. In ed. pr. ***dein.*** Tentabat Pichena, ***et in.***

Ælius Gracilis. Mss. Harl. Bodl. Jes. Guelf. et Puteolan. ***Helius***

Gracilis. Ms. Corb. *Graccus.* Perperam in ed. pr. *invidit operi ejus Gracilis.* Lips. et recentiores, *Ælius.*

Deterrendo Veterem. Ita Mss. Flor. Agr. Rhenan. et recentiores. In Mss. Harl. Bodl. Jes. et edd. antiquis, *deterrendo Vetere.*

Prohibentur conatus. Ms. Agr. *cohibentur.*

CAP. 54. *In quantum Germani regnantur.* Ita Mss. Vatic. 1863. et Flor. Pichena et recentiores. Male in Mss. Vatic. 1864. et 1958. Bodl. et vett. edd. *in qua tunc Germani regnabant.* Ed. pr. *in quam.*

Fixerant domos. Ita libri omnes. Frustra emendat Rhenan. *finxerant.*

Vibius Avitus. Vulgo in libris scriptis et editis, *Dubius Avitus.* Emendand. *Vibius Avitus* monuit Lips. et probavere Bucher. Belg. Rom. v, 5. p. 163. Eccard. de Orig. Germanorum, num. 35. p. 337. Vibius Avitus Galliæ præerat, cum Zenodorus fecit apud Arvernos, *Auvergne,* colossum, de quo Plin. xxxiv, 7. nosque plura infra inter Anecdota de Nerone. Interim Zenodorus, 'statuam Arvernorum cum faceret, provinciæ Vibio Avito præsidente, duo pocula Calamidis manu cælata, quæ Cassio Silano, avunculo ejus, præceptori suo Germanicus Cæsar adamata donaverat, æmulatus est, ut vix ulla differentia esset artis.' Plin. l. c.

Degrediunturque. Pichena e Ms. Flor. In vett. edd. *digrediuntur.*

Et bona æmulatione. Ita libri scripti, et edd. vett. ac recentiores. Frustra emendavit Rhenan. *bona æmulatio.* Lips. tentabat, *boni æmulatione.*

Auxiliaris eques repente immissus. Ita libri omnes. Nescio cur hæc omiserit Ryck. In ed. Dublinensi addita sunt margini.

Pervicacius restiterant. Ms. Jes. *resisterent.*

CAP. 55. *Ansibarii.* In Mss. Vatic. ut in ed. pr. modo *Ansivarii,* modo *Ampsivarii* legitur. Puteolan. et Ms. Jes. *Ansybarii.* Emendatum in Ms. Harl. *Ansibarii.*

Aderatque iis. Puteolan. et recentiores. In Mss. Harl. Jes. Corb. Agr. et ed. pr. *his.*

Nomine Boiocalus. Puteolan. et recentiores. In Ms. Reg. et ed. pr. *Boiaculus.* In Mss. Jes. et Guelf. *Biocalus.*

Quinquaginta annorum. Ita Mss. Harl. Bodl. Jes. Guelf. et libri omnes editi. Lips. e libris vett. laudat, *quadraginta.* In Mss. Flor. Reg. Corb. Agr. *et quinquaginta.*

Obsequio. Sic edd. vett. et recentiores. Male aliis emendatum, *obsequia.*

Quotam partem campi. Tentabat Lips. *quo tantam,* aut *quo eam.* Vulgatam tamen tolerabat.

Aliquando transmitterentur. Ryckii amicus emendabat, *alenda transmitterentur.*

Receptos gregibus, inter hominum famam. Emendabat Lips. *exceptos* et *famem.* *Famem* probavit Freinshem. sed correxit, *receptus.* Utramque Freinshemii emendationem admisit et edidit Ryck. quem Ernest. et alii non sunt secuti. Et merito quidem. Vulgata enim Latina sunt, et auctoritate librorum veterum defenduntur. In Ms. Harl. legitur quidem *receptus,* sed recenti manu: antea scriptum, *receptos.* Sic in Ms. Agr. *famam* in *famem* mutatum.

Sicuti cœlum. Ita Mss. Flor. Harl. Jes. ed. pr. et recentiores. Ms. Bodl. et Puteolan. *sicut.*

Quæque vacuæ. In Mss. Harl. Bodl. Jes. et Puteolan. *quæ sint vacuæ. Sint* abest a Mss. Flor. Corb. et ed. pr. Idèo illud omisere Pichena et recentiores. *Que* addidit Rhenan. est quoque in Ms. Corb. Mallet J. F. Gronov. *quasque vacuas.*

Solem deinde respiciens. Male ed. pr. *despiciens,* quod probavit Jac. Gronov. Recte Puteolan. et ceteri, *respiciens.*

Sidera vocans. Mallet Nic. Heins. *advocans.*

Cap. 56. *Et commotus his.* Mallet Lips. *Nec commotus his Avitus, patienda meliorum imperia, ait. Dis quos, &c.*

Quid darent, quid adimerent. Mss. Harl. Jes. Guelf. *qui darent, qui adimerent.*

Quam seipsos paterentur. J. F. Gronov. delebat, *se;* probabatque Ryck. ut sensus sit, non paterentur Ansibarii alios judices, quam ipsos Deos: quod minime verisimile.

Terra, in qua vivamus. Bene Ms. Agr. Rhenan. et recentiores. In Mss. Flor. Harl. Jes. Guelf. et ed. pr. *terram vivam.* In Ms. Bodl. et Puteolan. *terra viva.* Unde J. F. Gronov. conjiciebat, *terra in vitam:* Pichena, *terra vivis.*

Curtilium Manciam. Cujus meminit Phlegon, de Rebus mirabilib. c. 27. 'Εν Γερμανίᾳ, ἐν τῷ στρατῷ τῶν 'Ρωμαίων, ὃς ἦν ὑπὸ Τίτῳ Κουρτιλίῳ Μαγκίᾳ, τὸ αὐτὸ τοῦτο ἐγένετο. Δοῦλος γὰρ στρατιώτου ἔτεκεν, ἄρχοντος 'Αθήνῃσιν Κόνωνος· ὑπατευόντων ἐν 'Ρώμῃ Κοΐντου Οὐλουσίου Σατορνίνου, καὶ Ποπλίου Κορνηλίου Σκιπίωνος. 'In Germania in exercitu Romano, cui præerat T. Curtilius Mancias, servus militis peperit; Athenis, Conone præside; Romæ, Q. Volusio Saturnino et P. Cornelio Scipione coss.' Patet ex consulibus Curtilium Manciam legatum fuisse Germaniæ, A. U. C. 809. Non emendandum ergo c. 53. *sex et sexaginta annos,* pro *tres et sexaginta annos,* ut placuit Ryckio.

Exterriti Bructeri. Ita Ms. Flor. ed. pr. et recentiores. In Mss. Harl. Bodl. Jes. et Puteolan. *exterritis Bructeris.*

Ceteris quoque. Quoque abest a Ms. Bud.

Aliena pericula deserentibus. In Mss. Flor. Harl. Jes. Bodl. Bud. Guelf. Corb. et ed. pr. *defendentibus,* quod explicat J. Gronov. *a se arcentibus.* Puteolan. *deferentibus,* forte operarum errore. Rhenan. emendavit, *deserentibus;* quod probavere recentiores. Tentat tamen Ernest. *defugientibus.*

Cæduntur. Goropius Becanus opinatur Angrivarios et Ansibarios eosdem esse populos; dictos esse Ansibarios post cladem: sed non fuisse deletos, ut Tacitus ex falsa aliqua relatione prodidit. Hæc sunt eruditi viri deliramenta, quæ vide, si lubet, Origin. Antuerpian. p. 619. in Saxonicis.

Cap. 57. *Super libidinem.* Rhenan. et recentiores. In Mss. Harl. Bodl. Jes. et edd. vett. *libidine.*

Armis agendi. Mss. Jes. Guelf. *vi, armis agendi.*

Salem provenire. Bene Puteolan. et recentiores. In Mss. Flor. Harl. Bodl. Guelf. et ed. pr. *item provenire.*

Arescente, sed unda. In antiquis edd. *arescente unda: sed super, &c.* In recentioribus, *arescente unda, sed super, &c.* Optime vidit

Muret. emendand. *eluvie maris arescente, sed unda, &c.* V. quæ in notis attulimus ex Plin. xxxi, 7.

Ex elementis. Mss. Flor. Guelf. et edd. vett. ac recentiores. Præpositionem deleverat Rhenan.

Concretum. Lips. optime emendavit, *concretum;* quod recentioribus omnibus probatum. Antea in libris scriptis et editis *concreta.*

Sed bellum. Friget illud, *sed.* F. repet. ex superiorib. *sed unda, &c.*

Cattis exitiosius fuit. Ms. Flor. Pichena et recentiores. In ed. pr. *exitiosum.* Mss. Harl. Bodl. Jes. et Puteolan. *exitio fuit;* quod certe elegantius.

Cuncta victa. Ita Ms. Flor. edd. vett. et recentiores. Male emendatum in mediis quibusd. edd. *cum ita victa.* Lipsio placebat Danesii conjectura, *cuncta viva.* Tentabat J. F. Gronov. *cuncta victi,* i. e. cuncta, quæ victus ante possederat.

In ipsos vertebant. Ms. Flor. ed. pr. et recentiores. Certe ex usu Taciti. Mss. Harl. Bodl. Jes. et Puteolan. *vertebantur.*

Corripiebant. Puteolan. In Ms. Reg. et ed. pr. *arripiebant.*

Non fluvialibus aquis. In vett. edd. et in Mss. Harl. Bodl. Jes. Reg. *non si.* Ernest. merito omisit *si,* ex superiorib. *non si imbres* male repetitum; aut natum ex verbo, quod postea addebatur.

Alio humore. Ita Mss. Flor. Reg. ed. pr. et recentiores; ac bene quidem. In Ms. Agr. *humore perfunderentur.* In Mss. Bodl. Jes. et Puteolan. *humore niterentur;* i. e. *niterentur extinguere:* quod miror Lipsio placuisse.

Agrestes quidam. Ms. Corb. et ed. pr. *agrestis quidem.*

Residentibus flammis. Bene Puteolan. In Ms. Harl. et ed. pr. *resistentibus.*

Derepta. Ryck. e Ms. Agr. Haud ita bene in vett. edd. *direpta.*

Usu polluta. Ita Mss. Bud. Corb. ed. pr. et recentiores. In Mss. Harl. Bodl. Guelf. et Puteolan. *usu viliori polluta.* In Mss. Jes. *usui viliori.*

Cap. 58. *Quæ octingentos et quadraginta.* In Mss. Vatic. 1863 et 1864. Corb. et ed. pr. *quæ septingentos et* 40. In Ms. Vatic. 1958. *octingentos et quadraginta.* Puteolan. primus edidit, quæ *super octingentos et quadraginta. Super* redundat, et merito omisit Ryck. Abest quoque a Mss. Flor. et Agr.

Prodigii loco habitum est. Habitum est abest a Ms. Guelf.

Revivesceret. Pichena e Ms. Flor. Sic et Ms. Guelf. In Mss. Harl. Bodl. Jes. et edd. vett. *revivisceret.*

FINIS PRIMI VOLUMINIS.
